D. Michele Dori.

PAVLLI MANVTII, IN M. TVLLII CICERONIS ORATIONES, COMMENTARIVS.

AD GREGORIVM XIII PONT. OPT. MAX. Liberalium disciplinarum Mæcenatem.



COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud hæredes Arnoldi Birckmanni
ANNO cIↃ. IↃ. LXXIX.

6

GREGORIO XIII PONT. OPT. MAX. LIBERALIVM DISCIPLINARVM MAECENATI.

IN communibus miserijs ea præcipue sum molestia conflictatus, GREGORI XIII. quod S.ti T. promissum à Patre meo primũ, postea à me quoq; hoc animi nostri signũ in hoc vsque tempus differre sim coactus. Nã, cum ad liberos res paterna pertineat; quæ ipsi, dum viuerent, promiserunt, præstari à filijs par esse censeo. Verũ, quid ego? Promissum hoc appello? Debitũ potius appellare debeo, immo certe erat. Cum enim Tu Patri meo honorificũ stipendium eo præcipue nomine asignasses; vt, quo modo ei placitum esset, ad præclara litterarum studia incumberet, & studiosis hominibus emolumẽto esse posset; quæ ipse ex ingenio suo prompsisset, omnia, tamquam Tibi debita, & à Te profecta, Tibi optimo iure, & merito esse cõsecranda, quis dubitet? Qua de re & S.ti T. plurimũ ipse debebat, id assecutus, quod in omni vita expetierat, vt omne otiũ, tempusque in scribendo cõtereret, & vero studiosi omnes, qui ex eius scriptis maximum laborum leuamentũ sentie-

 bant;

bant, ſingulari tuo beneficio ita deuincti erant, nemini vt plus vmquã ſe debere faterentur. Inuidit hoc Fortuna, magnarum rerum aſsidua, & acerrima aduerſaria; &, ei vitam eripiẽs, ſtudioſis lumen exſtinxit, meque (quo parente?) orbauit. Hinc ego nunc, triennio poſt eius obitum, (ſerius certe, quam promiſeram, verũ ita temporibus non modo poſtulantibus, verum exigentibus quoq;) & publicis, & priuatis acerbitatibus ſemper afflictus, atque exagitatus, vixque reſpirans, tandem ad Te hũc in M. Tullij Ciceronis Orationes Commentariũ, Tibi, tamquam vero liberalium diſciplinarum Mæcenati, debitum, προσφωνῶ. Et certe, niſi Tua eximia benignitas perculſis iam, & fere proſtratis liberalibus diſciplinis opem, & ſubſidiũ aliquod afferat, vereor, ne, hominibus ſeſe abripientes, exſulatũ abeant: ſummo Italiæ noſtræ, quæ olim litteratos viros ſummis præmijs ad prçclára ſtudia incitabat, atque adeo totius Europæ cum dedecore. Multos iam annos, errantes, ſupplicesq;, modo ad hũc, modo ad illum Principem adeunt, modoque ab hoc, modo ab illo (dictu miſerabile) non repulſam tantũ, ſed ignominiam, & calamitatem referunt. Quare ego, qui ab initio ætatis ad eas ſemp omni animi mei vi inflammatus fui, cũ videro eas non eũ obtinere locũ, quẽ iure debent, verũ in poſtremis eſſe, genus vitæ mutare in animum induxi: ne vna cũ ijs exſulare cogar. Hoc igitur, quidquid eſt, S^{ti} T. offero: eas Tibi cõmendans, ſuppliciterque exorans, vt, laudabilem vitæ tuę curſum retinens, eis auxilio, & præſidio eſſe, caden-

dentesque erigere, & sustentare velis. Quod cũ oẽs Principes deceat, S.tem T. maxime decet, quę in Terris Christi vices gerẽs, exẽplo, magnorũ Regum, & Principum animos ad eas subleuandas commouere, & excitare poterit: qui, Te ducem, & auspicem, secuti, & poterunt, si volent, & debebunt, si seipsos amant, tam honestam caussam amplexari. Quod si contigerit, illustris omnino erit gloriæ tuæ fama, & æternũ laudum tuarum præconium admirabitur, & colet posteritas omnis; sin minus, immortalis tamen erit conatus tuus, &, qui ab omnibus dilaudetur, ad cælumque laudibus efferatur, dignissimus. Vtut autem erit; exclamasse me earũ nomine, & affatim, abundeque (quantum in me est) satis ipsis fecisse, vti debeo, lætabor. Deus opt. max. felicem, & incolumem Te nobis seruet. Venetijs, Kal. Sext. cIↄ. Iↄ. LXXVII.

SANCTITATIS TVAE

humillimus seruus,

Aldus Manutius, Paulli F. Aldi N.

INDEX ORATIONVM, QVAE HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

IN.

IN ORATIONEM CICERONIS PRO P. QVINCTIO.

PAVLLI MANVTII COMMENTARIVS.

ARGVMENTVM.

HAEC *priuata caussa est, quam adolescens egit Cicero, Decula & Dolabella cos. annos natus, vt recte contra Cornelium Nepotem Gellius probat, vigintisex. nam, cum Sulla victor nouis legibus & moribus remp. constituisset, Cicero ad caussas priuatas, & publicas adire cœpit, dixitque pro Quinctio apud C. Aquillium Gallum: quam orationem idem Gellius Illustrissimam appellat. Nec tamen caussam hanc egit primam: quod illa verba non obscure significant: Ita se res habet, vt ego, qui neque vsu satis, & ingenio parum possum, cum patrono disertissimo comparer. Et illa etiam apertius: Quod mihi consueuit in ceteris caussis esse adiumento, id quoque in hac caussa deficit. Argumentum orationis ex ipso Cicerone colligitur. Sed, quia diffusum, multisque verbis explicatum laborem & difficultatem studiosis afferre potest, summa rerum quasi decerpam, breuiterque perstricta proponam, quo facilius comprehendantur. Sex. Næuius præco biennio ante, Scipione & Norbano cos. Gallicanum P. Quinctij fundum occupauerat, impetrata Burrieni prætoris edicto bonorum eius possessione, quod eum ex societate pecuniam sibi debere, & vadimonium deseruisse diceret. Neque hac iniuria contentus, multis post mensibus Quinctio suum ius persequente, à Dolabella prætore postulauit, vt sibi*

Quinctius iudicatum solui satisdaret, ex formula, quod ab eo peteret, cuius bona dies triginta ex edicto prætoris possessa essent. Recusante eam conditionem Quinctio, vt ignominiosam; quia, si possessa ex edicto prætoris bona fateretur, simul, desertũ à se vadimoniũ esse, fateri cogebatur: prætor tamẽ, nullo iure, nullo more, iussit Quinctiũ aut satisdare solũ, aut sponsionem cum Næuio facere, si bona sua ex edicto Burrieni prætoris dies triginta possessa essent. Cum vtraq; periniqua conditio videretur; sponsionem Quinctius facere maluit; &, quamquam reus esset, priore tamẽ loco contra consuetudinẽ caussam dicere. Iudicem sumpsit, id est, ab vrbano prætore datum accepit, C. Aquilium Gallum, virum optimum, priuatiq; iuris & publici bene peritũ. iudicis enim reijciendi reo potestas erat. is autem Gallus in hac ipsa caussa iudex antea fuerat: quod illa verba declarant: M. Iunius, qui hanc causſã, Aquili, aliquoties apud te egit, hoc tẽpore abest. Agebat igitur Quinctius ex spõsu, iussu Dolabellæ prætoris, et in eo causſa posita erat possessa nec ne essent à Næuio ex Burriẽi prætoris edicto bona Quinctij. Id Cicero tribus refellit argumẽtis: primum, non fuisse cur à prætore postularet Næuius, vt bona Quinctij possideret: deinde, ex edicto possidere nõ potuisse: postremo, nõ possedisse. Ita nihil omittit, quod ad obtinendam victoriam pertineat. Nec dubitandum, quin ea disputatio Aquilium adduxerit, vt secundum Quinctiũ litem daret. nam propterea laudat hanc orationẽ Gellius, quia, liberato molestia Quinctio, Næuij opibus pæne oppresso, fructum Cicero tulit eloquentiæ suæ. Priuata causſa est, sed capitis ideo dicitur, quia damnatum infamia sequebatur. nihil enim turpius, quam vadimonium deserere. desertum autẽ Quinctius negare non poterat, si bona sua ex edicto prætoris possessa esse constaret. qua de re, spõsione facta, iudicauit Aquilius. Pro Næuio Q. Hortensius, clarus ingenij, & eloquentiæ fama; pro Quinctio egit Cicero, octo annis minor natu, quam Hortensius, anno tantum superiore ad caussas defendendas ad forum profectus: vt ipse in Bruto auctor est.

M. TVLLII CICERONIS. PRO. P. QVINCTIO. ORATIO. I.

QVAE res in ciuitate duae plurimum possunt, eae contra nos ambae faciunt in hoc tempore, summa gratia, & eloquentia. quarum alteram, C. Aquilli, vereor, alteram metuo. eloquentia Q. Hortensij, ne me dicendo impediat, non nihil commoueor: gratia Sex. Naeuij, ne P. Quinctio noceat, id vero non mediocriter pertimesco. neque hoc tantopere querendum videretur, haec summa in illis esse: si in nobis essent saltem mediocria. verum ita se res babet, vt ego, qui neque vsu satis, & ingenio parum possum, cum patrono disertissimo comparer; P. Quinctius, cui tenues opes, nullae facultates, exiguae amicorũ copiae sunt, cum aduersario gratiosissimo contendat. Illud quoque nobis accedit incommodum, quod M. Iunius, qui hanc caussam, Aquilli, aliquoties apud te egit, homo & in alijs caussis exercitatus, & in hac multum & saepe versatus, hoc tempore abest, noua legatione impeditus; & ad me ventum est, qui, vt summa haberem cetera, temporis quidem certe vix satis habui, vt rem tantam, tot controuersijs implicatam, possem cognoscere. ita, quod mihi consueuit in ceteris caussis esse adiumento, id quoque in hac caussa deficit. nam, quo minus ingenio possum, subsidio mihi diligentiam comparaui: quae quanta sit, nisi tempus, & spatium datum sit, intelligi nõ potest. Quae quo plura sunt, C. Aquilli, eo te, & hos, qui tibi in consilio adsunt, meliori mente nostra verba audire oportebit; vt multis incommodis veritas debilitata, tandem aequitate talium virorum recreetur. quod si tu iudex nullo praesidio fuisse videbere contra vim, & gratiam solitudini, atque inopiae: si apud hoc consilium ex opibus, nõ ex veritate caussa pendeatur: profecto nihil est iam sanctum, atque sincerum in ciuitate: nihil, quod humilitatem cuiusquam grauitas & virtus iudicis consoletur. certe aut apud te, & eos, qui tibi adsunt, veritas valebit, aut, ex hoc loco repulsa vi, et gratia, locum, vbi consistat,

reperire non poterit. Non eo dico, C. Aquilli, quo mihi veniat in dubium tua fides, & constantia, aut quo non in ijs, quos tibi aduocasti, viris electißimis ciuitatis, spē summam habere P. Quinctius debeat. quid ergo est? primum magnitudo periculi summo timore hominem afficit, quod vno iudicio de fortunis omnibus decernit. idque dum cogitat, non minus sæpe ei venit in mentem potestatis, quam æquitatis tuæ: propterea quod omnes, quorum in alterius manu vita posita est, sæpius illud cogitant, quid poßit is, cuius in ditione ac potestate sunt, quam quid debeat facere. deinde habet aduersarium P. Quinctius, verbo. Sex. Næuium; re vera, huiusce ætatis homines disertißimos, fortißimos, ornatißimos nostræ ciuitatis, qui communi studio, summis opibus Sex. Næuium defendunt: si id est defendere, cupiditati alterius obtemperare, quo is facilius, quem velit, iniquo iudiicio opprimere poßit. nā quid hoc iniquius, aut indignius, C. Aquilli, dici, aut commemorari potest, quam me, qui caput alterius, famam, fortunasq; defendam, priore loco caussam dicere? cum præsertim Q. Hortensius, qui hoc iudicio partes accusatoris obtinet, contra me sit dicturus; cui summam copiam facultatemque dicendi natura largita est. ita fit, vt ego, qui tela depellere, & vulneribus mederi debeam, tum id facere cogar, cum etiam telum aduersarius nullum iecerit: illis autem id tempus impugnandi detur, cum & vitandi illorum impetus potestas adempta nobis erit, & si qua in re, id quod parati sunt facere, falsū crimen, quasi venenatum aliquod telum, iecerint, medicinæ faciendæ locus nō erit. id accidit prætoris iniquitate, & iniuria: primū, quod cōtra omniū consuetudinem iudicium prius de probro, quam de re, maluit fieri: deinde, quod ita cōstituit idipsū iudiciū, vt reus, ante quam verbū accusatoris audisset, caussam dicere cogeretur. quod eorū gratia, & potentia factū est, qui, quasi sua res, aut honos agatur, ita diligēter Sex. Næuij studio & cupiditati morē gerunt: & in eiusmodi rebus opes suas experiūtur, in quibus quo plus propter virtutē nobilitatēq; possunt, eo minus, quantū poßint, debēt ostendere. Cū tot tantisq; difficultatib. affectus, atq; afflictus, in tuā, C. Aquilli, fidē, veritatē, misericordiā P. Quinctius confugerit; cum adhuc ei propter vim aduersariorū non ius par, nō agendi potestas eadē, nō magistratus æquus, reperiri potuerit; cū ei summā per iniuriā omnia inimica, atq; infesta fuerint: te, C. Aquilli, vosq; qui in cōsilio adestis, orat, atq; obsecrat, vt multis iniurijs iactatā, atq; agitatam

tatam æquitatem, in hoc tandē loco cōsistere, & confirmari patiamini. id quo facilius facere possitis, dabo, operam, vt, à principio res quemadmodum gesta, & contracta sit, cognoscatis.

EXPLANATIO.

QVAE RES *in ciuitate duæ plurimū possunt, eæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore, summa gratia, & eloquentia.*} Vbi de re aliqua In iudicio contenditur, magni refert, quibus initijs ad caussām ingrediatur, quaq; primū opinione iudicū animos imbuat orator. Nā cū victorię spes duabus maxime reb⁹ nitatur, innocētia rei, & eloquētia patroni; innocentia si obruitur gratia, patronus accusatoris ingenio, & eloquētia si vincitur: his incōmodis ita occurrere, ne caussæ noceāt, nō minimæ artis est. nocere autem posse non videtur, si statim patefiant, & aduersarij gratiæ, accusatoris eloquētiæ, iudicis æquitas & sapientia opponatur. Hoc artificio nunc vtitur Cicero: Næuij vim & gratiam contra Quinctij solitudinē, atq; inopiam, in inuidiam adducit: dicendi facultatem sibi adimit, Hortēsio summā tribuit: in vna veritate, in Aquillij iudicis prudentia, fide, cōstantia spem reponit. *Quæ res in ciuitate duæ. In ciuitate*, dixit, cū iudicia significet: sed, *In ciuitate*, maluit, ne de iudiciorum fama detrahere videretur. Poterat autē hoc modo: Quæ duæ res in ciuitate plurimū possunt: sed, interposito verbo, *Ciuitate*, hoc modo, *Quæ res in ciuitate duæ plurimū possunt*, quasi cursum orationis, & numeri iucunditatē quæsiuit. *Eæ*, indicantis est: q aliquā vim affert: & ideo sæpe Cicero ita loquitur, nō requirente sententia infra: Quod mihi consueuit in ceteris caussis esse adiumento, id quoq; in hac caussa deficit. *Contra nos*: cōtra reū. nā rei personā suscipit patronus. *Ambæ faciunt*: Ambæ nobis aduersantur. vsitatus sermo: vt contra, Mecum facit, pro, Mecum sentit. infra: Cum veritas cum hoc faciat, plus huius inopia possit ad misericordiam, quam illius opes ad crudelitatem. Sic, Facere ab aliquo, de Inuent. Hoc nihil magis ab aduersarijs, quam à nobis, facit. IN HOC *tempore*,} Addita particula, *In*, non tam tempus, quam partem temporis, designat: vt si dicat, In eiusmodi tempore,

In

In hac causa. C. AQVILLI,} appellatio iudicis, orationis initio, signum quoddam obseruantiæ videtur esse, & ad beneuolentiam conciliandam aliquid valet. Iudices, à prætore dati, Recuperatores vocabãtur, ideo, quia ius suum per eos vnusquisque recuperabat. ij fuerunt hac in caussa quattuor, C. Aquillius Gallus, qui primum locum obtinet, L. Lucilius, P. Quinctilius, M. Marcellus. nam in priuatis caussis prætor ipse nõ iudicabat, sed ius dicebat, id est iudicem, iurisque formulam dabat, vel ijs conscriptam verbis, quibus contrahentes inter se vsi essent, vel alijs, pro rei, quæ ageretur, natura, potestate iudicis angustis finibus inclusa, sic, vt à præscripto ne latum quidem vnguem discederet, & de facto tãtum cognosceret. Iudicia tamen quædam erant, in quibus arbitrio iudicis caussa committebatur: vt in iudicio fiduciæ, rei uxoriæ, emptionis, venditionis, locationis, conductionis, tutelarũ, societatũ. addente p̃tore in formula fiduciæ, Vt inter bonos bene agier oportet, & sine fraudatione: rei vxoriæ, Quod æquius melius: in alijs, Ex fide bona. Quibus verbis, æquitatem potissimum iudici spectandam, non de solo facto cognoscendum esse, significabatur. propterea modo iudicia, modo arbitria, cum tamen eadem sint, vocantur: quia formula stricte non præscribit, vt in reliquis iudicijs; sed arbitrio iudicis rem permittit. Huius generis formulam in caussa Quinctij, Aquillius à Dolabella prætore non habuit, sed illam stricti iuris, quæ iubebat Quinctium cum Næuio sponsionem facere, si bona sua ex edicto Burrieni prætoris dies XXX, possessa essent. Est autem hic Aquillius, ille, qui formulas de dolo malo composuit, iuris prudentia clarus, cui Ser. Sulpicius operam dedit. sic enim de eo scriptum est in Bruto: Cum dicẽdi caussa duobus peritissimis operam dedisset, L. Lucilio Balbo, & C. Aquillio Gallo: Galli, hominis acuti, & exercitati, promptam in agendo, & in respondendo celeritatem subtilitate, diligentiaque superauit. Collega Ciceronis in prætura fuit: vt lib. 2. Off. & pro Cluentio. Senatorem & ipsum, & qui illi in consilio aderant, fuisse, constat ex eo,

quod

quod hoc tempore Sulla dominabatur. is autem equitibus Romanis, quia Marianis in partibus fuissent, infensus, priuauit eos iudicandi iure, cũ per annos XL. lege C. Gracchi, pari cũ senatoribus numero, vt ait Plutarchus, id est trecenti, iudicassent, & ad senatoriũ ordinẽ, exclusis equitibus, iudicia trãstulit. iudicaruntq; soli senatores lege Sullæ per annos decẽ vsq; ad Pompeiũ, & Crassũ cõsules. quo anno L. Aurelius Cotta prętor, offensus iudiciorũ infamia, flagitãte populo Romano, legẽ tulit, vt tres simul ordines, senatores, equites, tribuni ærarij iudicarent. Quod si senator Aquillius: sequitur, vt lectus in senatum sit nondum quæstorius à Philippo, & Perperna cens. quinquennio ante, quam hac in caussa iudex fuerit: cum quæsturam gesserit anno sequenti, Cinna IV. Carbone II cos. vt infra licet conijcere, in eo loco, Nisi à quæstoribus quæsisset. Hæc autem ideo dicenda putauimus, quia Plinius hunc Aquillium vocat equitem Romanum: cum significet, vt opinor, hominem equestri loco natum: vt quasi molli brachio insolẽtiam eius obiurgaret, qui magnificas ędes, patre natus equite Romano, possideret. Quid Cicero ipse, dicet aliquis, vtrum eques, an senator, cum Quinctium defendit? Eques omnino. nondum enim erat ætate senatoria, natus, vt iam dictum est, annos XXVI. vt omittam, quod senatus ante quadriennium lectus erat, censoribus Philippo, & Perperna. de ætate vero senatoria suo loco dicetur. IMPEDIAT,} deterreat. nam priore loco Cicero dicturus erat, quod infra queritur; posteriore Hortensius. NONNIHIL *commoueor*:} timet à Næuio potius, quam ab Hortensio. nam de Hortensio, Nonnihil, inquit, commoueor; de Næuio, Non mediocriter pertimesco. GRATIA *Sex Næuij*} cuius aduocati tunc aderant homines nobilissimi, ac potentissimi, præsertim L. Philippus consularis, & censorius. ID VERO} quod ad sententiam attinet, hoc abundat: sed profecto non abundat, quod auget, aut ornat. SALTEM *mediocria*} minora tantum si essent, minus querendum videretur: sed ita minora sunt in nobis, vt ne mediocria quidem

quidem sint. nostram igitur infirmitatem tua, C. Aquilli, subleuet æquitas & sapientia. QVI NEQVE *vsu satis, & ingenio parum possum,*} solet interdum neganti copulæ affirmantem subiungere. vt ad Plancum: Furnium nostrum tanti à te fieri, quantum ipsius humanitas & dignitas postulat, nec miror, & gaudeo. *Neque vsu satis*: & modeste loquitur, & vere. non enim vsu satis valere poterat, cum ad caussas adire cœpisset, anno tantum superiore, iudicijs auctore Sulla constitutis; eo ipso anno Marij partibus ad internecionem deletis. *Ingenio parum possum*: hoc quidem modeste potius, quam vere. nam, quantum omnibus antecelluerit ingenio, scripta illius indicio sunt. CVM *patrono disertissimo comparer*:} versatus erat Hortensius in foro summa cum laude ante annos duodecim: de quo testimonium illud exstat in extremo lib. III. de Or. Vellem, vt meus gener, sodalis tuus, Hortensius affuisset: quem quidem ego confido omnibus istis laudibus, quas tu oratione complexus es, excellentem fore. Et Crassus, Fore dicis, inquit? ego vero esse iam iudico, & tum iudicaui, cum me consule caussam in senatu defendit Africæ. Et in Bruto: Q. Hortensij admodum adolescentis ingenium, vt Phidiæ signum, simul adspectū & ꝓbatū est. Is L. Crasso Q. Scæuola cos. primum in foro dixit, & apud hos ipsos quidē cōsules, & cū eorū, q affuerūt; tū ipsorū cōsulū, q omnes intelligentia anteibāt, iudicio discessit probatus. vnde viginti annos natus erat eo tempore, est autem L. Paullo, C. Marcello cos. mortuus. ALIQVOTIES *apud te egit*,} qui hanc caussam, Aquilli, aliquoties apud te egit, aliquoties igitur ampliata est: & Iunio, in legationem profecto, statim Cicero successit. IN ALIIS *caussis exercitatus*,} cum ego non satis vsu valeā. IN HAC *multum, & sæpe versatus*:} in qua non versatus ego sum: &, vt eam possim cognoscere, tot præsertim controuersijs implicatam, temporis vix habui satis. *Multū & sæpe*: horū alterū ad tēporis diuturnitatē, ex quo agi caussa cœpta est, alterū ad caussam, sæpe actā, refertur. NOVA *legatione*} profectus in prouinciam cum aliquo pro-

proconsule. rectores enim prouinciarum quæstoribus, legatis, tribunis militum, præfectis, & alijs vtebantur: quæ Cohors prætoria vocabatur. VT SVMMA *habe- rem vetera,* } quæ sibi summa non esse, dixit in eo, Qui neque vsu satis, & ingenio parum possum. TOT *con- trouersijs implicatam,* } sic, vt eam nec Aquillius ipse, sci- entia iuris ciuilis excellens, aliquoties auditam à Iunio, explicare, & perfecte cognoscere potuerit. ID *quoque* } non modo vsus, & ingenium. SVBSIDIO *mibi dili- gentiam comparaui:* } infirmitatem ingenij subleuare di- ligentia soleo. INTELLIGI *non potest* } diligentiam nemo patronus ostenderit, nisi tempus & spatium ha- buerit caussæ cognoscendæ. HOS, QVI *tibi in consilia adsunt,* } L. Lucullum, P. Quinctilium, M. Marcellum, recuperatores simul cum iudice Aquillio à prætore da- tos; qui nominantur infra. nam prætor ipse priuatis in caussis non iudicabat, sed iudices, &, quam sequeren- tur, iuris formulam, dabat. MVLTIS *incommodis* } propter opes Næuij. VERITAS } vt sæpe Verum v- surpatur pro æquo. vnde illud infra: Continuo ne ve- rum fuit postulare, vt ex edicto bona possidere liceret: sic Veritas pro æquitate. infra: Cum tot, tantisque dif- ficultatibus affectus atque afflictus, in tuam, C. Aquilli, fidē, veritatē, misericordiam P. Quinctius cōfugerit. In Verrem act. I: Sin istius ingentes diuitiæ iudiciorum reli gionem, veritatemq; perfregerint. TANDEM } post bien nium, à Scipione, & Norbano cos. TV *iudex* } quattuor sententiam laturi erant: sed illi recuperatores potius, quam iudices, vnus autē, qui iudicio præerat, Aquillius dignitatis gratia iudex appellatur. FVISSE *videbere* } mollius, quam si dixisset, Fueris: ne iudicis animum læ- dat. CONTRA *vim* } contra potentiam. quidquide- nim in iudicio plus, quam veritas, & religio valet, vis est. infra: Cum adhuc ei propter vim aduersariorum non ius par, non agendi potestas eadem, non magistra- tus æquus reperiri potuerit. In Verrem lib. V: Si qua vis istum de vestra seueritate eripuerit. SOLITVDI- NI } quæ opponitur gratiæ. INOPIAE } cum

Næuius

Næuius contra, opibus plurimum valeat. APVD *hoc consilium*} emphasis est in Hoc. iudicum enim probitas & sapientia declaratur. PROFECTO} *nihil est iam sanctum, atque sincerum in ciuitate:*} aut in vobis sanctitas, & integritas est, aut in ciuitate non est. HVMILITATEM *cuiusquam*} statum & fortunam indicat Quinctij, cum de quouis homine loqui videatur. vt in eo, quod sequitur, Grauitas, & virtus, ex communi sententia propriam Aquillij, & eorum, qui illi in consilio adерant, laudem quærit. NON EO *dico, C. Aquilli*} correctio superiorum, nam si ei, qui caussam agit, venire in dubium suam fidem & constantiam intelligit, offenditur. QVID *ergo est?*} modus loquendi, pro, Cur igitur ita se res habet? quamquam non ad hanc plane sentẽtiam exempla referuntur omnia. DE *fortunis omnibus*} de tota incolumitate. amissa enim existimatione, quæ agitur in hoc iudicio, quid ei reliquum erit? DECERNIT.} cum Næuio contendit, periclitatur. PROPTEREA QVOD *omnes*} ne proprium esse Quinctij vitium videatur, quod nõ minus de potestate Aquillij, quam de ęquitate cogitet, communicat eum timorem vt non naturalem cũ omnibus hominibus. HOMINES *disertissimos,*} L. Philippum, & Q. Hortensium. de quibus infra. Philippum inter oratores post Crassum, & Antonium, Cicero numerat in Bruto, vt illis proximum, sed longo tamen interuallo proximum. FORTISSIMOS,} propter virtutem. ORNATISSIMOS,} propter honores. SVMMIS *opibus*} quantas esse necesse est in hominibus disertissimis, fortissimis, ornatissimis ciuitatis. QVO IS *facilius, quem velit, iniquo iudicio opprimere possit.*} acerbius, quam si dixisset, Quo is Quinctium facilius opprimere possit. nam, Quem velit, quasi dominationem quandã ostendit Næuij, cuius in potestate sit, talium præsertim virorum ope, iniquo iudicio, quẽ velit, opprimere. AVT *commemorari.*} longior oratio significatur in, Cõmemorari, quã in, Dici. sic infra: Non necesse habeo dicere ea, quæ me P. Quinctius cupit commemorare.

CAPVT,

CAPVT, *famam,fortunasque*} amplificat: nam supra dixit breuius, De fortunis omnibus decernit. Et in extrema oratione existimationem Quinctij cōmendat Aquillio: de capite & fortunis nihil dicit. Sed quia cum existimatione simul agi videntur omnia, ideo modo fortunas eius, modo & caput & fortunas, oratorie quidem, vere tamen agi dicit. QVI HOC *iudicio partes accusatoris obtinet.*} non dicit, accusator est, sed accusatorem agit, qui conatur Quinctium opprimere. supra patronū eum appellauit. hic autem, quo magis Quinctio misericordiam cōciliet, partes eum accusatoris dicit obtinere: vt ostendat, accusatorum more dicere eum priore loco debuisse. dicet autem secundo loco, quod actionem adiuuabit, eius præsertim, cui summam copiam, facultatemque dicendi natura largita est. Infra liberius Accusatorem nominat: Ita constituit id ipsum iudicium, vt reus ante, quā verbum accusatoris audisset, caussam dicere cogeretur. Aliquanto post: Cum maiores ita constituerint, vt, qui pro capite diceret, is posteriore loco diceret: nos, inaudita criminatione accusatorum, priore loco caussam dicere intelligis: eos porro, qui defendere consueuerunt, vides accusare. NATVRA *largita est.*} studij & industrię laude Hortensium non priuat: sed naturam nominat: quia, si quis hac vna excellit, nō admodum industriæ desiderat adiumenta. nam laborem & industriam Hortensius non omisit, vt illud ipsum bonum, quod acceperat à natura, excoleret, augeretq; diligentia: vt Bruto. quod magis autem Hortensium laudat, eo clarius indicat, non illum, sed se, cui summam copiam, facultatemq; dicendi natura largita non sit, secundo loco dicere debuisse. TELA *depellere*} tāquam defensor. VVLNERIBVS} ab accusatore illatis. Tela, pro argumentis, vsurpat, Vulnera, pro damno, quod caussæ argumentis infertur & est præclara translatio, ab initio sententiæ ad extremū perducta. POTESTAS *adempta nobis erit.*} cum enim post me dixerit Hortensius, mihi respondendi potestas non erit: quæ deberet esse tamquā pro reo dicenti: cum Hortensius partes accusatoris obtineat. ID QVOD *parati*

sunt facere.} tacitè monet iudicem, ne, quæ dicturus est Hortensius, vera putet. quoniam quidem ipse ea refellere non poterit, adempta respondendi facultate. MEDICINAE *faciendæ*} ne venenatum telum obesse innocentiæ possit. PRAETORIS} Cn. Cornelij Dolabellæ prætoris vrbani, qui, proposito annuo edicto, ius dicebat inter ciues, in priuatis causis, id est, iudicem, iurisque formulam dabat: ipse vero non iudicabat. eodem modo prætor peregrinus ius dicebat inter ciues & peregrinos, non iudicabat. De toto prætorum numero quod affirmem, certi nihil habeo. modo enim decem, modo octo videntur fuisse, decem lege Sullæ creari cœptos esse, cum sex antea fuissent, quæstionesque perpetuas, & ordinarias tunc primum institutas esse, legitur apud Pomponium, de orig. iur. eius opinionem confirmare videtur Cicero in Cluentiana, vbi, sex prætoribus nominatis, qui publicas quæstiones exercerent, subiunxit: Quid reliquæ quæstiones? duos præterea significans: quorum vnum fuisse P. Cassium, qui de maiestate prætore Cicerone quæsiuit. Pedianus docet. quod si quæsitores octo sunt, duobus additis, vrbano, & peregrino, quorum non quæstio, sed iuris dictio erat, decem fuisse, cogimur credere. Quid de octo? vlla ne ratione comprobantur? vtar ipso teste Cicerone: eius verba, quid sentire nos oporteat, ostendent: iudicium quidem, quod ad me attinet, alijs permitto. is igitur sic in Pisonem: De me cum omnes magistratus promulgassent, præter vnum prætorem, à quo non fuit postulandum, fratrem inimici mei, præterque duos, de lapide emptos; tribunos pl. legem comitijs centuriatis tulit P. Lentulus consul. Non obscure loquitur de cunctis prætoribus, vno excepto Appio, P. Clodij fatre. horum numerus qui fuit? de decem ratio dicta iam est: de octo quis dubitare possit, cum in orat. post red. in sen. septem videat, omisso Appio, nominari? L. Cæcilium, M. Calidium, C. Septimium, Q. Valerium, P. Crassum, Sex. Quinctilium, C. Cornutum. singulis enim prætoribus, vt singulis tribunis pl. gratias agit: & tribunos octo, prætores septem appellat:

lat:

lat: cum in orat. in Pisonem, ex omni magistratuum numero, de sua salute promulgantium, duos tantum tribunos, vnum prætorem excepisset. Hæc patere arbitror: sed quanto illud illustrius in ea pro Milone: Septem prætores, octo tribuni pl. illius aduersarij, defensores mei. Nec de mendo suspicari licet: cũ in verbo, Septem, veteres libri consentiant omnes. Sero autem prætor, qui ius diceret inter ciues, nec nisi anno vrbis CCCXC, creatus est: quia iuris dictio, cum finitima bella minus vrgerent, consulum erat. auocatis ad bella consulibus, nouo magistratui, qui prætor, quia iuri præesset, dictus est, vrbana iuris dictio mandata. Aliquanto post, peregrinis in vrbem confluentibus, alter prætor, qui ius diceret inter ciues & peregrinos, factus est. Postea cum opibus aucta vitia sunt: itaque prætores, qui de criminibus quærerent, adiecti: qui siue decem, siue octo cuncti fuerint, gesto in vrbe magistratu, in prouincias ibant: quæ à prætorijs administratæ, prætoriæ vocabantur; à consularibus, consulares. non enim aut prætoria, aut consularis eadem semper fuit, vt exemplo Macedoniæ, aliarumque cognouimus. Lictoribus, & viatoribus vtebantur, quia non modo potestatem, vt tribuni pl. verum etiam imperium, vt consules, habebant. quamquam prætoribus bini tantum lictores, consulibus duodeni cũ fascibus præibant: vt prætoris imperium consulis imperio concedere videretur. in prouincijs tamen non binos, sed senos lictores habebant: credo, quia non, vt in vrbe, plures, sed vnus tantum cum imperio erat: vel vt distinguerentur à senatoribus, cum binis lictoribus liberas legationes obeuntibus: qui cum in prouincias prætorias irent priuati negotij caussa, pares prætoribus fuisse viderentur: vel etiã, quia prouincialibus maior imperij species maiestatem augebat populi Romani. INIQVITATE, *& iniuria*.] Iniquitate, quia contra consuetudinem omnium decreuit; Iniuria, in Quinctiũ. quod vtrumq; statim ostenditur. oritur aũt ex iniquitate iniuria. Mirari hic aliquis possit, tam liberè loqui Ciceronẽ, & hic, & infra, contra prætorem Dolabellã. Quid ageret?

ita caussa postulabat: cui nisi seruiret, officio, fideiq; deesset. Quis autem hoc miretur, si prætori non parcit, cum idem anno sequenti in caussa publica contra gratiosissimum ac potentissimum Sullæ libertum Chrysogonum liberius multo, quam ratio temporum ferre videbatur, accusare non dubitauerit? fuit hoc vel hominis ingeniũ, vel gloriæ studium, in ea præsertim ætate, quæ, dum laudem assequatur, magnopere nihil metuit. DE PROBRO,} id enim agitur in hoc iudicio, possessa ne sint ex edicto Burrieni prætoris bona P. Quinctij, id est, desertũ ne sit à Quinctio vadimonium: quod probrosum est. DE RE,} de pecunia, quam sibi Næuius à Quinctio deberi dicebat. de qua iudicem prætor dare debuit, cum ea formula, quæ dari solet ijs, qui pecuniam à socio petunt. REVS} Reus dicitur is, vnde petitur. ACCVSATORIS} Hortensij: quem supra dixit partes accusatoris obtinere: quia re vera accusator non est, sed esse videtur, cum agit aduersus Quinctium, cuius caput, fama, fortunæq; in discrimen adducuntur. EORVM *gratia, & potentia*} quos paullo ante disertissimos homines, fortissimos, ornatissimos appellauit. CVPIDITATI} bonam enim caussam Næuius non habet, sed gratia fretus cupiditate mouetur, vt iniquo iudicio adimat Quinctio cum fortunis omnibus existimationem, & honestatem. MOREM *gerunt*} Obtemperare cupiditati, supra dixit. IN *eiusmodi rebus*} contra innocentiam, virtutis ac nobilitatis præsidio vel subleuandam, vel certè non oppugnandam. AFFECTVS, *atque afflictus*,} leporem in similitudine nominũ quæsiuit. VERITATEM,} iustitiam, vt supra. MISERICORDIAM} hoc ad illud pertinet, Tot, tantisq; difficultatibus affectus atque afflictus: & ad ea, quæ sunt infra, de Quinctij miserrimo statu. VIM *aduersariorum*} potentiam. Vis enim id significat, vt supra diximus. NON *ius par*,} non æqua condicio: cum omnia Quinctio propter Næuij vim, & gratiam infesta, atque inimica fuerint. C. Antonius, qui postea consulatum cum Cicerone gessit, appellauit tribunos pl. quod æquo iure se vti non posse diceret. Asconius, Cicero, Quinctus fr. de Pet. cons.

NON

Non *magistratus æquus*} potest loqui de pluribus magistratibus: cum dixerit infra: Cui neq; magistratus adhuc æquus inuentus est. Et in extrema oratione: Ab omni magistratu agitatus atq; perterritus, quem præter te appellet, habet neminem. quod si de pluribus: de Burrieno prætore primum, à quo postulauerat, impetraueratque Næuius, vt ex edicto bona P. Quinctij, quandoquidem à quo desertum esse vadimonium diceret, possidere liceret: deinde de tribunis pl. quos cum appellasset Quinctij procurator Alphenus, vt certum auxilium afferrent, ita tamen discessum erat, vt Idibus Sept. P. Quinctium sisti Sex. Alphenus promitteret: postremo de Dolabella prætore, qui iudicium de probro prius, quam de re, fieri maluerit. Sin hoc dictum velimus oratorium, exaggerandi gratia, vnumq; modo significari magistratum: de Dolabella prætore accipiatur, necesse est. Cvm ei *summam per iniuriam omnia inimica, atque infesta fuerint:*} partibus enumeratis: Cum adhuc ei propter vim aduersariorum non ius par, non agendi potestas eadem, non magistratus æquus reperiri potuerit: sequitur conclusio vniuersalis: Cum ei summam per iniuriam omnia inimica, atque infesta fuerint. Quæ vim habent singula. nam, Omnia, nihil prætermittit: Inimica, plus est, quam, contraria: nec inimica solum, verum etiam infesta: multa enim inimica, nec tamen infesta: Per summam iniuriam: non, per iniuriam tantum. Vt mvltis *iniurijs iactatam, atq; agitatam æquitatem, in hoc tandem loco consistere, & confirmari patiamini.*} quod supra dixit: Vt multis incommodis veritas debilitata, tandem æquitate talium virorum recreetur. Et in extrema oratione: Multis vexatus contumelijs, plurimis iactatus iniurijs. Consistere: iactatam. Confirmari: vel, Confirmari, firmiter statui: quod sequitur, Consistere. vel, Confirmari, quæ debilitata sit: cum supra dixerit: Multis incommodis veritas debilitata.

B 3 ORATIO

ORATIO I.

C. Quinctius, fuit P. Quinctij huius frater; sane ceterarum rerum paterfamilias & prudens & attentus; vna in re paullo minus consideratus, qui societatem cum Sex. Næuio fecerit, viro bono, verum tamen non instituto, vt iura societatis et officia certi patrisfamilias nosse posset. non quo ei deesset ingeniũ: nam neque parum facetus scurra Sex. Næuius, neque inhumanus præco est vmquam existimatus. Quid ergo est? cùm ei natura nihil melius, quã vocem, dedisset; pater nihil, præter libertatem, reliquisset; vocem in quæstum contulit; libertate vsus est, quo impunius dicax esset. Quare, quod socium tibi eum velles adiungere, nihil erat, nisi vt in tua pecunia condisceret, qui pecuniæ fructus esset: tamen, inductus consuetudine ac familiaritate Quinctius, fecit, vt dixi, societatem earũ rerum, quæ in Gallia cõparabantur. Erat ei pecuniaria res ampla, et rustica sane bene culta et fructuosa. Tollitur ab atrijs Licinijs, atque à præconum consessu in Galliam Næuius, & trans alpes vsque transfertur. fit magna mutatio loci, non ingenij. nam, qui ab adolescentulo quæstum sibi instituisset sine impendio; postea quam nescio quid impendit, & in commune contulit, mediocri quæstu contentus esse non poterat. nec mirum, si is, qui vocem venalem habuerat, ea, quæ voce quæsiuerat, magno sibi quæstui fore putabat. itaque hercule haud mediocriter de cõmuni, quidquid poterat, ad se in priuatam domũ seuocabat. qua in re ita diligens erat, quasi ij, qui magna fide societatem gererent, Arbitrium pro socio, condemnari solerent. Verum his de rebus nõ necesse habeo dicere ea, quæ me P. Quinctius cupit commemorare. tametsi caussa postulat, tamen, quia postulat, non flagitat, præteribo. Cùm annos iam complures societas esset, & cùm sæpè suspectus Quinctio Næuius & fuisset, neq. ita commode posset rationem reddere earum rerum, quas libidine, non ratione, gesserat; moritur in Gallia Quinctius, cùm adesset Næuius, et moritur repentino. heredem testamento reliquit hunc P. Quinctium, vt ad quem summus mæror morte sua veniebat, ad eundem summus honos quoque perueniret. quo mortuo, nec ita multò pòst, in Galliam proficiscitur Quinctius. ibi cũ isto Næuio familiariter viuit. annũ fere vna sunt, cum & de societate inter se multa communicarent, & de tota illa ratione atque re Gallicana: neque interea verbum vllum interposuit Næuius, aut societatem sibi quippiam debere, aut priuatim

Quin-

Quinctium debuisse. cum æris alieni aliquantulum esset relictum, quibus nominibus pecuniam Romæ curari oporteret; auctionem in Gallia P. hic Quinctius Narbone se facturum esse proscribit earum rerum, quæ ipsius erant priuatæ. ibi tum vir optimus Sex. Næuius hominem multis verbis deterret, ne auctionetur: eum non ita commode posse, eo tempore, quæ proscripsisset, vendere: Romæ sibi nummorum facultatem esse, quam, si saperet, communem existimaret pro fraterna illa necessitudine, et pro ipsius affinitate. nam P. Quinctij consobrinam habet in matrimonio Næuius, & ex ea liberos. quia, quod virum bonum facere oportebat, id loquebatur Næuius; credidit Quinctius, eum, qui orationem bonorum imitaretur, facta quoq; imitaturum. auctionem velle facere desistit. Romam proficiscitur: decedit ex Gallia Romam simul Næuius. Cum pecuniam C. Quinctius P. Scapulæ debuisset: per te, C. Aquilli, decidit P. Quinctius, quod liberis eius dissolueret. hoc eo per te agebatur, quod propter ærariam rationem non satis erat, in tabulis inspexisse, quantum deberetur, nisi à quæstoribus quæsisset, quantum solueretur. decidis, statuisque tu propter necessitudinẽ, quæ tibi cum Scapulis est, quid ijs ad denarium solueretur. Hæc omnia Quinctius agebat auctore, & consuasore Næuio. nec mirum, si eius vtebatur consilio, cuius auxilium sibi paratum putabat. non modo enim pollicitus erat in Gallia, sed Romæ quotidie, simulatque sibi hic annuisset, numeraturum se dicebat. Quinctius porro istum posse facere videbat: debere, intelligebat; mentiri, quia caussa, cur mentiretur, non erat, non putabat. Quasi domi nummos haberet, ita constituit Scapulis se daturum: Næuium certiorem facit: rogat, vt curet, quod dixisset. Tum iste, vir optimus, (vereor ne se derideri putet, quod iterum iam dico, optimus) qui hunc in summas angustias adductum putaret, vt eum suis condicionibus in ipso articulo temporis adstringeret, assem sese negat daturum, nisi prius de rebus rationibusque societatis omnibus decidisset, & scisset sibi cum Quinctio controuersiæ nihil futurum. Posterius, inquit, ista videbimus, Quinctius: nũc hoc velim cures, si tibi videtur, quod dixisti. Negat se alia ratione facturum: quod promisisset, non plus sua referre, quam si, cum auctione venderet, domini iussu quippiam promisisset. Destitutione illa perculsus Quinctius, à Scapulis paucos dies aufert; in Galliam mittit, vt ea, quæ proscripserat, venirent. deteriore tempore absens auctionatur; Scapulis difficiliore etiam

condicione dissoluit. tunc appellat vltro Næuium, vt, quoniam suspicaretur aliqua de re fore controuersiam, videret, vt quamprimum, & quamminima cum molestia tota res transigeretur. dat iste amicum M. Trebellium: nos communem necessarium, qui istius domi erat educatus, & quo vtebatur iste plurimum, propinquum nostrum, Sex. Alphenum. res conuenire nullo modo poterat: propterea quod hic mediocrem iacturam facere cupiebat, iste mediocri præda contentus non erat. itaque ex eo tempore res esse in vadimonium cœpit. cum vadimonia sæpè dilata essent; et cùm aliquantum temporis in ea re esset consumptum, neque quidquam profectū esset: venit ad vadimonium Næuius.

EXPLANATIO.

C. QVINCTIVS *fuit*} vsitatum narrationis initium. vt in Diuin. Agonis est quædam Lilybætana. Lib. I. in Verrem: C. Sulpicius Olympij fuit. Lib. II. Sopater quidā fuit Haliciensis. Lib. III. Nympho est Centuripinus: Eubulides est Grosphus Centuripinus. Sositenus est Entellinus Lib. IV. Cn. Pompeius est Philo. Nec solum in orationibus, sed etiam in epistolis: vt ad Acilium lib. XIII. L. Manlius est Sosis. ATTENTVS,} qui rem domesticam curaret egregie. nam, Attentus, hoc valet interdum: vt pro Roscio Am. Hæc attenta vita, & rusticana. Terent. in And. Nimium ad rem in senecta attenti sumus. VIRO *bono*,} ironia: quæ sequentibus verbis aperitur. OFFICIA *certi patrisfamilias*} quæ qui ignorat, bonus esse non poteſt. ignorat autem Næuius, quod ita institutus est: non igitur vir bonus. NON QVO *ei deesset ingenium*:} laudare velle Neuium videtur, & statim vituperat: item vt supra, Viro bono, verumtamen non ita instituto, &c. NEQVE PARVM *facetus*} caret hoc ignominia, si solum ponatur: sed fit ignominiosum addito verbo Scurra: vt quod sequitur, Neque inhumanus, habere laudem videtur, sed amittit sequente præconis nomine. nam humanitatem præco, si qua vtitur, ad suum quæstum totam confert. QVID *ergo est?*} quid est, cur de C. Quinctio dixerim: Vna in re paullo minus consideratus, qui societatem cum Sex. Næuio fecerit. Subiungit caussam: Cum ei natura, &c. NIHIL *melius* quam

quam vocem,} id eſt, nihil boni, prçter vocem. NIHIL *praeter libertatem*} Miſerrimus ergo Næuius, quod ad rem familiarem attinet. VOCEM *in quæſtum contulit:*} præconem deſcripſit à voce, & libertate: quarum alteram Næuio natura dedit, alteram pater non dedit, ſed vel, conſumptis reliquis bonis, vnam reliquit, quam adimere non potuit; vel ita pauper fuit, vt ei præter libertatem nihil relinquere potuerit: qua difficultate coactus Næuius, vocem in quæſtũ contulit. Videtur excuſare Næuium, cum dicit: Cum ei pater nihil, præter libertatem, reliquiſſet: ſed in re turpiſſima locum non habet excuſatio. quid autem turpius, quam vocem vendere? vnde infra: Cuius vox præconio quæſtu proſtitit. LIBERTATE *vſus eſt,*} opinor, hoc dicit: præconium cœpit exercere. QVO *impunius dicax eſſet.*} quia dicacitas in præcone fertur, atque adeo delectat, in alijs odium excitat. Exſtat exemplum Granij præconis: qui cum ne magiſtratibus quidem parcere ſoleret, id ei tamen impune fuit. vnde illa pro Plancio: Conſuli P. Naſicæ præco Granius medio in foro, cum ille, edicto iuſtitio, domum diſcedens rogaſſet Granium, quod triſtis eſſet, an quod auctiones eſſent; Immo vero, inquit, quod legiones. Idem tribuno pl. potentiſſimo homini, M. Druſo, ſed multa in Rep. molienti, cum ille eum ſalutaſſet, vt fit, dixiſſetque, Quid agis, Grani? reſpondit, Immò verò tu Druſe quid agis? Ille L. Craſſi, ille M. Antonij voluntatem aſperioribus facetijs ſæpè perſtrinxit impunè. QVOD *ſocium tibi eum velles adiungere,*} Tibi, de quocumque dixit, pro, quod eum ſibi quiſquam ſocium vellet adiungere. IN TVA *pecunia*} cum ipſe de ſuo nihil ad communem fructum conferre vellet. QVI *pecuniæ fructus eſſet.*} vt ex tua, non vtè ſua pecunia fructum caperet. COMPARABANTVR.} acquirebantur. TOLLITVR.} ſpe lucri, quaſi aliqua vi: vt illud, quod ſequitur, Transalpes vſque transfertur. quod magnum & perdifficile fuit in Næuio, in atrijs Licinijs ſedere ſolito: ſed omnem itineris moleſtiam, ac difficultatem vicit auaritia. AB ATRIIS *Licinijs,*} locus in vrbe, vbi præcones verſaban-

tur,quod aut ibi, aut non longe auctiones fierent. infra: Suos necessarios ab atrijs Licinijs, atque à faucibus macelli corrogat. IN GALLIA M} transalpinam: quod vt exprimeret, subiunxit, Trans Alpes. SINE *impendio,*} cum ipse de suo nihil impenderet, qui voce tantum ad quæstum vteretur. NESCIO *quid*} minus videlicet, quam C.Quinctius: id autem ex eo, quod præconio quæsierat. nam pater ei, præter libertatem, nihil reliquerat. NEC *mirum, si is, qui vocem venalem habuerat, ea, quæ voce quæsierat, magno sibi quæstui fore putabat.*} recte argumentatur. nam ex vna turpitudine sequitur altera: &, qui pudorem semel abiecit, eum deinde impudentem esse, quis miretur? ITA *diligens erat,*} non caret lepore: nam laudari diligentia solet, sed honestis in rebus: erat Næuius ita diligens erat in fraudanda societate, quasi furtum honesta res esset; qui vero societatē fideliter administrarēt, condemnari solerent. ARBITRIVM *pro socio,*} in iudicio, quod pro socio constituitur. quod ideo vocatur arbitrium, non quia reuera sit, sed quia, cum in ea formula, quam prætor iudici dat, additur, Ex fide bona, id est, vt ex æquo bonoque iudicet, arbitrij simile videtur. in arbitrijs autem, quæ vere Arbitria sunt, non accipitur à prætore formula. Hæc de sententia: quod attinet ad verba, vix mihi, nihil desiderari, quisquam persuaserit. vnde enim regitur, quo modo consistit per se, Arbitrium pro socio? quod si legatur, Ad arbitrium pro socio: fortasse, quo lector offendatur, non erit. CVPIT *commemorare.*} nō solum ea me cupit dicere, sed etiam commemorare, id est, copiose dicere. ego autem ne dicam quidē; quia necesse non est. NON *flagitat,*} non vehementer postulat. CVM *annos iam complures societas esset,*} cum narrare videatur, oblique tamen veneficij crimen in Næuiū quinq; cōijcit argumētis: vno, ex diuturnitate societatis, cum spatij iam satis habuisset ad seuocandum in priuatam domum, quicquid de communi potuerat: altero, quod se Quinctio suspectum esse intelligeret, nec iam vt censuerat, arbitratu suo furari posset, suspicione cautionem afferente: tertio, quod rationem earum rerum,

quas

quas libidine, non ratione, administrauerat, Næuius reddere satis commode non posset: quarto, quod obierit Quinctius, cum Næuius adesset: quincto, quod obierit repentino. Quæ si minus ad probandum crimen valent, significatione tamen aliqua non carent. nec in ijs diutius orator immoratur; ne, quæ sunt extra caussam, veræ defensionis inopia quærere, & aucupari videatur; sed breui narratione, quasi aliud agens, ingeniose percurrit. SVMMVS *honos*} significatione amoris, qui potissimũ in morte declaratur. Honoris quoque mentio fit in oratione pro Cæcina, propter vsumfructum bonorum testamento legatum. Moritur, inquit, Fulcinius: testamento facit heredẽ, quem habebat è Cesennia, filium: vsumfructum omnium bonorum suorum Cesenniæ legat, vt frueretur vna cum filio. magnus honos viri iucundus mulieri fuisset, si diuturnum esse licuisset. NEC ITA *multo post*,} Nec, pro, Non. vt, Nec opinantem, pro, non opinantem. CVM *isto Næuio*} suspicor abundare, Næuio. ANNVM *fere vna sunt*,} vere, hoc, oratorie illud infra: Annum, & eo diutius. post mortem C. Quinctij fuit in Gallia tecum simul P. Quinctius. DE TOTA *illa ratione, atque re Gallicana*:} cum dicat, Illa, sine dubio nihil extra societatem significat, sed, quæ ad societatem pertinent, omnia complectitur, quod ideo dicendum putaui, ne quis eum ijs etiã de rebus loqui existimaret, quæ ipsius Quinctij erant priuatæ, vt infra. PRIVATIM} extra societatem. ESSET *relictum*,} priuato C. Quinctij nomine, non societatis. IN GALLIA} vt deinde Romæ solueret: SE *facturum esse*}certa & definita die. proscriptio enim & res auctionantis, & diem auctionis nominabat. IBI TVM} ad rem spectat, Ibi, non ad locum: quasi dixerit, in eiusmodi re, cognito Quinctij consilio: vt in Verrem lib. III. Quid tu ibi tum, quid facis? Et pro Cæcina: Ibi tum Cæcinam postulasse. Et Terentius Andr Ibi tum exanimatus Pamphilus, Bene dissimulatum amorem, & celatum indicat. DETERRET,}studiose dissuadet, ac dehortatur. hoc enim verbum sæpe in bonam partem accipitur. vt ad Metellum

lum: Egi cum Claudia, vxore tua, & cum vestra sorore Mucia, vt eum ab illa iniuria deterrerent. NON ITA *commode*} non sine aliquo suo damno. SI SAPERET,} admonentis est, non obiurgantis, aut non aspere, non acerbe obiurgantis, sed ita, vt obiurgatio sit amoris index. Lib. III. Summittebat iste Timarchidem, qui moneret eos, si saperent, vt transigerent. PRO *fraterna illa necessitudine*,} pro illa necessitudine, quę sibi cum C. Quinctio, Publij fratre, fuerat. P. SCAPVLAE} gentili suo. nam Scapula cognomen Quinctiæ gentis fuit: quod ex Plinio lib. VII. cap. 53. ex Dione lib. 53. cognoscitur. PER TE arbitrum. PROPTER *ærariam rationem*} aliam alijs temporibus. non enim vel aurea, vel argentea moneta semper idem valet. de qua varietate sic libr. III. Offic. Cum tribuni pl. collegium prætorum adhibuissent, vt res nummaria de communi sententia constitueretur. iactabatur enim temporibus illis nummus, sic, vt nemo posset scire, quid haberet. NISI *à quæstoribus quæsisset*,} quæsiuit igitur Quinctius à quæstore Aquillio. is autem annus, quo quæsturam gessit Aquillius, quantum è sequentibus licet conijcere, Carbone II. Cinna IV. coss. fuit, quadriennio ante, quam hæc dicerentur. Quæstores dicti à quærenda pecunia publica. anno enim post eiectos reges, vt ait Plutarchus, duo, qui ærarium, in æde Saturni custodiendæ pecuniæ publicæ caussa constitutum, curarent, à populo creati. quamquam hunc magistratum multo ante regum ætatẽ, fuisse, eodem tractandæ publicæ pecuniæ munere, curiatis comitijs creatos, alij tradiderunt. Aucto imperio, simul augeri quæstorum numerum necesse fuit, duo primum additi, mox quattuor: cumque vsque ad Sullæ dictaturam octo fuissent, Sullam viginti supplendo senatui, cui iudicia tradiderat, lege lata esse iussisse, Tacitus auctor est. Eorum alij alia tractabãt, vt cuique sors obuenerat: ærarium, vt diximus, duo, qui quæstores vrbani vocabantur, & pecuniam publicam expensam & acceptam in tabulas referebant. addit Liuius lib. VII. eosdem ex ærario signa prompsisse imperatoribus

ad bellum

llum exeuntibus.Quæſtoria prouincia erat Oſtien-
eſt frumenti cura, quod è diuerſis regionibus ad-
patur : de qua mentio fit in orat. pro Murena. Erat
uæ lege Titia dabatur : de qua in eadem oratione.
Puteolana, mercium peregrinarum cauſſa, de qua
tinium. Duo præterea conſulibus operam naua-
vt P. Sextius C. Antonio, T. Fadius Ciceroni. quod
ationibus pro Sextio, poſt Red. in ſen. intelligitur.
um proconſulibus, & proprætoribus, vel ſinguli, vel
in prouincias ibāt, vt acceptam à ſenatu pecuniam
pēdium, frumentum, legatos, proquæſtores, cohor-
prætoriam diſtribuerent. Denique diuerſis muneri-
non ipſorum arbitrio, non ſenatus decreto, non po-
iuſſu, ſed ſortis euentu, operam dabant. Vocatione
& prehenſione caruiſſe, id eſt, neque viatorem ha-
e, neque lictorem, ſed ſeruis publicis vſos eſſe, docet
ius lib. XIII. cap. 12. Poteſtatem autem, vt ædiles,
nique pl. non imperium, vt conſul, prætor, dictator,
ere dicebantur. Iuriſdictionem, & quæſtionem ipſi
que ſuam habuerunt, vt tribuni pl. triumuiri, aucto-
edia no; & Plutarchus, cognouiſſe eos de ſcribarum
ninibus, memoriæ prodidit in Catone Vticenſi. In
uincijs iuriſdictionem habuiſſe, oſtendit Cicero in
in. Cæcilij Verris prætoris exemplo, & Suetonius in
ſare. Lictoribus etiam, quibus in vrbe vti non licuit,
ra vrbem vſos eſſe, cognouimus lib. II. in Verrem.
æſtores, inquit, vtriuſque prouinciæ, qui iſto præ-
e fuerant, cum faſcibus mihi præſto fuerunt. Et pro
ancio : Simul ac me Dyrrhachium attigiſſe audiuit,
tim ad me, lictoribus dimiſſis, inſignibus abiectis, ve-
mutata, profectus eſt. Erant & parici quæſtores, re-
m capitalium præfecti, ſed ab eo, de quo loquimur,
nere differebant. Primus gradus honoris quæſtura
it, tributiſque comitijs, poſtea quam inſtituta ſunt,
abatur : non enim inter maiores magiſtratus fuit, qui
enturiatis creabantur, vt prætor, conſul, cenſor: ac ne
urulis quidem: patricius tamē, habita ratione primorū
emporū, quibus patricij quæſtores fuere: nam poſtremo
magiſtra-

magiſtratus omnes, interrege excepto, plebeijs gentibus cõmunicati. DECIDIS} vt quæſtor, & arbiter. QVID IIS *ad denarium ſolueretur.*} cùm, Ad denarium dicit, integræ ſummæ ſolutionem ſignificat. Argẽteus nummus fuit, argento primum rudi pro denis æris libris, id eſt, pro denis aſſibus, qui primo librales fuere. ſignari autem cœptus eſt annis tantum quinque ante primum Punicum bellum, auctore Plinio. Bello Punico ſecundo, exhauſta ſumptibus Rep. denarium ſedecim aſſibus permutari placuit, vetere nomine retento, quinarium octonis, ſeſtertium quaternis. Septenos in vncia percuſſos eſſe ante imperatorum ætatem, auctor eſt Plinius: vt, quemadmodum in ceteris rebus, item in nummorum pondere Græcos anteirent. drachmæ enim Atticæ è Solonis inſtituto centenæ in mina percutiebantur, id eſt, quattuor amplius, quam in libra Romana, quia mina non è ſolis duodecim vncijs, vt libra, ſed è duodecim, & ſemiſſe, id eſt, vnciæ dimidio, conſtabat. ita fiebat, vt in diſpari minæ libræque pondere, octonæ drachmæ in vncia minæ, dimidia præterea in ſemiſſe, ferirentur: pari autem pondere, octonæ tantum drachmæ. placuit igitur Romanis, è ſingulis vncijs denarios tantum ſeptenos cudere. Nam, quod vbique drachmam pro denario Græca nominat hiſtoria, id cauſſæ eſt, vel quia ſimiliorem nummum Græci nullum habebant, vel quia, poſt Reipub. tempora, denarij pondus imminuerit principum auaritia, ſic, vt inter denarium & drachmam nihil intereſſet. quod eo mihi perſuadetur magis, quia non obſcure dixit Plinius, lib. XXII. cap. vlt. Drachma Attica denarij argentei habet pondus. Et lib. XXXIII. cap. 9. cum ait: Alij è pondere ſubtrahunt: cum ſit iuſtum XXCIV, è libris ſignari: videtur indicare, ætate ſua non fieri quod iuſtum erat, ſed plures XXCIV. è libris ſignari. Et Plutarchus in Camillo drachmam à denario non diſtinguit. Perſpicuè autem Dio, drachmam à denario nihil differre, lib. LXV. ſignificat, vbi aureum nummum drachmis XXV. æſtimat. nam eundem nummum centum ſeſtertijs Tacitus lib.

. æstimat: & centum sestertijs denarios X X V. cō-
mo nescit. Fuit & denarius aureus, is opinor, qui
ıus aureus vocatus est, eo pondere, vt argenteis
ermutaretur. quod proxime testium locupletum
probauimus. nam Plinij verba sunt obscuriora,
vt sententia cerni cognoscique possit. POSSE}
ocuples. DEBERE} quia promiserat. ANNVIS.
ıō modo postulasset. ITERVM *dico, optimus*} paullo
ante: Ibi tum vir optimus Sex. Næuius hominem
s verbis deterret, ne auctionetur. IN IPSO *articulo*
is} in summa necessitate: cū Quinctius pecuniam
lis, nulla interposita mora, soluere cogeretur. AS.
sese negat daturum,} nihil se daturum affirmat. as e.
ninimi pretij nummus fuit, &, ad assem perdere,
Horatius, vniuersæ pecuniæ iacturam significans,
versibus:

Luculli miles collecta viatica multis
Aerumnis, lassus dum noctu stertit, ad assem
Perdiderat.

ibet hic de Asse pauca quædam subscribere, vt hos
ımentarios aliqua interdum rerum Romanarum
ersa notitia iucundiores efficiat: admonitu præser-
, hortatuq; sapientissimi viri, ad sedis Apostolicæ de-
& Christianæ Reip. salutē nati, IOANNIS MORONI
dinalis: cuius optime de me meriti studio non obse-
, nefas esse duco. modum tamen tenebo: ne, si sim
gior, antiquitatem explicare voluisse videar alieno
o; si breuior, mutila quædam, & obscura tradidisse.
dictus, quasi æs: nam ex ære rudi, libralis primum fa-
s est: vnde æris grauis pœna dicta: mansitque rudis
; ad Seruiū regem: tūc signari cœptus est nota pecu-
m: vnde pecuniæ nomen ortum. In hoc nummo, licet
nimo, Romani tamen, ex omni re laudem aucupan-
s, bonitatem æris adamarunt: Cyproque insula cogni-
, assem perpetuo fecerunt ex ære Cyprio, quo pyropi
nescens bractea conficitur. Minores nummi, (nam vno
ntum vti, librali præsertim, incommodum erat) tam-
ıam partes assi subiectæ, vndecim fuere, vncia, omniū
minima

Sibi minima: dextans, duarum vnciarum: quadrans, trium: triens, quattuor: quincunx, quinque: semis, sex: septunx, septem: bes, octo: dodrans, nouem: dextans, decē: deunx, vndecim. quas omnes complectebatur vnus as. Bello Punico primo, non tam maioris commodi gratia, quam quod impensis Resp. non sufficeret, constitutum, vt asses sex tantario pondere ferirētur, id est, vt duarum tantum vnciarum singuli essent: nam sextans sexta pars libræ, id est, antiqui assis, fuerat. ita quinque partes factæ lucri, dissolutumque æs alienum. Quo tempore, signo pecudis omisso, nota assis cœpit esse ex altera parte Ianus Geminus, ex altera rostrum nauis. Eadem caussa fecit, vt bello Punico secundo vnciales fierent. neque hic minuendi ponderis finis fuit, in publicis quoque rebus, non modo in priuatis, noua lucra humano semper quærente ingenio. ventum erat à libra ad sextantem, à sextante ad vnciam: vncia posttemo semunciæ locum dedit, assesque lege Papiriana semunciales facti: ijsque populus Romanus ad Vespasini tempora vsus est. nam postea mutatos, nulla docet historia. Eandem fuisse rationem in assis partibus, id est, in reliquis æreis nummis, vt, asse imminuto, ipsæ quoque proportione minuerentur, credibile videtur: exempli gratia, quadrans, cum as libralis esse desijt, mutauit pōdus, nec fuit amplius trium vnciarum, sed assis tamen quarta pars & pondere, & pretio fuit, sicuti primum fuerat. nec dubium est, cum Martialis dixit, Dat Baiana mihi quadrantes sportula cētum, quin asses XXV. qui sunt iulij fere duo Romanæ monetæ, significauerit. Supra assem nummus æreus, præter dipondium, qui duos asses pependit, nullus, vt arbitror, fuit. Nam Plinij verba lib. XXXIV. cap. 2. de sestertio æreo, vt carere mendo putem, vix vmquam adducar. Argentei nummi simul cum æreis fuere, ipsi quoque argento rudi. libella argentea assi æreo respōdebat, accepto nomine à librali asse. itaque, quod hic Cicero, Assem se negant daturū, idem II. in Verrem dixit, Quis Volcatio, si sua sponte venisset, vnam libellam dedisset? diuerso vocabulo eandem rem significās. sed argentum

non

non eodem, quo æs, tempore signatum est: æs, vt diximus, regnante Seruio, argentũ paucis, ante primum Punicũ bellũ, annis, diuersa ab ære nota, bigis, quadrigisq;. Et, vt proportio esset aliqua inter æs, & argentum; redácto asse à duabus vncijs ad vnam, argenteos quoq; nummos pluris, quã antea, valere placuit, sestertium quaternis assibus, qui dipondio, id est duobus assibus, cũ semisse fuerat: vnde vetus nomen sestertij, quod perpetuo manfit: quinarium octonis, qui fuerat quinis; vt sestertium, sicut antea, dimidio superaret, denarium sedecim, antiquo nomine, vt in reliquis nummis, conseruato. QVI PIAM *promisisset.*} quod non ipse, qui promisisset, verum dominus, cuius iussu promiserat, præstare deberet. *Sæpe* corruptam præconio quæstu Nçuij naturam Cicero carpit. AVFERT:} impetrat: vt interim curare pecuniam possit. DIFFICILIORE *condicione*} aliqua pecuniæ iactura. QVAM *minima cum molestia*} per arbitros. NOS} loquitur ex persona Quinctij. nam ipse caussam eius non defendebat eo tempore. sic infra: Condicionem tuli: cũ tamen ea condicio non ab ipso, sed ab alijs, qui tũ Quinctio aderant, lata sit. Et: Quod est hoc iudicium, in quo iam biennium versamur? cum tamen ipse paullo ante in eo iudicio versari cœpisset, priore patrono Iunio noua legatione impedito. Eodem modo, quod sequitur, interpretor, Propinquum nostrum, non ipsius Ciceronis, sed Quinctij: vt infra patet. Item illud: Aduocatos nostros acerrime submouet: pro, aduocatos Quinctij. nam ipse Cicero tum Quinctio non aderat. dixit enim paullo antè de ijsdem aduocatis: Recusabant, qui aderant tum Quinctio. RES *conuenire nullo modo poterat*} Rem conuenturã; dixit Phil. I. RES *esse in vadimonium cœpit*} pro, in vadimonio: vt in Diuin. Quæ in amicitiam populi Romani, ditionemq; essent. In Verrem, lib. V. Quo in loco maiores Syracusanum quemquam habitare vetuerunt: quod qui illam partem vrbis tenuerint, in eorum potestatem portum futurum intelligebant. Pro lege Manilia: Cum vestros portus, atque eos portus, quibus vitam, & spiritũ ducitis, in prædonum fuisse potestatem sciatis. Plautus

in Amphit.non vero mihi in mentem fuit.Gellius, lib.I. cap.7. Res autem esse in vadimonium dicitur, cum per vadimonia litigatur, siue apud arbitros, siue apud iudices, arbitri autem erant Trebellius, & Alphenus.

ORATIO.

OBsecro, C. Aquilli, vosque, qui adestis in consilio, vt diligenter attendatis, vt singulare genus fraudis, & nouam rationem insidiarũ cognoscere poßitis. Ait, se auctionatum esse in Gallia: quod sibi videretur, se vendidisse: curasse, ne quid sibi societas deberet: se iam neque vadari amplius, neq; vadimonium promittere: si quid agere secum velit Quinctius, non recusare. Hic, cum rem Gallicanam cuperet reuisere, hominem in præsentia non vadatur. ita sine vadimonio disceditur. deinde Romæ dies XXX *fere Quinctius commoratur: cum ceteris, quæ habebat, vadimonia differt, vt expeditus in Galliam proficisci posset. proficiscitur: Roma egreditur ante diem IV Kal. Febr. Scipione Norbano cos. quæso, vt eum diem memoriæ mandetis. L. Albius, Sex. filius, Quirina, vir bonus, & cumprimus honestus, vna profectus est. cum venissent ad Vada Volaterrana quæ nominantur, vident perfamiliarem Næuij, qui ex Gallia pueros venales isti adducebat; L. Publicium. qui vt Romam venit, narrat Næuio, quo in loco viderit Quinctium. quod nisi ex Publicio narratum Næuio esset, non tam cito res in contentionem venisset. tum Næuius ipse pueros circum amicos dimittit: ipse suos necessarios ab atrijs Licinijs, & à faucibus macelli corrogat, vt ad tabulam Sextiam sibi adsint hora secunda postridie. veniunt frequentes: testificatur iste, P. Quinctium non stitisse, & se stitisse. tabulæ maximæ signis hominum nobilium consignãtur. disceditur. postulat à Burrieno prætore Næuius, vt ex edicto bona poßidere liceat. iussit bona proscribi eius; quicũ familiaritas fuerat, societas erat, affinitas, liberis istius viuis, diuelli nullo modo poterat. qua ex re intelligi facile potuit, nullum esse officium tam sanctum, atque solemne, quod non auaritia comminuere, atque violare soleat. etenim, si veritate amicitia, fide societas, pietate propinquitas colitur: necesse est, iste, qui amicum, socium, affinem fama ac fortunis spoliare conatus est, vanum se, & perfidiosum, & impium esse fateatur. Libellos Sex. Alphenus, procu-*

procurator P. Quinctij, familiaris & propinquus Sex. Næuij, deijcit: seruulum vnum, quem iste prehenderat, abducit: denunciat, sese procuratorem esse, istum æquum esse famæ fortunisque P. Quinctij consulere, & aduentum eius exspectare: quod si facere nolit, atque imbiberit eiusmodi rationibus illum ad suas cōdiciones perducere, sese nihil precari, &, si quid agere velit, iudicio defendere. Hæc dum Romæ gerūtur, Quinctius interea, contra ius, & consuetudinem, edicto prætoris de saltū agroque communi à seruis cōmunibus vi detruditur. Existima, C. Aquilli, modo, & ratione omnia Romæ Næuium fecisse, si hoc, quod per litteras istius in Gallia gestum est, recte, atque ordine factum videtur. Expulsus, atque eiectus è prædio Quinctius, accepta insigni iniuria, confugit ad C. Flaccum imperatorem, qui tū erat in prouincia: quem, vt ipsius dignitas poscit, honoris gratia nomino. is eam rem quam vehementer vindicandam putarit, ex decretis eius poteritis cognoscere. Alphenus interea Romæ cum isto gladiatore vetulo quotidie pugnabat: vtebatur populo sane suo, propterea quod iste caput petere nō desinebat. Iste postulat, vt procurator iudicatum solui satisdaret. negat Alphenus æquum esse procuratorē satisdare quod reus satisdare non deberet, si ipse adesset. Appellantur tribuni: à quibus cū esset certū auxilium petitū, ita tamen disceditur, vt idibus Sept. P. Quinctiū sisti Sex. Alphenus promitteret. Venit Romā Quinctius, vadimonium sistit. iste, homo acerrimus, bonorum possessor, expulsor, ereptor, annum & sex menses nihil petit, quiescit, condicionibus hunc, quoad potest, producit: à Cn. Dolabella denique prætore postulat, vt sibi Quinctius iudicatum solui satisdet, ex formula, quod ab eo petat, cuius ex edicto prætoris Romani bona dies X X X. possessa sint. non recusabat Quinctius, quin ita satisdare iuberet, si bona possessa essent ex edicto. Decernit: quam æquum, nihil dico: vnum hoc dico, nouum: & hoc ipsum tacuisse mallem; quoniam vtrumque quiuis intelligere potuisset. Iubet P. Quinctium, aut satisdare, aut sponsionem cum Sex. Næuio facere, si bona sua ex edicto P. Burrieni prætoris dies X X X. possessa essent. Recusabant, qui aderant, tum Quinctio: demonstrabant, de re iudicium fieri oportere; vt aut vterq; inter se, aut neuter satisdaret: non necesse esse famā alterius in iudicium venire. clamabat porro ipse Quinctius, sese idcirco nolle satisdare, ne videretur iudicasse, bona sua ex edicto possessa esse: sponsionē porro si istiusmodi

faceret, se, id quod nunc euenit, de capite suo priore loco caussam esse dicturum. Dolabella (quemadmodum solent homines nobiles: seu recte, seu perperam facere cœperunt, ita in vtroque excellunt, vt nemo nostro loco natus assequi possit) iniuriam facere fortissime perseuerat; aut satisdare, aut sponsionem iubet facere, & interea recusantes nostros aduocatos acerrime submoueri.

EXPLANATIO.

ANTE *diem IV. Kal. Febr.*} idem est, Ante diem IV. Kal. Febr. quod, IV. Kal. Febr. & vtroq; modo veteres loquebantur. de quo more ne multa colligam, vnum, alterumve recitabo locũ: ne dixisse aliquid sine teste videamur. Ad Tironem, cum scripsisset, Is dies fuit nonis Nou. subiunxit, Inde ante lucem proficiscentes, ante diem IIX. Id. Nou. has litteras dedimus. Et Gellius lib. XV. cap. 27. natum esse Ciceronẽ ait, ante diẽ III. Non. Ian. qui se natũ III. Non. Ian. ad Att. scribit. Opinor autem, vel hic, II, id est pridie, vel infra, IV legendum: vt in eadem re dies idem ponatur. SCIPIONE, *& Norbano*} hic est L. Scipio, socer P. Sextij, à Cicerone defensi. ciuili bello Marianarum partium fuit: destitutusque ab exercitu, ad Sullam deficiente, Massiliam, liberam ciuitatem, se contulit: vbi exsul aliquandiu vixit. vnde illa in Sextiana: Duxit vxorem, patre viuo, optimi & calamitosissimi viri filiam, L. Scipionis. clara in hoc, P. Sextij pietas existit, & omnibus grata, quod & Massiliam statim profectus est, vt socerum videre, consolarique posset, fluctibus Reip. expulsum, in alienis terris iacentem, quem in maiorum suorum vestigijs stare oportebat: & ad eum filiam eius adduxit, vt illo insperato adspectu, complexuque, si non omnem, at aliquam partem mœroris sui deponeret. L. ALBIVS *Sex. F. Quirina,*} sic legendum, non Quirinas. est enim, Quirina, pro, ex Quirina tribu, antiquo more, quem Pedianus in eo loco, C. Verrem Romilia, ostendit his verbis: Romilia, nomen est tribus, ablatiui casus: vt sit, ex Romilia. tribus enim vrbanæ, rusticæque omnes XXXV. numerantur ex. quibus aliquam necesse est, cuiusque ordinis fuerit, ciuis Romanus obtineat. moris autẽ fuit, cum aliquis ciuis Romanus ostendendus

dendus esset, vt significaretur aut à prænomine suo, aut à nomine, aut à cognomine, aut à cognatiõe, aut à tribu, in qua cẽseretur, aut à curia, aut à censu, vt, si erat senator, equesve Romãus. sic alibi ait, C. Claudi9 C. F. Palatina. Hæc Pedianus. Ego tribus nomen ijs tantũ addi solitum arbitror, qui parum alioqui noti essent, non gestis honoribus, non maiorum dignitate, non ordine senatorio, cognoscerentur: qualis ille, à Pediano proxime nominatus C. Claudius C. F. Palatina describitur, lib. II. in Verrem. & act. I. Q. Verres Romilia, vt homo improbus, & in corrumpendis tribubus exercitatus, cum probro appellatur. nam P. Rupilio, equiti Romano, qui nominatur in epistola ad Crassipedem, additam esse Meneniam tribum crediderim, vt ab altero P. Rupilio distingueretur. Nominatur & à Plinio lib. VII. cap. 49. ex oppido admodũ ignobili Velleiacio, qui CXL. vixit annos, M. Mucius M. F. Galeria, Felix. Excipio sepulcrorum quasdam inscriptiones, non clarorum tamen hominum, & S. C. omnia, in quibus addi solita tribus est ad eorum nomina, qui scribendo aderant, aut eorum, de quibus ornandis, cum pro Repub. mortem obijssent, agebatur: vt Phil. IX. Ser. Sulpicius, Q. F. Lemonia, Rufus. De tribubus olim scripsi, cum obscuræ adhuc essent Romanæ antiquitates. ea si putem iteranda: lector fortasse non fastidiet: ei quidem viro, quem supra nominaui, hoc à me doctrinæ genus postulãti, satisfiet. Romulus in tres partes, quas ideo Tribus vocauit, ciuitatem diuisit, Ramnenses, Tatienses, Luceres, id est Romanos, quos ipse secum adduxerat; Sabinos, qui cum T. Tatio rege in vrbem recepti erant; Lucumones, Etruriæ populos, qui Romulo cum Sabinis dimicanti, opem tulere: vnde ipsi quoque in vrbem recepti: & inde Tuscus vicus. Postea Ser. Tullius, sextus Romanorũ rex, in maiore ciuium multitudine quattuor tribus fecit, & ab vrbis collibus appellauit, Suburranam, Palatinam, Collinam, Esquilinam. Sequentibus deinde temporibus, aucta vrbe, prolatis imperij finibus, additę sunt nouę tribus, aliæ alio tempore, sic, vt ad XXXV. peruenerint; quarum XXXI. rusticæ, vrbanæ IV. voca-

bantur: rusticæ, laudatissimæ, eorum, qui rura haberent; quæ ingenuorum erant; cum vrbanæ libertinorum essent; in quas transferri, vt ait Plinius, ignominiæ fuit. vrbanæ vero fuerũt, quas à Seruio rege institutas esse dixi. In ijs XXXV tribubus censebatur vniuersus populus Romanus, & in sua quisque tribu suffragium comitijs ferebat, nomenque dabat militiæ caussa. Earum omnium nomina fuerunt hæc, in quibus ordinem litterarum, nõ temporum, seruabo. Aemilia, Aniensis, Arniensis, Claudia, Clustumina, Collina, Cornelia, Esquilina, Fabia, Falerina, Galeria, Horatia, Lemonia, Mæcia, Menenia, Oufentina, Palatina, Papiria, Poblilia, quæ deinde Publilia dicta, vt ex Poblius Publius: Pollia, Pomptina, Pupinia, Quirina, Romilia, Sabatina, Scaptia, Sergia, Stellatina, Suburrana, Terentina, Tromentina, Veientina, Velina, Veturia, Voltinia. Vnde nomẽ acceperint, affirmare de omnibus difficile est. aliæ quidẽ à partibus vrbis, à familijs multæ, aliæ aliunde. nã, quod ait Pedianus, de Sabinarũ raptarum nominibus plures esse dictas: nõ assentior: cũ à Sabinis mulieribus curiæ, non tribus, Liuio, & Festo auctoribus, nominatæ sint; & Seruio regnãte, multis post raptum Sabinarum annis, primæ quattuor tribus institutæ, atque de nominibus collium, vt diximus, appellatæ. CVMPRIMIS *honestus,*} Ciceronem arbitror seruire tempori: ne, cum testimonium de die, quo Quinctius Roma egressus est, Albius dicet, fides ei, vt homini parum honesto, derogetur. infra quoque: Profectus est vna L. Albius, homo inprimis honestus: dicet testimonium. Hæc ideo dixi, ne, quod iam dixeram de tribus nomine, solis ignobilibus addito, quasi refelli videretur hoc Albij exemplo, quem Cicero hominem cumprimis honestum vocat. PVEROS} seruos, licet pueritiæ essent annos egressi. notatur enim condicio, non ætas: & ita sæpe Cicero locutus. CIRCVM *amicos*} ad omnes amicos, &, Circum, non paucos videtur indicare: vt in exemplis. Lib. II. Cum prætorem circum omnia fora sectaretur. Libr. IV. Nobilissimum quemque ad se accersebat, circum omnia prouinciæ fora rapiebat.

piebat. SVOS *necessarios* } præcones. nam ad eos amicos, qui non in atrijs Licinijs, nec in faucibus macelli versarentur, id est ad honestiores non misit suos necessarios, sed pueros, id est, seruos. ET A *faucibus macelli* } locus non admodum ab atrijs Licinijs disiunctus, qui nominatur Lib. III. in Verr. & ita quidem, vt parum honestus fuisse videatur: cum in eo sederet Alba Aemilius, Verris familiarissimus. AD *tabulam Sextiam* } ad tabernam eius nominis: vt ibi tabulæ, deserti à Quinctio vadimonij testes, conscriberentur, & virorum nobilium annulis consignarentur. HORA *secunda postridie*: } hora secunda illorum temporum non respondet nostrorum horæ secundæ. veteres enim diem in duodecim horas, ab ortu solis ad occasum, & in totidem noctem, ab occasu ad ortum, quacunq; anni parte, diuidebāt. diurnę tamen horæ nocturnis dissimiles erant. nam æstate, longioribus diebus, breuioribus noctibus, diurnæ duodecim horæ longiores, nocturnæ breuiores: contra vero hyeme, breuioribus diebus, longioribus noctibus, diurnæ breuiores, nocturnæ longiores. ita sexta diei hora semper meridies fuit, sexta noctis hora, media nox: duodecima, diei noctisque semper vltima. vnde illud M. Crassi, quod apud Plutarchum legimus, in Deiotarum regem, vrbem ædificantem extrema senectute: Quid tu, Deiotare? duodecima hora ædificare cœpisti? Hic autem dies naturalis erat, horarum duodecim, oriente sole incipiens, occidente desinens. nam ciuilis à media nocte ad mediam sequentem, XXIV horarum spatio, producebatur: vt Gellius lib. III. cap. 2. auctor est. Hic Cicero, cum ait, Hora secunda, de naturali die loquitur. &. quia mensis Ianuarius extremus erat; quod ipsa narratio docet; quo tempore dies est horarum XIII: hora secunda antiqua producitur in aliquam partem horæ tertiæ recentioris. de eodem dierum genere accipiendum est, quod Sulpicius ad Ciceronem scripsit: Circiter horam decimam noctis Postumius ad me venit. Nam, cum loquatur de die vigesimoquincto mensis Maij, quo tempore decem horarum nox apud nos non est: necesse videtur intelligere, tum fuisse noctem duodecim horarum, quem-

admodum erat per totum annum. Et, cum subiungit idem Sulpicius, E vestigio eo sum profectus prima luce, ibi quoque ostendit duodecim fuisse noctis horas, & se ab hora decima, qua Postumius venerat, ad duodecimā cogendis medicis, quos ad Marcellum vulneratū adduceret, operam dedisse. Et Martialis, cum dixit: Incipit exstructos frangere nona thoros; ostendit veteres cænare solitos esse tribus horis ante solis occasum. quod si seruetur ætate nostra, cænæ tempus incideret in horam vigesimam primam. TESTIFICATVR *iste* } cum sequatur, Et se stitisse: aptius putaui, Testificatur iste, quam, vt antea, Testificantur isti. Nec vero de nobilibus viris, quibus & testibus, & tabularū obsignatoribus Næuius vsus est, diceretur, Isti. Testificari autē, est, testibus probare. NON *stitisse*, } & hic perperam, Stetisse, legebatur. Sistere, simpliciter dicitur, & coniunctè: simpliciter, vt hic: coniunctè, cum accusandi casu, vt Cicero infra: Venit Romam Quinctius, vadimonium sistit. Sisti etiam iudicio, passiue dicitur: vt apud Iustinianum Nou. LXIX. ET SE *stitisse*: } falsum vtrumque. nam nec Quinctius vadimonium deseruerat, nec ad vadimoniū Næuius venerat. discessum enim erat sine vadimonio, nec Quinctium Næuio, nec Næuium vadante Quinctio, quod supra Cicero docuit. TABVLAE *maximæ* } testium plurimorum nominibus refertæ. frequentes enim ad tabulam Sextiam conuenerant. HOMINVM *nobilium* } quo plus esset auctoritatis in fraudē. A BVRRIENO *prætore* } etsi gentium Romanarum nomina in Ius desinere certum est, vt Iulius, Pompeius, Tullius: quædam tamen excipiuntur, quæ desinunt in Ienus, vt Vibienus, Matienus, Allienus, Vatienus; eiusdem generis esse Burienus existimo. EX *edicto* } ipsius Burrieni prætoris vrbani. edictum enim prætor vrbanus, antequam iniret magistratum, proponebat; vt annua quasi lex à populo cognosceretur, quam in iure dicundo seruaturus esset. BONA *possidere* } quod Quinctius non stitisset, ipse autem stitisset. de quo tabulas maximas, signis hominum nobilium consignatas, proferebat. EIVS, } arguit ab inhumanitate: cum arguerit iam

ab in-

ab iniustitia. VANVM } mendacē. Virgilius, lib. I. Aen. Ni frustra augurium vani docuere parentes. Lib. II. Vanum, mendacemque improba finxit. LIBELLOS } p-scriptionis bonorum Quinctij, publice propositos à Næuio. ALPHENVS, } cognomen Romanæ gentis, quæ mihi tamen adhuc quidem incomperta. QVEM *iste prehenderat*, } vt eum quoque ex edicto possideret. AEQVVM *esse* } pro familiaritate, pro societate, pro affinitate. IMBIBERIT } in animum induxerit, omnino decreuerit. Male antea, Inhibuerit. ego locum restitui ante multos annos, auctoritate adductus veterum librorum, & exemplis Latinæ linguæ. nam Lucretius verbum, Imbibere, semel & iterum vsurpat, pro, statuere cū quadam cupiditate, & quasi cum siti appetere, vt lib. III.

Qui petere à populo fasces, sæuasque secures
Imbibit. Lib. VI.
Non quo violari summa deum vis
Possit, vt ex ira pœnas petere imbibat acres.

Huius verbi vim Cicero ipse infra ostendit his verbis: Sin autem inimicissime, atque infestissime contendere perseueret, separatum esse omni recta, atque honesta ratione defendere, quod petat, non deberi. CONTRA *ius, et consuetudinem*, } nec fieri debet, nec solet, vt edicto prætoris quisquam, non deserto vadimonio, de suis bonis per vim exturbetur. DE SALTV, *agroque communi* } De saltu, ad rem pecuariam refertur; de agro, ad rusticam: quā vtramque C. Quinctius, P. Quinctij frater, quo tempore societatem cum Næuio fecit, solus possidebat; societate facta, cum Næuio communicauit. illud supra ostenditur his verbis: Erat ei pecuaria res ampla, & rustica sane bene culta, & fructuosa. Alterum obscurum non est, cum dicat: De saltu, agroque communi. Exprimitur autem summa iniuria quattuor quasi sententiæ partibus: Prima, De saltu, agroque communi: nam, quod commune est, cur proprie Næuius possideat? Altera, A seruis communibus: qui si ad Quinctium, item vt ad Næuium, pertinent, impelli eos vnius domini iussu ad inferendam alteri domino vim, æquum non est. Tertia, Vi, non

ratione,& ordine.Quarta,Detruditur:nō,mouetur,sed, detruditur,& vi detruditur,vt omnis exclusa humanitas intelligatur.His ingenij luminibus orationem sæpe suã Cicero distinguit,& hoc artificij genere superiores vicit omnes,ne Græcis quidem exceptis. MODO,} temperate.pro Murena: Hoc ab eo more & modo factũ est. Pro Cluentio.Iudicium:in quo non modus est habitus, non mos,consuetudoq; seruata. Offic. Lib. I. Omnium,quæ fiunt,quæq; dicuntur,ordo, & modus. RECTE, *atque ordine*} Ordine,pro sapiēter:quo sensu Q.Fusius Calenus accepit,cum in sententia sua dixit Phil. X. Litteras Bruti recte,& ordine scriptas videri.quamquam Cicero, quia verbum erat ambiguum,ad librarium transtulit,subijciens:Quid est aliud,librarium Bruti laudare, non Brutũ? EXPVLSVS, *atque eiectus*} in vtroque iniuria, sed maior in Eiectus. E PRAEDIO} è saltu atq; agro. C.FLACCVM} proconsulem transalpinæ Galliæ, eum fortasse, qui ante annos duodecim cum M.Herennio consul fuerat.nec dubium est,quin viueret,dicēte Cicerone, Quē, vt ipsius dignitas poscit,honoris gratia nomino.sic pro Roscio Amerino:Sese ad Cæciliam, Nepotis filiam, quã honoris caussa nomino,contulit. QVI TVM *erat in prouincia*:} excusatio Quinctij, quod Romam non confugerit, vnde longe aberat:cum Flacci imperatoris iustitia propinquum remedium esset. EX *decretis eius*} in iudicium allatis. GLADIATORE *vetulo*} fraudibus, & insidijs assueto. gladiatorem appellat, propter verbum, Pugnabat. VTEBATVR *populo sane suo.*} sui studioso, qui cuperet eum vincere:vt in gladiatorum pugna fauere solebat populus potius,quam alteri. CAPVT *petere non desinebat.*} Quinctij caput,id est,salutem & vitam, nō modo fortunas. Persistit in similitudine gladiatorum. breuis enim pugna populo non placebat:itaque oderat eos,qui,nimium eripiendæ vitæ cupidi, caput in pugna petere non desinerent. VT *procurator iudicatum solui satisdaret.*} Quandoquidem libellos deiecerat, & Quinctij bona proscribi vetuerat. QVOD *reus satisdare non deberet,*} quia satisdare debet is, qui vadimonium deseruit: desertum autem à Quinctio negabat Alphenus. CER-

TVM *auxilium*} Intercessio, contra Burrieni prætoris decretum. ITA *tamen discedıtur*, } non intercedentibus quidem tribunis pl. cuius auxilij spe Alphenus ad eos confugerat, sed M. Bruto, intercessurum se, palam dicente, nisi quid inter Alphenum & Nævium conueniret. itaque cōuenit inter eos, vt Alphenus Nævio promitteret, sisti Quinctium Idibus Sept. SISTI} adesse in iudicio, quasi eum vadatus esset Nævius, antequam in Galliam proficisceretur. propterea sequitur: Venit Romā Quinctius, vadimonium sistit. HOMO *acerrimus*, } cum esset homo acerrimus, cum bonorum possessor, expulsor, ereptor, mirum est, annum, & sex menses eum nihil petijsse à Quinctio. id autem astute fecit, donec prætorem nactus est, à quo impetraret id, quod postulabat. quod aperte infra sic exponit: Iacet res in controuersijs, isto calumniante, biennium, vsque dum inueniretur, qua ratione res non vsitata consuetudine recederet, & in hoc singulare iudicium caussa omnis concluderetur. ANNVM, *& sex menses*} infra, Biennium, dicit, oratorie amplificans. CONDICIONIBVS} non, quia condiciones proponeret, sed quia per dolum & astutiam rem extraheret. quod Latine proprie dici posset, Calumnijs. nam infra de eadem re: Iacet res in controuersijs, isto calumniante, biennium. A CNEO DOLABELLA} quem postea Marcus Scaurus repetundarum è Cilicia accusauit. & damnauit, de quo diximus libro primo in epistola in Verrem. EX *formula*, } in edictis atq; decretis prætorijs formulæ continebantur: quarum in vna prætor pollicebatur, se esse iussurum, vt, iudicatum solui satisdaret is, cuius bona ex edicto prætoris dies triginta possessa essent. possedisse autem Nævium ex Burrieni prætoris edicto bona Quinctij, non omnia quidem, Alpheno libellos deijciente, sed aliqua, vt saltum, & agrum in Gallia, superioribus intelligitur. PRAETORIS *Romani*} vt prætor peregrinus, qui ius diceret inter peregrinos, sic prætor Romanus, qui inter ciues, appellabatur. infra: Fateor, si ita est, procuratorem decreto prætoris Romani oportuisse parere.

SI BONA

SI BONA *possessa essent ex edicto,*} solum Quinctium satisdare, id erat confiteri, bona eius ex edicto possessa esse. ita deserti vadimonij subibat infamiam. quod si satisdaret his verbis, Si possessa ex edicto bona essent: possessa esse non cōfitebatur. ita deserti vadimonij probrum vitabat. fore autem confidebat, vt vbi cognitum esset, possessa nec ne bona essent, vel neuter, vel vterque satisdaret. Huc illud spectat supra dictum: Id accidit prætoris iniquitate & iniuria: primum, quod, contra omnium consuetudinem, iudicium prius de probro, quam de re, maluit fieri. Infra vero, Recusabant, qui aderant. tum Quinctio: demonstrabant de re iudicium fieri oportere: vt aut vterque inter se, aut neuter satisdaret: non necesse esse, famam alterius in iudicium venire. DECERNIT:} prætor Dolabella, reiecta Quinctij petitione, Næuio gratificans; qui non sine caussa annum & sex menses nihil petierat, opportunum improbitati, malitiæqúe suæ tempus exspectans. NIHIL *dico:*} patet enim ipsum per se. VNVM *hoc dico,*} quod omnibus fortasse non patet. NOVVM:} est aliquid iniquū, nec tamen nouum: rursus aliquid & iniquum, & nouum: quod magis reprehendi solet: caret enim iniquitas exemplo. vnde illud ad Lentulum: Eius orationi vehementer ab omnibus reclamatum est: erat enim & iniqua, & noua. IVBET P. *Quinctium aut satisdare, aut sponsionem cum Sex. Næuio facere, si bona sua ex edicto P. Burrieni prætoris dies triginta possessa essent,*} id petebat Quinctius, sed vel cum satisdatione, vel sponsione. nam, si sponsionem faceret, nō reus, sed actor esse videbatur: & priore loco, tamquam actor, caussam dicere cogebatur. quod supra, infraque Cicero conqueritur. QVI *aderant tum Quinctio.*} non tum aderat Cicero, sed M. Iunius in proœmio appellatus. nec tamen solum Quinctij patronum significat, sed aduocatos etiam homines Quinctij studiosos, qui ad prætoris tribunal venerant, vt reum, quacunque re possent, adiuuarent. vnde infra: Aut satisdare, aut spōsionem iubet facere, & interea recusantes nostros aduocatos acerrime submoueri. DE RE} de possessione bonorum Quinctij, id est, possessa,

ſeſſa, nec ne eſſent à Næuio bona Quinctij ex edicto prætoris dies triginta. quod fateri Quinctius non poterat, niſi, deſertum à ſe vadimonium, ſimul fateretur. nam, ſi poſſeſſa non eſſent, tunc non ſolus Quinctius iudicatum ſolui ſatiſdaret, quod à Dolabella prętore Næuius poſtulauerat, ſed aut vterque inter ſe, aut neuter. FAMAM *alterius*} Quinctij: qui, ſi ſolus ſatiſdaret, de fama & exiſtimatione ſua periclitaretur. NE VIDERETVR *iudicaſſe, bona ſua ex edicto poſſeſſa eſſe:*} nam, vt ſatiſdaret, poſtulauerat Næuius ex formula, quod ab eo peteret, cuius de edicto prætoris Romani bona triginta dies poſſeſſa eſſent. SPONSIONEM *porro*} vtraque erat iniqua condicio, vel ſi ſolus ſatisdaret ex ea formula; qua confitebatur bona ſua poſeſſa eſſe; vel ſi ſponſionem faceret, nulla poſſeſsorum bonorum confeſſione: ſponſione enim facta, ſequebatur, vt, quamquam reus eſset, priore tamen loco cauſſã diceret; &, cum poſt eum aduerſarius dixiſset, facultas ipſi nulla reſpondendi relinqueretur. HOMINES *nobiles:*} nobiles vocabantur, qui claris geſtis honoribus maiores habuiſsent, ſiue patricij generis, ſiue plebei eſſent. æque enim vtrique generi aditus patebat ad honores: nec deſinebat plebeię gentis eſſe, qui conſul aut dictator crearetur. IN *vtroque excellunt,*} commune verbum, non minus in malis rebus, quam in bonis, quamquam de malis, quod ſciam, exempla non exſtant. NOSTRO *loco natus*} equeſtri. nam patre Cicero natus eſt equite Romano. ASSEQVI} ſimiliter excellere. nam illos in vtramque partem ſua nobilitas adiuuat. AVT *ſatiſdare, aut ſponſionem facere,*} animaduertendum, non decreuiſse Dolabellam, neque quod Næuius, neque quod Quinctius petebat: cum Næuius peteret, vt prætor ſatiſdare ſolum Quinctium iuberet, ex formula, quod ab eo peteret. cuius bona ex edicto prætoris dies triginta poſſeſſa eſſent: Quinctius autem ſatiſdare non recuſaret, ſed nõ ex ea formula, in qua erat bonorũ poſſeſſorum, id eſt, deſerti vadimonij, confeſſio, verum hoc modo. Si bona ſua ex edicto prætoris dies triginta poſſeſſa eſsẽt, quod infamiam deſerti vadimonij remouebat.

uebat. quod enim Næuius in sua petitione factum dicebat, id Quinctius factum negabat, & iudicio statuendum ostendebat his verbis: Si bona sua ex edicto prætoris possessa essent. Neutrum, vt dixi, Dolabella fecit, sed fecit tamen, quod Næuio gratum, Quinctio permolestũ esset, cum eum, aut satisdare solum iussit, aut sponsionẽ facere, id est priore loco caussã dicere. NOSTROS *aduocatos*} ipse tũ Quinctio nõ aderat. dixit enim proxime: Recusabant, qui aderant tum Quinctio. Nostros igitur, id est, eius partis, quam ego nunc defendo. Aduocati dicuntur, qui reo fauẽt, licet eius caussam nõ agant. ACERRIME *submoueri,*} quod prætoris non est, qui se æquũ vtrique parti præbere debeat.

ORATIO.

CONTURBATUS *sane discedit Quinctius: neque mirum, cui hæc optio tam misera, tamq; iniqua, daretur, vt aut ipse se capitis damnaret, si satisdedisset; aut caussam capitis, si sponsionem fecisset, priore loco diceret. Cum in altera re caussæ nihil esset, quin secus iudicaret ipse de se, quod iudicium grauissimum est; in altera spes esset ad talem tamen virum iudicem veniendi, vnde eo plus opis auferret, quo minus attulisset gratiæ: sponsionem facere maluit, fecit, te iudicem, C. Aquilli sumpsit, ex sponso egit. in hoc summa iudicij, caussaq; tota consistit. Iudicium esse, C. Aquilli, non de re pecuniaria, sed de fama, fortunisque P. Quinctij vides. cum maiores ita constituerint, vt, qui pro capite diceret, is posteriore loco diceret: nos, inaudita criminatione accusatorum, priore loco caussam dicere intelligis: eos porro, qui defendere consueuerunt, vides accusare, & ea ingenia conuerti ad perniciẽ, quæ antea versabantur in salute, atque auxilio ferendo. Illud etiam restiterat, quod hesterno die fecerũt, vt te in ius adducerent, vt nobis tempus, quamdiu diceremus, præstitueres. quam rem facile à prætore impetrassent, nisi tu, quod esset tuum ius, & officium, partesq;, docuisses. neq; nobis adhuc, præter te, quisquam fuit, vbi nostrum ius contra illos obtineremus: neq; illis vnquam satis fuit illud obtinere, quod probari omnibus posset: ita sine iniuria potentiam leuem, atque inopem esse arbitrantur. Verum, quoniam tibi instat Hortensius, vt eas in consilium; à me postulat, ne dicendo tempus absumam; queritur, priore patrono caussam defendente, numquam perorari potuisse: nõ*

patiar istam manere suspicionem, nos rem iudicari nolle. nec illud mihi arrogabo, me posse caussam cōmodius demonstrare, quam antea demonstrata sit: neq; tamen tam multa verba faciam: propterea quod ēt ab illo, qui ante dixit, informata iam caussa est; et à me, qui neq; excogitare, neq; pronunciare multa possum, breuitas postulatur, quæ mihimetipsi amicißima est. faciã, quod te sæpe animaduerti facere, Hortensi: totã caussæ meæ dictionẽ certas in partes diuidam. tu id semper facis, quia semper potes; ego in hac caussa faciam, propterea, quod in hac videor posse facere. quod tibi natura dat vt semper poßis, id mihi caussa dat vt hodie poßim. certos mihi fines, terminosq; constituã, extra quos egredi non poßim, si maxime velim: vt et mihi sit propositũ, de quo dicã, et Hortẽsius habeat exposita, ad q̃ respondeat; et tu, C. Aquilli, iam ante animo prospicere poßis, quibus de rebus auditurus sis. Negamus, te bona P. Quinctij, Sex. Neui, possedisse ex edicto prætoris. in eo spõsio facta est. ostendam, primũ, caußã nõ fuisse, cur à prætore postulares, vt bona P. Q. poßideres: deinde, ex edicto te poßidere non potuisse: postremo, non possedisse.

EXPLANATIO.

IPSE *se capitis damnaret,*} ipse sibi existimationẽ, & honestatem adimeret. nam, si solus satisdaret, ex formula, quod eius bona dies triginta ex edicto prætoris possessa essent, desertum à se vadimonium confiteretur. CAVSSAM *capitis*} caussa, in qua ageretur existimatio. cum enim spõsionem ideo faceret, vt probaret bona sua possessa non esse: sequebatur, vt, id nisi probaret, desertũ a se vadimonium negare non posset. PRIORE *loco*} deteriore condicione, quam si, reorum more, posteriore diceret. supra: Quid hoc iniquius, aut indignius, C. Aquilli, dici, aut commemorari potest, quam me, qui caput alterius, famam, fortunasque defendam, priore loco caussam dicere? Infra vero: Cùm maiores ita constituerint, vt; qui pro capite diceret, is posteriore loco caussam diceret: nos, inaudita criminatione accusatorũ, priore loco caussã dicere intelligis. IN *altera re*} in satisdãdo. CAVSSAE *nihil esset, quin secus iudicaret ipse de se,*} excusatio afferri nulla posset, cur nõ ipse de se male iudicaret. male. n. iudicasse de se ipse videretur. si solus satisdaret: q̃a desertũ à se vadimoniũ fateretur. Secus aũt, ꝓ male, satis vsitatũ.

Ad

Ad Att.lib.I.affirmat nil à se cuiquam de te secus esse dictum. Et ad Appium, lib. III. De tuo in me animo iniquis secus existimandi videris nonnihil loci dedisse. Salustius in Iug. Quia tentatum antea, secus cesserat. Eodē sensu dixit Liu.lib.II.Inuitus, quod sequius sit, de meis ciuibus loquor. Est enim, Sequius, pro Secius. Et quod de Secus, idem de Aliter intelligo. simile enim illud lib. VII. in Verr. A me, tametsi satis habent, tamen, si res aliter acciderit, plus habebunt fortasse, quam postulant. QVOD *iudicium grauissimum est*} queri enim de alieno iudicio possumus, de nostro non possumus. AD TALEM *tamen virum iudicem veniendi,*} qui nobis, posteriore loco causam dicentibus, sapientia, & æquitate sua subueniret. TE *iudicē, C. Aquilli sumpsit:*} In quo Quinctius reus est: nā sumendi iudicis potestas penes reum, non penes actorē erat. quod autem priore loco caussam dicit, actor in eo, non reus, est. EX SPONSO *egit.*} venit in iudicium, vt caussam priore loco diceret, quemadmodum solent ij, qui ex sponso agunt, vel, vt hic arbitror legendum, Ex sponsu, id est, ex sponsione. fecerat enim iussu Dolabellæ prætoris cum Næuio sponsionem Quinctius: si bona sua ex edicto prætoris à Næuio possessa essent. ex ea sponsione agendum erat in iudicio: quod veteres dicebant, Ex sponsu. Quod si bona Quinctij possessa esse constaret: nihil erat caussæ, quin id, quod iam petierat à prætore, Næuius impetraret, vt sibi Quinctius iudicatum solui satisdaret; ex formula, quod ab eo peteret, cuius bona ex edicto prætoris dies triginta possessa essent. Quod ad loquendi genus attinet, verba Ser. Sulpicij sunt apud Gellium, lib. IV. cap. 4. Qui vxorem, inquit, ducturus erat, ab eo, vnde ducenda erat, stipulabatur eam in matrimonium ductum iri: qui daturus erat, itidem spondebat. Is contractus stipulationum, sponsionumq; dicebatur Spōsalia. Tunc, q̄ promissa erat, Spōsa appellabatur, qui spopōderat, ductorū, Sponsus. Sed, si post eas stipulationes vxor nō dabatur, aut non ducebatur, qui stipulabatur, ex sponsu agebat, iudices cognoscebant. Quæ Neratium quoque scripsisse in librum de Nuptijs, idem Gellius affirmat. Iam

Varro

Varro lib. V. de ling. Lat. Quod ſpônſu erat alligatus. Ibidem: Neque agi poteſt cum eo ex ſponſu. Et Paulus lib. VI. D. de verb. ſig. Sponſio appellatur, nõ ſolum quæ per ſponſus interrogationem fit, ſed omnis ſtipulatio, promiſſioque. EA *ingenia,*} Hortenſium notat: quem partes accuſatoris obtinere, ſupra dixit. QVAE *antea verſabantur in ſalute,*} infra: Q. Hortenſius contra caput non didicit dicere. ILLVD *etiam reſtiterat,*} modus loquendi, iniqua, indignaq; de re cum ſtomacho vſurpatus: quod quidem ex obſeruatione multorum exemplorum potuerim intelligere. huc enim ſpectat illud ex Phil. XI. At vero ita decernunt, vt, liberato Bruto. Id enim reſtabat, vt, relicto, deſerto, prodito. Et ad Att. lib. IIX. Vnum hoc etiam reſtat amico noſtro, vt Domitio non ſubueniat. Ad eundem, lib. XIIII. illud vtique ſcire cupio, quem intellexeris ab eo κλοτυπεῖσθαι, niſi forte Brutum. id hercle reſtabat. Terentius in Ad. Nam hercle etiam id reſtat. Ennius in Ephigenia apud Ruſenianum: Menelaus me obiurgat. Id meis rebus regimen reſtat. Recitat etiam ex incerto Ciceronis libro Priſcianus hæc verba, lib. IIX. Hoc reſtiterat etiam, vt ad te fictis aggrederer donis. IN IVS} ad ipſum prætorem: *vt*, eo iubente, præſtitueres nobis tẽpus, quamdiu diceremus. Infra: In ius vocas. Et aliquanto poſt: Vt ſtatim de iure aliquis cucurrerit. Eſt enim obſeruatione dignum, iuris mentionem ad prætorem, non ad iudices, pertinere. nam is non iudicat, ſed ius dicit, vnde Iuriſdictio: iudices autem, à prætore dati, non ius dicunt, ſed iudicant, ex formula prætoris, quæ erat in edicto. QVAM *rem facile à prætore impetraſſent,* } non obſcure Dolabellæ prætoris vel inſcitiam, vel iniquitatem accuſat: de quo etiam ſupra dixit: Id accidit prætoris iniquitate, & iniuria, primum, quod contra omnium conſuetudinem, iudicium prius de probro, quàm de re, maluit fieri; deinde, ꝙ ita conſtituit idipsũ iudiciũ vt reus, antequam verbum accuſatoris audiſſet, cauſſam dicere cogeretur. DOCVISSES.} oſtendiſſes, id ad prætorem nõ pertinere, partes illas eſſe tuas, tuumque ius, & officium. POTENTIAM *leuem*, } hoc manifeſte conijcitur in

D Hor-

Hortensium, hominesque nobiles, Næuij aduocatos. TIBI *instat Hortensius*:} arroganter, quasi suo quodam iure: VT EAS *in consilium*:} iudices, caussa vtrinq; perorata, in consilium ibant, vt, iudicandum quid esset, de cōmuni sententia deliberaretur. tres autem, cū quibus deliberaret, habebat Aquillius in consilio, iuris peritos, L. Lucullum, P. Quinctilium, M. Marcellum. PRIORE *patrono*} M. Iunio. PERORARI} vtrimque: vt post perorationem res iudicaretur. NOS *rem iudicari nolle.*} quasi caussæ nostræ diffidamus. NEQVE *excogitare*,} propter inopiam ingenij. NEQVE *pronunciare*,} quia parum exercitatus: cum in forum haud ita multo ante venerim. BREVITAS *postulatur*,} prolixa oratio non requiritur: cum ab illo, qui ante dixit, informata iam caussa sit. QVAE *mihimet ipsi amicissima est.*} propter id, quod supra dixit: Qui neque excogitare, neque pronunciare multa possum. QVOD *te sæpe animaduerti facere, Hortensi*} hanc partiendi laudem Hortensio tribuit his verbis in Bruto: Attulerat minime vulgare genus dicendi, duas quidem res, quas nemo alius, partitiones, quibus de rebus dicturus esset, & collectiones, memor & quæ essent dicta contra, quæque ipse dixisset. QVIA *semper potes*:} ob ingenij præstantiam. ID MIHI *caussa dat, vt hodie possim.*} modeste; nihil sibi arrogat ab ingenio, vt in procemio: Ita se res habet, vt ego, qui neque vsu satis, & ingenio parum possum, cum patrono disertissimo comparer. Ibidem: Quo minus ingenio possum, subsidio mihi diligentiam comparaui. Huiusmodi autem excusationes in adolescentibus probantur, in robustioribus, non item. itaque in Messalla Coruino, cum alioqui floreret eloquentiæ fama, illud esse reprehensum Tacitus ait, quod ordiri soleret in caussis ab excusatione infantiæ suæ. at Cicero, q'd iam diximus, cum Quinctium defendit, annos natus erat vigintisex. IN EO *sponsio facta est.*} sponsionem fecit Quinctius, si possessa sua bona sint.

ORATIO.

QVAESO, *C. Aquilli, vosque, qui estis in consilio, vt, quid pollicitus sim, diligenter memoriæ mandetis. etenim rem faci-*

facilius totã accipietis, si hæc memineritis; & me facile vestra existimatione reuocabitis, si extra hos cancellos egredi conabor, quos mihi ipse circumdedi. Nego fuisse caussam, cur postularet: nego, ex edicto possidere potuisse: nego possedisse. hæc tria cum docuero, perorabo. Non fuit caussa, cur postularet. qui hoc intelligi potest? quia Sex. Næuio neque ex societatis ratione, neque priuatim quidquã debuit Quinctius. quis huic rei testis est? iidem, qui acerrimus aduersarius. in hac re, te inquam testem, Næui, citabo, annum, & eo diutius post mortem C. Quinctij fuit in Gallia tecum simul Quinctius. doce, te petiisse ab eo istam nescio quam innumerabilem pecuniam. doce, aliquando mentionem fecisse; dixisse, deberi: debuisse, concedam. moritur C. Quinctius, qui tibi, vt ais, certis nominibus grandem pecuniam debuit: heres eius P. Quinctius in Galliam ad te ipsum venit, in agrum communem, eo denique, vbi non modo res erat, sed ratio quoque omnis, & omnes litteræ. quis tam dissolutus in re familiari fuisset, quis tã negligens, quis tam tui, Sexte, dissimilis, qui, cũ res ab eo, quicũ cõtraxisset, recessisset, & ad heredẽ peruenisset, non heredem, cum primum vidisset, certiorem faceret? appellaret? rationem afferret? si quid in controuersiam veniret, aut intra parietes, aut summo iure experiretur? itane est? quod viri optimi faciunt, si qui suos propinquos, ac necessarios caros, & honestos esse, atque haberi volunt, id Sex. Næuius non faceret? qui vsque eo feruet, ferturque auaritia, vt de suis commodis nolit aliquam partem amittere, ne quam partem huic propinquo suo vllius ornamenti relinquat. & is pecuniam, si qua deberetur, non peteret, qui, quia, quod debitum numquam est, id, datum non est, non pecuniam modo, verum etiam hominis propinqui sanguinem, vitamque eripere conatur.

EXPLANATIO.

VESTRA *existimatione reuocabitis*,} deterrebitis me auctoritate vestra, ne extra hos cancellos egrediar quos mihi ipse circumdedi, recordantem, & quæ proposuerim, & quid vos, nisi eo ordine persequar, existimare possitis cum de caussa, tũ etiã de meipso. NON *fuit caussa, cur postulares.*} malim, Postularet. nã, si sermonẽ ad Næuiũ cõuerteret, nõ subiungeret, Quia Sex. Næuio, sed, Quia tibi. incipit autẽ Næuiũ appellare paullo post,

cum ait: In hac re te, te, inquã, testem, Næui, citabo. ANNVM, *& eo diutius* } supra dixit, Annum fere vna sunt. Locum recitabo, quia pertinet ad eandem sententiam. In Galliam proficiscitur Quinctius: ibi cum isto familiariter viuit: annum fere vna sunt, cum & de societate inter se multa communicarent, & de tota illa ratione, atque re Gallicana, neque interea verbum vllum interposuit Næuius, aut societatem sibi quippiam debere, aut priuatim Quinctium debuisse. Quod igitur ibi, Annum fere vnà sunt. hic, Annum, & eo diutius, fuit in Gallia tecum simul Quinctius. hac enim lege non adstringitur orator, vt ei non liceat, si caussa postulet, aliquid tempori vel addere, vel detrahere. Eadem licentia dixit infra: Tecum anno plus vixit in Gallia. OMNES *litteræ.* } quidquid, viuo C. Quinctio, de communi negotio scriptum fuerat. infra: Litteræ P. Quinctij. CVM *res ab eo recessisset* } quasi actionem tribuit rei, quæ sensu caret: vt lib. I. in Verr. Si res abiret ab eo mancipe. Et lib. III. in eundem: Ne res abiret ab Apronio. QVICVM *contraxisset*, } qui cum societatem fecisset. APPELLARET?} verbũ creditoris: vt in ep. ad Tironem: Appellabis etiam Papiam. SVMMO *iure* } litibꝰ, in iudicio. EXPERIRETVR?} iudiciale verbum. ITA NE *est*?} Ita ne est? ita ne? ita ne vero? ita ne tãdem? indignantis notæ sunt, turpis & iniquæ rei narrationem aut sequentes, aut antecedentes. occurrunt hæc exempla pro, Ita ne est: Pro Roscio Am. Ita ne est? in minimis rebus qui mandatum neglexerit, turpissimo iudicio condemnetur, necesse est: in re tanta cum is, cui fortunæ viui commendatæ sunt, atque concreditę, ignominia mortuum affecerit, is inter honestos homines, atq; adeo inter viuos nominabitur? Pro Cluentio: Hoc persæpe dixisti, tibi sic renunciari, me habere in animo, caussam hanc præsidio legis defendere. Ita ne est? ab amicis videlicet imprudentes prodimur. Pro. Ita ne? Terẽtius in Andr. Saluus sis Crito. C. Ita ne, Chrysis? Pro, Ita ne vero? Lib. I in Verr. Ita ne vero? tu, cum quæstor ad exercitum missus sis, custos non solum pecuniæ, sed etiam consulis, particeps omnium rerum consiliorum-

que

que fueris, habitus sis in liberum loco, sicut mos maiorũ ferebat, repente relinquas? In eundem lib. III. bis, & lib. V. Pro, Ita ne tandem? Terentius in Heaut.

Ita ne tandem, quæso, Menedeme, vt pater
Tam in breui spatio omnem de me eiecerit animum patris?

QVOD *viri optimi faciunt,*} vt appellent eos, quibus deberi sibi pecuniam putant; & vt, cur appellent, rationem afferant: presertim si cum propinquis ac necessarijs res est, quos caros & honestos esse, atque haberi velint. quod idẽ de propinquo ac necessario suo P. Quinctio Næuius sentire debuit. NON *faceret?*} non appellaret Quinctium Næuius, si quid ab eo sibi deberetur? non appellauit autem, quia deberi sibi nihil sciebat. FERVET, *ferturque auaritia,*} lepor est aliquis in similiter incipientibus verbis, Feruet, ferturque. est etiam aliqua uis, quia translatum vtrumque est: nam translata rem ante oculos ponunt exempli similitudine. Sic Horatius: Feruet auaritia, miseraque cupidine pectus. De ira, Terentius in Ad. Cum feruit maxime, tam placidum, quam ouem, reddo. Et lib. I. Off. Fortis animus, & magnus, in homine nõ perfecto, nec sapiente feruentior plerumque est. Fertur autem, plus etiam est, quam feruet VT DE *suis commodis nolit aliquam partem amittere*, } vt ita vel minimam suorũ commodorum partem curet: vt nullam huic propinquo suo vllius ornamenti, non modo commodi, relictam partem velit. NON *peteret,*} pro, Non petijsset, donec in Gallia fuit. SANGVINEM, *vitamque,*} oratorie, pro famam, & honestatem: vt illud, quod statim subijcit. Quẽ nunc interficere nefarie cupis. Et paullo post, Ne numeretur inter viuos. Et illud: Is non modo ex numero viuorum exturbatur, sed, si fieri potest, infra etiam mortuos amandatur.

ORATIO.

HVIC *tu molestus esse videlicet noluisti, quam nunc respirare libere non sinis, quem nunc interficere nefarie cupis, eum tum pudenter appellare nolebas. ita credo, hominem propinquum, tui obseruantem, virum bonum, pudentem, maiorem*

natu, nolebas, aut non audebas appellare. sæpe, vt fit, cum ipse te confirmasses, cum statuisses de pecunia mentionem facere, cũ paratus, meditatusque venisses, homo timidus, virginali verecundia, subito ipse te retinebas, excidebat repente oratio; cum cuperes appellare, non audebas, ne inuitus audiret. id erat profecto. credamus hoc, Sex. Næuium, cuius caput oppugnet, eius auribus pepercisse. si debuisset, Sexte, petisses statim. si non statim, paullo quidem post. si nõ paullo, at aliquando. sex quidẽ illis mensibus, profecto anno vertente sine controuersia. anno & sex mensibus vero, cum tibi quotidie potestas hominis fuisset admonendi, verbum nullum facis: biennio iam cõfecto fere, appellas. quis tam perditus ac profusus nepos, non adesa iam, sed abundanti pecunia, sic dissolutus fuisset, vt fuit Sex. Næuius? cum hominem nomino, satis mihi videor dicere. Debuit tibi C. Quinctius: numquam petisti. mortuus est ille: res ad heredem venit: cum eum quotidie videres, post biennium denique appellas. dubitabitur, vtrum sit probabilius, Sex. Næuium statim, si quid deberetur, petiturum fuisse, an, ne appellaturum quidẽ biennio? Appellandi tempus non erat? at tecũ anno plus vixit. In Gallia agi non potuit? at & in prouincia ius dicebatur; & Romæ iudicia fiebant. Restat, vt aut summa negligentia tibi obstiterit, aut vnica liberalitas. si negligentiam dices, mirabimur; si bonitatem, ridebimus. neque, præterea quid possis dicere, inuenio.

EXPLANATIO.

HVIC *tu molestus esse videlicet noluisti,* } ad exhilarãdos iudicum animos argute ab iracunda narratione ad sedatũ ironiæ genus transit. nihil enim perpetuum natura delectat. Ipsam vero ironiam cõtrarijs exornat, ab hoc loco, Huic tu molestus videlicet esse noluisti: ad illa verba: Credamus hoc, Sex. Næuium, cuius caput oppugnet, eius auribus pepercisse. QVEM *nunc respirare libere non sinis:* } ita vehementer vrges. Perturbatio animi summa declaratur his verbis: vt in Parad. Quocũque adspexisti, vt furiæ, sic tuæ tibi occurrunt iniuriæ, q̃ te respirare non sinunt. PVDENTER } pudore deterritus. CVM *ipse te confirmasses,* } aliquandiu non ausus, animo nõ ferente. ANNO *vertente* } sequentibus verbis, annũ duodecim mensium significari, satis constat. alij decẽ fuisse mensium putarunt. HOMINIS *admonendi* } pecuniæ

niæ debitæ: est enim verbum creditoris: vt in ep. ad Tironem: Dolabellæ procuratores fac vt admoneantur. appellabis etiam Papiam. BIENNIO *iam confecto fere*, } à quo tempore simul in Gallia esse cœperant. inde enim huius biennij initium sumo, non, vt alij, ab idibus Sept. id est à quo tempore Romam ex Gallia redijt Quinctius, vt, ex tribunorum pl. sententia, quos Alphenus, Quinctij procurator, appellauerat, vadimonium sisteret. Confirmant opinionem nostram hæc inferiora: Debuit tibi C. Quinctius: numquam petisti. mortuus est ille: res ad heredem venit: cum eum quotidie videres, post biennium denique appellas. Eodem spectat illud supra: Quo mortuo, nec ita multo post in Galliam proficiscitur Quinctius. ibi cum isto familiariter viuit, annum fere vna sunt, cum & de societate inter se multa communicarēt, & de tota illa ratione, atque re Gallicana: neque interea verbum vllum interposuit Næuius, aut societatem sibi quippiam debere, aut priuatim Quinctium debuisse. QVIS *tam perditus, ac profusus nepos*, } dicitur idem supra his verbis: Quis tam dissolutus in re familiari fuisset? quis tam negligens? quis tam tui, Sexte, dissimilis, qui cum res ab eo, quicum contraxisset, recessisset, & ad heredem peruenisset, non heredem, cum primum vidisset, certiorem faceret? appellaret? rationem afferret? si quid in controuersiam veniret, aut intra parietes, aut summo iure experiretur? NON *adesa iam, sed abundanti etiam pecunia*, } multi enim, adesa iam pecunia, dissoluti esse desinunt, abundanti autē non facile. quis igitur vel in summa pecuniæ copia tā dissolutus fuisset, vt fuit Sex. Næuius? qui biennio nihil petijt. CVM *hominem nomino, satis mihi videor dicere.* } nemo enim ignorat, eum in pecuniam minime dissolutum esse. IN *prouincia* } Gallia transalpina IVS *dicebatur*, } à proconsule. MIRABIMVR: } cum ad rem soleas esse attentissimus. RIDEBIMVS: } vt in mendacio manifesto.

ORATIO.

SATIS *est argumenti, nihil esse debitum Næuio, quod tam diu nihil petiuit. quid, si hoc ipsum, quod nunc facit, ostendo*

testimonio esse, nihil deberi? Quid enim nunc agit Sex. Næuius? qua de re controuersia est? quod est hoc iudicium, in quo iam biennium versamur? quid negotij geritur, in quo ille tot & tales viros defatigat? pecuniam petit: nunc denique? verum tamen petit: audiamus. de rationibus & controuersijs societatis vult dijudicari, sero, verum aliquando tamen: concedamus. Non, inquit, id ago, C. Aquilli, neque in eo nunc laboro: pecunia mea tot annos vtitur P. Quinctius: vtatur sane, non peto. Quid igitur pugnas? an, quod sæpe multis in locis dixisti, ne in ciuitate sit? ne locum suum, quem adhuc honestissime defendit, obtineat? ne numeretur inter viuos? decernat de vita, & ornamentis suis omnibus? apud iudicem caussam priore loco dicat? &, eam cum perorarit, tum denique vocem accusatoris audiat? Quid? hoc quo pertinet? vt ocius ad tuum peruenias? at, si id velles, iampridem actum esse poterat. vt honestiore iudicio conflictere? at sine summo scelere P. Quinctium, propinquum tuum, iugulare non potes, vt facilius iudicium sit? at neque C. Aquillius de capite alterius libenter iudicat, & Q. Hortensius contra caput non didicit dicere. Quid à nobis autem, C. Aquilli, refertur? pecuniam petit: negamus deberi. iudicium fiat statim: non recusamus. numquid præterea? si veretur, vt res, iudicio facto, parata sit: iudicatum solui satis accipiat: quibus à me verbis satis accipiet, ijsdem ipse, quod peto, satisdet.

EXPLANATIO.

IN QVO *iam biennium versamur?* } loquitur ex persona Quinctij, non sua: nam ipse paullo ante caussam eam susceperat. Et ex eadem persona dixit supra: Dat iste amicum M. Trebellium, nos communem necessarium, propinquum nostrum, Sex. Alphenum. TOT, } quattuor, Aquillium, Lucilium, Quinctilium, Marcellum. TALES } tali virtute. NVNC *denique*? } post biennium. VERVMTAMEN *petit* } cōcedamus, vt post biennium denique petat, nec obijciamus illi moram temporis. NE IN *ciuitate sit?* } amissa existimatione, quod explanatur sequentibus verbis. NE *locum suum* } ne, quo adhuc loco fuit, eo sit in posterum: id est, ne partem honestatis vllam teneat. NE *numeretur inter viuos* } amplificat oratorie, de quo supra diximus. HOC QVO *pertinet*? } cum hoc facis, quid spectas? IAMPRIDEM *actum esse poterat.* } bi-

ennio ante, si petijsses. HONESTIORE *iudicio*} pro tua parte: cum Hortensius pro te honestiore loco dicat: quod honestius est, quam priore. CONFLICTERE?} contendas. sic ad Pætum: Noli pati fratres turpibus iudicijs conflictari. VT *facilius iudicium sit*:} vt iudicij facilior quasi via sit, & id, quod agis, ad exitum facilius perducatur. CONTRA *caput nō didicit dicere*.} supra: Ea ingenia cōuerti in perniciē, quæ antea versabantur in salute, atque auxilio ferendo. REFERTVR:} affertur contra. sic pro Cæcina: Ego enim tibi refero. PARATA *sit*} à Quinctio.

ORATIO.

ACTVM iam potest esse, C. Aquilli: iam tu potes discedere liberatus molestia prope dicam non minore, quam Quinctius. Quid agimus, Hortensi? quid de hac condicione dicimus? possumus aliquando, depositis armis, sine periculo fortunarum, de re pecuniaria disceptare? possumus ita rem nostram persequi, vt hominis propinqui caput incolume esse patiamur? possumus petitoris personam capere, accusatoris deponere? Immo, inquit, abs te satis accipiam; ego autem tibi non satisdabo. Quis tandem nobis ista iura tam æqua describit? quis hoc statuit quod æquum sit in Quinctium, id iniquum esse in Næuium? Quinctij bona, inquit, ex edicto prætoris possessa sunt. Ergo, id vt confitear, postulas: vt, quod nunquam factum esse iudicio defendimus, id perinde quasi factum sit, nostro iudicio confirmemus. Inueniri ratio, C. Aquilli: non potest, vt ad suum quisque quamprimum, sine cuiusquam dedecore, infamia, perniciéque perueniat? profecto, si quid deberetur, peteret; non omnia iudicia fieri mallet, quam vnum illud, vnde hæc omnia nascuntur. Qui inter tot annos ne appellarit quidem Quinctium, cum potestas esset agendi quotidie; qui, quo tempore primum male agere cœpit, in vadimonijs differendis tempus omne consumpserit, qui, postea quam vadimonium missum fecerit, hunc per insidias vi de agro communi deiecerit; qui, cum de re agendi, nullo recusante, potestas fuisset, sponsionem de probro facere maluerit; qui, cum reuocetur ad id iudicium, vnde hæc nata sunt omnia, condicionem æquissimam repudiet, fateatur, se non pecuniam, sed vitam, & sanguinē petere: is non hoc palam dicit? mihi si quid deberetur, peterem, atque adeo iampridem abstulissem: nihil hoc

tanto negotio, nihil tam inuidioso iudicio, nihil tam copiosa aduocatione vterer, si petendum esset: extorquendum est inuito, atque ingratis, quod non debet; eripiendum, atque exprimendum est: de fortunis omnibus P. Quinctius deturbandus est: potentes, diserti, nobiles omnes aduocandi sunt: adhibenda vis est veritati: minæ iactentur: pericula intendantur: formidines opponantur, vt his rebus aliquando victus, & perterritus ipse cedat. quæ mehercule omnia, cum, qui contra pugnent, video, & cum illum consessum considero, adesse atque impendere videntur, neque vitari vllo modo posse. cũ autẽ ad te, C. Aquilli, oculos, animumq́; retuli; quo maiore conatu, studioq́; aguntur, eo leniora, infirmioraq́; existimo.

EXPLANATIO.

MOLESTIA, } quia, de capite alterius iudicare, tibi permolestum est. POSSVMVS *ita rem nostrã persequi* } acute in Næuium, pro, potest ita rẽ suam persequi Næuius, vt hominis propinqui caput incolume esse patiatur? POSSVMVS *petitoris personam capere, accusatoris deponere?* } in Hortensium: de quo supra: Q. Hortensius, qui hoc iudicio partes accusatoris obtinet, contra me sit dicturus. VNVM *illud,* } de re pecuniaria. VNDE *hæc omnia nascuntur.* } nam pecuniæ caussa, quam sibi Næuius à Quinctio deberi affirmat, ideo suscitauit hæc iudicia, in quibus non pecuniam, sed vitam, & sanguinem petit. infra: Quod omnia iudicia difficillima cum sua summa inuidia, maximoque periculo P. Quinctij fieri mallet, quam illud pecuniarium iudiciũ, quod vno die transigi posset, ex quo vno hæc omnia nata, & profecta esse concedit. INTER *tot annos* } oratorie, cum de biennio loquatur, Inter tot annos, dicit. AGENDI } in iudicio: vt supra: Agi nõ potuit? at & in prouincia ius dicebatur: & Romæ iudicia fiebãt. QVOTIDIE: } vel in Gallia, vel Romæ. MALE *agere* } agendo id petere, quod ei non debebatur. Male autem agere non solum is dicebatur, qui petebat id, quod ei non deberetur, sed is etiam, qui, quod deberet, non solueret, & creditorẽ malitiose falleret. primum hic patet: alterũ infra demonstratur his verbis: Qui permulta male agendi caussa fraudãdique fecerunt. POSTEA *quoque* } si sic legatur, dissoluta mihi

mihi sententia videtur: eadem colligi, si pro, Postea quoque reponatur, Postea quam MISSVM *fecerit,*} Næuij verba sunt hæc, supra recitata: Sciam neque vadari amplius, neque vadimonium promittere. PER *insidias*} supra: Obsecro, C. Aquilli, vosque, qui adestis in consilio, vt diligenter attendatis; vt singulare genus fraudis, et nouam rationẽ insidiarum cognoscere possitis. DE AGRO *communi deiecerit;*} de saltu, agroque communi, supra: Hæc dum Romę geruntur, Quinctius interea, cõtra ius & consuetudinem, edicto prætoris de saltu, agroque communià seruis cõmunibus detruditur. DE RE} de pecunia, quam sibi deberi diceret. AGENDI} in eo iudicio, quod fieri de pecunia solet. DE PROBRO} de possessis Quinctij bonis. supra. Id accidit prætoris iniquitate, & iniuria: primum, quod contra omnium consuetudinem iudicium prius de probro, quam de re, maluit fieri. CVM *reuocetur ad id iudicium,*} ad iudiciũ pecuniarium. supra: Pecuniam petit: negamus deberi. iudicium fiat statim: nõ recusamus. si veretur, vt res, iudicio facto, parata sit: iudicatum solui, satis accipiat: quibus à me verbis satis accipiet, iisdem ipse, quod peto, satisdet. TAM *copiosa aduocatione*} tot aduocatis. Mire in hac parte, quæ faceret Næuius, cum quoque confitentem inducit. ILLVM *confessum*} aduocatorum. EXISTIMO.} tua fretus æquitate.

ORATIO.

NIHIL *igitur debuit, vt tu ipse prædicas. Quid, si debuisset? continuo ne caussa fuisset, cur à prætore postulares, vt bona possideres? non optinor id quidem neque ius esse, neque cuiquam expedire. Quid igitur demonstrat? vadimonium sibi ait esse desertũ. ante quã doceo id factũ non esse, libet mihi, C. Aquilli, ex officij ratione, atque ex omnium consuetudine, rẽ ipsam, & factum simul Sex. Næuij considerare. Ad vadimoniũ non venerat, vt ais, is, quicum tibi affinitas, societas, omnes deniq; caussæ, & necessitudines veteres intercedebant: illico ne ad prætorem ire cõuenit? continuo ne verũ fuit postulare, vt ex edicto bona possidere liceret? ad hæc extrema, & inimicissima iura tã cupide decurrebas, vt tibi nihil in posterũ, quod grauius, atque crudelius facere posses,*

referua-

reseruares? nam, quid homini potest turpius, quid viro miserius, aut acerbius vsu venire? quod tantum euenire dedecus? quæ tanta calamitas inueniri potest? pecuniam si cuipiam fortuna ademit, aut si alicuius eripuit iniuria, tamen, dũ existimatio est integra, facile consolatur honestas egestatẽ. at non nemo aut ignominia affectus, aut iudicio turpi conuictus, bonis quidẽ suis vtitur, alterius opes, id quod miserrimum est, non exspectat; hoc tamen in miserijs adiumento, & solatio subleuatur. cuius vero bona venierunt; cuius non modo illæ amplissimæ fortunæ, sed etiam victus, vestitusq; necessarius sub præcone cum dedecore subiectus est; is non modo ex numero viuorum exturbatur, sed, si fieri potest, infra etiam mortuos amandatur. etenim mors honesta sæpe vitam quoq; turpem exornat, vita turpis ne morti quidem honestæ locum relinquit. ergo hercule, cuius bona ex edicto poßidẽtur, huius omnis fama, & existimatio cum bonis simul poßidetur: de quo libelli in celeberrimis locis proponuntur, huic ne perire quidẽ certe tacite, obscureque cõceditur. cui magistri fiunt, & domini constituuntur, qui, qua lege, & qua cõdicione pereat, pronuncient; de quo homine præconis vox prædicat, & pretium conficit; huic acerbißimum viuo, videntique funus ducitur: si funus id habendum sit, quo non amici conueniunt ad exsequias cohonestandas, sed bonorum emptores, vt carnifices, ad reliquias vitæ lacerandas, & distrahendas. itaque maiores nostri raro id accidere voluerunt: prætores, vt considerate fieret, cõparauerunt. viri boni, cum palam fraudantur, cum experiundi potestas non est, timide tamen & pedetentim istuc descendunt, vi ac neceßitate coacti, inuiti, multis vadimonijs desertis, sæpe illusi, ac destituti, considerant enim, quid & quantum sit, alterius bona proscribere. iugulare ciuem ne iure quidem quisquã bonus vult: mauult enim cõmemorare, se, cum poßet perdere, pepercisse; quam, cũ parcere potuerit, perdidisse. hæc in homines alienißimos, denique in inimicißimos viri boni faciun, & hominum existimationis, & communis humanitatis caussa; vt, cum ipsi nihil alteri scientes incommodarint, nihil ipsis iure incommodi cadere poßit.

EXPLANATIO.

VT TV *ipse prædicas.*} Non id quidem prædicabat Næuius, sed sibi potius pecuniam à Quinctio deberi: cum tamen reuocari nollet ad iudicium pecuniarium; & condicionem æquissimam satis accipiendi, &

di, & ſatiſdandi repudiaret; fateri, & prædicare videbatur, ſibi nihil Quinctium debere. A PRAETORE} à Burrieno. nam à Dolabella non petijt, vt bona poſſideret, ſed vt Quinctius iudicatum ſolui ſatiſdaret; quod ab eo peteret, cuius ex edicto prætoris Romani bona dies triginta poſſeſſa eſſent. NEQVE *cuiquam expedire*, } vt in eiuſmodi re ſtatim à prætore is, qui ſibi pecuniam deberi dicit, poſtulet, vt eius bona poſſideat. EX *officij ratione*} pro officio meo. EX *omnium conſuetudine*} patronorũ, an creditorũ? nam de vtriſque poſſe video intelligi. QVICVM *tibi affinitas, ſocietas, omnes denique cauſſæ, & neceſſitudines veteres intercedebant*: } eadem ſententia ſupra his verbis explicata: Iuſſit bona proſcribi eius, quicum familiaritas fuerat, ſocietas erat, affinitas, liberis iſtius viuis, diuelli nullo modo poterat Omnes cauſſæ, valet, omnia, quæ mouere debent. VERVM *fuit*, } æquum. QVID *viro miſerius*?} diſtinguit ab homine virum. homini nihil turpius, viro nihil miſerius. turpe quidem eſt omnibus, exiſtimationem amittere: ei verò, qui ſit inter homines vir, id eſt, magno & excelſo animo præditus, miſerrimũ, & acerbiſſimum eſt. Antea legebatur. Quid vero miſerius? nos, vt quaſi languentem ſententiam excitaremus, Viro, putauimus eſſe reponendum. IGNOMINIA *affectus*,} à cenſoribus notatus. IVDICIO *turpi conuictus*,} furti, tutelæ, pro ſocio. BONIS *quidem ſuis vtitur*,} amiſit honeſtatem, ſed bona ſua retinet, habet vnde viuat. Duo propoſuit exempla, vnum eius, qui rem amittat, incolumi exiſtimatione: de quo dicit, Facile conſolatur honeſtas egeſtatem: alterum eius, qui honeſtatem amittit, ſalua re domeſtica: de quo ſubijcit, Hoc tamen in miſerijs adiumento & ſolatio ſubleuatur at Quinctio nõ ita adimuntur bona, vt integra ſit exiſtimatio: nec ita eripitur honeſtas, vt bona relinquantur: ſed victus, veſtitusque neceſſarius cum dedecore & probro ſub præcone ſubijcitur. CVIVS *bona venierunt*,} pro, ſi Quinctij bona venibunt. nõ enim venierant, ſed id pugnabat Næuius, vt venirent. CVM *dedecore*} cum deſerti vadimonij probro. SVBIECTVS *eſt*,} deſignat calamitatem Quinctij, & ait,

ait, Subiectus est, pro, si subijcietur. INFRA *etiam mortuos mandatur.*} quia non ei cōceditur, vt possit honeste mori. non ei tantū vita, sed simul honeste moriendi potestas eripitur. ergo; si fieri potest, vt grauius morte aliquid sit, id quoque ei contingit. Eodē verbo vsus est in Catil. IV. Non dubitat, P. Lentulum æternis tenebris, vinculisque mandare. Pro Sulla: Mandare in vltimas terras. MORS *honesta*} pugnantia videtur loqui. nam, si mors honesta vitam etiā turpem potest exornare; sequitur necessario, vt vita turpis honesta morte possit exornari. at hoc negāt illa verba: Vita turpis ne morti quidem honestæ locum relinquit. verum hoc quidquid est difficultatis, plane tollitur, si, Sæpe, quod est in priore membro, ad posterius quoque referatur, hoc modo: Sæpe accidit, vt honestà mors turpem quoque vitam exornet; Sæpe item, vt vita turpis exornari honesta morte non possit. Quinctius autem iniuria Næuij eo redigitur, vt ne mori quidem honeste possit. deserti enim vadimonij fama adimit facultatem honestæ mortis: sicuti sæpe cōtra contigit, vt, qui honeste moritur, anteactæ vitæ sordes eluat, aut tollat. CVIVS *bona ex edicto possidentur,*} non quod factū sit, (bona enim ex edicto possessa negat: neq; aliud agitur in hac caussa) sed quod factum esse Næuius aiebat, id exempli caussa ponit. LIBELLI *celeberrimis in locis proponuntur,*} quod fieri solebat in proscriptiōe bonorū: & id Næuius cū fecisset, impetrata à Butrieno prætore bonorū Quinctij possessione, libellos Alphenus deiecit. HVIC *ne perire quidē certe tacite, obscureque cōceditur:*} Certe, non abundat, vt creditur à nonnullis. id perspicuū fiet, si, ordine paullisper mutato, dicas: Huic certe ne perire quidem tacite, obscureque conceditur. MAGISTRI,} qui venditioni bonorum præsunt. ep. I. ad Att. lib. I. & alibi. DOMINI} auget: magistros enim adhuc significat. QVA *lege, & qua condicione pereat,*} quo modo vendantur eius bona. PRETIVM *conficit*,} pro, pretium publice dicit nam ipse pretium proscriptorum bonorum non conficiebat, sed ab alijs confectum palam recitabat. VIVO, *videntique funus ducitur:*} transijt in adagium: vt in ea pro

Sextio,& apud Terentium.&, quoniam hoc non solet euenire, ideo Quinctius, euenire cui videtur, infra mortuos mandari paullo ante ad misericordiam commouendam dictus est. nam hoc totum, ab eo loco, Ergo hercule, subijcitur ad confirmandum, quod proxime antecedit. AD *reliquias vitæ*} ad bona Quinctij, tamquam vitæ reliquias, quas in humano corpore lacerant, discerpuntque carnifices. RARO *id accidere*} quod iniuria Næuij nunc accidit, vt absentis Quinctij bona proscriberentur. COMPARAVERVNT.} nam in edictis ita scribunt: ne cuius possideātur bona, nisi q fraudationis caussa latitarit, aut heres qui non exstet, aut qui exsilij caussa solum verterit: vt infra. DENIQVE *inimicissimos*} videtur addendum, In: & ad vim aliquid accedet: hoc modo, Denique in inimicissimos Quod si hæc in homines alienissimos, denique in inimicissimos viri boni faciunt: cur non eadem in Quinctium Næuius, non alienissimum, sed propinquum; non inimicissimum, sed socium, fecit? HOMINVM *existimationis*,} ne cui bonam famam eripiant.

ORATIO.

AD vadimonium non venit: quis? propinquus. si res ista grauissima sua sponte videretur, tamen eius atrocitas necessitudinis nomine leuaretur. Ad vadimoniū nō venit: quis? socius. etiam grauius aliquid ei deberes concedere, quicum te aut voluntas congregasset, aut fortuna coniunxisset. Ad vadimonium non venit: quis? is, qui tibi præsto semper fuit. ergo in eum, qui semel hoc cōmisit, vt tibi præsto non esset, omnia tela coniecisti, quæ parata sunt in eos, qui permulta male agendi caussa fraudandiq; fecerunt? si de prædijs tuis ageretur, Sex. Næui, si in paruula re captionis aliquid verere, non statim ad C. Aquillium, aut ad eorum aliquē, qui consuluntur, concurrisses? cum ius amicitiæ, societatis, affinitatis ageretur; cum officij rationem, atque existimationis duci conueniret: eo tempore tu non modo C. Aquilliū, aut L. Lucullū, sed ne ipse quidē te consuluisti, sed ne ipse quidem ad te retulisti: ne hæc quidē tecum locutus es: Horæ duæ fuerūt: Quinctius ad vadimoniū non venit: quid ago? si mehercule hæc tecū duo verba fecisses, Quid ago? respirasset cupiditas, atque auaritia paullulum:

aliquid

aliquid loci rationi, & consilio dedisses: tu te collegisses: non in eã turpitudinẽ venisses, vt hoc tibi esset apud tales viros confitendum, qua tibi vadimonium non sit obitum, eadem te hora consilium cepisse, hominis propinqui fortunas funditus euertere. Ego pro te nunc hoc cõsulo, post tempus, in aliena re, quod tu in tua re, cum tempus erat, consulere oblitus es. Quaero abs te, C. Aquilli, L. Lucułle, P. Quinctili, M. Marcelle, vadimonium mihi non obiji quidam socius, & affinis meus, quicum mihi necessitudo vetus, controuersia de re pecuniaria recens intercedit: postulo ne à praetore, vt eius bona mihi possidere liceat; an, cum Romae domus eius, vxor, liberi sint, domum potius denunciem? quid est, quod hac tandem de re vobis possit videri? profecto, si recte vestram bonitatem, atque prudẽtiam cognoui, non multum me fallit, si consulamini, quid sitis respõsuri. primum, exspectare; deinde, si latitare, ac diutius ludificare videatur, amicos conuenire; quaerere, quis procurator; sit domum denunciare. dici vix potest, quam multa sint, quae respondeatis ante fieri oportere, quam ad hanc rationem extremam necessariam deuenire. Quid ad haec Naeuius? ridet scilicet nostram amentiam, qui in vita sua rationem summi officij desideremus, & instituta bonorum virorum requiramus, quid mihi, inquit, cum ista summa sanctimonia, ac diligentia? viderint ista officia viri boni, de me autem ita considerent: non quid habeam, sed quibus rebus inuenerim, quaerant, & quemadmodum natus, & quo pacto educatus sim. memini: vetus est de scurra, multo facilius diuitem, quam patrem familias fieri posset. haec ille si verbis non audet, re quidem vera palam loquitur. etenim, si vult virorum bonorum instituto viuere, multa oportet discat, atque dedíscat: quorum illi aetati vtrumque difficile est. Non dubitaui, inquit, cum vadimonium desertum esset, bona proscribere. improbe: verum, quoniam tu id tibi arrogas, & concedi postulas, concedamus. quid? si nunquam deseruit? si ista caussa abs te tota per summam fraudem, & malitiam ficta est? si vadimonium omnino tibi cum P. Quinctio nullum fuit, quo te nomine appellemus? improbum? at, etiamsi desertum vadimonium esset, tamen in ista postulatione, & proscriptione bonorum improbissimus reperiebare. num malitiosum? negas. fraudulentum? iam id quidem arrogas tibi, & praeclarum putas. audacem? cupidum? perfidiosum? vulgaria, & obsoleta sunt; res autem noua, & inaudita. quid ergo est? vereor mehercule, ne aut grauioribus vtar verbis,

bis, quam natura fert; aut leuioribus, quam caussa postulat.

EXPLANATIO.

RES *ista* } vadimonij desertio. MALE *agendi* } iniuste, & malitiose litigandi, idem supra loquēdi modus: Quo tēpore primū male agere cœpit. SI DE *Prædijs tuis ageretur* } quorsum hic de prædijs? docti viri, à quibus non dissentio, legendum ex antiquis libris existimarunt, Si dupondius vnus, aut, quod malim, Si dupondius tuus, qui minimus nummus erat, valore duorum assium. Maior autem, vt mihi videtur, Næuij esset ignominia, si legeretur, De precijs tuis: cùm scilicet vocem tuam vendebas. quam opinionem confirmat illud supra: Vocem in quæstum contulit. Et infra: Cuius vox præconio quæstu prostitit. L. LVCVLLVM } iuris peritum, quamquam, L. Lucilium, legerim libentius: qui iurisconsultus clarus ætate sua fuit, docuitque Ser. Sulpicium, vt ait Cicero in Bruto. nam, L. Lucullum, qui postea de Mithridate, & Tigrane triumphauit, iurisconsultum fuisse, nusquam legi. HORAE *duæ fuerunt*: } inuidiose in Næuium, qui cum queri posset, desertum à Quinctio vadimonium, ab eo die, quo ille, profecturus in Galliam, Roma egressus est ante diem IV. Kal. Febr. quod non nisi quatriduo post ex Publicio, qui ad vada Volaterrana Quinctio occurrerat: quadriduum tamen illud (nā spatij minus esse non potuit) Cicero contrahit in horas duas, atq; adeo vix in vnam horam: infert enim paullo post: Non in eam turpitudinem venisses, vt hoc tibi esset apud tales viros confitendum, qua tibi vadimonium non sit obitum, eadem te hora consilium cœpisse, hominis propinqui fortunas funditus euertere. RESPIRASSET *cupiditas*, } remisisses paullulum de cupiditate: non statim ad Burrienum prætorem venisses. OBLITVS *es*: } quasi per iocum eum exagitat: vitiumque voluntatis, memoriæ vitium facit. M. MARCELLE: } is est, quem iuris magis, quam eloquentiæ, studiosum fuisse, Pedianus in Diuin. auctor est. LATITARE, } quod verbum erat in edicto: vt infra. AD HANC *rationem*, } ad petendum à prætote, vt bona pos-

fidere liceat. EXTREMAM} quæ tibi extrema, non prima, esse debuit. NECESSARIAM} ad quam non nisi necessario deueniendum fuit. RATIONEM *summi officij*} quam numquam in vita nouit. QVIBVS *rebus inuenerim*,} bonis artibus partæ diuitiæ laudantur, & probitatis opinionem afferunt. at Næuius, ne, quia diues, ideo putaretur bonus vir, fatetur se malis artibus ad diuitias peruenisse. Est autem oratoriæ calliditatis, tribuere sermonẽ aduersarijs contra seipsos. vt in Diuin. Hortensium inducit ita loquentem: Non illud peto, quod soleo, cum vehementius contendi, impetrare: reus, vt absoluatur, non peto: sed, vt ab hoc potius, quam ab illo, accusetur, id peto. MVLTO *facilius diuitem, quam patremfamilias fieri posse*} scurræ multo facilius esse, quam patrifamilias, diuitem fieri. turpiter enim, vt scurra, paterfamilias rem facere, non vult. scurræ personam Næuio supra quoque imposuit Cicero, dicens: Neque parum facetus scurra Sex. Næuius, neque inhumanus præco est vmquã existimatus. QVONIAM *tu id tibi arrogas*,} vt, deserto vadimonio, bona proscribere debueris. QVO *te nomine appellemus*?} artificiose, vt facinus augeat, ambigit de nomine. quo de genere diximus initio lib. IV. ETIAM SI *desertum vadimonium esset*,} cum vero desertũ non sit, improbum te si appellemus, non satis est: exprimi tuam culpam oportet grauiore nomine. IMPROBISSIMVS *reperiebare*.} in proscribendis eius bonis, quicum tibi affinitas, societas, omnes denique caussæ, & necessitudines veteres intercedebant: cum fieri à te plurima oporteret, antequã ad hanc rationem necessariam deuenires. NEGAS.} quasi leui malitia peccatum indicet; cum tuo nihil sit grauius. RES *autem*} à te commissa. QVAM *natura fert*,} quia vix in hominem conuenire videantur.

ORATIO.

AIS esse vadimonium desertum. Quæsiuit à te statim, vt Romam redijt, Quinctius, quo die vadimonium istuc factum esse diceres. respondisti statim, nonis Febr. discedens in memoriam redijt Quinctius, quo die Roma in Galliam profectus sit: ad ephemeridem reuertitur: inuenitur dies profectionis, pridie

Kal.

Kal. Februarij. nonis Febr. si Romæ fuit, caussæ nihil dicimus, quin tibi vadimonium promiserit. quid? hoc inueniri qui potest? profectus vna L. Albius homo in primis honestus: dicet testimonium. profecti sunt familiares & Albij, & Quinctij: dicent hi quoque testimonium. litteræ P. Quinctij, testes tot, quibus omnibus caussa iustissima est cur scire potuerint, nulla cur mentiantur, cum adstipulatore tuo comparabūtur. Et in hac eiusmodi caussa P. Quinctius laborabit? & diutius in tanto metu miser, periculoque versabitur? & vehementius eum gratia aduersarij perterrebit, quam fides iudicis consolabitur? vixit enim semper inculte, atque horride: natura tristi, ac recondita fuit: non ad solarium, non in campo, non in conuiuijs versatus est: id egit, vt amicos obseruantia, rem parcimonia retineret: antiquam officij rationem dilexit, cuius splendor omnis his moribus obsoleuit. at, si in caussa pari discedere inferior videretur, tamen esset non mediocriter conquerendum: nunc in caussa superiore, ne vt par quidem sit, postulat: inferiorem esse patitur, duntaxat vsque eo, ne cum bonis, fama, fortunisque omnibus Sex. Næuij cupiditati, crudelitatique dedatur. Docui, quod primum pollicitus sum, C. Aquilli, caussam omnino, cur postularet, nō fuisse; quod neque pecunia debebatur, &, si maxime deberetur, commissum nihil esse, quare ad istam rationem perueniretur. attende nunc, ex edicto prætoris bona P. Quinctij possideri nullo modo potuisse. recita edictum. QVI. FRAVDATIONIS. CAVSSA. LATITARIT. *non est is Quinctius: nisi si latitant, qui ad negotium suum, relicto procuratore, proficiscūtur.* CVI. HERES. NON. EXSTABIT. *ne is quidem.* QVI. EXSILII. CAVSSA. SOLVM. VERTERIT.

* * *

quo tempore existimas oportuisse, Næui, absentem Quinctium defendi? aut quo modo? tum, cū postulabas, vt bona possideres? nemo affuit: neque enim quisquam diuinare poterat te postulaturū: neq; quemquā attinebat id recusare, quod prætor fieri, sed non fieri ex edicto suo iubebat. qui locus igitur absentis defendēdi procuratori primus datus est? cum proscribebas. ergo affuit; non passus est, libellos deiecit Sex. Alphenus: qui primus erat officij gradus, seruatus est à procuratore summa cum diligentia. videamus, quæ deinde sint consecuta. Hominem P. Quinctij deprehendis in publico, conaris abducere: non patitur Alphenus, vi tibi adimit, curat, vt

domum reducatur ad Quinctium. hic quoque summe constat procuratoris diligentis officium. Debere tibi dicis Quinctium: procurator negat. vadari vis: promittit. in ius vocas: sequitur. iudicium postulas: non recusat. Quid aliud sit, absentē defendi, ego non intelligo. At quis erat procurator? credo aliquē eiectū hominem, egentem litigiosum, improbum, qui posset scurræ diuitis quotidianū conuiciū sustinere: nihil minus. eques R. locuples, sui negotij bene gerens, denique is, quem, quoties Næuius in Galliam profectus est, procuratorem Romæ reliquit. & audes, Sex. Næui, negare absentem defensum esse Quinctium, cum eum defenderit idem, qui solebat? & cum is iudicium acciperet pro Quinctio, cui tu & rem, & famam tuam cōmendare proficiscens, & concredere solebas, conaris hoc dicere, neminem exstitisse, qui Quinctium iudicio defenderet? Postulabam, inquit, vt satisdaret: iniuria postulabas. ita iubebare. recusabat Alphenus. ita: verum prætor decernebat. tribuni igitur appellabantur. Hic te, inquit, teneo: non est istud, iudicium pati. neque iudicio defendere, cum auxilium à tribunis petas. Hoc ego, cum attendo qua prudentia sit Hortensius, dicturum esse eum non arbitror: cum autem antea dixisse audio, & caussam ipsam cōsidero, quid aliud dicere posit, nō reperio. fatetur enim, libellos Alphenum deiecisse, vadimonium promisisse: iudiciū quin acciperet in ea ipsa verba, quæ Næuius edebat, non recusasse, ita tamen, more & instituto per eum magistratum, qui auxilij caussa cōstitutus est, aut hæc facta non sint, necesse est; aut C. Aquillius, talis vir, iuratus, hoc ius in ciuitate constituat; cuius procurator non omnia iudicia acceperit, quæ quisque in verba postularit; cuius procurator à prætore tribunos appellare ausus sit; eum non defendi; eius bona recte posideri posse; ei misero, absenti, ignaro omnia fortunarum suarum, omnia vitæ ornamenta per summum dedecus, & ignominiam diripi conuenire. quod si probari nemini potest; illud certè probari omnibus necesse est, defensum esse iudicio absentem Quinctium. quod cum ita est, ex edicto bona possessa non sunt.

EXPLANATIO.

PR. KAL. *Febr.*} dixi iam, aut supra legendum, Pr. Kal. Febr. aut hic, IV. Kal. Febr. LITTERAE *P. Quinctij*} ephemeris, à Quinctio scripta. CVM *adstipulatore tuo*} cum eo, qui tuam calumniam suo testimonio confirmat. VIXIT *enim semper inculte, atque horride*} quia

quia nō de colligenda gratia laborauit, vt Næuius. NON *ad solarium,*} locus in superiore domo, Soli patens. Augusti iocus est apud Macrobium. Cum de Tiriæ purpuræ, quam emi iusserat, obscuritate quereretur: dicente venditore, Erige altius, & suspice: Quid ergo? inquit, vt me populus Romanus dicat bene cultum, in solario ambulaturus sum? Fuit & Solarium horologium, anno vrbis CDLXXVII. in publico, secundum Rostra, in columna constitutum: quo cum vti non liceret nisi sereno die, Nasica censor aqua diuisit horas dierum & noctium. IN *campo*} Martio, ludendi gratia, vt reliqua iuuentus. De Orat. lib. II. Vt illud in Titium, qui cum studiose pila luderet, & idem signa sacra noctu frangere putaretur, gregalesque cur in campum non venisset, requirerent, excusauit Vespa Terentius, quod eum brachium fregisse diceret. IN *conuiuijs*} in luxu, & sumptibus. OBSOLEVIT.} obscuratus est, euanuit, vt in pictura, aut in veste, propter vetustatem. DISCEDERE} exitus rei ostenditur hoc verbo. non enim est hic, discedere, pro, abire, sed eo sensu, quo dictum est ad Att. lib. II. Si possum discedere, ne caussa optima in senatu pereat. NON *mediocriter conquerendum:*} quia neminem in caussa pari æquum est inferiorem esse. par caussa si est, paria quoque reliqua sint. NVNC} pro, Sed, Græco more: vt pro Archia: Nunc insidet quædā in optimo quoque virtus, quæ noctes & dies animum gloriæ stimulis concitat. DEDATVR} accommodatum verbum cupiditati, crudelitatique Næuij. quasi dicat, tradatur inimico, bonis, fama, fortunis omnibus euertendus: vt pro Roscio Am. Non recusamus, quin illorum libidini Sex. Roscij vita dedatur. AD *istam rationem*} ad postulationem, & proscriptionem bonorum: quam supra. Rationem extremam necessariā, vocauit. AD *negotium suum proficiscuntur.*} vt profectus est Quinctius in Galliā, relicto Alpheno procuratore. NE IS *quidem*} cui supra liberos esse dixit. SOLVM *fuerit.*} mutilus locus. deest enim, quod ad hæc edicti verba Cicero respōdeat. Neque vero Ciceronis tantum verba desiderantur, sed, vt arbitror, etiā edicti. cum enim

subijciatur: Quo tempore existimas oportuisse, Næui, absentem Quinctium defendi: necesse omnino videtur, præire edicti verba, quibus hęc respondeant. apte autem congruerent in edicto: Qui absens iudicio non sit defensus. Quod eo magis arbitror, quia videtur edicti verba iterare, cũ ait infra: Quis est, qui fraudationis caussa latuisse dicat? quis, qui absentem defensum neget esse Quinctium? Et alio loco: Eum ipsum, qui fraudandi caussa latitet, eũ ipsum, quẽ iudicio nemo defendat, eum ipsum, qui cum omnibus creditoribus suis male agat, inuitum de prædio detrudi vetat. Et aliquanto post: Ex edicto autem non potuisse bona possideri, demonstraui: quod neque fraudandi caussa latitasset, neq; exsilij caussa solum vertisse diceretur. Reliquũ est, vt eum nemo iudicio defenderit, ꝙ contra copiosissime defensum esse contendi. CVM *postulabas,*} à Burrieno prętore. NEQVE *quemquam attinebat id recusare,*} cur enim quisquam recusaret, quod prætor non ex arbitrio suo, sed ex edicto fieri iubebat? NON *fieri,*} sic veteres libri: & maior vis est, quam si legatur. vt antea. Non modo fieri. HOMINEM *P. Quinctij*} seruulum: de quo supra. IN IVS *vocas:*} ad prætorem. Eodemq; sensu dixit iam, Vt te in ius adducerent. IVDICIVM *postulas:*} vt prætor iudicem, iudicijq; formulam det. SCVRRAE *diuitis*} Næuij. EQVES *Romanus,*} equestris dignitas post Senatoriam proxima, & equester ordo seminarium senatus fuit. inde enim censores in legendo senatu sumebant, quos inter ceteros probitate, opibus, ingenio excellere arbitrabantur, &, vt eques Romanus esse nemo poterat, qui CD millia H-S, id est, scutatorum XII. millia non possideret: vnde Horat. Si quadringentis sex septẽ millia desunt, Plebs eris: sic, nisi qui duplum, id est DCCC millia, possideret, ab equestri ad senatorium ordinẽ transire nõ poterat. &, vt equiti Romano, si tueri ordinẽ vellet, CD millia, sic, senator si esse vellet, DCCC millia habere necesse fuit. Aliud est autem, Eques, dicere, aliud, Eques Romanus. eques enim erat, quicũq; suo militabat equo, qui nec dicebatur, nec erat equestris ordinis; neque hunc censu CD millium esse necesse fuit: eques

ues autē Romanus vocabatur is, qui publicò mereret
uo, & equestris esset ordinis, à censore lectus, & CD
illia possideret, & equestribus quoque ornamentis, vt
nulo aureo, tunica angusti claui, (nam latus clauus
natorum erat) phaleris etiam vteretur. hanc distinctio-
m auctore Cicerone Phil. I. cognouimus: vt Liuij, Va-
ij, aliorūq; testimonia breuitatis caussa relinquantur.
c vero, si quis ex equite Romano senator fieret, equū
blicum amittebat, vt exemplo Neronis, & Salinatoris
nsorum docet Liuius: qui cum inter se dissiderēt, alter
erum equum publicum iussit vendere. Erant autem
uites Romani tam plebeij generis, quam patricij: &,
i equitum, aut senatorum filij essent, nec equestri cen-
carerent, nisi tamen à censore legerentur, equites Ro-
ni nō erant, sed, qui equitum filij, equestri loco nati,
equestri loco esse, qui senatorū, senatorio loco nati, &
uestri loco esse dicebantur. quemadmodum nec sena-
rū filij, licet DCCC millia, qui census erat senatorius,
ssiderent, senatores erant, nisi à censoribus lecti essent
senatum. quod si senator equitem Romanū patrem
buisset, vt M. Cicero, Ser. Sulpicius, alij permulti: eque-
loco natus, loco tamen esse nō equestri, sed senatorio
cebatur. Insigne, nouūq; fuit in Pōpeio Magno, quod
Africa primum, deinde ex Hispania, nōdum senator,
eques Romanus triumphauit. Differebant à senato-
us vestitu, non quod diuersa toga vterentur: eadem
im erat omnium ordinum: sed quod, præter varieta-
m calceorum, tunica senatorum lato clauo purpureo
at intexta, equitum angusta. Itaque dixit Velleius de
æcenate, qui ab ordine equestri ad senatorium, cum
cile posset, transire numquam voluit: Vixit angusto
uo contentus. Et Ouidius, in ordine se equestri con-
tisse, ad senatorium peruenire non potuisse, significat
. Trist. his versibus:

Curia restabat: claui mensura coacta est:
Maius erat nostris viribus illud onus.

Quo more sum adductus, vt apud Suetonium in O-
one, vbi legitur in peruulgatis libris, Augusticlauius

 fuit,

fuit, reponẽdum putarem, Angusticlauius, vnico verbo, suffragãte antiquo libro bibliothecæ Vaticanæ: eadem ratione, quemadmodum dixit idem in Nerone, A Laticlauio, cuius vxorem attrectauerat, pæne ad necem cæsus est. Nominibus non ijsdem semper appellati sunt, Celeres primum, deinde Fluxumines, tum Trossuli vltra C. Gracchum, postremo equites quod à Plinio, & Festo memoriæ mandatum, referre non alienum putauimus. De numero si quæritur: tres tantum equitum centurias Romulus instituit, denos capiens è singulis curijs, quæ XXX erant: Ser. Tullius ad XIIX, maioris præsidij caussa, aucta iam ciuitate, perduxit, quorum terceni singulis in legionibus militarunt. POSTVLABAM,} à Dolabella prętore. supra. ITA *videbare.*} malim ex sententia: Ita: iubebatur. id ęst, prætor. nam & statim subijcitur: Ita: verum prætor decernebat. Prima Næuij obiectio est: Postulabam, vt satisdaret. Respondetur: Iniuria postulabas. Altera: ita: iubebat prætor. Respondetur: Recusabat Alphenus. Tertia: Ita: verum prætor decernebat. Respondetur: Tribuni igitur appellabantur. IVDICIVM *pati,*} quod paullo post dicit, iudicium accipere: id est, rei iudicatę acquiescere ὑπομένειν δίκην, Arist. lib. V. Polit. NEQVE *iudicio defendere,*} quia nec stitisse Quinctium, nec absentem esse defensum, Næuius aiebat. Cui Cicero iam respondit in eo loco: Quo tempore existimas oportuisse, Næui, absentem Quinctium defendi? CVM *auxilium à tribunis petas.*} tribuni pl. initio flagitante plebe, creati sunt, vt iniustę vexatis, atq; oppressis auxilia rentur. ANTEA *dixisse audio,*} P. Iunio Quinctium defendente. CAVSSAM *ipsam confidero,*} ea, quæ procurator Alphenus in tuenda Quinctij caussa fecit. QVID *aliud dicere possit,*} pro Næuio contra nos. VADIMONIVM *promisisse,*} idibus Sept. cum ita inter eum & Næuiũ conuenisset: quia M. Brutus, tribunus pl. intercessurũ se palam dixerat, nisi quid inter ipsum Alphenum, & Næuiũ conueniret. ITA *tamen,*} cum eo tamen, si tribunis ita videretur. PER *eum magistratum,*} per tribunos pl. qui si auxilij caussa instituti sunt: cur eos contra insignem in-

iuriam Alphenus appellare nō debuit? AVT *C. Aquillius,*} aut, cum facta esse constet, C. Aquillius, talis vir, iuratus, iniquum ius in ciuitate constituat, necesse est, hoc scilicet: cuius procurator non omnia iudicia acceperit, quæ quisque in verbo postularit, cuius procurator à prætore, ac tribuno appellare ausus sit, eum non defendi, eius bona recte possideri posse. QVAE *quisque in verbo postularit;*} hoc dicit, quia satisdare noluerat Alphenus. AVSVS *sit,*} vt prętoris iudiciū rescinderet. EI *misero*} misero, propter ea, quæ sequuntur. IGNARO *fortunarum suarum,*} qui, quid in suis rebus ageretur, absēs nesciret. QVOD *si probari nemini potest,*} Quinctiū absentem iudicio non esse defensum, eiusq; bona recte possideri posse. EX *edicto bona possessa sunt.*} nam in edicto sumptum est, qui absens iudicio non sit defensus, eius bona possideri posse.

ORATIO.

AT enim tribuni pl. ne audierunt quidem. Fateor, si ita est, procuratorem decreto prætoris R. oportuisse parere. quid, si M. Brutus intercessurū se dixit palā, nisi quid inter ipsum Alphenum & Næuiū conueniret? videtur ne intercessisse appellatio tribunorum nō more, sed auxilij caussa? quid deinde fit? Alphenus, vt omnes intelligere possent iudicio defendi Quinctium, ne qua subesse posset aliena, aut ipsius officio, aut huius existimatione suspicio, viros bonos complures aduocat: testatur isto audiente, se pro communi necessitudine id primum petere, ne quid atrocius in P. Quinctium absentem sine caussa facere conetur: sin autem inimicissime, atque infestissime contendere perseueret, se paratum esse omni recta, atque honesta ratione defendere: quod petat. non deberi: se iudicium id, quod edat, accipere. eius rei, conditionisque tabellas obsignauerunt viri boni complures. res in dubium venire non potest. fit, rebus omnibus integris, neque proscriptis, neque possessis bonis, vt Alphenus promittat Næuio sisti Quinctium. venit ad vadimoniū Quinctius: iacet res in controuersijs, isto calumniante, biennium, vsque dum inueniretur, qua ratione res ab vsitata consuetudine recederet, & in hoc singulare iudicium caussa omnis concluderetur. Quod officium, Aquilli, commemorari procuratoris potest quod ab Alpheno præteritum esse videatur? quid affertur, quare P. Quinctius absens negetur esse

defensus? an vero id, quod Hortensium, quia nuper iniecit, & quia Næuius semper id clamitat dicturum arbitror, nō fuisse Næuio parem ... rtationem cum Alpheno, illo tempore, illis dominantibus? quod si velim confiteri; illud, opinor, concedent, non procuratorem P. Quinctij neminem fuisse, sed gratiosum fuisse. mihi autem ad vincendum satis est, fuisse procuratorem, quicum experiri posset. qualis is fuerit, si modo absentem defendebat per ius, & magistratum, nihil ad rem arbitror pertinere.

EXPLANATIO.

NE *audierunt quidem*} hoc dicebat Hortensius, quia tribuni pl. auxilij caussa appellati, non intercesserant, nec Burrieni prætoris decretū infirmauerāt. PRAETORIS *Romani,*} prætoris vrbani Burrieni, qui proscribi bona Quinctij absentis iusserat ex edicto. M. BRVTVS} fortasse M. Bruti pater, qui Cæsarem occidit is enim Marianus fuit, & à Cn. Pompeio necatus est, auctoribus Valerio, Plutarcho Appiano. hæc autem, quę hic narrātur, facta sunt, vt è superioribus constat, Scipione, & Norbano cos. quo anno tribunus pl. M. Brutus fuit, Mariana factione dominante. IPSVM *Alphenum,*} Alphenum, glossema esse puto. iam enim dixit, Procuratorem: quo refertur, Ipsum. NON *moræ,*} non, vt morā afferret, quod aduersarij calumniabantur, quia tribuni pl. idibus Sept. Quinctium sisti iusserāt. HVIVS} absentis Quinctij: ne quis eum latitare, aut solum vertisse, suspicaretur. PRO *communi necessitudine*} Quinctij, & Næuij. SIN *autem inimicissime, atque infestissime contendere perseueret*} hoc est, quod supra dixit: Istum æquū esse famæ, fortunisq; Quinctij consulere, & aduentū eius exspectare; quod si facere nolit, atq; imbiberit eiusmodi rationibus, illum ad suas cōdiciones perducere; sese nihil precari, &, si quid agere velit, iudicio defendere. SE *iudicio id, quod edat, accipere.*} malim, Iudicium: vt paullo ante: Iudicium quin acciperet, in ea ipsa verba, quæ Nęuius edebat, non recusasse. FIT,} conuenit inter Alphenum & Næuium quod nisi conueniret, intercessurum se esse, M. Brutus, tribunus pl. palam dixerat. REBVS *omnibus integris,*}
hoc

hoc explanatur sequentibus verbis: Neque proscriptis, neque possessis bonis. SISTI *Quinctium*} Id. Sept. IACET *res in controuersijs*, iudicium non expeditur, Næuio rem de industria protrahente: litigatur tamē iudicis caussa. *propterea* infra: Cui neq; magistratus adhuc æquus inuentus est. Et in extrema oratione: Ab omni magistratu agitatus, atq; perterritus. ISTO *calumniante*,} rem varijs artibus producente. quod supra dixit: Annum & sex menses nihil petit: quiescit: condicionibus hunc, quoad potest producit. Eodem sensu ad Varronem: Quod antea calumniabar: indicabo malitiam meam. Ad Lētulum: Per *aduersarios* tuos varijs calumnijs extracta res est. BIENNIVM,} auget. nam supra, Annum, & sex menses, dixit. VSQVE *dum inueniretur*, } vsque dum prætorem nactus esset, qualem vellet. AB *vsitata consuetudine* } vsitata consuetudo fuit, vt iudicium de re prius, quam de probro, fieret, quod contra Dolabella decreuit. IN *hoc singulare iudicium*} singulare appellat, quia non vsitatū, & in vna Quinctij caussa factū: vt scilicet sponsionē P. Quinctius cū Næuio faceret, si bona sua ex edicto possessa essēt. quo genere iudicij caussam priore loco dicere cogebatur. ILLIS *dominantibus?*} Marianis: quibus anno proximo superiore debellatis. dominari Sulla cœperat. QVOD *si velim confiteri*,} Næuio parē certationē cū Alpheno illo tempore nō fuisse. Dicit autē, Quod si velim confiteri: quasi liceat ei *non* cōfiteri: cū & Næuius ipse Marianarum partium fuerit: vt infra narratur. AD *vincendum satis est*} nā, si absens Quinctius iudicio defensus est, edictū eius caussæ nō nocet, in quo est, eius bona possideri posse, qui iudicio absens nō sit defensus. QVALIS *is fuerit*,} Marianus, an Sullanus. SI MODO *absentem defendebat per ius, et magistratum*,} de quo loquitur edictū. Magistratū, dixit, pro, tribunos pl.

ORATIO.

ERAT, inquit, illarum partium. quid ni? qui apud te esset educatus; quem tu à puero sic instituisses, vt nobili ne gladiatori quidē hæreret. sicut tu semper summe concupisti, idem volebat Alphenus: ea re tibi cū eo par cōtentio erat. Bruti, inquit, erat, familiaris: itaq; is intercedebat, tu cōtra Burrieni, qui iniuriā decernebat;

uebat;omnium denique illorum,qui tum & poterant per vim, & scelus plurimum,et,quod poterant, id audebant.an omnes tu istos vincere volebas,qui nunc,tu vt vincas,tantopere laborant? aude id dicere,non palam,sed his ipsis,quos aduocasti. tametsi nolo eam rem commemorando renouare,cuius omnino rei memoriam omnē tolli funditus,ac deleri arbitror oportere. vnum illud dico: si propter partium studium potens erat Alphenus; potentissimus Næuius:si fretus gratia postulabat aliquid iniquius Alphenus, multo iniquiora Næuius impetrabat. neque enim inter studium vestrum quidquam,vt opinor,interfuit:ingenio,vetustate,artificio tu facile vicisti.vt alia omittam,hoc satis est: Alphenus cum ijs,& propter eos petijt,quos diligebat: tu,postquam,qui tibi erant amici, non poterant vincere;vt amici tibi essent, qui vincebant,effecisti. quod si tum par tibi ius cum Alpheno fuisse non putas, quia tamen aliquem contra te aduocare poterat; quia magistratus aliquis reperiebatur,apud quem Alpheni caussa consisteret: quid hoc tempore Quinctio statuendum est? cui neque magistratus adhuc æquus inuentus est;neque iudicium redditum est vsitatum;non condicio, non sponsio, non denique vlla vnquam intercessit postulatio, mitto æqua,verum ante hoc tempus nefando quidem audita.

EXPLANATIO.

QVI *apud te esset educatus,quem tu à puero sic instituisses,*} si Marianus Alphenus ex educatione, & disciplina tua fuit. V T *nobili*} nobilitas pro Sulla, plebs pro Mario, pugnauit. N E *gladiatori quidem*} vt ita nobilitatem odisset, vt ne gladiatori quidem, multarum pugnarum victoria nobili,fauere vellet. Ludit in voce,Nobili.est enim & in ciue nobilitas,& in gladiatore. S V M M Æ *concupisti,*} Marianos vincere. P A R *contentio*} non ille magis,quam tu,gratiosus erat, Marianis dominantibus. I N T E R C E D E B A T.} intercessurum se,nisi quid inter eos conueniret,palam dicebat. I N I V R I A M *decernebat;*} antiquus liber, Iniuria: quod probo. I S T O S} Sullanos. Q V O S *aduocasti.*} in quibus erat L. Philippus,consularis & censorius. E A M *rem*} ciuilem contentionem. I M P E T R A B A T.} à prætore: cum Alphenus à tribunis pl. non impetrasset.quod ijs intelligitur verbis: Appellantur tribuni:à quibus cum esset certum auxilium petitum,

titum, ita tamen disceditur, vt, Idibus Sept. P. Quincti-
n sisti Sex. Alphenus promitteret. STVDIVM *vestrū*}
que studiosi erat is earundem partium. VETVSTA-
E,} vsu diuturno, vetere malitia. VICISTI.} quia il-
interfectus est cum Marianis; tu gratia vales etiā apud
os, qui vt vincerentur, optabas. ALIQVEM *contra te*
uocare poterat:} supra, Nostros aduocatos acerrime sub-
oueri. Et: Viros bonos complures aduocat. MAGI-
RATVS *aliquis*} vt tribuni pl. CONSISTERET:}
i posset. NEQVE *iudicium redditum est vsitatum,*} à
etore Dolabella. de quo supra: Decernit: quam æquū,
il dico: vnum hoc dico, nouum. Et: Iacet res, isto ca-
nniante, biennium, vsq; dum inueniretur, qua ratio-
res ab vsitata consuetudine recederet, & in hoc singu-
e iudicium caussa omnis concluderetur. NON *condi-*
} vel vt satisdaret solus, vel vt sponsionē faceret Quin-
us. NON *sponsio,*} qua cogitur Quinctius priore loco
ssam dicere. POSTVLATIO} vt eius bona ex edi-
possiderentur. significatur apud Burrienum præto-
n Næuij postulatio.

ORATIO.

*D E re pecuniaria cupio contendere: non licet. at ea contro-
uersia est: nihil ad me attinet: caussam capitis dicas, oport
tet. accusa, vbi ita necesse est: non, inquit, nisi tu ante, nouo
lo, priore loco dixeris: dicendum necessario est: præstituendæ hò
d arbitrium nostrum: iudex ipse arcessetur. quid tum? tu ali-
m patronum inuenies, hominem antiqui officij, qui splendorem
rum, & gratiam negligat. pro me pugnabit L. Philippus, elo-
ntia, grauitate, honore florentißimus ciuitatis: dicet Hortensi-
xcellens ingenio, nobilitate, existimatione: aderunt autem ho-
es nobilißimi, ac potentißimi, quorum frequentiam, & con-
m non modo P. Quinctius, qui de capite decernit, sed quiuis,
extra periculum sit, perhorrescat. hæc est iniqua certatio, non
qua tu contra Alphenum velitabaris. huic, ne vbi consisteret
lem contra te, locum reliquisti. quare aut doceas oportet, Al-
ium negasse se procuratorem esse, non deiecisse libellos; iudici-
accipere noluisse: aut, cū hæc ita facta sint, ex edicto te bona P.
nctij, non possedisse concedas. etenim, si ex edicto possedisti,*

quæro,

quaero, cur bona non venierint? cur ceteri sponsores, & creditores non conuenerint? nemo ne fuit, cui deberet Quinctius? fuerunt, & complures fuerunt: propterea quod Caius frater aliquantum aeris alieni reliquerat. quid ergo est? homines erant ab hoc omnes alienissimi, & ijs debebatur; neque tamen quisquam inuentus est tam insigniter improbus, qui violare P. Quinctij existimationem absentis auderet. vnus fuit affinis, socius, necessarius, Sex. Naeuius, qui, cum ipse vltro deberet, quasi eximio praemio sceleris exposito, cupidissime contenderet, vt, per se afflictum, atque euersum, propinquum suum non modo honeste partis bonis, verum etiam communi luce priuaret. vbi erant ceteri creditores? deniq; hoc tempore vbi sunt? quis est, qui fraudationis caussa latuisse dicat? quis, qui absentem defensum neget esse Quinctium? nemo inuenitur, at contra omnes, quibuscum ratio huic aut est, aut fuit, adsunt, defendunt; fides huius, multis locis cognita, ne perfidia Sex. Naeuij derogetur, laborant. in huiusmodi sponsionem testes daret oportebat, ex eo numero, qui haec dicerent: vadimonium mihi deseruit: me fraudauit, à me nominis eius, quod inficiatus esset, diem petiuit: ergo experiri non potui, latitauit, procuratorem nullum reliquit. horum nihil dicitur. parantur testes, qui haec dicant. verum opinor videremus, cum dixerint. vnum tamen hoc cogitent. ita se graues esse, vt, si veritatem volent retinere, grauitatem possint obtinere; sin eam negligant, ita leues, vt omnes intelligant, non ad obtinendum mendacium, sed ad verum probandum auctoritatem adiuuare. Ego haec duo quaero: primum, qua ratione Naeuius susceptum negotium non transegerit, hoc est, cur bona, quae ex edicto possidebat, non vendiderit: deinde, cur, ex tot creditoribus alijs, ad istam rationem nemo accesserit: vt necessario confiteare, neque eorum tam temerarium quemquam fuisse, neque teipsum id, quod turpissime suscepisses, perseuerare & transigere potuisse. Quid, si tu ipse, Sex. Naeui, statuisti bona P. Quinctij ex edicto possessa non esse? opinor, tuum testimonium, quod in aliena re leue esset, id in tua, quoniam contra te est, grauissimum debet esse. emisti bona Sex. Alpheni, L. Sulla dictatore vendente: socium tibi in his bonis edidisti Quinctium. plura non dico: cum eo tu voluntariam societatem coibas, qui te in hereditaria societate fraudarat: & eum iudicio tuo comprobabas, quem spoliatum fama, fortunisque omnibus arbitrabare.

EXPLANATIO.

DE RE *pecuniaria cupio contendere: non licet.*} locus ad ostendendam caussæ iniquitatem, per quandam rei & aduersarij contentionem inductus. exempla non desunt eiusdem generis, vt à reo, quod nunc occurrit, lib. I. in Verrem: Quid erat, quod quisquam diceret, aut defenderet? Cleomenē nominare non licet. at caussa cogit. moriere, si appellaris. At remiges non erant. Prætorem tu accusas? frange ceruicem. Non licet. cur non licet? quia iam ego à Burrieno prætore impetraui, vt ex edicto bona possiderem. AT EA *controuersia est:*} ideo enim vadari me cœpisti, quia pecuniam deberi tibi à me diceres. Supra: Profecto, si quid deberetur, peteret: nō omnia iudicia fieri mallet, quam vnum illud, vnde hæc omnia nascuntur. VBI *ita necesse est.*} quando ita necesse est. si caussa capitis nobis dicenda est, accusa: nam reus posteriore loco solet dicere. ARCESSETVR.} ad prętorem: vt præstituantur horæ ad arbitrium nostrum. Significat id, quod supra narrauit: illud etiam restiterat, quod hesterno die fecerunt, vt te in ius adducerent, vt nobis tempus, quamdiu diceremus, præstitueres. PRO *me*} aduocatus, non patronus. HONORE} consularis, & censorius. NON *illa*} querebatur Næuius, iniquam sibi, Marianis dominantibus, certationem cum Alpheno fuisse. Immo vero, inquit Cicero, hæc iniqua certatio est: non illa, qua, more velitum, contra Alphenum pugnabas. quæ si cum hac conferatur, non certatio, sed velitatio quædam erit appellanda. nec Alpheni ea contra te, sed contra Alphenum tua. HVIC} non Alpheno sed Quinctio. NE VBI *consisteret quidem,*} paullo ante: Cui nec magistratus adhuc æquus inuentus est. SPONSORES,} qui pro C. Quinctio, P. fratre spopōderat. AB HOC *alienissimi,*} nulla cū Quinctio necessitudine cōiuncti. VIOLARE P. *Quinctij existimationem*} quam violauit affinis, socius, necessarius. QVI CVM *ipse vltro deberet,*} non est in, Vltro, prompta voluntas, vt alibi, sed contrarij significatio, cum hoc dicat: tantum abest, vt ei Quinctius, vt ipse vltro pecuniam Quinctio deberet. Virg. lib. 2. Aen. Hic lacrymis vitam damus, & miserescimus vltro. Terentius in Adel.

Nisi si me in illo credidisti esse hominum numero, qui ita putant, sibi fieri iniuriam vltro, si quam fecere, ipsi expostulant, & vltro accusant. Idem in Phor. O audaciã, etiam me vltro accusatum aduenit. PER SE *afflictum atque euersum* } diu vexatum litibus à Næuio, prætore non inuento, non modo, à quo ius impetraret, sed ne vnde arbitratu quidem suo postularet. In extremo: Ab ipso repudiatus, ab amicis eius non subleuatus, ab omni magistratu agitatus, atque perterritus, quem præter te appellet habet neminem. Potest etiam referri ad fundum Gallicanum: in quem nondum videtur Quinctius fuisse restitutus: cum dicat Cicero in extrema oratione: E fundo ornatissimo deiectus, ignominijs omnibus appetitus, cum illum in suis paternis bonis dominari videret, ipse nobili filiæ dotem conficere non posset, nihil alienum tamen vita superiore commisit. QVIS *est, qui fraudationis caussa latuisse dicat?* } edicti verba sunt, qui fraudationis caussa latitarit? QVIS, *qui absentem defensum neget esse Quinctiũ?* } & hoc ad edicti verba pertinet: quę tamen desiderantur, vt supra docuimus RATIO } negotium. IN *istiusmodi sponsionem* } pro Nęuio, contra Quinctium, facta, iussu prętoris Dolabellæ. TESTES *dare oportebat,* } quos cum nõ dederit Næuius, iniuste sponsio facta est. A ME *nominis eius, quod inficiatus esset, diem petiuit:* } nisi fallor, hęc quoque edicti verba fuerunt: Qui nominis eius, quod inficiatus sit, diem petiuerit. ITA *se graues esse,* } graues illi quidem viri sunt, quibus testibus vtetur Næuius: sed, nisi veritatem in testimonio retinebunt, grauitatẽ amittent, leuis eorum auctoritas erit: sin autem verum dicent, nihil eorum de grauitate detrahetur. SEX. *Alpheni,* } videtur pro Marianis contra Sullam pugnasse, & interfectus esse. IN *hereditaria societate* } in ea societate, quæ tibi cum P. Quinctio non voluntaria, sed ideo fuerat, quia bona omnia fratris eius C. Quinctij, ad eum hereditate peruenerant: vt ideo socius esset, quia heres: at ei tu socius in emendis Alpheni bonis, tua sponte esse voluisti. QVEM *spoliatum fama, fortunisque omnibus arbitrabare.* } ex eo, quod eius bona ex edicto possedisses.

ORATIO

ORATIO.

DIFFIDEBAM *mehercule, C. Aquilli, satis, animo certo & confirmato me posse in hac caussa consistere: sic cogitabam, cum contradicturus esset Hortensius, & cum esset ente auditurus Philippus, fore, vti permultis in rebus timore laberer. dicebam huic Q. Roscio, cuius soror est cum P. Quinctio, n à me peteret, & summe contenderet, vt propinquum suum endere, mihi perdifficile esse cōtra tales oratores nō modo tantā ssam perorare, sed omnino verbum facere cōari. Cum cupidius aret, homini pro amicitia familiarius dixi, mihi videri ore duimo esse, qui præsente eo gestum agere conaretur; qui vero cum contenderent, eos, etiamsi quid antea recti aut venusti habere sunt, id amittere: ne quid mihi eiusmodi accideret, cum cōtra m artificem dicturus essem, me vereri. Tum mihi Roscius & multa, confirmandi mei caussa, dixit: & mehercule, si nihil di et, tacito ipso officio, & studio, quod adhibebat erga propinquū m, quemuis commoueret. etenim, cum artifex eiusmodi sit, vt s dignus videatur esse, qui in scena spectetur: tum vir eiusmost, vt solus dignus videatur, qui eo non accedat. Verumtamen, d si, inquit, habes eiusmodi caussam, vt hoc tibi planum sit faciē n, neminem esse, qui poßit biduo, ad summum triduo* D C C *mil assuum ambulare? tamen ne vereris, vt poßis hæc contra Hor sium contendere? minime, inquam. sed quid id ad rem? nimium, uit: in eo caussa consistit. quo modo? docet me eiusmodi rem, & um simul Sex. Næuij, quod si solum proferretur, satis esse debe. quod abs te, C. Aquilli, & à vobis, qui adestis in consilio, quæ vt diligenter attendatis. profecto intelligetis, illinc ab initio cuitatem pugnasse, & audaciam; hinc veritatem & pudorem, ad potuerit, restitisse. Bona postulas, vt ex edicto poßidere li. t: quo die? te ipsum Næui volo audire: volo inauditum facinus us, qui id commisit, voce conuinci. dic Næui diem. ante V. Kal. rkalares. bene ais. quam longe est hinc in saltum vestrum-licanum? Næui, te rogo.* D C C *millia passuum. optime. de saltu jcitur Quinctius, quo die? possumus hoc quoque ex te audire: d taces? dic inquam diem. pudet dicere: intelligo: verum & se- & nequidquā pudet. deijcitur de saltu, C. Aquilli, pridie Kal. rkalares. biduo post, aut, vt statim de iure aliquis cucurrerit, toto triduo* D C C *millia passuum conficiuntur. o rem incredi-*

 bilem:

bilem: o cupiditatem inconsideratam: o nuncium volucrem. administri, & satellites Sex. Naeuij Roma trans alpes in Sebusianos biduo veniunt. o hominem fortunatum, qui eiusmodi nuncios, seu potius Pegasos habeat. hic ego, si Crassi omnes cum Antonijs exsistant, si tu, L. Philippe, qui inter illos florebas, hanc caussam voles cum Hortensio dicere; tamen superior sim necesse est. non enim, quemadmodum putatis, omnia sunt in eloquentia: est quaedam tamen ita perspicua veritas, vt eam infirmare nulla res possit. An, antequam postulasti, vt bona possideres, misisti, qui curarent vt dominus de suo fundo à sua familia vi deijceretur? vtrumlibet elige. alterũ incredibile est, alterũ nefariũ, & ante hoc tẽpus vtrũque inauditum. DCC millia passuum vis esse decursa biduo? dic. negas? ante igitur misisti. malo. si enim illud diceres, improbe mentiri videre: cum hoc confiteris, id te admisisse concedis, quod ne mendacio quidem tegere possis. Hoc consilium Aquillio, & talibus viris, tã cupidum, tam audax, tam temerarium, probabitur? quid haec amẽtia? quid haec festinatio? quid haec immaturitas tanta significat? nõ vim? non scelus? non latrocinium? non denique omnia potius, quam ius, quam officium, quam pudorem? mittis iniussu praetoris: quo cõsilio? iussurum sciebas? quid? cum iussisset, tum mittere nonne poteras? postulaturus eras: quando? post dies XXX. nempe, si te nihil impediret; si voluntas eadẽ maneret; si valeres; deniq; si viueres. Praetor iussisset. opinor, si vellet, si valeret, si ius diceret, si nemo recusaret, qui ex ipsius decreto & satisdaret, et iudiciũ accipere vellet. nã, per deos immortales, si Alphenus, procurator P. Quinctij, tibi satisdaret, & iudicium accipere vellet, denique omnia, quae postulares, facere voluisset, quid ageres? reuocares eum, quem in Galliã miseras? at hic quidẽ iã de fundo expulsus, iam à suis dijs penatibus praeceps eiectus, iam, quod indignissimum est, suorum seruorũ manibus, nuncio atque imperio tuo violatus esset. corrigeres haec scilicet tu postea. De cuiusquam vita dicere audes, qui hoc concedas necesse est, ita te caecum cupiditate, & auaritia fuisse, vt, cum, postea quid futurum esset, ignorares, (accidere autẽ multa possent) spem maleficij praesentis in incerto reliqui temporis euentu collocares? Atque haec perinde loquor, quasi ipso illo tempore, cum te praetor iussisset ex edicto possidere, si in possessionem misisses, debueris, aut potueris P. Quinctium de possessione deturbare.

EXPLANATIO.

PHILIPPVS} aduocatus, non patronus. TIMORE *prolaberer,*} quod initio dixit: Eloquentia Q. Hortensij ne me dicendo impediat, nonnihil commoueor. HVIC. *Q. Roscio*} Comœdo, pro quo exstat Ciceronis oratio. PROPINQVVM *suum*} sororis suæ virum. P. Quinctium. CVM *artifex eiusmodi sit, vt solus dignus videatur esse, qui in scena spectetur: tū vir eiusmodi est, vt solus dignus videatur, qui eo non accedat.*} leporem habet hæc sententia, duabus distincta partibus, & mire valet ad laudandum. itaque lib. 3. in Verrem sic de Chilone teste: Qui isti ita amicus, & necessarius est, vt, etiamsi vir bonus non esset, tamen, quod cōtra istum diceret, graue videretur: ita vir bonus est, vt, etiamsi inimicissimus isti esset, tamē eius testimonio credi oporteret. De iurisconsulto autem Aquillio pro Cæcina: Qui ita iustus, & bonus vir est, vt natura, non disciplina, consultus esse videatur; ita peritus ac prudens, vt ex iure ciuili non scientia solum quædā, verum etiam bonitas nata esse videatur. Et ad Q. fr. ep. 1 lib. I. Cuius natura talis est, vt etiā sine doctrina videatur moderata esse potuisse: eā autē adhibita doctrina est, quę vel vitiosissimā naturam excolere possit. Qua in epistola vt natura primū separatim à doctrina, deinde doctrina separatim à natura laudatur: sic in illa ad M. Brutū, ita seorsum ab ingenio extollitur industria, studiumque Valerij Messallę, vt ingeniū tamen in eo summū esse dicatur. Tanta, inquit, industria est, tantumq; euigilat in studio, vt nō maxima ingenio, ꝙ in eo summū est, gratia habenda videatur. ORE *durißimo*} summa impudentia. CONTRA *talē artificē*} Q. Hortensium. QVOD *habebat erga propinquum suū*} malim, Adhibebat. QVI EO *non accedat.*} scenicam enim artē agere, probro fuit. Similiter eū laudat in oratione, quam pro ipso habuit. Quem populus Romanus, inquit, meliorem virum, quam histrionē, esse arbitratur: qui ita dignissimus est scena propter artificiū, vt dignissimus sic curia ꝓpter abstinentiā. QVOAD *potuerit,*} victam deniq; esse veritatem, & pudorē Quinctij, cupiditate, & audacia Næuij, significat. ANTE V. *Kal.*

asti; incredibile est, eos, qui missi à te sunt, biduo, aut nō toto triduo DCC millia passuum decurrisse. postulasti etiam ante diem V. Kal. interkalares: deiectus est autem Quinctius de suo fundo pride Kal. interkalares: ALTERVM *nefarium,*} si misisti, antequam postulasti, vt bona possideres. VTRVMQVE *inauditum.*} vnum, biduo. vel non toto triduo DCC millia passuum esse decursa; alterum, bona alicuius possidere aliquem esse ausum, antequam à prætore postularet, vt ex edicto possidere liceret. MALO } dicere te hoc, ante misisse. SI ENIM *illud diceres* } DCC millia passuum biduo, aut non toto triduo esse decursa. CVM HOC *confiteris,*} te ante misisse, quā postulares. NE *mendacio quidem* } de DCC millibus passuū biduo decursis. quod quia vides credi non posse, ideo confugies huc, vt misisse te, ante quam postulares, fatearis. quod nefarium esse, negari non potest: nec ab Aquillio, talibusq́ue viris vllo modo probabitur. QVID *hæc amentia?* } mittere in Galliam, vt bona possiderentur, prius quam postulares, vt ex edicto possidere liceret. NON *latrocinium?* } in quo maius aliquid est, quam in scelere. POST *dies triginta*: } exempli gratia. Quænam, inquit, hæc tua ratio est. si dicis, te postulaturum fuisse? non enim debebas, quamquam postulare cogitares, ante postulationē in Galliam mittere, qui de fundo Quinctium expellerent. SI NEMO *recusaret, qui ex ipsius decreto & satisdaret, & iudicium accipere vellet.*} nam, si nemo satisdaret, bona possideri iure possent. vnde illa D. lib. 42. tit, 6, Quod si, quasi suspectus, satisdare iussus, decreto prætoris non obtemperauerit: tunc bona hereditatis possideri, venumq́ue dari ex edicto suo permittere debebit. Animaduertendum, ex, Nemo, quod aperte negat, elici tamen significationem, quę affirmat; vt consequentibus verbis, Satisdaret, Iudicium accipere vellet, consentiat. Idem enim est, ac si dixisset: si non aliquis recusaret, qui satisdaret, & iudicium accipere vellet. ita, Nemo, non semper idem valet, sed modo negat, modo affirmat, habita ratione compositionis. idq́ue sæpe eodem loco, vt pro Q. Roscio: Aduersaria in iudicio protulit nemo, co-

dicem protulit. Ibidem: Quis vmquam ad arbitrū, quantum petijt, tantum abstulit? nemo, quantū enim æqu ius esset sibi dari, petijt. Et Horatius: Qui fit, Mæcenas, vt nemo, quam sibi sortem, Seu ratio dederit, seu sors obiecerit, illa Contentus viuat, laudet diuersa sequentes. Nam in, Viuat, negatur; in. Laudet diuersa sequentes, affirmatur. Eiusdem generis est verbum, Nolo, ideo quia componitur ex, non, &, volo. exemplum habemus in ep. ad Cornificium: Noli impudens esse, nec mihi molestiam exhibere. Subauditur enim, Velis, in posterioribus verbis. Nec ab his disiungo verbū, Nego, compositum ex, nec, & aio. negat enim, & affirmat simul Phil. IIX. in eo loco: Et quidem, quo melior senator videatur, negat se illi amicum esse debere: cum suo magno esset beneficio, venisse cum contra se. Hæc enim postrema verba ad, Negat, referri non possunt, sed affirmationem necessario requirunt, q̄ sumitur ab eodem verbo. CORRIGERES *hæc scilicet tu postea.*} cum infecta, quæ facta sunt, fieri non possint. DE *cuiusquam vita*} videtur Næuius in Quinctij vitam inuehi solitus. CVM *postea quid futurum esset, ignorares,*} nam, si ais, Postulaturus eram: responderi potest, accidere potuisse, vt aliquid impediret. si, Prætor iussisset: certum hoc non erat. fortasse enim, aut nollet, aut non valeret, aut ius non diceret; aut procurator Quinctij recusaret, & ex ipsius prætoris decreto satisdaret, ac iudicium accipere vellet. IN INCERTO *reliqui temporis euentu*} qui cæcus cupiditate & auaritia, fore rata? & certa sperares, quæ tibi irrita, incertaque esse potuissent. ea vero erant, postulatio tua, & prætoris edictum. nam ita postulaturus eras, si te nihil impediret, si voluntas eadem maneret, si valeres, denique si viueres. prætor autem ita iussisset, si vellet, si valeret, si ius diceret, si Quinctij procurator Alphenus satisdaret, nec iudicium acciperet. DEBVERIS, *aut potueris*} si te prætor iussisset, ex edicto possidere, de suis tamen bonis Quinctium deturbare nec debuisti, nec potuisti. longe enim aliter possedisti, quam prætor edixit.

ORA-

ORATIO.

MNIA *sunt, C. Aquilli, eiusmodi, quiuis vt perspicere possit, in hac caussa improbitatem, & gratiam cum inopia, & veritate contendere. Prætor quemadmodum possidere* [...]*sit? opinor, ex edicto. Sponsio quæ in verba facta est? ni ex edicto* [...]*etoris bona P. Quinctij possessa non sint. Redeamus ad edictum.* [...] *quidem quemadmodum iubet possidere? num quid est caussæ, C.* [...]*quilli, quin, si longe aliter possedit, quam prætor edixit, iste ex e*[...]*cto non possederit, ego sponsione vicerim? nihil, opinor. cognosca*[...]*us edictũ.* QVI.EX.EDICTO.MEO.IN.POSSESSIONEM [...]ENERIT. *de te loquitur, Næui, quemadmodum tu putas: ais e*[...]*m, te ex edicto vẽisse: tibi, quid facias, definit, te instituit, tibi præ*[...]*pta dat.* EOS.ITA.VIDETVR.IN.POSSESSIONE.ESSE.O[...]ORTERE. *quo modo?* QVOD.IBIDEM.RECTE.CVSTODI[...]E.POTERVNT.ID.IBIDEM.CVSTODIANT.QVOD.[...]ON.POTERVNT.ID.AVFERRE.ET.ABDVCERE.LI[...]EBIT. *quid tum?* DOMINVM, *inquit,* INVITVM.DETRV[...]ERE.NON.PLACET. *eum ipsum, qui fraudandi caussa latitet;* [...]*um ipsum, quem iudicio nemo defendat, eum ipsum, qui cum om*[...]*ibus creditoribus suis male agat, inuitum de prædio detrudi ve*[...]*at. proficiscẽti tibi in possessionẽ prætor ipse, Sex. Næui, palã dicit,* [...]*ta possideto, vt tecum simul possideat Quinctius: ita possideto, vt* [...]*uinctio vis non afferatur. quid? tu id quemadmodum obseruas?* [...]*nitto illud dicere, eum, qui non latitarit, cui Romæ domus, vxor,* [...]*iberi, procurator esset; eum, qui tibi vadimonium non deseruisset:* [...]*æc omnia mitto, illud dico, dominum expulsum esse de prædio, do*[...]*nino à familia sua manus allatas esse ante suos lares familiares.* [...]*hoc dico,* * *Peroratio*

Næuium ne appellauisse quidem Quinctium, cum simul esset, experiri posset quotidie: deinde, quod omnia iudicia difficillima cũ sum[...]*ma sua inuidia, maximoque periculo P. Quinctij fieri mallet, quam illud pecuniarium iudicium, quod vno die trãsigi posset: ex quo vno hæc omnia nata, & profecta esse concedit. Quo in loco condicionem tuli: si vellet pecuniam petere, P. Quinctium iudicatum solui satisdaturum, dum ipse, si quid peteret, pari condicione vteretur. Ostendi, quã multa ante fieri conuenerit, quam hominis propinqui bona possideri postularẽtur, præsertim cũ Romæ domus eius, vxor, liberi essent, & procurator æque vtriusque necessarius. Docui,*

 cum

cum desertum esse dicat vadimonium, omnino vadimonium nullum fuisse: quo die hunc sibi promisisse dicat, eo die ne Romæ quidem eum fuisse. id testibus me pollicitus sum planum facturum, qui & scire deberent, & caussam, cur mentirentur, non haberent. Ex edicto autem non potuisse bona possideri, demonstraui: quod neq; fraudandi caussa latitasset, neque exsilij caussa solum vertisse diceretur. Reliquum est, vt eum nemo iudicio defenderit: quod contra copiosissime defensum esse contendi, non ab homine alieno, neque ab aliquo calumniatore, atque improbo, sed ab equite R. propinquo, & necessario suo: quem ipse Sex. Næuius procuratorem relinquere antea consuesset. neque eum, si tribunos appellarit, iccirco minus iudicium pati paratum fuisse, neque potentia procuratoris Næuio ius ereptum: contra, istum potentia sua tum tantummodo superiorem fuisse: nunc nobis vix respirandi potestatem dare. Quæsiui, quæ caussa fuisset, cur bona non venissent, cum ex edicto possiderentur. Deinde illud quoque requisiui, qua ratione ex tot creditoribus nemo neque tum idem fecerit, neque nunc contra dicat, omnesque pro P. Quinctio pugnent, præsertim cum in tali iudicio testimonia creditorum existimentur ad rem maxime pertinere. Postea sum vsus aduersarij testimonio, qui sibi eum nuper edidit socium, quem, quo modo nunc intendit, ne in viuorum quidem numerotum demonstrat fuisse. Tum illam incredibilem celeritatem, seu potius audaciam protuli: confirmaui necesse esse aut biduo DCC millia passuum esse decursa, aut Sex. Næuium diebus compluribus ante in possessionem misisse, quam postularet, vt ei liceret bona possidere. Postea recitaui edictum, quod aperte dominum de prædio detrudi vetaret: in quo constitit, Næuium ex edicto non posse disse, cũ confiteretur ex prædio vi detrusum esse Quinctium. Omnino autem bona possessa non esse constitui, quod bonorum possessio spectetur non in aliqua parte, sed in vniuersis, quæ teneri, ac possideri possint. Dixi, Romæ domum fuisse, quo iste ne adspirarit quidem; seruos complures, ex quibus iste possederit neminem, ne attigerit quidem: vnum fuisse, quem attingere conatus sit. prohibitum fuisse, quieuisse. In ipsa Gallia cognostis in prædia priuata Quinctij Sex. Næuium non venisse: denique ex hoc ipso saltu, quem, per vim, expulso socio, possedit, seruos priuatos Quinctij non omnes eiectos esse. Ex quo, & ex ceteris dictis, factis, cogitatisque Sex. Næuij quiuis potest intelligere, istum nihil aliud

egisse,

gisse, neque nunc agere, nisi vti per vim, per iniuriam, per iniquitatem iudicij, totum agrum, qui communis est, suum facere posit.

EXPLANATIO.

PRAETOR} Burrienus. SPONSIO} iubente Dolabella prætore facta. POSSESSA *non sunt?* } sic in quibusdam libris, mendose. nam abundat, Non. to... am sententiam explicauimus in eo loco: Iubet P. Quintium sponsionem cum Sex. Næuio facere, si bona sua x edicto P. Burrieni prætoris dies triginta possessa esent. EX *edicto venisse.* } in possessionem: MALE *agat,* } stute, malitiose, de solutione non cogitans, permulta raudandi caussa faciens. supra: Quo tempore primum nale agere cœpit. Et: Qui permulta male agendi caussa, raudandique fecerunt. IVS *non auferatur* } rectius, Vis e afferatur, suffragante vetere libro, & ipso Cicerone, ui subiungit: Illud dico, dominum expulsum esse de rædio, domino à familia sua manus allatas esse ante su s lares familiares. DOMINVM} vis additur sententiæ milibus verbis, Dominum, Domino, Suas, Suos. HOC *ico,* } & hic, & post verbum, Quotidie, quin desideretur liquid, dubitari non potest: quid autem, diuinare non cet. Illa quidem verba, Deinde quod omnia iudicia, cū uperioribus apte non coniunguntur, potius ad illa spectant inferiora. Quo in loco condicionem tuli. QVO *in oco* } Cum illa questus esset, quæ supra exponuntur ijs erbis: Quid igitur pugnas? an, quod sæpe multis in locis ixisti, ne in ciuitate sit? ne locum suum, quem adhuc ho eстissime defendit, obtineat? ne numeretur inter viuos? lecernat de vita, & ornamentis suis omnibus? apud iuicem caussam priore loco dicat? & eam, cum orarit, tū eniq; vocem accusatoris audiat? CONDICIONEM *uli,* } cum dixit, Quid à nobis autem, C. Aquilli, refertur? ecuniam petit: negamus deberi. iudicium fiet statim: on recusamus. numquid præterea? si veretur, vt res iuicio facto parata sit, iudicatum solui satis accipiat: quibus à me verbis satis accipiet, ijsdem ipse, quod peto, saisdet. PARI *condicione vteretur* } vt Næuius quoque sa-

tisdaret. OSTENDI, *quam multa ante fieri conuenerit,* } id supra ostendit his verbis: Profecto, si recte vestram bonitatem, ac prudentiam cognoui, non multum me fallit, si consulamini, quid sitis responsuri: primũ exspectare: deinde, si latitare, ac diutius ludificare videatur, amicos cõuenire, quęrere quis procurator sit, domum denunciare. dici vix potest, quam multa sint, quæ respondeatis ante fieri oportere, quam ad hanc rationem extremam, necessariam deuenire. QVO *die hunc sibi promisisse dicat,* } nonis Februarij. tota res narratur supra his verbis: Ais esse vadimonium desertũ: quæ siuit à te statim, vt Romam redijt, Quinctius, quo die vadimoniũ istuc factũ esse diceres: respondisti statim, nonis Febr. discedẽs, in memoriam redijt Quinctius, quo die Roma in Galliam profectus sit: ad ephemeridẽ reuertitur: inuenitur dies profectionis, pr. Kal. Febr. Nonis Febr. si Romæ fuit, caussæ nihil dicimus, quin tibi vadimonium promiserit. quid? hoc inueniri qui potest? profectus vna est L. Albius, homo in primis honestus: dicet testimonium: prosecuti sunt familiares & Albium, & Quinctium: dicent hi quoque testimoniũ. litteræ P. Quinctij, testes tot, quibus omnibus caussa iustissima est nulla, cur mentiantur, cũ adstipulatore tuo cõparabuntur. EO DIE *ne Romæ quidẽ eum fuisse.* } discessit .n. Roma Quinctius pridie Kal. Febr. TESTIBVS } L. Albio, & ijs, q. ꝓsecuti sũt. Albiũ & Quinctiũ. QVOD *cõtra copiosissime defensũ esse cõtendi,* } modus loquẽdi, pro, cũ ego contra contenderim. Sic in Catone: Cuius à me corpus crematum est: quod contra decuit ab illo meum. pro, cum decuerit contra cremari ab illo meum. Et in Lælio: Peccasse se, non anguntur: obiurgari, moleste ferunt. quod contra oportebat, delicto dolere, obiurgatione gaudere. Et lib. 1. Off. Hoc maximè officij est, vt quisque maxime opis indigeat, ita ei potissimum opitulari. quod contra fit à plerisque. à quo enim plurimum sperant opis, etiam si ille his non eget, tamen ei potissimum inseruiunt. AB EQVITE *Romano* } Sex. Alpheno. PROPINQVO, *& necessario suo,* } P. Quinctij. supra: Dat iste amicum M. Trebellium, nos communem necessari-

arium, qui istius domi erat educatus, & quo vtebatur te plurimum, propinquum nostrum, Sex. Alphenum, TVM } Marianis dominantibus. TANTVMMODO *uperiorem fuisse,* } non vsque eo tamen, vt respirandi potestatem nobis posset eripere, quam nunc eripit, Sullanis omnia tenentibus, quorum inimicus fuit. QVOMODO *nunc intendit,* } vt quidem nunc agit in Quinctium. rgumentum ex ijs, quæ cernũtur: vt ad Att. lib. XIII. Quo modo nunc est, pedem vbi ponat in suo, non habet. ad Q. fr. Quo modo se res habet, non est facillima. Lib. I. de Orat. Quo modo nunc se istorum artes habẽt, perimescenda est multitudo caussarum. NE IN *viuorum uidem numero* } quia non venerit ad vadimonium. OMNINO *autem bona possessa non esse constitui,* } hæc tota pars desideratur. cõmemorat enim, quæ supra dixit. NE *adspirarit quidem;* } non modo non accesserit, sed ne accedere quidem voluerit. hoc verbum voluntatem significat sine exitu rei: vt in Diuin. In huiusmodi re quisquam tam impudens reperietur, qui ad alienam caussam inuitis ijs, quorum negotium est, accedere, aut adspirare audeat? Et in bellica laude adspirare ad Africanum nemo potest. PROHIBITVM *fuisse,* } à procuratore Quinctij Alpheno. PRIVATA } propria. venit enim in communia. supra: De saltu agroq; communi deijcitur Quinctius.

ORATIO.

NVNC, *caussa perorata, res ipsa, & periculi magnitudo, C. Aquilli, cogere videtur, vt te, atq; eos, qui tibi in consilio sunt, obsecret, obtesteturq; P. Quinctius per senectutẽ ac solitudinẽ suã, nihil aliud, nisi vt vestræ naturæ bonitatique obsequamini: vt, cũ veritas cũ hoc faciat, plus huius inopia possit ad misericordiam, quã illius opes ad crudelitatẽ. quo die ad te iudicẽ venimus, eodẽ die illorũ minas, quas ante horrebamus, negligere cœpimus. si caussa cum caussa contenderet, nos nostram perfacile cuiuis probaturos statuebamus: quod vitæ ratio cum ratione vitæ decerneret, iccirco nobis etiam magis te iudice opus esse arbitrati sumus. ea res .n. nũc in discrimẽ versatur vtrũ ne possit se cõtra luxuriam, ac licentiam rusticana illa, atque inculta parcimonia defendere; an deformata, atque ornamentis omnibus spoliata, nuda*

cupiditati, petulantiæque addicatur. Non comparat se tecum gratia P. Quinctius, Sex. Næui, non opibus, non facultate contendit: omnes tuas artes, quibus tu magnus es, tibi concedit. fatetur, se non belle dicere, non ad voluntatem loqui posse, non ab afflicta amicitia transfugere, atque ad florentem aliam deuolare, non profusis sumptibus viuere, non ornare magnifice, splendideque conuiuium, non habere domum clausam pudori & sanctimoniæ, patentem atque adeo expositam cupiditati, & voluptatibus: contra, sibi officium, fidem, diligentiam, vitam omnino semper horridam, atque aridam cordi fuisse. ista superiora esse, ac plurimum posse his moribus, sentit. quid ergo est? non vsque eo tamen, vt in capite, fortunisque hominum honestissimorum dominentur ij, qui, relicta bonorum virorum disciplina, & quæstum, & sumptum Gallonij sequi maluerunt, atque etiam, quod in illo non fuit, cum audacia, perfidiaque vixerunt. si licet viuere eum, quem Sex. Næuius non vult: si est homini honesto locus in ciuitate inuito Næuio: si fas est respirare P. Quinctium contra nutum ditionemque Næuij: si, quæ pudore ornamenta sibi peperit, ea potest contra petulantiam te defendente obtinere: spes est, & hunc miserum, atque infelicem aliquando tandem posse consistere. sin & poterit Næuius id, quod libet; & ei libebit, quod non licet: quid agendum est? qui deus appellandus est? cuius hominis fides imploranda est? qui denique questus, qui mœror dignus inueniri calamitate tanta potest? Miserum est, exturbari fortunis omnibus: miserius est, iniuria. acerbum est, ab aliquo circumueniri: acerbius, à propinquo. calamitosum est, bonis euerti: calamitosius, cum dedecore. funestum est, à forti, atque honesto viro iugulari: funestius, ab eo, cuius vox præconio quæstu prostitit. indignum est, à pari vinci, aut superiore: indignius, ab inferiore, atque humiliore. luctuosum est, tradi alteri cum bonis: luctuosius, inimico. horribile est, caussam capitis dicere: horribilius, priore loco dicere. omnia circumspexit Quinctius, omnia periclitatus est, C. Aquilli: non prætorem modo, à quo ius impetraret, inuenire non potuit, atque adeo ne vnde arbitratu quidem suo postularet, sed ne amicos quidem Sex. Næuij, quorũ sæpe & diu ad pedes iacuit stratus, obsecrans per deos immortales, vt aut secum iure cõtenderent, aut iniuriam sine ignominia sibi imponerent. denique ipsius inimici vultum superbissimum subijt: ipsius Sex. Næuij lacrumans manũ apprehendit, in propinquorum bonis proscribendis exercitatam: obsecra-

ecrauit per fratris sui mortui cinerem, per nomen propinquitatis, er ipsius coniugem, & liberos, quibus propior P. Quinctio nemo est ut aliquando misericordiam caperet; aliquam, si non propinquitatis, at ætatis suæ, si non hominis, at humanitatis rationem haberet; ut secum aliquid, integra sua fama, qualibet, dummodo tolerabi- i, condicione transigeret. ab ipso repudiatus, ab amicis eius non sub- euatus, ab omni magistratu agitatus, atque perterritus, quem, præ- r te, appellet, habet neminem. tibi se, tibi suas oẽs opes fortunasq́; ommendat: tibi committit existimationem, ac spem reliquæ vitæ: ultis vexatus contumelijs, plurimis iactatus iniurijs, non turpis d te, sed miser confugit. e fundo ornatissimo deiectus, ignominijs mnibus appetitus: cum illum in suis paternis bonis dominari vide- t, ipse filiæ nubili dotem conficere non posset, nihil alienum tamẽ ita superiore commisit. itaque te hoc obsecrat, C. Aquilli, vt, quã cistimationem, quam honestatem in iudicium tuum prope acta iã ate decursaque attulit, eam liceat ei secum ex hoc loco efferre; is, de cuius officio nemo vmquam dubitauit, sexagesimo denique no dedecore, macula, turpissimaque ignominia notetur; ne orna- entis eius omnibus Sex. Næuius pro spolijs abutatur: ne per te fe- t, quo minus, quæ existimatio P. Quinctium vsque ad senectutẽ rduxit, eadem, vsque ad rogum prosequatur.

EXPLANATIO.

TIAM *magis te iudice opus esse* } cui vitam Quinctij magis probatum iri putauimus, quam Næuij. nam de caussa nullo iudice dubitãdũ statuebamus. NON B *afflictã amicitia trãsfugere,* } quemadmodum Næuius à arianis, vbi partes eorum afflictas vidit, ad Sullanos flo ntes transfugit. de quo supra: Tu, postquam; qui tibi ãt amici, nõ poterant vincere; vt amici tibi essent, qui ncebant, effecisti. ISTA } quæ Næuij sunt. HIS *mori-* } idem supra: Antiquam officij rationem dilexit, cu- s splendor omnis his moribus obsoleuit. QVID *ergo ?* } quid ex eo sequitur? non vsque eo tamen superio- esse ista sentit, vt &c. DISCIPLINA, } quam sem- r coluit Quinctius, officium, fidem, diligentiam rebus nnibus anteponens. QVAESTVM, } indignum bo- viro. SVMPTVM } P. Gallonium vt hominem ne- quam-

quam, profusumq́; nepotem, Lucilius poëta nominat: O Publi, o gurges Galloni, non es homo, inquit. Et lib. II. de Fin. Qui ad voluptatẽ omnia referens, viuit vt Gallonius, loquitur vt Frugi ille Piso. NAEVII} vim habet in fine membri idem nomen: ornatũ quoque sumit ex casuum varietate. primum enim membrũ terminat, Næuius; alterum, Næuio, tertium, Næuij. SI LICET *viuere eum, quem Sex. Næuius non vult;* } miseratio plurimum valet in epilogis. ea commouetur ex aduersarij maxime potentia, & crudelitate, ex inopia rei, & calamitate. huic loco similis ille pro Roscio Amerino: Si à Chrysogono, iudices, non impetramus, vt pecunia nostra cõtentus sit, vitam ne petat. CONTRA *nutum, ditionemq́; Næui;* } summa potentia demonstratur Habet autem indignationẽ quandam Næuij nomen ter varie pronunciatum, acerba præsertim in re: Quem Sex. Næuius non vult: inuito Næuio: contra nutum, ditionemque Næuij. TE DEFENDENTE} te iudice, C. Aquilli. APPELLANDVS} vt opem ferat. EST?} vim habet, Est, tribus locis in fine vsurpatum. MISERVM *est, exturbari fortunis omnibus: miserius est, iniuria.* } modus exaggerandi per similitudinẽ. nã, si illud est, multo magis hoc. illud cõceditur ex cõmuni sensu: hoc, adiecta caussa, concedatur, necesse est. ac nescio, an vsquam hunc locum copiosius Cicero attigerit. vnam enim sententiam, quæ ad Quinctij declarandam infelicitatem pertinet, in septem partes distribuit: & simul vbertatem ingenij summam, eloquentiam, cupidis adolescentibus vtilissimam, ostendit, eas ipsas partes diuersis nominibus inducens: Miserum est, acerbum, calamitosum, funestum, indignum, luctuosum, horribile. Idem ornamentum, non tamen eadem copia, lib. II. in Verr. agnoscitur. Si illud est, inquit, tam flagitiosum, q̃ mihi omnium rerũ turpissimum, maximeque nefarium videtur, ob rem iudicandam pecuniam accipere, pretio habere addictam fidem, & religionem: quanto illud flagitiosius, improbius, indignius, eum, à quo pecuniam ob absoluendum acceperis, condemnare: vt ne prædonũ quidẽ prætor, in fidẽ retinenda con-

onsuetudinem conseruaret; scelus est, accipere ab reo, uanto magis ab accusatore? quanto etiam sceleratius b vtroque? CVM *dedecore:* } cum probro, ignominiaue deserti vadimonij. CVIVS *vox præconio quæstu prob*itit. } more meretricum. Acerbior in Næuium sententa, quā si legatur vt antea. Cuius vox in præconio quæum præstitit. ATQVE *adeone vnde arbitratu quidem suo ostularet:* } statim reiectus, atque perterritus. IVRE *connderent,* } vel vtroque satisdante, vel neutro, re delata d iudicium pecuniarium, vnde reliqua omnia difficilma; cum summa Quinctij inuidia, maximoque pericu-, nata sunt. AVT *iniuriam sine ignominia sibi imponerent.* } ibuit amicis Næuij, quæ Næuij sunt. quod eorum pontia fultus, & petere iniusta Næuius auderet, & conseueretur. quam vero Næuius iniuriam Quinctio impoebat, hæc erat, Quia peteret ab eo, qui nihil deberet: nominia, quia cogeret Quinctium, sponsione facta, iore loco caussā dicere: quasi bona eius ex edicto præris possessa essent, vadimonij deserti caussa, VVLVM *superbissimum subijt* } subire vultum eorum est, qui iquid humiliter petunt. vnde illud Cœlij: Malui collee eius, homini alienissimo mihi, & propter amicitiam am non æquissimo, me obligare, quā illius simiæ vulm subire. PROPINQVORVM } quia bona Quinij pscripserat Næui⁹ ex edicto Burrieni. HOMINIS, } oprie ipsius Quinctij. AT *humanitatis* } quæ cuiuis hoini à quouis homine hoc ipso debetur, quo homines que sunt, & altetum alteri communis omnium mater tura commendat. AB OMNI *magistratu.* } multis iucijs conflictatum, & vexatum esse Quinctium, supra telligitur, vt in eo: Cū adhuc ei propter vim aduersariū non ius par, non agendi potestas eadē, non magistras æqu⁹ reperiri potuerit. Et: Quid hoc tempore Quinio statuendū est? cui nec magistratus adhuc æquus inentus est, nec iudiciū redditū est vsitatū. NON *turpis* } illo insignis crimine. E FVNDO } Gallicano. IN SV*paternis bonis* } fundus ille C. Quinctij, P. fratris, fuet: itaque, Fraternis, non, Paternis, magis fortasse

ali-

aliquis probabit. sed eum fortasse fundum pater vtriusque C. Quinctio proprium reliquerat. NIHIL *alienum tamen vita superiore commisit.* } nihil turpe. propterea enim dixit, Non turpis ad te, sed miser confugit. EX HOC *loco efferre:* } quam hic relinquet, si tu eum condemnabis. PRO *spolijs* } tamquam victor exsultans. NE PER *te ferat.* } ne accidat ei per te iudicem; vt honestatem suam nunc amittat: quam ad hanc diem recta & laudabili ratione partam, atque conseruatam, vt ad exitum vitæ retinere liceat, supplex à te petit. AD *rogum* } cremari Romæ mos fuit corpora mortuorum. quidam tamen cremati non sunt, sed humi locati, & conditi, vt C. Marius, cuius apud Anienem sitas reliquias dissipari victor Sulla iussit. quod idem ne suo fortasse corpori accideret, primum ex Cornelijs patricijs cremari voluisse, auctor est Cicero: & ideo Ennium ait de Africano, qui Corneliæ patriciæ gentis fuit, scripsisse: Hic est ille situs. quia siti dicantur ij, qui conditi sunt. Lib. I. de Legibus.

IN ORATIONEM CICERONIS PRO SEX. ROSC AMERINO.

PAVLLI MANVTII COMMENTARIVS.

ARGVMENTVM.

L. Chrysogonvs, *Sullæ dictatoris libertus, Sex. Roscij Amerini interfecti bona, tamquam vnius è proscriptorum numero, coemerat: cumq; Rosciū à Sulla proscriptum non fuisse, satis exploratum haberet, vereretúrq; ne quando filius eius, pro quo hæc habita oratio est, paterna bona repeteret; induxit C. Erutium, qui eum de parricidio accusaret, parricidijque caussam afferret, quod eum pater, in prædia rustica amandatum, exheredare cogitaret. Roscium Cicero defendit, non minore animo, quā ingenio. libere enim in Chrysogonum, Sullæ libertum, valdeq; gratiosum, est inuectus. Calumniam autem refellit tribus argumētis: primum, quod Roscio, cur patrem odisse, ac se tam nefario scelere adstringere deberet, caussæ nihil esset: deinde, quod in duos potius Roscios, Capitonem, & Magnum, cum quibus patri Roscio veteres inimicitiæ fuerant, eius maleficij suspicio caderet: postremo, quod Chrysogonus, potentia sua fretus, Roscij patris bona*

 ab ha-

ab hasta minimo emptis, omni vi, atque ope contenderet, vt, eius vnico filio, quo incolumi patrimonium tam amplum et copiosum se posse obtinere non arbitraretur, damnato & eiecto, tutius ea bona, nullo litis metu, perpetuo possideret. Absolutum esse Roscium, nemo, vt arbitror, dubitabit, qui verba illa in Bruto legerit: Prima caussa publica, pro Sex. Roscio dicta, tantum commendationis habuit, vt non vlla esset, quæ non nostro digna patrocinio videretur. Et illa libr. II. Off. Maxime autem & gloria paritur, & gratia defensionibus, eoque maior, si quando accidit, vt ei subueniatur, qui potentis alicuius opibus circumueniri, vrgeriquè videatur: vt nos & sæpe alias, & adolescentes, contra L. Sullæ dominantis opes, pro Sex. Roscio Amerino fecimus. Acta caussa est L. Sulla II, Q. Metello Pio cos. quæsitore M. Fannio, cum annos Cicero XXVII natus esset, vt Gellius, Asconium secutus, ostendit.

M. TVL.

M. TVLLII. CICERONIS. PRO. SEX. ROSC. AMERINO.

ORATIO. II.

CREDO ego vos, iudices, mirari, quid sit, quod, cum tot summi oratores, hominesque nobilissimi sedeant, ego potissimum surrexerim, is qui neque ætate, neque ingenio, neque auctoritate sim cum his, qui sedeant, comparandus. omnes enim hi, quos videtis adesse in hac caussa, iniuriam nouo scelere conflatam putãt oportere defendi, defendere ipsi propter iniquitatem temporum non audent. ita fit, vt adsint, propterea quod officium sequuntur; taceant autem iccirco, quia periculum metuunt. quid ergo? audacissimus ego ex omnibus? minime. at tanto officiosior, quam ceteri? ne istius quidem laudis ita sum cupidus, vt alijs eam præreptã velim. quæ me igitur res præter ceteros impulit, vt caussam Sex. Roscij reciperem? quia, si quis istorum dixisset, quos videtis adesse, in quibus summa auctoritas est, atque amplitudo; si verbum de Rep. fecisset, id quod in hac caussa fieri necesse est; multo plura dixisse, quam dixisset, putaretur: ego etiam si omnia, quæ dicẽda sunt, libere dixero, nequaquam tamen similiter oratio mea exire, atque in vulgus emanare poterit: deinde, quod ceterorum neque dictum obscurum potest esse propter nobilitatem, & amplitudinem. neque temere dicto concedi propter ætatem, & prudentiam; ego si quid liberius dixero, vel occultum esse propterea, quod nondum ad Remp. accessi, vel ignosci adolescentiæ meæ poterit. tametsi non modo ignoscendi ratio, verum etiam cognoscendi consuetudo iam de ciuitate sublata est. accedit illa quoque caussa, quod à ceteris forsan ita petitum sit, vt dicerent, vt vtrumuis saluo officio se facere posse arbitrarentur: à me autem ij contenderunt, qui apud me & amicitia, et beneficijs, & dignitate plurimum possunt: quorum ego neque beneuolentiam erga me ignorare, nec auctoritatem aspernari, nec voluntatem negligere debeam. His de caussis ego huic caussæ patronus exstiti, non electus vnus, qui maximo ingenio, sed relictus ex omnibus, qui minimo periculo possem dicere: neque vti satis firmo præsidio defensus Sex. Roscius, verum vti ne omnino desertus esset.

EXPLANATIO.

SVMMI *oratores, hominesque nobilissimi sedeant,*} sedebant in subsellijs rei, nō vt patroni, sed, vt aduocati. NEQVE *auctoritate*} nullis dum gestis magistratibus. INIVRIAM *nouo scelere conflatam*} iniuriam, quæ Sex. Roscio infertur, de patris interitu accusatur ab ijs, ad quos maxime facinoris eius culpa pertinet. Nouo scelere, quia duo scelera sunt: vnum occidisse Roscij patrem tamquam proscriptum à Sulla, qui proscriptus non erat, & eius bona, tamquam proscripti ab hasta coemisse: alterum, innocentem; ac miserum eius filium, paternis bonis iniuste priuatum, ne quando ea recuperare posset, de parricidio accusare. PROPTER *iniquitatem temporum*} metu Sullæ dominantis. nam satis constabat, & gratia valere plurimum apud Sullam libertum eius Chrysogonum, & ab eodem liberto oppugnari in iudicio Roscium, propter paterna bona. Sic igitur excusat oratores, Roscij amicos, qui tacerent, vt statum temporum accuset, nullo metu Sullæ. quamquam, hac oratione habita, in Græciam se contulit, aduersam valetudinem simulans, reuera quod Sullæ odium timeret. Plutarchus. OFFICIVM *sequuntur*;} caussam Roscij metu Sullæ non agunt; ei tamen, iniuste vexato, adducti officio præsentes fauent. ID QVOD *in hac caussa fieri necesse est*;} defendi Roscius non potest, nisi contra Chrysogonum verba fiant. Chrysogonum autem accusare, quid aliud est, quam Sullam ipsum, cuius ille gratia nititur, & præsentē Reip. statum in inuidiam vocare? EGO} cuius nec auctoritas, nec amplitudo eadem est. NONDVM *ad remp. accessi*,} nōdum honores gesserat, ac ne ætate quidem erat senatoria, quę XXX annorum fuit, vt alio loco diximus. NON *modo ignoscendi*} hoc quoque contra Sullam, qui, quos ciuili bello aduersarios habuerat, eorum post victoriam ignouisset nemini. COGNOSCENDI} cognoscere de criminibus prætores dicebantur. eam cognitionem, Sulla dominante, liberam non esse, nō obscurè narrat. Iudicabāt autem hoc tempore soli senatores, lege Sullæ: qui, equi-

tibus

tibus iratus, quod à Marianis partibus steterāt, cum alijs eos affecit, incommodis, tum vero iudicandi munere, quod lege C. Grachi per annos XL tenuerant, priuauit: vt verisimile sit, qui lege Sullæ dominantis iudicia, equitibus erepta, administrarent, eius voluntatem, cuius beneficio honorem illum ac potestatem essent adepti, in iudicādo potissimum exspectare debuisse. Notetur lepidum παράγραμμα, Non modo ignoscendi, verum etiam cognoscendi. VT DICERENT,} vt Roscium defenderent. SALVO *officio*} quia non, vt à me, contenderunt ij, qui apud eos & amicitia, & beneficijs, & dignitate plurimum possent. ita licuit ijs Roscij caussam saluo officio non suscipere. quod mihi non licuit. CONTENDERVNT} de illis dixit, Petitum; de se, Contenderunt; in quo vis maior. AVCTORITATEM} cum auctores mihi sunt, vt aliquid agam, sicuti auctores fuerūt, vt Roscij caussam susciperem. VOLVNTATEM} quam pro Roscio summam ostenderunt. NE OMNINO *desertus*} tacite opem implorat ab equite iudicum; cum Roscius infirmo defensionis præsidio nitatur.

ORATIO.

FORSITAN *quæratis, qui iste terror sit, & quæ tanta formido, quæ tot, ac tales viros impediat, quo minus pro capite & fortunis alterius, quemadmodum consueuerunt, caussam velint dicere. quod adhuc vos ignorare non mirum est: propterea quod consulto ab accusatoribus eius rei, quæ conflauit hoc iudiciū, mentio facta nō est? quæ res ea est? bona patris huiusce Sex. Roscij, quæ sunt sexagies, quæ de viro fortißimo, & clarißimo L. Sulla, quem honoris caussa nomino, duobus millibus nummum se se dicit emisse, adolescens, vel potentißimus hoc tempore nostræ ciuitatis, L. Cornelius Chrysogonus. is à vobis, indices, hoc postulat, vt, quoniam in alienam pecuniam, tam plenam, atque præclaram, nullo iure inuaserit; quoniamque ei pecuniæ vita Sex. Roscij obstare, atq; officere videatur; deleatis ex animo suo suspicionem omnem, metumque tollatis. se se, hoc incolumi non arbitratur huius innocentis patrimonium tam amplū, & copiosum posse obtinere; damnato, & eiecto, sperat se posse, quod adeptus est per scelus, id per luxuriam effundere, atque consumere. hunc sibi ex animo scrupu-*

tum, qui se dies noctesq; stimulat, ac pungit, vt euellatis, postulat; & ad hanc suam prædam tam nefariam adiutores vos profiteamini. Si vobis æqua & honesta postulatio videtur, iudices; ego cõtra breuem postulationem affero, &, quo modo mihi persuadeo, aliquanto æquiorem. Primum à Chrysogono peto, vt pecunia, fortunisque nostris contentus sit, sanguinem, & vitam ne petat: deinde à vobis, iudices, vt audacium sceleri resistatis, innocentium calamitatem leuetis, & in caussa Sex. Roscij periculum, quod in omnes intẽditur, propulsetis. quod si aut caussa criminis, aut facti suspicio, aut quælibet denique vel minima res reperietur, quamobrem videantur illi non nihil tamen in deferendo nomine secuti; postremo si præter eam prædam, quam dixi, quidquam aliud caussæ inueneritis: non recusamus, quin illorum libidini Sex. Roscij vita dedatur. sin aliud agitur nihil, nisi vt ijs ne quid desit, quibus satis nihil eſt; si hoc solum hoc tempore pugnatur, vt ad illam opimam, præclaramq; prædam damnatio Sex. Roscij, velut cumulus, accedat: nonne cum multa indigna, tum vel hoc indignissimum eſt, vos idoneos habitos, per quorum sententias, iusque iurandum id assequantur, quod antea ipsi scelere, & ferro assequi consuerunt? qui ex ciuitate in senatum propter dignitatem, ex senatu in hoc consilium delecti estis propter seueritatem, ab his hoc postulare homines sicarios, atque gladiatores, non modo vt supplicia vitent, quæ à vobis pro maleficijs suis metuere, atque horrere debent, verũ etiam vt spolijs Sex. Roscij hoc iudicio ornati auctiq; discedant? His de rebus tantis, tamq; atrocibus neq; satis me commode dicere, neq; satis grauiter conqueri, neq; satis libere vociferari posse intelligo. nam commoditati ingenium, grauitati ætas, libertati tempora sunt impedimẽto. huc accedit summus timor: quẽ mihi natura, pudorq; meus attribuit, & vestra dignitas, & vis aduersariorum, & Sex. Roscij pericula. Quapropter vos oro, atq; obsecro, iudices, vt attente, bonaq; cũ venia verba mea audiatis. fide sapientiaq; vestra fretus, plus oneris sustuli, quã ferre me posse intelligo. hoc onus si vos aliqua ex parte alleuabitis, feram, vt potero, studio, & industria, iudices. sin à vobis, id quod non spero, deserar; tamen animo non deficiam, & id, quod suscepi, quoad potero, perferam. quod si perferre non potero, opprimi me onere officij malo, quam id, quod mihi cum fide semel impositũ eſt, aut propter perfidiam abijcere, aut propter infirmitatem animi deponere.

EXPLANATIO.

SEXAGIES} quæ sunt, nummo nostro, scutatorum CLXXX. millia. Quod autem Cicero, sexagies, Plutarchus CCL. talenta dixit. quod idem est. nam talentum Atticum (id enim significatur in Latinis monumentis,) cum nihil additur scutatis, valet DCCXX. DE VIRO *clarissimo,*} à viro clarissimo. nota locutio. ad Sextium: Cum de Crasso domum emissem. QVEM *honoris caussa nomino,*} cum nescirent, nominari, necne, aliquis vellet, hoc addebant, vrbanitatis gratia, Quem honoris caussa nomino. & hoc de viuis tantum: nam, si cuius mortui mentio fieret, omittebatur, vt exemplis intelligitur. paullo post de familijs nobilissimis, Metellis, Seruilijs, Scipionibus, Quas familias, inquit, honestatis, atque amplitudinis gratia nomino. nec multo post: Romam confugit, & sese ad Cęciliam, nepotis filiam, quam honoris caussa nomino, contulit. DVOBVS *millibus nummum*} scutatis sexaginta. nũmus enim, & sestertius, idem sunt. Plutarchus empta dicit duobus millibus drachmarum, quadruplicata summa, id est octo millibus nummum. nam drachma, Græcus nummus, denario fere Romano respondet. denarius autem quattuor complectitur sestertios. DICIT *emisse*} nam, si dixisset, emit, inuidiosum erat, & querella quædam esse de statu Reip. videbatur, cum ea bona, quæ essent sexagies, duobus millibus nummum à Sulla venderentur: sed ait, Dicit emisse: vt ostendat, in ea, non empta, Chrysogonũ sua sponte, nullo iure fretum, Sullæ gratia, inuasisse. ADOLESCENS *vel potentissimus hoc tempore nostræ ciuitatis,*} singula verba ad inuidiam Chrysogono valent. Adolescens: qui luxuriæ, libidinique seruiat, rationis & prudentiæ propter ætatem expers. Vel potentissimus: quæ potentia, si mediocris esset, in adolescente non probaretur, ea vel summa est. Hoc tempore: cum ad vnum referantur omnia. Nostræ ciuitatis: miserabiliter dictum: vt si dixisset. Videte nostrã ciuitatem: in qua vel liberti licere sibi volunt, quidquid libet. L. CORNELIVS} & prænomen, & nomẽ accepit à patrono Sulla, more li-

bertorum. IS A VOBIS, *iudices, hoc postulat,* } mire, ad ostendēdam Chrysogoni audaciam, iniquissima postulatione vtentem inducit. IN ALIENAM *pecuniā* } pecuniæ nomine bona Sex. Roscij comprehendit omnia. patrimonium infra vocat:& quod hic, Tam plenam, atque præclaram; ibi, Tam amplum, & copiosum: & paullo post, Opimam, præclaramque prædam. QVONIAMQ. *ei pecuniæ vita Sex. Roscij obstare, atq; officere videatur;* } caussam indicat, cur accusandū Roscium Chrysogonus curauerit, & cur eundem condemnari cupiat. PER *scelus* } per necem Roscij patris. PER *luxuriam effundere,* } naturam, & consuetudinem notat Chrysogoni, qui per scelus adepta, per luxuriam effunderet. VT AD *hanc suam prædā tam nefariā adiutores vos profiteamini.* } turpis & iniqua postulatio, oratorie excogitata ad conuertendos iudicū animos ad miserationem afflicti & innocentis rei. QVO *modo mihi persuadeo,* } modeste fingit id se credere, quod qui non credat, vir bonus esse non potest. A CHRYSOGONO *peto,* } vt ab adolescente potentissimo. QVOD *in omnes intenditur,* } argumentum à communi. nam, si Roscius damnatur, periculum fortunis communibus impendet. tale illud pro Deiotaro: Non tam afflictam regiam condicionem dolebam, quam de fortunis communibus extimescebam. CAVSSA *criminis,* } caussa, cur patrem Roscius necare debuerit. IN DEFERENDO *nomine* } in Roscio accusando. NON *recusamus, quin illorum libidini Sex. Roscij vita dedatur.* } in verbo, Dedatur, inest hæc vis: vt agant in eum aduersarij pro summa potestate, quidquid libeat. Similiter pro Quinctio: Inferiorem se esse patitur dumtaxat vsq; eo, ne cum bonis, fama, fortunisque omnibus Sex. Næuij cupiditati, crudelitatique dedatur. QVIBVS *satis nihil est:* } ob luxuriam. in Chrysogonum: de quo paullo ante: Sperat se posse, quod adeptus est per scelus, per luxuriā effundere, atq; consumere. VOS *idoneos habitos,* } quia Roscium apud vos de parricidio accusandū putarunt, sperantes vestris eum sententijs condemnatum iri. ID ASSEQVANTVR, } vt aliena bona possideant. EX SENATV *in hoc*

consi-

consilium delecti estis} delecti à prætore, de parricidijs quærente, ex ijs iudicibus, quos ex ordine senatorio, trecentos, vt opinor, quemadmodum ante legem Gracchi, sortito educi hoc tempore lex Sullæ iubebat. A VOBIS} eo de crimine cognoscentibus SPOLIIS *Sex. Roscij*} tamquam hoste deuicto. ORNATI,} more victorum. VESTRA *dignitas*,} cum; apud quos viros dicã, animaduerto. Commode, ad ingenium; Grauiter, ad auctoritatem; Libere, ad iniquitatem temporum refertur. hæc enim sibi obstare dicit omnia. BONA QVE *cum venia*} si quid peccauero, si qua in re defecero, propter eas caussas, quas proxime exposui. FIDE,} quia puto vos pro fide vestra, iureiurando obstricta, sententiam laturos esse. ALLEVABITIS;} benigne me audiendo. STVDIO, *& industria*,} quidquid studij, industrięq; potero, ad dicendum conferam. ID QVOD *non spero*,} id quod nõ metuo. Eodem sensu Virgilius lib. IV. Aen. Hunc ego si tantum potui sperare dolorem. DEPONERE.} translationem, in eo cœptam, Plus oneris sustuli, quam ferre me posse intelligo, multis deinde verbis exornatam, hoc denique conclusit.

ORATIO.

TE quoque magnopere, M. Fanni, quæso, vt, qualem te iam antea populo Romano præbuisti, cum huic idem quæstioni iudex præesses, talẽ te & nobis, & populo R. hoc tempore imperties. quãta multitudo hominum conuenerit ad hoc iudicium, vides, quæ sit omnium mortalium exspectatio, quæ cupiditas, vt acria ac seuera iudicia fiant, intelligis. lõgo interuallo iudicium inter sicarios hoc primum cõmittitur, cum interea cædes indignissimæ, maximæq; factæ sint, omnes hanc quæstionem, te prætore, de manifestis maleficijs, quotidianoque sanguine haud remissius sperant futuram. qua vociferatione in ceteris iudicijs accusatores vti consueuerũt, ea nos hoc tempore vtimur, qui caussam dicimus. petimus abs te, M. Fanni, à vobisque, iudices, vt quam acerrime maleficia vindicetis, vt quam fortissime hominibus audacissimis resistatis, vt hoc cogitetis, nisi in hac caussa, qui vester animus sit, ostẽdetis, eo prorumpere hominum cupiditatem, & scelus, & audaciam, vt non modo clam, verum etiam hic in foro, ante tribunal tuum, M. Fanni, ante pedes vestros, iudices, inter ipsa subsellia cæ-

tisdaret. OSTENDI, *quam multa ante fieri conuenerit,*} id supra ostendit his verbis: Profectò, si recte vestram bonitatem, ac prudentiam cognoui, non multum me fallit, si consulamini, quid sitis responsuri: primū exspectare: deinde, si latitare, ac diutius ludificare videatur, amicos cōuenire, quęrere quis procurator sit, domum denunciare. dici vix potest, quam multa sint, quæ respondeatis ante fieri oportere, quam ad hanc rationem extremam, necessariam deuenire. QVO *die hunc sibi promisisse dicat,*} nonis Februarij. tota res narratur supra his verbis: Ais esse vadimonium desertū : quæ siuit à te statim, vt Romam rediit, Quinctius, quo die vadimoniū istuc factū esse diceres: respondisti statim, nonis Febr. discedēs, in memoriam rediit Quinctius, quo die Roma in Galliam profectus sit: ad ephemeridē reuertitur: inuenitur dies profectionis, pr. Kal. Febr. Nonis Febr. si Romæ fuit, caussæ nihil dicimus, quin tibi vadimonium promiserit. quid? hoc inueniri qui potest? profectus vna est L. Albius, homo in primis honestus: dicet testimonium : prosecuti sunt familiares & Albium, & Quinctium: dicent hi quoque testimoniū. litteræ P. Quinctij, testes tot, quibus omnibus caussa iustissima est nulla, cur mentiantur, cū adstipulatore tuo cōparabuntur. EO DIE *ne Romæ quidē eum fuisse.*} discessit .n. Roma Quinctius pridie Kal. Febr. TESTIBVS} L. Albio, & ijs, q. psecuti sūt. Albiū & Quinctiū. QVOD *cōtra copiosissime defensū esse cōtendi,*} modus loquēdi, pro, cū ego contra contenderim. Sic in Catone: Cuius à me corpus crematum est: quod contra decuit ab illo meum. pro, cum decuerit contra cremari ab illo meum. Et in Lælio: Peccasse se, non anguntur: obiurgari, moleste ferunt. quod contra oportebat, delicto dolere, obiurgatione gaudere. Et lib. 1. Off. Hoc maximè officij est, vt quisque maxime opis indigeat, ita ei potissimum opitulari. quod contra fit à plerisque. à quo enim plurimum sperant opis, etiam si ille his non eget, tamen ei potissimum inseruiunt. AB EQVITE *Romano* } Sex. Alpheno. PROPINQVO, *& necessario suo,*} P. Quinctij. supra: Pat iste amicum M. Trebellium, nos communem necessari-

ſarium, qui iſtius domi erat educatus, & quo vtebatur iſte plurimum, propinquum noſtrum, Sex. Alphenum. TVM } Marianis dominantibus. TANTVMMODO *ſuperiorem fuiſſe*, } non vſque eo tamen, vt reſpirandi poteſtatem nobis poſſet eripere, quam nunc eripit, Sullanis omnia tenentibus, quorum inimicus fuit. QVOMODO *nunc intendit*, } vt quidem nunc agit in Quinctium. argumentum ex ijs, quæ cernũtur: vt ad Att. lib. XIII. Quo modo nunc eſt, pedem vbi ponat in ſuo, non habet. Ad Q. fr. Quo modo ſe res habet, non eſt facillima. Lib. II. de Orat. Quo modo nunc ſe iſtorum artes habẽt, pertimeſcenda eſt multitudo cauſſarum. NE IN *viuorum quidem numero* } quia non venerit ad vadimonium. OMNINO *autem bona poſſeſſa non eſſe conſtitui*, } hæc tota pars deſideratur. cõmemorat enim, quæ ſupra dixit. NE *adſpirarit quidem*; } non modo non acceſſerit, ſed ne accedere quidem voluerit. hoc verbum voluntatem ſignificat ſine exitu rei: vt in Diuin. In huiuſmodi re quiſquam tam impudens reperietur, qui ad alienam cauſſam inuitis ijs, quorum negotium eſt, accedere, aut adſpirare audeat? Et in bellica laude adſpirare ad Africanum nemo poteſt. PROHIBITVM *fuiſſe*, } à procuratore Quinctij Alpheno. PRIVATA } propria. venit enim in communia. ſupra: De ſaltu agroq; communi deijcitur Quinctius.

ORATIO.

NVNC, *cauſſa perorata, res ipſa, & periculi magnitudo, C. Aquilli, cogere videtur, vt te, atq; eos, qui tibi in conſilio ſunt, obſecret, obteſteturq; P. Quinctius per ſenectutẽ, ac ſolitudinẽ ſuã, nihil aliud, niſi vt veſtræ naturæ bonitatique obſequamini: vt, cũ veritas cũ hoc faciat, plus huius inopia poßit ad miſericordiam, quã illius opes ad crudelitatẽ. quo die ad te iudicẽ venimus, eodẽ die illorũ minas, quas ante horrebamus, negligere cœpimus. ſi cauſſa cum cauſſa contenderet, nos noſtram perfacile cuiuis probaturos ſtatuebamus: quod vitæ ratio cum ratione vitæ decerneret, iccirco nobis etiam magis te iudice opus eſſe arbitrati ſumus. ea res .n. nũc in diſcrimẽ verſatur vtrũ ne poßit ſe cõtra luxuriam, ac licentiam ruſticana illa, atque inculta parcimonia defendere; an deformata, atque ornamentis omnibus ſpoliata, nuda*

cu-

cupiditati, petulantiæque addicatur. Non comparat se tecum gratia P. Quinctius, Sex. Næui, non opibus, non facultate contendit: omnes tuas artes, quibus tu magnus es, tibi concedit. fatetur, se non belle dicere, non ad voluntatem loqui posse, non ab afflicta amicitia transfugere, atque ad florentem aliam deuolare, non profusis sumptibus viuere, non ornare magnifice, splendideque conuiuium, non habere domum clausam pudori & sanctimoniæ, patentem atque adeo expositam cupiditati, & voluptatibus: contra, sibi officium, fidem, diligentiam, vitam omnino semper horridam, atque aridam cordi fuisse. ista superiora esse, ac plurimum posse his moribus, sentit. quid ergo est? non vsque eo tamen, vt in capite, fortunisque hominum honestissimorum dominentur ij, qui, relicta bonorum virorum disciplina, & quæstum, & sumptum Gallonij sequi maluerunt, atque etiam, quod in illo non fuit, cum audacia, perfidiaque vixerunt. si licet viuere eum, quem Sex. Næuius non vult: si est homini honesto locus in ciuitate inuito Næuio: si fas est respirare P. Quinctium contra nutum ditionemque Næuij: si, quæ pudore ornamenta sibi peperit, ea potest contra petulantiam te defendente obtinere: spes est, & hunc miserum, atque infelicem aliquando tandem posse consistere. sin & poterit Næuius id, quod libet; & ei libebit, quod non licet: quid agendum est? qui deus appellandus est? cuius hominis fides imploranda est? qui denique questus, qui mœror dignus inueniri calamitate tanta potest? Miserum est, exturbari fortunis omnibus: miserius est, iniuria. acerbum est, ab aliquo circumueniri: acerbius, à propinquo. calamitosum est, bonis euerti: calamitosius, cum dedecore. funestum est, à forti, atque honesto viro iugulari: funestius, ab eo, cuius vox præconio quæstu prostitit. indignum est, à pari vinci, aut superiore: indignius, ab inferiore, atque humiliore. luctuosum est, tradi alteri cum bonis: luctuosius, inimico. horribile est, caussam capitis dicere: horribilius, priore loco dicere. omnia circumspexit Quinctius, omnia periclitatus est, C. Aquilli: non prætorem modo, à quo ius impetraret, inuenire non potuit, atque adeo ne vnde arbitratu quidem suo postularet, sed ne amicos quidem Sex. Næuij, quorũ sæpe & diu ad pedes iacuit stratus, obsecrans per deos immortales, vt aut secum iure cõtenderent, aut iniuriam sine ignominia sibi imponerent. denique ipsius inimici vultum superbissimum subijt: ipsius Sex. Næuij lacrumans manũ apprehendit, in propinquorum bonis proscribendis exercitatam: ob-

secrauit per fratris sui mortui cinerem, per nomen propinquitatis, per ipsius coniugem, & liberos, quibus propior P. Quinctio nemo est vt aliquando misericordiam caperet; aliquam, si non propinquitatis, at ætatis suæ, si non hominis, at humanitatis rationem haberet; vt secum aliquid, integra sua fama, qualibet, dummodo tolerabili, condicione transigeret. ab ipso repudiatus, ab amicis eius non subleuatus, ab omni magistratu agitatus, atque perterritus, quem, præter te, appellet, habet neminem. tibi se, tibi suas oẽs opes fortunasq; commendat: tibi committit existimationem, ac spem reliquæ vitæ: multis vexatus contumelijs, plurimis iactatus iniurijs, non turpis ad te, sed miser confugit. e fundo ornatissimo deiectus, ignominijs omnibus appetitus: cum illum in suis paternis bonis dominari videret, ipse filiæ nubili dotem conficere non posset, nihil alienum tamẽ vita superiore commisit. itaque te hoc obsecrat, C. Aquilli, vt, quã existimationem, quam honestatem in iudicium tuum prope acta iã ætatẽ decursaque attulit, eam liceat ei secum ex hoc loco efferre; ne is, de cuius officio nemo vmquam dubitauit, sexagesimo denique anno dedecore, macula, turpissimaque ignominia notetur; ne ornamentis eius omnibus Sex. Næuius pro spolijs abutatur: ne per te fiat, quo minus, quæ existimatio P. Quinctium vsque ad senectutẽ perduxit, eadem, vsque ad rogum prosequatur.

EXPLANATIO.

ETIAM *magis te indice opus esse* } cui vitam Quinctij magis probatum iri putauimus, quam Næuij. nam de caussa nullo iudice dubitãdũ statuebamus. NON AB *afflicta amicitia trãsfugere*, } quemadmodum Næuius à Marianis, vbi partes eorum afflictas vidit, ad Sullanos florentes transfugit. de quo supra: Tu, postquam, qui tibi erãt amici, nõ poterant vincere; vt amici tibi essent, qui vincebant, effecisti. ISTA } quæ Næuij sunt. HIS *moribus* } idem supra: Antiquam officij rationem dilexit, cuius splendor omnis his moribus obsoleuit. QVID *ergo est?* } quid ex eo sequitur? non vsque eo tamen superiora esse ista sentit, vt &c. DISCIPLINA, } quam semper coluit Quinctius, officium, fidem, diligentiam rebus omnibus anteponens. QVAESTVM, } indignum bono viro. SVMPTVM } P. Gallonium vt hominem ne-

quam-

quam,profusumq; nepotem, Lucilius poëta nominat: O Publi,o gurges Galloni,non es homo,inquit.Et lib.II. de Fin.Qui ad voluptatē omnia referens,viuit vt Gallonius, loquitur vt Frugi ille Piso. NAEVII} vim habet in fine membri idem nomen : ornatū quoque sumit ex casuum varietate.primum enim membrū terminat, Næuius;alterum,Næuio,tertium,Næuij.SI LICET *viuere eum,quem Sex.Næuius non vult;* } miseratio plurimum valet in epilogis.ea commouetur ex aduersarij maxime potentia,& crudelitate,ex inopia rei,& calamitate.huic loco similis ille pro Roscio Amerino:Si à Chrysogono,iudices,non impetramus, vt pecunia nostra cōtentus sit, vitam ne petat.CONTRA *nutum,ditionemq; Næui;*}summa potentia demonstratur. Habet autem indignationē quandam Næuij nomen ter varie pronunciatum, acerba præsertim in re:Quem Sex.Næuius non vult : inuito Næuio:contra nutum,ditionemque Næuij.TE DEFENDENTE} te iudice, C.Aquilli. APPELLANDVS} vt opem ferat. EST?} vim habet, Est,tribus locis in fine vsurpatum.MISERVM *est,exturbari fortunis omnibus: miserius est, iniuria.* } modus exaggerandi per similitudinē.nā,si illud est, multo magis hoc.illud cōceditur ex cōmuni sensu:hoc,adiecta caussa,concedatur, necesse est. ac nescio,an vsquam hunc locum copiosius Cicero attigerit. vnam enim sententiam, quæ ad Quinctij declarandam infelicitatem pertinet, in septem partes distribuit: & simul vbertatem ingenij summam, eloquentiam,cupidis adolescentibus vtilissimam,ostendit, eas ipsas partes diuersis nominibus inducens : Miserum est, acerbum, calamitosum, funestum, indignum, luctuosum,horribile. Idem ornamentum,non tamen eadem copia,lib.II.in Verr.agnoscitur.Si illud est,inquit, tam flagitiosum,ꝙ mihi omniumrerū turpissimum, maximeque nefarium videtur, ob rem iudicandam pecuniam accipere, pretio habere addictam fidem, & religionem:quanto illud flagitiosius, improbius,indignius, eum, à quo pecuniam ob absoluendum acceperis, condemnare:vt ne prædonū quidē prætor,in fidē retinenda

con-

consuetudinem conseruaret; scelus est, accipere ab reo, quanto magis ab accusatore? quanto etiam sceleratius ab vtroque? CVM *dedecore:*} cum probro, ignominiaque deserti vadimonij. CVIVS *vox præconio quæstu prostitit.*} more meretricum. Acerbior in Næuium sententia, quã si legatur vt antea. Cuius vox in præconio quæstum præstitit. ATQVE *adeo ne vnde arbitratu quidem suo postularet:*} statim reiectus, atque perterritus. IVRE *contenderent,*} vel vtroque satisdante, vel neutro, re delata ad iudicium pecuniarium, vnde reliqua omnia difficillima, cum summa Quinctij inuidia, maximoque periculo, nata sunt. AVT *iniuriam sine ignominia sibi imponerent.*} tribuit amicis Næuij, quæ Næuij sunt. quod eorum potentia fultus, & petere iniusta Næuius auderet, & consequeretur. quam vero Næuius iniuriam Quinctio imponebat, hæc erat, Quia peteret ab eo, qui nihil deberet: Ignominia, quia cogeret Quinctium, sponsione facta, priore loco caussã dicere: quasi bona eius ex edicto prætoris possessa essent, vadimonij deserti caussa, VVLTVM *superbissimum subijt*} subire vultum eorum est, qui aliquid humiliter petunt. vnde illud Cœlij: Malui collegæ eius, homini alienissimo mihi, & propter amicitiam tuam non æquissimo, me obligare, quã illius simiæ vultum subire. PROPINQVORVM} quia bona Quinctij pscripserat Næui9 ex edicto Burrieni. HOMINIS,} proprie ipsius Quinctij. AT *humanitatis*} quæ cuiuis homini à quouis homine hoc ipso debetur, quo homines æque sunt, & alterum alteri communis omnium mater natura commendat. AB OMNI *magistratu.*} multis iudicijs conflictatum, & vexatum esse Quinctium, supra intelligitur, vt in eo: Cũ adhuc ei propter vim aduersariorũ non ius par, non agendi potestas eadẽ, non magistratus æqu9 reperiri potuerit. Et: Quid hoc tempore Quinctio statuendũ est? cui nec magistratus adhuc æquus inuentus est, nec iudiciũ redditũ est vsitatũ. NON *turpis*} nullo insignis crimine. E FVNDO} Gallicano. IN SVIS *paternis bonis*} fundus ille C. Quinctij, P. fratris, fuerat: itaque, Fraternis, non, Paternis, magis fortasse ali-

aliquis probabit. sed eum fortasse fundum pater vtriusque C. Quinctio proprium reliquerat. NIHIL *alienum tamen vita superiore commisit.* } nihil turpe. propterea enim dixit, Non turpis ad te, sed miser confugit. EX HOC *loco efferre:* } quam hic relinquet, si tu eum condemnabis. PRO *spolijs* } tamquam victor exsultans. NE PER *te ferat.* } ne accidat ei per te iudicem; vt honestatem suam nunc amittat: quam ad hanc diem recta & laudabili ratione partam, atque conseruatam, vt ad exitum vitæ retinere liceat, supplex à te petit. AD *rogum* } cremari Romæ mos fuit corpora mortuorum. quidam tamen cremati non sunt, sed humi locati, & conditi, vt C. Marius, cuius apud Anienem sitas reliquias dissipari victor Sulla iussit. quod idem ne suo fortasse corpori accideret, primum ex Cornelijs patricijs cremari voluisse, auctor est Cicero: & ideo Ennium ait de Africano, qui Corneliæ patriciæ gentis fuit, scripsisse: Hic est ille situs. quia siti dicantur ij, qui conditi sunt. Lib. I. de Legibus.

IN ORATIONEM CICERONIS PRO SEX. ROSC. AMERINO.

PAVLLI MANVTII COMMENTARIVS.

ARGVMENTVM.

L. CHRYSOGONVS, *Sullæ dictatoris libertus, Sex. Roscij Amerini interfecti bona, tamquam vnius è proscriptorum numero, coemerat: cumq; Rosciũ à Sulla proscriptum non fuisse, satis exploratum haberet, verereturq; ne quando filius eius, pro quo hæc habita oratio est, paterna bona repeteret; induxit C. Erutium, qui eum de parricidio accusaret, parricidijque caussam afferret, quod eum pater, in prædia rustica amandatum, exheredare cogitaret. Roscium Cicero defendit, non minore animo, quã ingenio. libere enim in Chrysogonum, Sullæ libertum, valdeq; gratiosum, est inuectus. Calumniam autem refellit tribus argumẽtis: primum, quod Roscio, cur patrem odisse, ac se tam nefario scelere adstringere deberet, caussæ nihil esset: deinde, quod in duos potius Roscios, Capitonem, & Magnum, cum quibus patri Roscio veteres inimicitiæ fuerant, eius maleficij suspicio caderet: postremo, quod Chrysogonus, potentia sua fretus, Roscij patris bona*

 ab ha-

M. TVLLII. CICERONIS. PRO. SEX. ROSC. AMERINO.

ORATIO. II.

CREDO ego vos, iudices, mirari, quid sit, quod, cum tot summi oratores, hominesque nobilissimi sedeant, ego potissimum surrexerim, is, qui neque ætate, neque ingenio, neque auctoritate sim cum his, qui sedeant, comparandus. omnes enim hi, quos videtis adesse in hac caussa, iniuriam nouo scelere conflatam putant oportere defendi, defendere ipsi propter iniquitatem temporum non audent. ita fit, vt adsint, propterea quod officium sequuntur, taceant autem idcirco, quia periculum metuunt. quid ergo? audacissimus ego ex omnibus? minime. at tanto officiosior, quam ceteri? ne istius quidem laudis ita sum cupidus, vt alijs eam præreptam velim. quæ me igitur res præter ceteros impulit, vt caussam Sex. Roscij reciperem? quia, si quis istorum dixisset, quos videtis adesse, in quibus summa auctoritas est, atque amplitudo; si verbum de Rep. fecisset, id quod in hac caussa fieri necesse est; multo plura dixisse, quam dixisset, putaretur: ego etiam si omnia, quæ dicenda sunt, libere dixero, nequaquam tamen similiter oratio mea exire, atque in vulgus emanare poterit: deinde, quod ceterorum neq; dictum obscurum potest esse propter nobilitatem, & amplitudinem. neque temere dicto concedi propter ætatem, & prudentiam; ego si quid liberius dixero, vel occultum esse propterea, quod nondum ad Remp. accessi, vel ignosci adolescentiæ meæ poterit. tametsi non modo ignoscendi ratio, verum etiam cognoscendi consuetudo iam de ciuitate sublata est. accedit illa quoque caussa, quod à ceteris forsan ita petitum sit, vt dicerent, vt vtrumuis saluo officio se facere posse arbitrarentur: à me autem ij contenderunt, qui apud me & amicitia, et beneficijs, & dignitate plurimum possunt: quorum ego neque beneuolentiam erga me ignorare, nec auctoritatem aspernari, nec voluntatem negligere debeam. His de caussis ego huic caussæ patronus exstiti, non electus vnus, qui maximo ingenio, sed relictus ex omnibus, qui minimo periculo possem dicere: neque vti satis firmo præsidio defensus Sex. Roscius, verum vti ne omnino desertus esset.

EXPLANATIO.

SVMMI *oratores, hominesque nobilissimi sedeant,*} sedebant in subsellijs rei, nō vt patroni, sed, vt aduocati. NEQVE *auctoritate*} nullis dum gestis magistratibus. INIVRIAM *nouo scelere conflatam*} iniuriam, quæ Sex. Roscio infertur, de patris interitu accusatur ab ijs, ad quos maxime facinoris eius culpa pertinet. Nouo scelere, quia duo scelera sunt: vnum occidisse Roscij patrem tamquam proscriptum à Sulla, qui proscriptus non erat, & eius bona, tamquam proscripti ab hasta coemisse: alterum, innocentem ac miserum eius filium, paternis bonis iniuste priuatum, ne quando ea recuperare posset, de parricidio accusare. PROPTER *iniquitatem temporum*} metu Sullæ dominantis. nam satis constabat, & gratia valere plurimum apud Sullam libertum eius Chrysogonum, & ab eodem liberto oppugnari in iudicio Roscium, propter paterna bona. Sic igitur excusat oratores, Roscij amicos, qui tacerent, vt statum temporum accuset, nullo metu Sullæ. quamquam, hac oratione habita, in Græciam se contulit, aduersam valetudinem simulans, reuera quod Sullæ odium timeret. Plutarchus. OFFICIVM *sequuntur*;} caussam Roscij metu Sullæ non agunt; ei tamen, iniuste vexato, adducti officio præsentes fauent. ID QVOD *in hac caussa fieri necesse est*;} defendi Roscius non potest, nisi contra Chrysogonum verba fiant. Chrysogonum autem accusare, quid aliud est, quam Sullam ipsum, cuius ille gratia nititur, & præsentē Reip. statum in inuidiam vocare? EGO} cuius nec auctoritas, nec amplitudo eadem est. NONDVM *ad remp. accessi*,} nōdum honores gesserat, ac ne ætate quidem erat senatoria, quę XXX annorum fuit, vt alio loco diximus. NON *modo ignoscendi*} hoc quoque contra Sullam, qui, quos ciuili bello aduersarios habuerat, eorum post victoriam ignouisset nemini. COGNOSCENDI} cognoscere de criminibus prætores dicebantur. eam cognitionem, Sulla dominante, liberam non esse, nō obscurè narrat. Iudicabāt autem hoc tempore soli senatores, lege Sullæ: qui, equitibus

tibus iratus, quod à Marianis partibus ſteterāt, cum alijs eos affecit, incommodis, tum vero iudicandi munere, quod lege C. Grachi per annos X L tenuerant, priuauit: vt veriſimile ſit, qui lege Sullæ dominantis iudicia, equitibus erepta, adminiſtrarent, eius voluntatem, cuius beneficio honorem illum ac poteſtatem eſſent adepti, in iudicādo potiſſimum exſpectare debuiſſe. Notetur lepidum παράγραμμα, Non modo ignoſcendi, verum etiam cognoſcendi. VT DICERENT,} vt Roſcium defenderent. SALVO *officio*} quia non, vt à me, contenderunt ij, qui apud eos & amicitia, & beneficijs, & dignitate plurimum poſſent. ita licuit ijs Roſcij cauſſam ſaluo officio non ſuſcipere. quod mihi non licuit. CONTENDERVNT} de illis dixit, Petitum; de ſe, Contenderunt; in quo vis maior. AVCTORITATEM} cum auctores mihi ſunt, vt aliquid agam, ſicuti auctores fuerūt, vt Roſcij cauſſam ſuſciperem. VOLVNTATEM} quam pro Roſcio ſummam oſtenderunt. NE OMNINO *deſertus*} tacite opem implorat ab equite iudicum; cum Roſcius infirmo defenſionis præſidio nitatur.

ORATIO.

FORSITAN *queratis, qui iſte terror ſit, & quæ tanta formido, quæ tot, ac tales viros impediat, quo minus pro capite & fortunis alterius, quemadmodum conſueuerunt, cauſſam velint dicere. quod adhuc vos ignorare non mirum eſt: propterea quod conſulto ab accuſatoribus eius rei, quæ conflauit hoc iudiciū, mentio facta nō eſt? quæ res ea eſt? bona patris huiuſce Sex. Roſcij, quæ ſunt ſexagies, quæ de viro fortiſſimo, & clariſſimo L. Sulla, quem honoris cauſſa nomino, duobus millibus nummum ſe ſe dicit emiſſe, adoleſcens, vel potentiſſimus hoc tempore noſtræ ciuitatis, L. Cornelius Chryſogonus. is à vobis, iudices, hoc poſtulat, vt, quoniam in alienam pecuniam, tam plenam, atque præclaram, nullo iure inuaſerit; quoniamque ei pecuniæ vita Sex. Roſcij obſtare, atq; officere videatur; deleatis ex animo ſuo ſuſpicionem omnem, metumque tollatis. ſe ſe, hoc incolumi non arbitratur huius innocentis patrimonium tam amplū, & copioſum poſſe obtinere; damnato, & eiecto, ſperat ſe poſſe, quod adeptus eſt per ſcelus, id per luxuriam effundere, atque conſumere. hunc ſibi ex animo ſcrupu-*

ium, qui se dies noctesq; stimulat, ac pungit, vt euellatis, postulat; & ad hanc suam prædam tam nefariam adiutores vos profiteamini. Si vobis æqua & honesta postulatio videtur, iudices; ego contra breuem postulationem affero, &, quo modo mihi persuadeo, aliquanto æquiorem. Primum à Chrysogono peto, vt pecunia, fortunisque nostris contentus sit, sanguinem, & vitam ne petat: deinde à vobis, iudices, vt audacium sceleri resistatis, innocentium calamitatem leuetis, & in caussa Sex. Roscij periculum, quod in omnes intēditur, propulsetis. quod si aut caussa criminis, aut facti suspicio, aut quælibet denique vel minima res reperietur, quamobrem videantur illi non nihil tamen in deferendo nomine secuti; postremo si præter eam prædam, quam dixi, quidquam aliud caussæ inueneritis: non recusamus, quin illorum libidini Sex. Roscij vita dedatur. sin aliud agitur nihil, nisi vt ijs ne quid desit, quibus satis nihil est; si hoc solum hoc tempore pugnatur, vt ad illam opimam, præclaramq; prædam damnatio Sex. Roscij, velut cumulus, accedat: non ne cum multa indigna, tum vel hoc indignissimum est, vos idoneos habitos, per quorum sententias, iusque iurandum id assequantur, quod antea ipsi scelere, & ferro assequi consuerunt? qui ex ciuitate in senatum propter dignitatem, ex senatu in hoc consilium delecti estis propter seueritatem, ab his hoc postulare homines sicarios, atque gladiatores, non modo vt supplicia vitent, quæ à vobis pro maleficijs suis metuere, atque horrere debent, verū etiam vt spolijs Sex. Roscij hoc iudicio ornati auctiq; discedant? His de rebus tantis, tamq; atrocibus neq; satis me commode dicere, neq; satis grauiter conqueri, neq; satis libere vociferari posse intelligo. nam commoditati ingenium, grauitati ætas, libertati tempora sunt impedimēto. huc accedit summus timor: quē mihi natura, pudorq; meus attribuit, & vestra dignitas, & vis aduersariorum, & Sex. Roscij pericula. Quapropter vos oro, atq; obsecro, iudices, vt attente, bonaq; cū venia verba mea audiatis. fide sapientiaq; vestra fretus, plus oneris sustuli, quā ferre me posse intelligo. hoc onus si vos aliqua ex parte alleuabitis, feram, vt potero, studio, & industria, iudices. sin à vobis, id quod non spero, deserar, tamen animo non deficiam, & id, quod suscepi, quoad potero, perferam. quod si perferre non potero, opprimi me onere officij malo, quam id, quod mihi cum fide semel impositū est, aut propter perfidiam abijcere, aut propter infirmitatem animi deponere.

EXPLANATIO.

SEXAGIES} quæ ſunt, nummo noſtro, ſcutatorum CLXXX. millia. Quod autem Cicero, ſexagies, Plutarchus CCL. talenta dixit. quod idem eſt. nam talentum Atticum (id enim ſignificatur in Latinis monumentis,) cum nihil additur ſcutatis, valet DCCCXX. DE VIRO *clariſsimo,*} à viro clariſſimo. nota locutio. ad Sextium: Cum de Craſſo domum emiſſem. QVEM *honoris cauſſa nomino,*} cum neſcirent, nominari, necne, aliquis vellet, hoc addebant, vrbanitatis gratia, Quem honoris cauſſa nomino. & hoc de viuis tantum: nam, ſi cuius mortui mentio fieret, omittebatur, vt exemplis intelligitur. paullo poſt de familijs nobiliſſimis, Metellis, Seruilijs, Scipionibus, Quas familias, inquit, honeſtatis, atque amplitudinis gratia nomino. nec multo poſt: Romam confugit, & ſeſe ad Cęciliam, nepotis filiam, quam honoris cauſſa nomino, contulit. DVOBVS *millibus nũmum*} ſcutatis ſexaginta. nũmus enim, & ſeſtertius, idem ſunt. Plutarchus empta dicit duobus millibus drachmarum, quadruplicata ſumma, id eſt octo millibus nummum. nam drachma, Græcus nummus, denario fere Romano reſpondet. denarius autem quattuor complectitur ſeſtertios. DICIT *emiſſe*} nam, ſi dixiſſet, emit, inuidioſum erat, & querella quædam eſſe de ſtatu Reip. videbatur, cum ea bona, quæ eſſent ſexagies, duobus millibus nummum à Sulla venderentur: ſed ait, Dicit emiſſe: vt oſtendat, in ea, non empta, Chryſogonũ ſua ſponte, nullo iure fretum, Sullæ gratia, inuaſiſſe. ADOLESCENS *vel potentiſsimus hoc tempore noſtræ ciuitatis,*} ſingula verba ad inuidiam Chryſogono valent. Adoleſcens: qui luxuriæ, libidiniq́ue ſeruiat, rationis & prudentiæ propter ætatem expers. Vel potentiſſimus: quæ potentia, ſi mediocris eſſet, in adoleſcente non probaretur, ea vel ſumma eſt. Hoc tempore: cum ad vnum referantur omnia. Noſtræ ciuitatis: miſerabiliter dictum: vt ſi dixiſſet. Videte noſtrã ciuitatem: in qua vel liberti licere ſibi volunt, quidquid libet. L. CORNELIVS} & prænomen, & nomẽ accepit à patrono Sulla, more li-

bertorum. IS A VOBIS, *iudices, hoc postulat,* } mire, ad ostendēdam Chrysogoni audaciam, iniquissima postulatione vtentem inducit. IN ALIENAM *pecuniā* } pecuniæ nomine bona Sex. Roscij comprehendit omnia. patrimonium infra vocat:& quod hic, Tam plenam, atque præclaram;ibi, Tam amplum, & copiosum: & paullo post, Opimam, præclaramque prædam. QVONIAMQ. *ei pecuniæ vita Sex. Roscij obstare, atq; officere videatur;* } caussam indicat, cur accusandū Roscium Chrysogonus curauerit,& cur eundem condemnari cupiat. PER *scelus* } per necem Roscij patris. PER *luxuriam effundere,* } naturam, & consuetudinem notat Chrysogoni, qui per scelus adepta, per luxuriam effunderet. VT AD *hanc suam prædā tam nefariā adiutores vos profiteamini.* } turpis & iniqua postulatio, oratorie excogitata ad conuertendos iudicū animos ad miserationem afflicti & innocentis rei. QVO *modo mihi persuadeo,* } modeste fingit id se credere, quod qui non credat, vir bonus esse non potest. A CHRYSOGONO *peto,* } vt ab adolescente potentissimo. QVOD *in omnes intenditur,* } argumentum à communi. nam, si Roscius damnatur, periculum fortunis communibus impendet. tale illud pro Deiotaro: Non tam afflictam regiam condicionem dolebam, quam de fortunis communibus extimescebam. CAVSSA *criminis,* } caussa, cur patrem Roscius necare debuerit. IN DEFERENDO *nomine* } in Roscio accusando. NON *recusamus, quin illorum libidini Sex. Roscij vita dedatur.* } in verbo, Dedatur, inest hæc vis: vt agant in eum aduersarij pro summa potestate, quidquid libeat. Similiter pro Quinctio: Inferiorem se esse patitur dumtaxat vsq; eo, ne cum bonis, fama, fortunisque omnibus Sex. Næuij cupiditati, crudelitatique dedatur. QVIBVS *satis nihil est:* } ob luxuriam. in Chrysogonum: de quo paullo ante: Sperat se posse, quod adeptus est per scelus, per luxuriā effundere, atq; consumere. VOS *idoneos habitos,* } quia Roscium apud vos de parricidio accusandū putarunt, sperantes vestris eum sententijs condemnatum iri. ID ASSEQVANTVR, } vt aliena bona possideant. EX SENATV *in hoc*

consilium delecti estis} delecti à prætore, de parricidijs quærente, ex ijs iudicibus, quos ex ordine senatorio, trecentos, vt opinor, quemadmodum ante legem Gracchi, sortito educi hoc tempore lex Sullæ iubebat. A VOBIS} eo de crimine cognoscentibus SPOLIIS *Sex. Roscij*} tamquam hoste deuicto. ORNATI,} more victorum. VESTRA *dignitas*,} cum; apud quos viros dicā, animaduerto. Commode, ad ingenium; Grauiter, ad auctoritatem; Libere, ad iniquitatem temporum refertur. hæc enim sibi obstare dicit omnia. BONA QVE *cum venia*} si quid peccauero, si qua in re defecero, propter eas caussas, quas proxime exposui. FIDE,} quia puto vos pro fide vestra, iureiurando obstricta, sententiam laturos esse. ALLEVABITIS;} benigne me audiendo. STVDIO, & *industria*,} quidquid studij, industriæq; potero, ad dicendum conferam. ID QVOD *non spero*,} id quod nō metuo. Eodem sensu Virgilius lib. IV. Aen. Hunc ego si tantum potui sperare dolorem. DEPONERE.} translationem, in eo cœptam, Plus oneris sustuli, quam ferre me posse intelligo, multis deinde verbis exornatam, hoc denique conclusit.

ORATIO.

TE quoque magnopere, M. Fanni, quæso, vt, qualem te iam antea populo. Romano præbuisti, cum huic idem quæstioni iudex præesses, talē te & nobis, & populo R. hoc tempore impertias. quāta multitudo hominum conuenerit ad hoc iudicium, vides, quæ sit omnium mortalium exspectatio, quæ cupiditas, vt acria ac seuera iudicia fiant, intelligis. lōgo interuallo iudicium inter sicarios hoc primum cōmittitur, cum interea cædes indignissimæ, maximæq; factæ sint, omnes hanc quæstionem, te prætore, de manifestis maleficijs, quotidianoque sanguine haud remissius sperant futuram. qua vociferatione in ceteris iudicijs accusatores vti consueuerūt, ea nos hoc tempore vtimur, qui caussam dicimus. petimus abs te, M. Fanni, à vobisque, iudices, vt quam acerrime maleficia vindicetis, vt quam fortissime hominibus audacissimis resistatis, vt hoc cogitetis, nisi in hac caussa, qui vester animus sit, ostēdetis, eo prorumpere hominum cupiditatem, & scelus, & audaciam, vt non modo clam, verum etiam hic in foro, ante tribunal tuum, M. Fanni, ante pedes vestros, iudices, inter ipsa subsellia cæ-

des futuræ sint. etenim, quid aliud hoc iudicio tentatur, nisi vt id fieri liceat? accusant ij, qui in fortunas huius inuaserunt: caussam dicit is, cui præter calamitatem nihil reliquerunt, accusant ij, quibus occidi patrem Sex. Roscij bono fuit: caussam dicit is, cui non modo luctum mors patris attulit, verum etiam egestatem. accusant ij, qui hunc ipsum iugulare summe cupierunt: caussam dicit is, qui etiam ad hoc ipsum iudicium cum præsidio venit; ne hic ibidem ante oculos vestros trucidetur. denique accusant ij, quos populus poscit: caussam dicit is, qui vnus relictus ex illorum nefaria cæde restat. atque, vt facilius intelligere possitis, iudices, ea, quæ facta sunt, indigniora esse, quam hæc sunt; quæ dicimus, ab initio res quemadmodum gesta sit, vobis exponemus; quo facilius & huius hominis innocentissimi miserias, & illorum audaciam cognoscere possitis, & Reip. calamitatem.

EXPLANATIO.

M. FANNI, } prætor. CVM *huic idem quæstioni iudex præesses,* } iudicia de sicarijs ciuili bello intermissa fuerant. Sulla victor & Remp. & iudicia restituit. præfuerat igitur Fannius ante bellũ huic quæstioni, iudex tamen, non prætor. nam prætor non iudicat, sed quærit de crimine, vnde quæsitoris nomen: contra iudex quęstionis nõ quærit, sed iudicat, & quęstioni præest. itaque in eodem iudicio & prætor est, & iudex quæstionis, vt in caussa Verris repetundarum, prætor M. Acilius Glabrio, iudex quæstionis Q. Curtius. quod si pretor Fannius ei quæstioni tunc præfuisset: bis prætorem fuisse, cogeremur credere: quod inusitatum fuisse, vno tantum, quod sciã, M. Marij Gratidiani exemplo, satis constat. Differre etiam iudicem quæstionis à prætore, argumento illud est, quod prætor, seruaturum se esse leges, non iurabat; quod ex multis locis intelligitur; iudex autem quæstionis iurabat: quod quia minus notum, probandum videtur. est igitur in oratione pro Cluentio, de quæstionis iudice C. Iunio: Multam petiuit: qua lege? quod in legem non iurasset. Accedit illa caussa, quod, qui præturam gereret, condemnari eum in magistratu, mos non fuit. nam post magistratum, non in magistratu, reddere rationem oportebat earũ rerum, quæ quis in geren-

gerendo magiſtratu contra leges commiſiſſe putaretur: at C. Iunius, cum eſſet iudex quæſtionis, tum eſt condemnatus. Nam Pedianum non audio, dicentem: Iunius quęſitor fuit in Cluentij cauſſa, Verre prętore. ex quo ſequeretur, duos quæſitores in eadē cauſſa fuiſſe, Iuniū, & Verrem. & ipſe Pedianus alio loco principem iudicem Iunium appellat, non excludens eum à numero iudicū, ſed principem ei locum tribuens. Aut igitur errauit Aſconius: aut mendoſi libri ſunt: aut, Quæſitor, pro, quæſtionis iudex, dictum putemus. Obijci poteſt, vt ex contraria quadam ratione, Q. Voconium Naſonem, cuius quęſtio fuit de veneficijs, iudicem quæſtionis dici, cum prætor ſit. ſic enim in eadem oratione ſcriptum eſt: Iubet lex ea, qua lege hæc quæſtio conſtituta eſt, iudicem quæſtionis, hoc eſt Q. Voconium, cum ijs iudicibus, qui ei obuenerint, quærere de veneno. Reſpondetur, legem communiter loqui, nec prætorem, nec iudicem proprie ſignificare, ſed eum, cui iudices obueniſſent, quiq; iudicio præeſſet. præerat autem in Cluentij cauſſa non iudex quæſtionis, ſed Voconius prætor, quæſtionem illam ſortitus. ideo ſubiungit Cicero, Hoc eſt Q. Voconium. At iudices prætori obueniebant, non iudici quæſtionis. Qui probatur? fieri enim poteſt, vt interdum ſine prætore iudex quæſtionis iudicio præfuerit, & quæſierit. quod ſi ita eſt: defenditur Aſconius, qui Iunium quæſitorem appellauerit. nā Verrem, prætorem vrbanum, quæſijſſe de veneno, mihi quidem veriſimile numquam fiet. LONGO *interuallo*} dixi iam, aliquot annis propter ciuile bellum, cum ſumma eſſet in vrbe gladiatorum licentia, cædesq; maximæ fierent, intermiſſa fuiſſe de ſicarijs iudicia: quippe, cum dominarentur ij, quorum iuſſu, permiſſuve cædes fierēt. HOC *primum committitur,*} gratia & potentia Chryſogoni, Roſcium de medio tollere cupientis. Committitur, proprie, de re, cuius initium fit, vt Cōmittere ludos, apud Ciceronem; prælium apud Cæſarem, ſpectaculum, apud Liuium, pro incipere. HANC *quæſtionem*} tibi hoc anno ſorte datam. QVOTIDIANOQVE *ſanguine*} vt in victoria ſolet accidere, ſuum quemque inimicum,

ſpretis

ſpretis legibus,vlciſcente. QVI *cauſſam dicimus.*} qui rei ſumus.cauſſam enim dicere, reorum eſt: &, cauſſam dixit de repetundis, de ambitu, de maieſtate, quæ crebro reperiuntur,nihil aliud eſt,quam, accuſatus eſt de repetundis, de ambitu, de maieſtate. HIC *in foro, ante tribunal tuum,*} in foro iudicia fiebant, in ea parte, quæ Comitium vocabatur,in baſilicis. INTER *ipſa ſubſellia*} trina ſubſellia erant,iudicũ,reorum,accuſatorum.Aſconius,minorum quoque magiſtratuum, qui nõ ſederent in ſellis curulibus,vt tribunorum,triumuirorum,quęſtorum,ait ſubſellia fuiſſe, tribunalia vero prætorum. BONO *fuit:*}cum in eius bona inuaſerint.quod argumento eſt,ab ipſis occiſum eſſe.idque potiſſimum in cauſſis quęrendum eſſe.L.Caſſius ille, qui ſcopulus reorũ,ob nimiam ſeueritatem dictus eſt,exiſtimabat.infra:L.Caſſius ille,quem populus Romanus veriſſimum & ſapientiſſimũ iudicem putabat, identidem in cauſſis quærere ſolebat, cui bono fuiſſet.Pro Milone:Illud Caſſianum, Cui bono fuerit,in his perſonis valeat.Quo loco Aſconius,L.Caſſius,inquit,ſummæ vir ſeueritatis, quoties quæſitor iudicij alicuius eſſet,in quo quæreretur, cui bono fuiſſet perire eum,de cuius morte quæreretur.Idem obijcit Antonio de morte Cæſaris Phil. II. Quod ſi te,inquit,in iudicium quis adducat,vſurpetque illud Caſſianum, Cui bono fuerit: vide, quæſo, ne hæreas. TRVCIDETVR.} nam,vt infra dicitur, aduerſarij eius ad iudiciũ cum ferro,teliſque venerant,freti potentia Chryſogoni,Sullę liberti.QVOS *populus poſcit:*}ad pœnam,propter cędes,aliaque ſcelera. De Chryſogono maxime dictum videtur. REIP. *calamitatem.*}in qua hæc impune fiãt,in Sullam.

ORATIO.

SEX. *Roſcius pater huiuſce,municeps Amerinus,fuit cum genere, & nobilitate, & pecunia non modo ſui municipij, verũ etiam eius vicinitatis facile primus, tum gratia atque hoſpitijs florens hominum nobiliſsimorum. nam cum Metellis, Seruilijs, Scipionibus erat ei non modo hoſpitium, verum etiam domeſticus vſus, & conſuetudo. quas, vt æquum eſt, familiæ, honeſtatis amplitudinisque gratia nomino. itaque ex ſuis omnibus commodis hoc*

ſolum

solum filio reliquit. nam patrimonium domestici prædones vi ereptum possident: fama, & vita innocentis ab hospitibus, amicisque paternis defenditur. hic cum omni tempore nobilitatis fautor fuisset, tum hoc tumultu proximo, cum omnium nobilium dignitas, & salus in discrimen veniret, præter ceteros in ea vicinitate eam partem, caussamque opera, studio, auctoritate defendit. etenim rectum putabat pro eorum honestate se pugnare, propter quos ipse honestissimus inter suos numerabatur. postea quam victoria constituta est, ab armisq; recessimus; cum proscriberētur homines, atque ex omni regione caperentur ij, qui aduersarij fuisse putabātur; erat ille Romæ frequens, atque in foro, & in ore omniū quotidie versabatur, magis vt exsultare victoria nobilitatis videretur, quam timere, ne quid ex ea calamitatis sibi accideret. erant ei veteres inimicitiæ cum duobus Roscijs Amerinis: quorum alterum sedere in accusatorum subsellijs video, alterum tria huiusce prædia possidere audio. quas inimicitias si tam cauere potuisset, quam metuere solebat, viueret. neque enim, iudices, iniuria metuebat: nam duo isti sunt T. Roscij, quorum alteri Capitoni cognomen est; iste, qui adest, Magnus vocatur: homines eiusmodi: alter plurimarum palmarum vetus ac nobilis gladiator habetur: hic autem nuper se ad eum lanistā contulit: qui, cum ante hanc pugnam tiro esset scientia, facile ipsum magistrum scelere, audaciaque superauit. nam, cum hic Sex. Roscius esset Ameriæ, T. autem iste Roscius Romæ; cum hic filius assiduus in prædijs esset, cumq; se volūtate patris rei familiari, vitæq; rusticæ dedisset; iste autem frequens Romæ esset; occiditur ad balneas Palatinas, rediens à cena Sex. Roscius. spero ex hoc ipso nō esse obscurū, ad quē suspicio maleficij pertineat. verū id, quod adhuc est suspiciosum; nisi perspicuū res ipsa fecerit, hunc affinē culpæ iudicatote.

EXPLANATIO.

SVI *municipij*] Municipia dicta, quia muneris partē caperent, ciuitate Romana donati. Sed à principio data ciuitas est sine suffragio: postea ius quoque suffragij concessum. & sua cuiusque municipij tribus erat, in qua censebatur, & suffragium ferebat. Asconius act. in Verrē: Cōuenerat ex municipijs cuiuscumq; modi multitudo, aut, ꝓpter comitia, suffragiorū caussa, aut vt censerētur. Ex municipijs autem multi Romam profecti, magistratus, etiam maiores, adepti sunt, vt Tusculo Ti. Coruncanius, &

nius,& M.Cato ille censorius. sed municipiorum triplex diuersis temporibus condicio fuit. Primum ciuitas alijs cum suffragio,alijs sine suffragio data fuit:quibus aũt cũ suffragio,ijs magistratus petere licebat, & Romanis legibus vtebantur:quibus sine suffragio, magistratus non petebant,suis,non Romanis legibus viuebant,vel sua sponte,quod seruandarum legum Romanarum onere libenter vacarent, vel quod ita populo Romano visum esset. Hanc varietatem vsque ad legem Iuliam mansisse arbitror:quę socialis belli anno primo,in summo reip.discrimine,sociorum iræ placandæ caussa à Sex. Iulio consule lata, municipiorum,vt arbitror, omnium iura exæquauit,nullo ferendi suffragij potestate excluso. Hæc deniq; mutata condicio est, cum municipes libertatem suam, Romanis solutam legibus,suffragio,& magistratibus anteferrent.id perspicue docet Gellius lib.XVI. cap.13 cum ait,Petijsse Prænestinos à Tiberio Imperatore,vt ex colonia in municipij statum redigerētur; idq; illis Tiberium, pro referēda gratia, tribuisse, quod in eorum finibus,sub ipso oppido,ex capitali morbo reualuisset.Quo loco subiungit hæc:Municipes ergo sunt ciues Romani ex municipijs,suo iure & legibus suis vtentes, muneris tantum cũ populo Romano honorarij participes, à quo munere capessendo appellati videntur,nullis alijs necessitatibus,neque vlla populi Romani lege adstricti.Quis nõ videt hæc ab ea consuetudine, quæ post Iuliam legem fuit, admodum differre,& municipia Romanos honores cõtemnere cœpisse,qua in sententia ante legem quoq; Iuliam nõnulla fuisse, ex Liuio & Cicerone intelligitur. METELLIS, *Seruilijs,Scipionibus:*}Metellis,Seruilijs, plebeij generis;Scipionibus patricij.erant autem hæ tres familiæ propinquitate coniunctæ. Seruilios enim & Scipiones Metellarum filios fuisse,auctor est Cicero in ea post reditum ad Quirites.Potest autẽm significare Q.Metellum Nepotem,patrem eius,qui cum Lentulo Spinthere consul fuit.& Seruilium illum,qui sequenti anno consulatum cũ C.Curione gessit,& de Isauris ex Cilicia triumphauit. vnde Isaurici cognomen:Scipionem autem illum , cuius filius

lius Pompeij Magni socer fuit, consulatumq́; gessit cum ipso Pompeio III. consule. horum enim filij adolescentuli, vel pueri potius erant hoc tempore. NOBILITATIS} Sullanarum partiū. nam optimates pro Sulla, plebs & equester ordo pro Mario pugnauit. HOC *tumultu proximo*} C. Marij filio, & Cn. Carbone cos. quo anno Sulla, cæsis, aut Italia pulsis inimicis, rerum potitus est. PROPTER *quos*} nam Metelli, Seruilij, Scipiones, paullo ante nominati, in Sullæ partibus fuerūt. QVORVM *alterum*} T. Roscium Magnum. ALTERVM} T. Roscium Capitonem. HVIUSCE} Sex. Roscij filij, qui reus erat. QVI *adest*, } quem sedere dixit in accusatorum subsellijs. ALTER} Capito, qui aberat. PLVRIMARVM *palmarum*} qui multas cædes commisit. Infra: Alias suas palmas cognoscet. Palmas nominat, quia palmis gladiatores post victoriā coronabantur, auctore Gellio lib. IV. Gladiatorē vocat, vt peritum armorum tractandorum, & in cæde versatum. HIC} Magnus, qui adest. AD EVM *lanistam contulit*} vt erudiretur ab eo, interficiendorum hominum scientia, HIC *Sex. Roscius*} de quo cœpi verba facere, cui duobus cum T. Roscijs inimicitias fuisse dixi. ISTE} Magnus. VOLVNTATE *patris*} non ablegatus ab eo, vt accusatores obijciūt, vnde parricidij causā sumentes. ISTE *autem Romæ frequens esset*;} iterat idem de Roscio Magno, vt suspicionem inijciat eius insidiarum in vitam Sex. Roscij. & hæc est altera caussa, vnde suspicio nascitur: primā vero illa, quod Sex. Roscij inimicus. EX HOC *ipso*} quod occiditur Sex. Roscius, cum inimicus eius T. Roscius Romæ esset. HVNC} Sex. Roscium filium.

ORATIO.

OCCISO *Sex. Roscio, primus Ameriam nunciat Mallius Glaucia quidam, homo tenuis, libertinus, cliens, & familiaris istius T. Roscij: & nunciat domum, non filij, sed T. Capitonis inimici. &, cū post horā primā noctis occisus esset, primo diluculo nuncius hic Ameriā venit. decē horis nocturnis sex et quinquaginta millia passuū cisijs peruolauit; non modo vt exoptatū inimico nuntiū primus afferret, sed etiā cruorē inimici quā recentissimum, telumq́; paullo ante è corpore extractū ostēderet. quattriduo quo hæc*

quo hæc gesta sunt, res ad Chrysogonum in castra L. Sullæ Volaterras defertur: magnitudo pecuniæ demonstratur: bonitas prædiorũ (nam fundos decem & tres reliquit, qui Tiberim fere omnes tangunt) huius inopia, & solitudo commemoratur. demonstrant, cum pater huiusce Sex. Roscius, homo tam splendidus, et gratiosus, nullo negotio sit occisus, perfacile hunc, hominem incautum, & rusticum, & Romæ ignotum, de medio tolli posse. ad eam rem operam suam pollicentur. ne diutius vos teneam, iudices, societas coitur. cum iam proscriptionis mentio nulla fieret; & cum etiam qui antea metuerant, redirent, ac iam defunctos sese periculis arbitrarentur: hominis studiosissimi nobilitatis manceps fit Chrysogonus; tria prædia vel nobilissima Capitoni propria tradũtur, quæ hodie possidet: in reliquas omnes fortunas iste T. Roscius nomine Chrysogoni, quẽadmodum ipse dicit, impetum facit. hæc bona sexagies H-S, emuntur duobus millibus nummum. hæc omnia, iudices, imprudente L. Sulla facta esse certo scio. neque enim mirum, cum eodem tempore, & ea, quæ præterita sunt, & ea, quæ videntur instare, præparet, cum & pacis constituendæ rationem, & belli gerendi potestatem solus habeat; cum omnes in vnum spectent, vnus omnia gubernet; cum tot tantisque negotijs distentus sit, vt respirare libere non possit; si aliquid non animaduertat; cum præsertim tam multi occupationem eius obseruent, tempusque aucupentur, vt, simul atque ille despexerit, aliquid huiuscemodi moliantur. huc accedit, quod, quamuis ille felix sit, sicut est, tamen tanta felicitate nemo potest esse in magna familia, qui neminem neque seruum, neque libertum improbum habeat.

EXPLANATIO.

MANLIVS *Glaucia*} ex antiquo Maffeiorũ libro, Mallius, lego, non Manlius, item infra: eodemq; modo legendum in ea pro Murena, à Cn. Mallio, non, à Cn. Manlio: & in ea pro Plancio, Mallium, non Manlium: suffragantibus vbique antiquis libris, nec dubia veritate, cum nobiles Manlij, ignobiles admodũ Mallij fuerint. Et hic subijcitur, vt de obscuræ condicionis homine, Quidam, homo tenuis, libertinus, cliens, & familiaris istius T. Roscij. Irrepsit hoc mendum in alios quoque libros. nam quod est in epist. ad Acilium, L. Manlius est Sosis, legitur in antiquis, L. Mallius. TENVIS,} pauper: vt

eum ad

cum ad facin⁹ paupertas impulisse videatur; qui præsertim & cliens, & familiaris T. Roscij Magni, qui Romæ erat, cum illa commissa cædes est. infra: Quid si accedit eodẽ, vt tenuis antea fueris. LIBERTINVS,} loc⁹ postulat, vt de libertis & Libertinis dicam⁹ aliquid, cõmunis intelligẽtiæ caussa. Libertus, & Libertinus interdũ differunt, interdum idem sunt. vtrumque patet, si tempora distinguantur. nam priscis temporibus, id est, ante Appiũ Cæcum censorem, & aliquanto post, liberti vocabantur, qui manumissi fuerant, libertini autem ex his nati. Ciceronis vero ætate, & ante aliquanto, & post, liberti & libertini ijdem dicti, id est, qui manumissi fuerant. quam diu autem libertini vocabantur ij, qui ex libertis nati erant, tunc ingenuitas incipiebat in libertinorum filijs, nepotibus eorum, qui aliquando seruitutem seruierant. Sed, vbi libertinorũ nomen ad ipsos, qui seruierant, trãsijt, tũc ingenui erant, non libertinis, vt antea, sed libertis nati. ex quo emergit, habita duarũ ætatũ ratione, duplex libertini, duplex item ingenui definitio: libertini, vt: Libertinus est liberti filius. quæ definitio in superiorem ætatem conuenit. item: Libertinus est, qui manumissione libertatem cõsequitur. quæ definitio ad posteriorem ætatem pertinet. Duplex libertini definitio, duplicẽ ingenui definitionem parit. nam, si vna tãtum esset, vnam similiter ingenui definitionem oporteret esse. Prior hæc: Ingenuus est, qui libertinũ patrẽ habuit. q̃ definitio priorem sequitur libertini definitionẽ. Posterior: Ingenu⁹ est, q̃ ex liberto natus est. q̃ definitio ad posteriorẽ accedit libertini definitionẽ. Primũ igitur, nõ libertini, sed liberti vocabãtur, qui aliquãdo seruierãt, libertini aũt eorũ filij: postea libertini illi ipsi, qui seruierant. qua de re, quod in Claudio scripsit Suetonius, operæpretium est scire. Latũ clauum, inquit, quamuis initio affirmasset, nõ lecturum se senatorem, nisi ciuis Romani abnepotem, etiam libertini filio tribuit, sed sub cõdicione, si prius ab equite Romano adoptatus esset. ac sic quoque reprehensionẽ verens, etiam Appium Cæcum censorem, generis sui proauctorem, libertinorum filios in senatum allegisse do-

cuit, ignarus, temporibus Appij, & deinceps aliquandiu, libertinos dictos, non ipsos, qui manumitterentur, sed ingenuos ex his procreatos. Quem locū ita interpretor. Affirmauerat Claudius, nolle se quemquam in senatum legere, nisi antiquo more: postea tantum abest, vt antiquam consuetudinem seruauerit, vt recentiorem etiam, quæ aliquid amplius concedebat, neglexerit. Antiquus mos hic fuerat, ne senator esse posset, qui abauum suum ciuem Romanū nominare non posset: vt quā lõgissime à seruili sorde & fæce distaret. per hos enim quasi gradus ad ingenuitatem adscensus olim dabatur. Libertus ciuis erat, sed publico nullo, nisi apparitoris, aut coactoris fungebatur munere. apparitores aūt erant scribæ, præcones, interpretes, accensi, lictores, viatores, statores. hęc enim veteres munera, vt Ciceronis ad fratrē epistola declarat, libertis deferebāt, excepto tamen scriptu: postea vero scribę quoq; liberti fuere. In quattuor autem vrbanis tribubus, quas rusticis ignobiliores fuisse Plinius docet, suffragiū libertos tulisse cõstat, ne cū ingenuis cõfūderētur. Libertin9, liberti fili9, eodē iure. Libertini fili9, liberti nepos, ingenu9 erat, ideoq; iure meliore: ferebat n. suffragiū in tribu rustica vt ingenu9; magistrat9 tamen nō capiebat; neq; senatorij, neq; equestris erat ordinis, sed tertij, id est de plebe. hui9 generis prisca ætate scribas fuisse, exēplo cognoscitur Cn. Flauij scribę, libertino patre nati: qui creatus ędilis nō fuisset, nisi tabulas posuisset, scriptu sese abdicasse. creatū autē nobilitas ęgerrime tulit, vt præ dolore anulos deposuerit. Liuius, Plini9, Gellius. Ingenuus, ingenui filius, libertini nepos, liberti pronepos, meliore, q̃ pater, iure. eques enim Romanus esse poterat, sed aditū in curiā nō habebat. quod è Suetonij verbis elicitur: qui senatoriū ordinē tribui solitū à veteribus ostēdit, nō ciuiū Romanorum pronepotibus, verum abnepotibus. Ingenu9, ingenui fili9, & nepos, libertini pronepos, liberti abnepos, meliore, quam pater, & auus, iure. in senatū enim legi poterat, & honores, magistratusq; capere. Est igitur hic ingenuus, postremo nominatus, ciuis Romani abnepos. ex hoc genere lecturū se senatores, & ex antiquo instituto, Claudi9 affirmauerat: sed ita sentē-

tiam mutauit, vt nõ modo pronepotẽ, aut nepotẽ, sed filiũ eius Romani senatorẽ legerit, cuius pater aliquando seruitutẽ seruierat mox agnouit culpã, & vitari eam à se credidit, si is, quẽ lecturꝰ erat, ab equite Romano priꝰ adoptatus esset. Ita videbatur, cũ legeret equitis Romani filiũ adoptiuũ, legere ciuis Romani abnepotẽ. nã eques, vt ostẽdi iã, nõ poterat esse, qui pronepos ciuis Romani nõ esset: ita filiꝰ equitis, abnepos erat ciuis Romani. Sed, quoniã pater adoptiuꝰ, & naturalis, nõ idẽ sunt, ideo veritus Claudius, ne lectionẽ illã suam aliqs, vt inusitatam, reprehẽderet, quod malitiosa fraus in qsito per adoptionem equestris ordinis patre cerneretur, alia quadã ratione suũ factũ excusare conatꝰ est: dixit enim, se Appij Cæci exẽplo senatorẽ legisse, libertini filiũ, ignarꝰ, nõ eosdẽ ætate Appij Cæci, qui erãt ætate sua, libertinos fuisse. nã Appij tẽporibus, & deinceps aliquãdiu, libertinꝰ dicebatur liberti filius: postea vero, quasi via breuiore ad ingenuitatẽ patefacta, libertinus appellatꝰ est, qui antea libertꝰ vocabatur, id est, is, qui seruitutẽ aliquãdo seruierat, & manumissus libertatẽ adeptus erat. ita veteris libertini filius à seruitute lõgius, quã noui libertini filius, aberat: cũ ille auũ liberũ nominare posset, hic non posset. Quod autẽ subiunxit Suetoniꝰ, libertinos olim dictos, nõ ipsos, qui manumitterẽtur, sed ingenuos ex his procreatos: cõtraria loqui videtur: quia, si erãt ingenui, qua ratione libertini dicebãtur? Verũ in eo rationẽ habuit eiꝰ tẽporis, quo ipse hęc litteris mãdabat. quasi diceret: Libertini tũc vocabantur, q hodie sũt ingenui, ex manumissis pcreati. quẽ morẽ idẽ Suetoniꝰ cõfirmat in Augusto. Valeriꝰ inqt, Messalla tradit, neminẽ vmq̃ libertinorũ adhibitũ ab eo cenæ, excepto Mena, sed asserto in ingenuitatẽ. Inter libertinos nominat Menã; quẽ libertũ fuisse Põpeij Magni, notũ est. Idẽ in vita Otacilij rhetoris vocat eũ libertinum, quem seruisse iam dixerat. Et in vita Seruij Nicanoris: Satyram fecit, in qua libertinum se ostendit. At is in satyræ versibus, qui subiunguntur, libertum se nominat. Et Valerius Maximus, lib. VI. cap. 2. Aelium Manciam libertini filium appellat, eundemque paullo

post reddere ait paternam seruitutem. Varro lib. VII. Alij nomina habent ab oppidis, alij aut nō habēt aut nō vt debēt, habēt. habēt pleriq; libertini à municipio manumissi. Libertinos appellat manumissos. Quinctilian⁹ etiā lib. V. cap. 10. Qui seruus, inquit, est, si manumittatur, fit libertinus, nō item addictus. Idē lib. VII. ca. 3. Seruus, cum manumittitur, fit libertinus: addictus recepta libertate est ingenuus. Et Martialis lib. V. infra ingenuā statim libertinam ponit, infra libertinā vero ancillam:

Ingenuam malo; sed, si tamen illa negetur:
 Libertina mihi proxima condicio est.
Extremo est ancilla loco: sed vincet vtramque,
 Si facie nobis hæc erit ingenua.

Nec obscure de libertinis Cicero loquitur ep. 2. lib. II. ad Att. cum ait: An libertinis, atq; etiam seruis seruiamus? Nam seruis condicione proximi sunt liberti, nihil interest medium. Ad hanc posteriores iurisconsulti consuetudinem respexere, ingenuum sic definientes: Ingenuus est, qui statim vt natus est, liber est. sic enim ingenuitas datur ei, qui liberto natus sit. CISIIS} genus vehiculi fuit, duabus rotis velocissime currentis. Phil. 2. VOLATERRAS} quod municipium, Marianis amicum partibus, obsessum cum in deditionem accepisset, agrū eorum publicauit, neque diuisit. ex quo illud ad Valerium Orcam: Summo studio populi à me in cōsulatu meo defensi sunt. cum enim tribuni pl. legem iniquissimam de eorum agris promulgassent; facile senatui, populoq; Romano persuasi, vt eos ciues, quibus fortuna pepercisset, saluos esse vellent. TIBERIM} non sub vrbe, sed qua fluit ad vrbē versus, in Amerino agro. SOCIETAS *coitur.*} inter Chrysogonum, duosq; T. Roscios. CVM *iam proscriptionis mentio nulla fieret,*} desierat iā proscriptio, sic vt eius mētio nulla fieret. MANCEPS *fit*} emit eius bona in auctione, tamquam proscripti: cum neq; tum proscriptionis mentio vlla fieret, & nobilitatis, id est Sullanarum partiū, studiosissimus fuisset Roscius. DESPEXERIT,} oculos demiserit. LIBERTVM} tacite carpit Chrysogonum. FELIX *fit,*} quod sibi cognomen adsciuerat.

ORA-

ORATIO.

INTEREA *iste T. Roscius, vir optimus, procurator Chrysogoni, Ameriam venit, in prædia huius inuadit; hunc miserum, luctu perditum, qui nõdum etiam paterno funeri iusta soluisset, nudum eijcit domo, atque focis patrijs, dijsque penatibus præcipitem, iudices, exturbat: ipse amplißimæ pecuniæ fit dominus: qui in sua re fuisset egentißimus, erat, vt fit, insolens in aliena: multa palam domum suam auferebat, plura clam de medio remouebat: non pauca suis adiutoribus large effuseque donabat, reliqua constituta auctione vendebat. quod Amerinis vsque eo visum est indignum, vt vrbe tota fletus gemitusque fieret. etenim multa simul ante oculos versabantur; mors hominis florentißimi, Sex. Roscij crudelißima; filij autem eius egestas indignißima, cui de tanto patrimonio prædo iste nefarius ne iter quidem ad sepulcrum patriũ reliquisset; bonorum emptio flagitiosa possessio, furta, rapinæ, donationes. nemo erat, qui non ardere omnia mallet, quam videre in Sex. Roscij, viri optimi, atque honestißimi, bonis iactantem se, ac dominantem T. Roscium. itaque decurionum decretum statim fit, vt decem primi proficiscantur ad L. Sullam, doceantque eum, qui vir Sex. Roscius fuerit, cõquerantur de istorũ scelere, & iniurijs; orent, vt & illius mortui famam, & filij innocentis fortunas cõseruatas velit. atque ipsum decretum, quæso, cognoscite.* DECRETVM DECVRIONVM. *Legati in castra veniunt. intelligitur, iud. id quod iam ante dixi, imprudente L. Sulla, scelera hæc & flagitia fieri. nam statim Chrysogonus & ipse ad eos accedit, & homines nobiles allegat ijs, qui peterent, ne ad Sullam adirent, & omnia Chrysogonum, quæ vellent esse facturum pollicerentur. vsque adeo autem ille pertimuerat, vt mori mallet, quam de his rebus Sullam doceri. homines antiqui qui ex sua natura ceteros fingerent, cum ille confirmaret sese nomen Sex. Roscij de tabulis exempturum, prædia vacua filio traditurum, cumque id ita futurum T. Roscius Capito, qui in X legatis erat, adpromitteret, crediderunt. Ameriam re irata reuerterunt. ac primo rem differre quotidie ac procrastinare isti cœperunt, deinde aliquanto lentius, nihil agere, atque deludere, postremo, id quod facile intellectum est, insidias vitæ huiusce Sex. Roscij parare neque sese arbitrari posse diutius alienam pecuniam, domino incolumi, obtinere. quod is simul atque sensit, de amicorum cognatorumque sententia Romam* inorata

confugit, & sese ad Cæciliam Nepotis filiam, quam honoris caussa nomino, contulit, qua pater vsus erat plurimum. in qua muliere, iudices, etiam nunc, id quod omnes semper existimauerunt, quasi exempli caussa vestigia antiqui officij remanent. ea Sex. Roscium inopem, eiectum domo, atque expulsum ex suis bonis, fugientẽ latronum tela & minas, recepit domum, hospitióque oppresso iã, desperatoque ab omnibus opitulata est. eius virtute, fide, diligentia, factum est, vt hic potius viuus in reos, quam occisus in proscriptos referretur. nam, postquam isti intellexerunt, summa diligentia vitam Sex. Roscij custodiri, neque sibi vllam cædis faciundæ potestatem dari; consilium ceperunt plenum sceleris, & audaciæ, vt nomen huius de parricidio deferrent; vt ad eam rem aliquem accusatorem veterem compararent, qui de ea re posset dicere aliquid; in qua re nulla subesset suspicio; denique, vt, quoniam crimine non poterant, tempore ipso pugnarent: ita loqui homines, quod iudicia tamdiu facta non essent, condemnari eum oportere, qui primus in iudicium adductus esset, huic autem patronos, propter Chrysogoni gratiam defuturos; de bonorũ venditione, & de ista societate verbum esse facturum neminem; ipso nomine parricidij, & atrocitate criminis, fore, vt hic nullo negotio tolleretur, cũ ab nullo defensus esset. hoc consilio, atque adeo hac amentia impulsi, quem ipsi, cum cuperent, non potuerunt occidere, eũ iugulandũ vobis tradiderunt.

EXPLANATIO.

AMPLISSIMAE *pecuniæ*} pecuniam pro bonis posuit, vt supra, Quoniam in alienam pecuniam, tã plenam, atque præclaram, nullo iure inuaserit. infra: Neque sese arbitrari diutius alienam pecuniam domino incolumi obtinere. Hermogenianus l pecuniæ, ff. de rerum sign. Pecuniæ, inquit, nomine, nõ modo nummi, sed omnes res tam solidæ, quam mobiles, & tam corpora, quam iura, continentur. INSOLENS} dissolutus, ꝓfusus. id enim valet, Insolens. in ep. ad Pętum: In Epicuri nos aduersarij, nostri castra coniecimus, nec tamen ad hanc insolentiam, sed ad illam tuam lautitiam. Phil. XIII. Mirifice Seruius maiorum continentiam diligebat, huius sæculi insolentiam vituperabat. NE ITER *quidẽ ad sepulcrum patrium*} ne agrũ quidem illum per quem ad sepulcrum patrium ĩter erat. sepulcra tunc in vrbibus nõ

erant,

erant,sed in agris.ideo sepulcrorũ veterũ inscriptiones cum alibi circa vrbem Romã,tum in Appia via repertæ sunt plurimæ.T.ROSCIVM} Magnum,qui,præter tria pdia,T.Roscio Capitoni tradita,in reliquas oẽs Sex.Roscij fortunas Chrysogoni nomine inuaserat.DECVRIONVM *decretum*} senatus Amerini.DECEM *primi*} legationis nomine creati,in quibus Capito fuit, qui collegis aditũ ad Sullam præclusit, suam potius caussam agens, quam publiam.infra. IN CASTRA} Volaterras.VT MORI *mallet, quam de ijs rebus Sulla doceri.*} Sullam excusat.HOMINES *antiqui,*} minime callidi,probo simplicique ingenio,quales erant veteres illi. NEPOTIS *filiam,*} duo Metelli Nepotes fuere,pater, & filius. pater cũ T.Didio consul fuit,filius cũ Lentulo Spinthere, qui Ciceronem ab exsilio restituit. filius hoc tempore adolescens admodum fuerit,necesse est:itaque filia eius nullo pacto esse potuit.num igitur eius, qui cum Didio consul fuit?dicam, quod sentio. Balearici Metelli, qui Nepotis pater fuit,hanc esse filiam arbitror,Nepotis autẽ sororẽ, in quam sententiã ipsa me ducunt verba Ciceronis,quæ sunt infra:Quasi vero,inquit,nescias hunc & ali, & vestiri à Cæcilia,Balearici filia Nepotis sorore, spectatissima fœmina.Verba vero, quæ sequuntur, satis indicant, eam fuisse Balearici filiam,Macedonici nepotem,Nepotis sororem. nam, cum subiungit, Patrem clarissimum, de Balearico loquitur,consulari,ac triumphali viro : cũ, Amplissimos patruos,de tribus Baleari fratribus,Lucio, Marco, Caio,q omnes, gesto consulatu, triumpharunt. Lucius de Dalmatis,vnde Dalmatici cognomen est adeptus, Marcus de Sardis, Caius ex Thracia. quæ si vera esse constat : dubitare iam non licet, quin,quod subijcitur,Ornatissimum fratrem,de Nepote,Balearici filio,dicatur. Locus igitur hic omnino correctionem desiderat:& corrigendi viam, ac rationem alter inferior locus non difficilem ostendit.QVAM *occisus in proscriptos*} vt pater eius; quem non proscriptũ tamen occiderunt;occisum,vt eius bona iure possidere videãtur, proscriptum fuisse dicũt.TEMPORE *ipso*}occasione temporis,ꝙ hic

lõgo interuallo primus de parricido causã dicat. QVOD *iudicia tã diu facta nõ essẽt.* } ꝓpter bella ciuilia. QVI *primus* } non primus ex quocumque crimine, sed primus de parricidio. nam, cum biennio ante Sulla victor & vrbe, & vniuersa rep. potitus esset; quis credat nulla tot mensibus iudicia fuisse? adiuuant hanc opinionem, quæ supra dicta sunt: Longo interuallo iudicium inter sicarios hoc primum committitur. DE ISTA *societate* } inter Chrysogonum, Capitonem, & Magnum: qui Sex. Roscij fortunas inter se diuiserant.

ORATIO.

QVID *primum querar? aut vnde potissimum exordiar, iudices? aut quod. aut à quibus auxilium petam? deorum ne immortalium, populi ne Romani, vestram ne, qui summam potestatem habetis, hoc tempore, fidem implorem? pater occisus nefarie, domus obsessa, ab inimicis bona adempta, possessa, direpta; filij vita infesta, sæpe ferro atque insidijs appetita. quid ab his tot maleficiis sceleris abesse videtur? tamen hæc alijs nefarijs cumulant, adaugent: crimen incredibile confingunt: testes in hunc, & accusatores huiusce pecunia comparant: hanc condicionem misero ferunt, vt optet vtrum malit, ceruices Roscio dare, an insutus in culeum, per summum dedecus vitam amittere. patronos huic defuturos putauerũt: desunt: qui libere dicat, qui cum fide defendat, id quod in hac caussa est satis. quoniam quidem suscepi, non deest profecto, iudices. & forsitan in suscipienda caussa temere impulsus adolescentia fecerim: quoniam quidem semel suscepi, licet hercules vndiq; omnes terrores, minæ, periculaque impendeant omnia, succurram, atque subibo. certum est, deliberatumque, quæ ad caussam pertinere arbitror, omnia non modo dicere, verum etiam libenter, audacter, libereque dicere. nulla res tanta exsistat, iudices, ut possit vim mihi maiorem adhibere metus, quam fides. etenim quis tam dissoluto animo est, qui, hæc cum videat, tacere, ac negligere possit? patrem meum, cum proscriptus non esset iugulastis: occisum in proscriptorum numerum retulistis: me domo mea per vim expulistis: patrimonium meum possidetis: quid vultis amplius? etiam ne ad subsellia cum ferro atque telis venistis, vt hic aut iugule tis, aut condemnetis Sex. Roscium? Hominem longe audacissimum nuper, habuimus in ciuitate C. Fimbriam, &, quod inter omnes cõ stat,*

stat,nisi inter eos, qui ipsi quoque insaniunt, insanissimum.is cum curasset in funere C.Marij, vt Q.Scæuola vulneraretur, vir sanctissimus atq; ornatissimus nostræ ciuiatis, de cuius laude neq; hic locus est,vt multa dicantur,neq; plura tamen dici possunt, quam populus R.memoria retinet,diem Scæuolæ dixit. postea quam cõperit eum posse viuere.cum ab eo quæreretur. quid tandem accusaturus esset eum, quem pro dignitate ne laudare quidem quisquã satis commode posset.aiunt,hominem,vt erat furiosus,respondisse, quod non totum telum corpore recepisset. quo populus R.nihil vidit indignius,nisi eius idem viri mortem:quæ tantum potuit,vt omnes ciues suos perdiderit,et afflixerit:quos quia seruare per cõpositionẽ volebat,ipse ab ijs interemptus est.Est ne hoc illi dicto,atq; facto Fimbriæ non simillimum? accusatis Sex.Roscium:quid ita? quia de manibus vestris effugit,quia se occidi passus non est.illud, quia in Scæuola factũ est,magis indignum videtur:hoc, quia fit à Chrysogono,nũ est ferendũ?nã,per deos immortales.quid est in hac caussa,quod defensionis indigeat? qui locus patroni requirit, aut oratoris eloquentiam magnopere desiderat? totã caussam. iudices, explicemus,atque ante oculos expositam consideremus.ita facillime,quæ res totum iudicium contineat, & quibus de rebus nos dicere oporteat, & quid vos sequi conueniat,intelligetis.

EXPLANATIO.

INFESTA,passiue dictum.vt pro Cœlio:Tempus ætatis aliorum libidine infestũ. Et de Prou. Via excursionibus barbarorum infesta. CERVICES } sæpe appetitas.hoc enim ad illud refertur:Filij vita infesta,sæpe ferro, atque insidijs appetita. ROSCIO } T. Roscio Magno,qui aderat.SVPPLICIVM *parricidarum*} recte videntur sentire,qui glossema putant. PATRONOS} eloquentia nobiles.DESVNT:} quia metu tacent,cum tamen aduocati adsint. Modeste seipsum patronorum numero non adiungit.VIM *mihi maiorẽ adhibere metus,*} eam vim,qua deterritus ab officio deseiscam.QVAM *fides.*} fidei vis apud me maior erit,quam earum rerum, quæ metum afferre videantur. PATREM *meum, cum proscriptus non esset,iugulastis:*} pręclara rei querentis inductio, vt infra.Prædia mea tu possides: ego aliena misericordia viuo,concedo,& quod animus æquus est,&c.quia

necesse est. Mea domus tibi patet, mihi clausa est: fero. Familia mea maxima veteris, ego seruum habeo nullũ: patior, & ferẽdum puto. Quid vis amplius? quid insequeris? quid oppugnas? C. FIMBRIAM,} eius filium, qui cum C. Mario consul fuerat. INSANISSIMVM} in Bruto: Qui omnia magna voce dicens, verborum sane bonorum cursu quodam incitato, ita furebat tamen, vt mirarer tam alias res agere populum, vt esset insano inter disertos locus. IN FVNERE *C. Marij*} qui septimi consulatus mense primo decessit: Q. SCAEVOLA} pontifex max. qui consul fuerat cum L. Crasso. DIEM *Scæuolæ dixit*,} diem dicere, id est, ad populum accusare, priuati hominis non erat, sed proprie tribunorum pl. quo tum in magistratu Fimbriam fuisse crediderim. in Diuin. Nuper Cn. Domitium scimus M. Silano diem dixisse. In Bruto: M. Virgilius tribunus pl. L. Sullę Imperatori diem dixit. POSSE *viuere.*} vsitatus loquendi modus in ep. Sulpicij: Duo vulnera accepisse, vnum in stomacho, alterũ in capite secundum aurem: sperare tamen eum posse viuere. QVO} Fimbriæ facto. EIVSDEM *viri mortem*:} nõ perijt Scæuola ex eo vulnere, sed triennio post, Damasippi prætoris vrbani iussu, ex voluntate C. Marij iunioris consulis. Velleius, Appianus, Cicero. VT OMNES *ciues suos perdiderit, atq; afflixerit*:} pacis authore interfecto. HOC} quod ab aduersarijs Sex. Roscij committitur. NON *simillimum?*} pro, Non ne est hoc illi dicto, atque facto Fimbriæ simillimum? A CHRYSOGONO,} liberto, qui tantum audet.

ORATIO.

TRES sunt res, quantum ego existimare possum, quæ obstent hoc tempore Sex. Roscio, crimen aduersariorum, et audacia, & potentia. criminis confictionem accusator Erutius suscepit: audaciæ partes Roscij sibi poposcerunt: Chrysogonus aũt, is, qui plurimum potest potẽtia pugnat. de hisce omnibus rebus me dicere oportere intelligo. quid igitur est? non eodem modo de omnibus: ideo quod prima illa res ad meum officium pertinet, duas autem reliquas vobis populus R. imposuit. ego crimen, oportet, diluam; vos & audaciæ resistere, & hominum eiusmodi pernicio-

sam

sam atq; intolerandā potentiam primo quoq; tempore exstinguere, atque opprimere debetis. Occidisse patrem Sex. Roscius arguitur. scelestum, dij immortales, ac nefarium facinus, atque eiusmodi, quo vno maleficio scelera omnia complexa esse videantur. etenim si, id quod præclare à sapientibus dicitur, vultu sæpe læditur pietas, quod supplicium satis acre reperietur in eum, qui mortem obtulerit parenti? pro quo mori ipsum, si res postularet, iura diuina atque humana cogebant; in hoc tanto, tam atroci, tam singulari maleficio, quod ita raro exstitit, vt, si quando auditum sit, portenti ac prodigij simile numeretur. quibus tandem te, C. Eruti, argumentis accusatorem censes vti oportere? non ne & audaciam eius, qui in crimen vocetur, singularem ostendere, & mores feros, immanemque naturam, & vitam vitijs, flagitijsque omnibus deditam, & denique omnia ad perniciem profligata, atque perdita? quorum tu nihil in Sex. Roscium, ne obijciendi quidem caussa, cōtulisti. Patrē occidit Sex. Roscius: qui homo? adolescentulus corruptus, & ab hominibus nequam inductus? annos natus magis quadraginta. Vetus videlicet sicarius, homo audax, & sæpe in cæde versatus? at hoc ab accusatore ne dici quidem audistis. Luxuries igitur hominem nimirum, & æris alieni magnitudo, & indomitæ animi cupiditates ad hoc scelus impulerūt? de luxuria purgauit Erutius, cum dixit hunc ne in conuiuio quidem vllo fere interfuisse. nihil autem vmquā debuit. cupiditates porro quæ possunt esse in eo, qui, vt ipse accusator obiecit, ruri semper habitarit, & in agro colendo vixerit? quæ vita maxime disiūcta à cupiditate, & cum officio coniuncta. quæ res igitur tantum istum furorem Sex. Roscio obiecit? Patri, inquit, non placebat. patri non placebat? quam ob caussam? necesse est enim eam quoque iustam, & magnam, & perspicuam fuisse. nam, vt illud incredibile est, mortem oblatam esse patri à filio sine plurimis & maximis caussis: sic hoc verisimile non est, odio fuisse parenti filium sine caussis multis, & magnis, & necessarijs. rursus igitur eodem reuertamur, & quæramus, quæ tanta vitia fuerint in vnico filio, quare is patri displiceret. at perspicuū est, nullum fuisse. pater igitur amens, qui odisset eum sine caussa, quem procrearat. at is quidem fuit omniū constantissimus. ergo illud iā perspicuum profecto est, si neq; amens pater, neq; perditus filius fuerit, neque odij caussam patri, neque sceleris filio fuisse. Nescio, inquit, quæ caussa odij fue-

fuerit: fuisse odium intelligo. quia antea, cum duos filios haberet, illum alterum qui mortuus est, secum omni tempore volebat esse, hunc in prædia rustica relegarat. Quod Erutio accidebat in mala nugatoriaque accusatione, idem mihi vsu venit in caussa optima. ille, quo modo crimen commenticium confirmaret non inueniebat: ego, res tam leues qua ratione infirmem, ac diluam reperire, non possum. quid ais, Eruti? tot prædia tam pulchra, tã fructuosa, Sex. Roscius filio suo relegationis, ac supplicij gratia colenda, ac tuenda tradiderat? quid hoc? patresfamilias, qui liberos habent, præsertim homines illius ordinis, ex municipijs rusticanis, nõ ne optatissimum sibi putant esse, filios suos rei familiari maxime seruire, & in prædijs colendis operæ plurimum, studijque consumere? At amandarat hunc sic, vt esset in agro, ac tantummodo aleretur ad villã, vt cõmodis omnibus careret. Quid si constat hunc non modo colendis prædiis præfuisse, sed certis fundis, patre viuo, frui solitum esse? tamen ne hæc attenta vita, & rusticana, relegatio, atque amandatio appellabitur? vides, Eruti, quantum distet argumentatio tua ab re ipsa, atque à veritate. quod consuetudine patres faciunt, id quasi nouum reprehendis: quod beneuolentia fit, id odio factum criminaris, quod honoris caussa pater filio suo concessit id eum supplicij caussa fecisse dicis. neq; hæc tu nõ intelligis, sed vsque eo. quid arguas non habes: vt non modo tibi contra nos dicendum putes. verum etiam cõtra rerum naturam, contraque consuetudinem hominum, contraque opiniones omnium. At enim, cum duos filios haberet, alterum à se non dimittebat, alterum ruri esse patiebatur. Quæso. Eruti, vt hoc in bonam partem accipias: non enim exprobrandi caussa sed commonendi gratia dicam. Si tibi fortuna non dedit, vt patre certo nascerere, ex quo intelligere posses, qui animus patrius in liberos esset: at natura certe dedit, vt humanitatis nõ patrũ haberes. eo accessit studiũ doctrinæ. vt ne à litteris quidẽ alienus esses, ec quid, tandẽ tibi videtur (vt ad fabulas veniamus) senex ille Cæcilianus minoris facere Eutychũ, filiũ rusticũ, quã illũ alterũ Cherestratũ? (nam, vt opinor, hoc nomine est) alterũ in vrbe [illegible] honoris caussa habere, alterum rus supplicij causa relegasse? Quid ad istas ineptias abis, inquies? Quasi vero mihi difficile sit quamuis multos nominatim proferre (ne longius abeam) vel tribules, vel vicinos meos, qui suos liberos, quos plurimi faciunt, agricolas assiduos esse cupiunt. verum homines notos sumere odiosum est: cum & illud in-

cer-

certum sit, velint ne hi sese nominari; & nemo vobis magis notus futurus sit, quam est hic Eutychus; & certe ad rem nihil intersit, vtrum hunc ego comicum adolescentem, an aliquem ex agro Veiente nominem. etenim hæc conficta arbitror à poëtis esse, vt effictos nostros mores in alienis personis, expressamque imaginem nostram vitæ quotidianæ videremus. age nunc, refer animum sis, ad veritatem, & considera, non modo in Vmbria, atque in ea vicinitate, sed in his veteribus municipijs quæ studia à patribusfamilias maxime laudentur: iam profecto te intelliges inopia criminum summam laudem Sex. Roscio vitio & culpæ dedisse. at non modo hoc patrum voluntate liberi faciunt; sed permultos & ego noui, &, nisi me fallit animus, vnusquisq; vestrum, qui & ipsi incẽsi sunt studio, quod ad agrum colendum attinet, vitamq; hanc rusticam, quam tu probro & crimini putas esse oportere, & honestissimam, & suauissimam esse arbitrantur. quid censes hunc ipsum Sex. Roscium, quo studio, & qua intelligentia esse in rusticis rebus? vt ex his propinquis eius, hominibus honestissimis, audio, non tu in isto artificio accusatorio callidior es, quam hic in suo. verum, vt opinor, quoniam ita Chrysogno videtur, qui huic nullum prædium reliquit & artificium obliuiscatur, & studium deponat, licebit. quod tametsi miserum & indignum est, feret tamẽ æquo animo iudices si per vos vitam, & famam potest obtinere. hoc vero est, quod ferri non potest, si & in hanc calamitatem venit propter prædiorum bonitatẽ, & multitudinẽ; &, quod ea studiose coluit, id erit ei maxime fraudi: vt parũ miseriæ sit quod alijs coluit, n[illegible] nisi etiã, quod omnino coluit, crimini fuerit. Næ tu, Eruti accusator esses ridiculus, si illis temporibus natus esses, cum ab aratro accersebantur, qui consules fierent. etenim, qui præesse agro colendo flagitium putes. profecto illum Atilium, quẽ sua manu spargentẽ semen, qui missi erãt cõuenerũt, hominẽ turpissimũ, atq; inhonestissimũ iudicares. at hercule maiores nostri longe aliter & de illo & de ceteris talibus viris existimabant: itaq; ex minima, tenuissimaque rep. maximam & florentissimam nobis reliquerũt. suos enim agros studiose colebant, non alienos cupide appetebant: quibus rebus & agris, & vrbibus, & nationibus remp. atque hoc imperium, & populi R. nomen auxerunt. Neq; ego hæc eo profero, quo conferenda sint cum hisce, de quibus nunc quærimus; sed vt illud intelligatur, cum apud maiores nostros summi viri, clarissimique

miqueꝫ

nique homines, qui omni tempore ad gubernacula reip. sedere debebant, tamen in agris quoque colendis aliquantum operæ, temporisque consumpserint, ignosci oportere ei homini, qui se fateatur esse rusticum, cum ruri assiduus semper vixerit; cum præsertim nihil esset, quod aut patri gratius, aut sibi iucundius, aut revera honestius facere posset.

EXPLANATIO.

ROSCII } Capito, & Magnus. SCELESTVM, *ac nefarium facinus, atque huiusmodi,* } cũ nullo satis verbo id, quod volumus, exprimi videtur posse, ita cõcludimus, Atque eiusmodi. Sic locutus & ad Crassum: Non enim fuit aut mediocre, aut obscurum, aut eiusmodi, quod silentio posset præteriri. NE OBIICIENDI *quidem caussa,* } nedum vt ijs argumentis parricidum probare conareris. EAM *quoque* } vt filio, cur patri mortem obtulerit; sic patri, cur filium non amaret, caussam fuisse iustam, magnam, perspicuam, necesse est. CONSTANTISSIMVS, } qui leuioribus caussis vt eum, quem genuerat, non amaret, adduci non posset. ACCIDEBAT } cum Roscium accusaret. ILLIVS *ordinis* } honestissimi, qualis fuit Sex. Roscius. ATTENTA } augendæ rei domesticæ dedita. SENEX *ille Cæcilianus* } quem Cæcilius poëta comicus induxit. QVID *censes hunc ipsum Sex. Roscium,* } in hoc ambitu verborum cur de mendo homines pereruditi suspicati sint, mihi quidem caussa non videtur. nam, quod sequitur, Quo studio, qua in[illegible]genia esse in rebus rusticis: similiter locutum esse video Ciceronem alijs in locis, vt lib. I de Orat. Quid censes, si ad alicuius ingenium vel par, vel maius illa, quæ ego non attigi, accesserint, qualem illum, & quantum oratorem futurum? Et in Rullum II. Quid censetis, cum isti decemuiri cum imperio, cum fascibus, cũ illa delecta finitorum iuuentute per orbem terrarum vagabuntur, quo tandẽ animo, quo metu, quo periculo miseras nationes futuras? Et lib. II. Off. Quid enim censetis superiorem illum Dionysium, quo cruciatu timoris angi solitum? quid Alexandrum, quo animo vixisse arbitramur? CALLIDIOR } peritior. supra veterem accusatorem vocauit.

uit. ARTIFICIVM } quo excellit in agro colendo. QVONIAM *ita Chrysogono videtur*, } amare in Chrysogoni potentiã. ATILIVM } qui primus à serendo Serranus dictus est. triumphauit de Pœnis. QVI *missi erãt*, } vt consulẽ esse factũ nunciarent. Valerius Max. lib. IV. c. 4 Plinius lib. XIIX. cap. 3. NON *alienos cupide appetebãt*. } vt Chrysogonus, & Roscij. AD *gubernacula reip. sedere* } sæpe vtitur Cicero hac translatione, vt ad Pætum : Catulũ mihi narras, & illa tempora. quid simile? ne mihi quidẽ ipsi tunc placebat abesse diutius ab reip. custodia. sedebamus enim in puppi, clauumque tenebamus: nunc vix est in sentina locus. pro Sextio: Clauum tanti imperij tenere, & gubernacula reip. tractare.

ORATIO.

ODIVM *igitur acerrimum patris in filiũ ex hoc opinor ostenditur, Eruti, quod hũc ruri esse patiebatur. numquid est aliud? immo vero, inquit, est: nam istum exheredare in animo habebat. audio. nunc dicis aliquid, quod ad rẽ pertineat. nã illa opinor tu quoque concedis leuia esse, atq; inepta. Conuiuia cũ patre non inibat. quippe, qui ne in oppidum quidẽ, nisi perraro, veniret. Domum suam istum non fere quisquam vocabat nec mirum, quẽ neque in vrbe videret, neque rure vocaturus esset. verum hæc tu quoque intelligis esse nugatoria. illud, quod cœpimus, videamus; quo certius argumentũ odij reperiri nullo modo potest. Exheredare pater filiũ cogitabat. mitto quærere, qua de caussa: quæro, qui scias? tametsi te dicere, atque enumerare caussas omnes oportebat: & id erat certi accusatoris officium, qui tanti sceleris argueret, explicare omnia vitia, atque peccata filij, quibus incensus parens potuerit animum inducere, vt naturam ipsam vinceret, vt amorem illũ penitus insitum eijceret ex animo, vt deniq; patrem se esse obliuisceretur: quæ sine magnis huiusce peccatis accidere potuisse nõ arbitror. verum concedo tibi, vt ea prætereas, quæ cum taces, nulla esse concedis. illum quidem voluisse exheredare, certe tu planum facere debes. quid ergo affers, quare id factũ putemus? vere nihil potes dicere. finge aliquid saltem cõmode, vt ne plane videaris id facere, quod aperte facis, huius miseri fortunis, & horũ virorũ taliũ dignitati illudere. Exheredare filiũ voluit: quã ob caussã? nescio. exheredauit necne? quis probibuit? cogitabat, cogitabat? cui dixit? nemini.*

nemini. quid est aliud, iudicio, ac legibus, ac maiestate vestra abuti ad quæstum, atque ad libidinem, nisi hoc modo accusare, atque id obijcere, quod planum facere non modo non possis, verum ne coneris quidem? nemo nostrum est, Eruti, quin sciat tibi inimicitias cũ Sex. Roscio nullas esse: vident omnes, qua de caussa huic inimicus venias: sciunt huiusce pecunia te adductum esse. quid ergo est? ita tamen quæstus te cupidum esse oportebat, vt horum existimationem, & legem Memmiam putares aliquid valere oportere. accusatores multos esse in ciuitate vtile est, vt metu contineatur audacia. verumtamen hoc ita est vtile, vt ne plane illudamur ab accusatoribus. innocens est quispiam: verumtamen, quamquam abest à culpa, suspicione tamen non caret. tametsi miserum est, tamen ei, qui hunc accuset, possim aliquo modo ignoscere: cum enim aliquid habeat, quod possit criminose, ac suspiciose dicere, aperte ludificari, & calumniari sciens non videatur. quare facile omnes patimur esse quamplurimos accusatores: quod innocens, si accusatus sit, absolui potest; nocens, nisi accusatus fuerit, condemnari non potest. vtilius est autem absolui innocentem, quam nocentem caussam non dicere.

EXPLANATIO.

HVIVSCE} filij, qui nunc reus est. HORVM} iudicum. QVID *est aliud, iudicio, ac legib. ac maiestate vestra abuti,*} modus reprehendendi, Ciceroni familiaris, cum quadam iracundia. exempla de multis afferam pauca. in Pisonem: Quid est aliud furere, non cognoscere homines, nôn cognoscere leges, non senatum, non ciuitatem? Phil. I. Quid est aliud hortari adolescentes, vt turbulenti, vt seditiosi ciues sint? Phil. II. Quid est aliud tollere è vita vitæ societatem? Et Phil. V. bis. Phil. X. XII. LEGEM *Memmiam*} lex Remmia de calumniatoribus nominatur l. j. §. 1. D. ad Turpilian. l. 13. D. de test. Itaque libentius hic Remmiam, quam Memmiam, legerẽ. nam Memmia cõtra calumniatores non fuit, sed eorum qui rep. caussa abessent, si quis eos accusaret, recipi nomina vetabat. MISERVM *est,*} innocentem accusari. SVSPICIOSE} ad commouendam in animis iudicum suspicionem.

ORATIO.

ANSERIBVS *cibaria publice locantur, & canes alũtur in Capitolio, vt significent, si fures venerint. at fures internoscere nõ possunt, significãt tamen, si qui noctu in Capitoliũ venerint: &, quia id est suspiciosum, tametsi bestiæ sunt, tamen in eam partem potius peccant, quæ est cautior. quod, si luce quoque canes latrent, cum deos salutatum aliqui venerint: opinor, ijs crura suffringantur, quod acres sint etiam tum, cum suspicio nulla sit. Simillima est accusatorum ratio. alij vestrum anseres sunt, qui tantummodo clamant, nocere non possunt; alij canes, qui, & latrare, & mordere possunt. cibaria vobis præberi videmus: vos autem maxime debetis in eos impetum facere, qui merentur. hoc populo gratissimum est. deinde, si voletis, etiam tum, cum verisimile erit, aliquem commisisse, in suspicione latratote. id quoque concedi potest. sin autem sic agetis, vt arguatis aliquẽ patrem occidisse, neque dicere possitis, aut quare, aut quo modo, ac tantummodo sine suspicione latrabitis: crura quidem vobis nemo suffringet: sed, si ego hos bene noui, litteram illam, cui vos vsque eo inimici estis, vt etiam alias omnes oderitis, ita vehementer ad caput affigent, vt postea neminem alium, nisi fortunas vestras, accusare possitis. Quid mihi ad defendendum dedisti, bone accusator? quid hisce autem ad suspicandum? Ne exheredaretur, veritus est. audio: sed, qua de caussa vereri debuerit, nemo dicit. Habebat pater in animo: planũ fac. nihil est, non, qui cum deliberarit, quem certiorem fecerit, vnde istud vobis suspicari in mentẽ venerit. Cum hoc modo accusas, Eruti, non ne hoc palam dicis? ego quid acceperim, scio: quid dicam, nescio. vnum illud spectaui, quod Chrysogonus aiebat, neminem isti patronum futurum; de bonorum emptione, deque ea societate neminem esse, qui verbum facere hoc tempore auderet. hæc te opinio falsa in istam fraudem impulit. non mehercule verbum fecisses, si tibi quemquam responsurum putasses. Operæpretium erat, si animaduertistis, iudices negligentiam eius in accusando considerare. credo, cum vidisset, qui homines in hisce subsellijs sederent, quæsisse, num ille, aut ille defensurus esset; de me ne suspicatum quidem, quod antea caussam publicam nullam dixerim. postea quam inuenit, neminem eorum, qui possunt, & solent: ita negligens esse cœpit, vt, cum in mentẽ veniret ei, resideret, deinde spatiaretur, nonnumquam etiam puerum vocaret, cre-*

do cui cenam imperaret; prorsus vt vestro consessu, & hoc conuentu pro summa solitudine abuteretur. perorauit aliquando, assedit. surrexi ego. respirare visus est, quod non alius potius diceret. cœpi dicere. vsque eo animaduerti, iudices, eum iocari, atque alias res agere, ante quam Chrysogonum nominaui. quem simul atque attigi, statim homo se erexit, mirari visus est. intellexi, quid eum pupugisset. iterũ, ac tertio nominaui. postea homines cursare vltro & citro non destiterunt, credo, qui Chrysogono nunciarent, esse aliquem in ciuitate, qui contra voluntatem eius dicere auderet; aliter caussam agi, atq; ille existimaret; aperiri bonorum emptionem, vexari pessime societatem, gratiam potentiamque eius negligi, iudices diligenter attendere, populo rem indignam videri. Quæ quoniam te fefellerunt, Eruti; quoniamque vides versa esse omnia, caussam pro Sex. Roscio si non commode, at libere dici; quem dedi putabas, defendi intelligis; quos tradituros sperabas, vides iudicare: restitue nobis aliquando veterem tuam illam calliditatem, atque prudentiam: confitere huc ea spe venisse, quod putares hic latrocinium, non iudicium, futurum.

EXPLANATIO.

ANSERIBVS *cibaria publica locantur*} quorum clangore noctu adscendentes in Capitoliũ Galli proditi sunt. nota historia ex Liuio, Plinio, Plutarcho. CANES *aluntur in Capitolio*} hoc nulla traditur historia: contra potius, dormisse eos, legimus, cum, Gallis adscendentibus, anserum clangore vigiles excitati. CIBARIA *vobis præberi videmus*:} mercedem accusandi. SIC *agetis*} vt nunc agis, Eruti, qui Roscium de parricidio innocentem accusas. CRVRA *quidem vobis nemo suffringet*:} vt suffringerentur canibus, si luce latrarent, cũ deos aliqui salutatum venissent. HOS} iudices. LITTERAM *illam*,} condemnationis notam, C. tribus enim inscriptæ litteris erant iudicum tabellæ; A, cum absoluerent; C, cum damnarent; N. L. in caussa dubia, cum non liqueret. Alij aliter hunc locum interpretantur: quorum sententiæ non accedo: cum satis constet, si quis accusaretur de calumnia, in eius iudicio tres illas, quas nominaui, litteras necessarias fuisse. poterat enim irem, vt alij rei, vel absolui, vel damnari, vel, incerta sententia, ad aliã diem, aliamq;

actio-

actionē differri. EAS *omnes* } vnius litteræ caussa litteras oēs oderant. Reprehendit ignorantiā. AD *caput affigent,* } pœna vos afficient grauissima. FORTVNAS *vestras,* } pecuniam, qua adducti estis ad calumniam, supra: Sciūt huiusce te pecunia adductum esse. QVID *acceperim,* } quantum pecuniæ. IN *istam fraudem* } in hunc errorem. in Pisonem: Vultus denique totus, qui sermo quidam tacitus mentis est, hic in fraudem homines impulit. OPERAEPRETIVM *erat,* } hoc non valet, vtile erat, sed, alienum non erat, ab re non erat: vt exemplis perspicuum fit. QVI *homines* } summi oratores, hominesq; nobilissimi: de q ibus in exordio. QVI *possunt, & solent,* } qui vsu, & eloquentia valent. quod vtrumque mihi deest. SI NON *commode,* } si non vt oporteret, & vt diceretur ab his, qui in hisce subsellijs aduocati sedent. DEDI } libidini, crudelitatique vestræ. vt paullo ante: Non recusamus, quin Sex. Roscij vita dedatur. TRADITVROS } non orationem attente meam audituros, sed, caussa neglecta, reum li idini, crudelitatique vestræ tradituros. IVDICARE: } non, alias res agere, sed, mihi caussam dicenti, aures benigne præbere, & iudicum officio fungi. RESTITVE *nobis aliquando* } patefac nobis, & ostende, quamdiu occultasti veterem illam tuam calliditatem. ATQVE *prudentiam* } quæ tibi prudentia videtur, cum hoc digna nomine non sit. LATROCINIVM, } iudicibus reū prodentibus: quos tu nunc, contra quam putasti, vides iudicare.

ORATIO.

DE parricidio caussa dicitur: ratio ab accusatore reddita non est, quam ob caussam patrem filius occiderit. quod in minimis noxis, & in his leuioribus peccatis, quæ magis crebra, & iam prope quotidiana sunt, maxime, & primum quæritur, quæ caussa maleficij fuerit; id Erutius in parricidio quæri non putat oportere. in quo scelere, iudices, etiā cū multæ caussæ conuenisse vnum in locū, atq; inter se congruere videntur; tamen non temere creditur: neq; leui coniectura res penditur; neq; testis incertus auditur; neque accusatoris ingenio res iudicatur: cum multa antea commissa maleficia, tum vita hominis perditissima, tum singularis

audacia ostendatur, necesse est, neque audacia solum, sed summus furor, atque amentia. hæc cum sint omnia, tamen exstent oportet expressa sceleris vestigia, vbi, qua ratione, per quos, quo tempore maleficium sit admissum. quæ nisi multa, & manifesta sunt: profecto res tam scelesta, tam atrox, tam nefaria credi non potest. magna est enim vis humanitatis: multum valet cõmunio sanguinis: reclamitat istiusmodi suspicionibus ipsa natura: portentum, atque monstrum certissimum est, esse aliquem humana specie, & figura, qui tantum immanitate bestias vicerit, vt, propter quos hanc suauissimã lucẽ adspexerit, eos indignissime luce priuarit; cum etiam feras inter sese partus, atque educatio, et natura ipsa conciliet. non ita multis ante annis aiunt T. Clœlium quendam Tarracinensem, hominem non obscurum, cum cenatus cubitum in idem conclaue cum duobus adolescentibus filijs isset, inuentum esse mane iugulatum. cum neque seruus quisquam reperiretur, neq; liber, ad quem ea suspicio pertineret; id ætatis autem duo filij propter cubantes ne sensisse quidẽ se dicerent: nomina filiorũ de parricidio delata sunt. quid postea? erat sane suspiciosum. neutrum sensisse? ausum aũt esse quemquã se in id cõclaue cõmittere, eo potissimũ tẽpore, cum ibidẽ eßẽt duo adolescentes filij, qui & sentire, & defendere facile possent? erat porro nemo, in quem ea suspicio conueniret. tamen, cum planum iudicibus esset factũ, aperto ostio dormientes eos repertos esse, iudicio absoluti adolescentes, et suspicione omni liberati sunt. nemo enim putabat quemquam esse, qui, cum omnia diuina atque humana iura scelere nefario polluisset, somnum statim capere potuisset: propterea quod, qui tantum facinus commmiserunt, nõ modo sine cura quiescere, sed ne spirare quidem, sine metu possunt. Videtis ne, quos nobis poetæ tradiderunt patris vlciscendi caussa supplicium de matre sumpsisse, cum præsertim deorum immortalium iussis, atque oraculis id fecisse dicantur; tamen vt eos agitent furiæ, neque consistere vsquam patiantur? quod ne pij quidem sine scelere esse potuerunt. sic se res habet, iudices: magnam vim, magnam necessitatem, magnam possidet religionem paternus, maternusque sanguis. ex quo, si qua macula concepta est, non modo elui non potest, verum vsque eo permanat ad animum, vt summus furor, atque amentia consequatur. nolite enim putare, quemadmodum in fabulis sæpe numero videtis, eos, qui aliquid impie scelerateq; commiserint, agitari & perterreri furiarum tædis ardentibus.

bus. sua quemq; fraus, & suus terror maxime vexat: suum quemque scelus agitat, amentiaq; afficit: suæ malæ cogitationes, conscientiæq; animi terrent. hæ sunt impijs assiduæ domesticæque furiæ, quæ dies noctesq; parentum pœnas à consceleratissimis filijs repetant. hæc magnitudo maleficij facit, vt, nisi pæne manifestum parricidium proferatur, credibile non sit, nisi turpis adolescentia, nisi omnibus flagitijs vita inquinata, nisi sumptus effusi cũ probro atq; dedecore, nisi prorupta audacia, nisi tanta temeritas, vt non procul abhorreat ab insania. accedat huc oportet odium parentis, animaduersionis paternæ metus, amici improbi, serui conscij, tempus idoneum, locus oportune captus ad eam rem: pæne dicã, respersas manus sanguine paterno iudices videant, oportet, si tantum facinus, tam immane, tam acerbum credituri sunt. quare hoc, quo minus est credibile, nisi ostenditur; eo magis est, si conuincitur, vindicãdum. itaq; cum multis ex rebus intelligi potest, maiores nostros non modo armis plus, quam ceteras nationes, verum etiã consilio sapientiaq; potuisse, tum ex hac re vel maxime quod in impios singulare supplicium inuenerunt. qua in re quantum prudentia præstiterint ijs, qui apud ceteros sapientissimi fuisse dicuntur, considerate.

EXPLANATIO.

CONCLAVE} locus fuit in ædibus, ubi cenabatur, sine camino. SVPPLICIVM *de matre sumpsisse*} Orestem designat, qui Clitemnestrã matrem, quæ de Agamemnonis, viri sui, nece, cum Aegystho adultero cõsenserat, occidit. Significare & Alcmæonem putarem, qui Amphiarai patris interitum, interfecta matre Eryphile, vltus est: sed ea verba, Cum deorum immortalium iussis atq; oraculis id fecisse dicãtur, ad Orestem potius, quam ad Alcmæonem, pertinent. Euripedes in Oreste. NE PII *quidem*} qui pietatis caussa, patrem vlciscentes, id commiserunt. SVMMVS *furor, atq; amentia*} nam eos in insaniam incidisse poetæ fingunt. vnde illud supra: Videtis ne, vt eos agitent furiæ, neq: consistere vsquam patiantur?

ORATIO.

PRVDENTISSIMA *ciuitas Atheniensium, dum earerum potita est, fuisse traditur. eius porro ciuitatis sapientissimum Solonẽ dicunt fuisse, eum, qui leges, quibus hodie qua-*

que vtuntur, scripserit. is cum interrogaretur, cur nullum supplicium constituisset in eum, qui parẽtem necasset? respondit, se id neminem facturum putasse. sapienter fecisse dicitur, cum de eo nihil sanxerit, quod antea commissum non erat; ne non tam prohibere, quam admonere videretur. Quanto maiores nostri sapientius, qui, cum intelligerent, nihil esse tam sanctum, quod non aliquãdo violaret audacia, supplicium in parricidas singulare excogitauerunt: vt, quos natura ipsa retinere in officio non potuisset, ij magnitudine pœnæ maleficio summouerentur. insui voluerunt in culeum viuos, atque ita in flumen deijci. o singularem sapientiam, iudices. non ne videntur hunc hominem ex rerum natura sustulisse, & eripuisse, cui repente cælum, solem, aquam, terramque ademerunt? vt, qui eum necasset, vnde ipse natus esset, careret ijs rebus omnibus, ex quibus omnia nata esse dicuntur. noluerunt feris corpus obijcere, ne bestijs quoque, quæ tantum scelus attigissent, immanioribus vteremur: non sic nudos in flumen deijcere, ne, cum delati essent in mare, ipsum polluerent, quo cetera, quæ violata sunt, expiari putantur. denique nihil tam vile, neque tam vulgare est, cuius partem vllam reliquerint. etenim, quid tam est commune, quam spiritus viuis? terra mortuis? mare fluctuantibus? litus eiectis? ita viuunt, dum possunt, vt ducere animam de cælo non queant: ita moriuntur, vt eorũ ossa terram nõ tangant: ita iactantur fluctibus, vt numquã alluantur: ita postremo eijciuntur, vt ne ad saxa quidẽ mortui conquiescant. Tanti maleficij crimen, cui maleficio tam insigne supplicium est constitutum, probare te, Eruti, censes posse, talibus viris, si ne caussam quidem maleficij protuleris? si hunc apud bonorum emptores ipsos accusares eique iudicio Chrysogonus præesset, tamen diligentius, paratiusque venisses. vtrum, quid agatur, non vides? an, apud quos agatur? agitur de parricidio: quod sine multis caussis suscipi non potest. apud homines autem prudentissimos agitur: qui intelligunt neminem ne minimum quidem maleficium sine caussa admittere. Esto: caussam proferre non potes. tametsi statim vicisse debeo, tamen de meo iure decedam, & tibi, quod in alia caussa non concederem, in hac concedam, fretus huius innocentia. non quæro abs te, quare patrem Sex. Roscius occiderit: quæro, quo modo occiderit. ita quæro abs te, C. Eruti, quo modo, & sic tecum agam, vt in eo loco vel respondendi, vel interpellandi tibi potestatem faciam, vel etiam, si quid voles, interrogan-

terrogandi. Quo modo occidit? ipse percussit, an alijs occidendum dedit? si ipsum arguis: Romæ non fuit. si per alios fecisse dicis: quæro, seruos ne, an liberos? quos homines? indidem ne Ameria, an hosce ex vrbe sicarios? si Ameria, qui sunt hi? cur non nominantur? si Roma, vnde eos nouerat Roscius? qui Romam multis annis non venit, neque vmquam plus triduo fuit. vbi eos conuenit? quicum locutus est? quo modo persuasit? pretiũ dedit? cui dedit? per quẽ dedit? vnde aut quantũ dedit? nõ ne his vestigijs ad caput maleficij perueniri solet? Et simul tibi in mentẽ veniat facito, quemadmodũ vitã huiusce depinxeris: hunc hominem ferũ, atq; agrestem fuisse: numquam cum homine quoquam collocutum esse: numquam in opido constitisse: Qua in re prætereo illud, quod mihi maximo argumento ad huius innocentiam poterat esse; in rusticis moribus, in victu arido, in hac horrida, incultaque vita, istiusmodi maleficia gigni non solere. vt non omnem frugem, neque arborem in omni agro reperire possis: sic non omne facinus in omni vita nascitur. in vrbe luxuries creatur: ex luxuria exsistat auaritia, necesse est, ex auaritia erũpat audacia: inde omnia scelera ac maleficia gignuntur. vita autem hæc rustica, quam tu agrestem vocas, parcimoniæ, diligentiæ, iustitiæ magistra est. Verum hæc missa facio: illud quæro, is homo, qui, vt tute dicis, numquam inter homines fuerit, per quos homines hoc tantum facinus, tam occultum, absens præsertim, conficere potuerit. Multa sunt falsa, iudices, quæ tamen argui suspiciose possunt: in his rebus si suspicio reperta erit, culpam inesse concedam.

EXPLANATIO.

DVM *ea rerum potita est,*} prudentiã enim cum imperio simul amisit. EVM,} indicantis est, nec sine lepore: vt alibi sæpe. QVI *leges scripserit.*} abrogatis propter nimiam seueritatem, quas Draco antea scripserat, exceptis quæ ad cædem pertinebant. ADMONERI} in animos hominum inducere, quod alioqui nõ cogitaretur. EXPIARI *putantur.*} cum aqua salsa maris adsperguntur. TAM *vulgare,*} tam commune. *Etenim, quid tam est commune, quam spiritus viuis? terra mortuis? mare fluctuantibus? litus eiectis?* } recitat, atque etiam laudat hæc

verba in Oratore, vt ab adolescente, exsultantis ingenij pronunciata. Quantis, inquit, illa clamoribus adolescentuli diximus de supplicio parricidarum: quæ nequaquam satis deferbuisse, post aliquanto sentire cœpimus. Quid enim tam comune, quam spiritus viuis. & quæ sequuntur. Quibus recitatis, hæc subiungit: Sunt enim omnia, sicut adolescentis, non tam re, & maturitate, quam spe, & exspectatione laudati. TANTI *maleficij crimen, cui maleficio*} dixi iam, iterationem eiusdem verbi concinnitate aliqua nō carere. addamus tamen & hic exēpla nonnulla. In Diuin. Si quod tempus accidisset, quo tempore aliquid à me requirerent. In eadem. Cum illius diei mihi venit in mentem, quo die, citato reo, mihi dicendum sit, Lib. V. in Verrem: Scitote esse opidum in Sicilia nullum, quo in opido. IN EO *loco*} in subsellijs accusatorum. sic pro Cluētio: Audete negare, ab Oppianico Staleno iudici pecuniam datam. negate, negate, inquam, in eo loco. FACIAM *potestatem*} quam accusator, nisi patrono permittente, non habebat. INDIDEM} ex eodem loco, vbi erat. addit, Ameria, explanationis caussa.

ORATIO.

ROMAE *Sex. Roscius occiditur, cum in agro Amerino esset filius. litteras, credo, misit alicui sicario, qui Romæ nouerat neminem. accersiuit aliquem: at quando? nuncium misit: quem? aut ad quem? pretio, gratia, spe, promissis induxit aliquem: nihil horum ne confingi quidem potest: & tamen caussa de parricidio dicitur. Reliquum est, vt per seruos id admiserit. o dij immortales, rem miseram, & calamitosam. quod in tali crimine innocenti saluti solet esse, vt seruos in quæstionem polliceatur; id Sex. Roscio facere non licet: vos, qui hunc accusatis, omnes eius seruos habetis: vnus puer, victus quotidiani administer, ex tanta familia Sex. Roscio relictus non est. Te nunc appello, P. Scipio, te, Metelle: vobis aduocatis, vobis agentibus, aliquoties duos seruos paternos in quæstionem ab aduersarijs Sex. Roscius postulauit. meministis ne T. Roscium recusare? quid? ij serui vbi sunt? Chrysogonum, iudices, sectantur, apud eum sunt in honore, & in pretio. etiam nunc, vt ex his quæratur, ego postulo, hic orat, atq; obsecrat.*

quid

quid facitis? cur recusatis? Dubitate etiam nunc, iudices, si potestis, a quo sit Sex. Roscius occisus: ab eo ne, qui propter illius mortem in egestate, & insidijs versatur, cui ne quærendi quidem de morte patris potestas permittitur; an ab ijs, qui quæstionem fugitant, bona possident, in cæde, atq; ex cæde viuunt. Omnia, iudices, in hac caussa sunt misera, atq; indigna: tamen hoc nihil neq; acerbius, neque iniquius proferri potest. mortis paternæ de seruis paternis quæstionem habere filio non licet. ne tam diu quidem dominus erit in suos, dum ex ijs de patris morte quæratur. veniam, neq; ita multo post, ad hũc locum. nam hoc totum ad Roscios pertinet: de quorum audacia me tũ dicturũ pollicitus sum, cum Erutij crimina diluissem. Nunc, Eruti, ad te venio. Conueniat mihi tecum, necesse est, si ad hunc maleficium istud pertinet, aut ipsum sua manu fecisse, id quod negas; aut per aliquos liberos, aut seruos. liberos ne? quos neq; vt conuenire potuerit, neq; qua ratione inducere, neq; vbi, neque per quos, neque qua spe, aut quo pretio, potes ostendere. ego contra ostendo, non modo nihil eorum fecisse Sex. Roscium, sed ne potuisse quidem facere; quod neq; Romæ multis annis fuerit, neque de prædijs vmquam temere discesserit. Restare tibi videbatur seruorum nomen, quo quasi in portũ reiectus à ceteris suspicionibus, cõfugere posses: vbi scopulum offendis eiusmodi, vt non modo ab hoc crimen resilire videas, verum omnem suspicionem in vosmetipsos recidere intelligas. Quid est ergo, quo tandem accusator inopia argumentorum confugerit? eiusmodi tempus erat, inquit, vt homines vulgo impune occiderentur. quare tu hoc, propter multitudinem sicariorum, nullo negotio facere potuisti. interim mihi videris, Eruti, vna mercede duas res assequi velle, nos iudicio perfundere, accusare autem eos ipsos, à quibus mercedem accepisti. Quid ais? vulgo occidebantur? per quos? & à quibus? nonne cogitas te à sectoribus huc adductum esse? quid postea? nescimus, per ista tempora eosdem fere sectores fuisse collorum, & bonorum? ij denique, qui tum armati dies noctesque concursabant, qui Romæ erant assidui, qui omni tempore in præda & sanguine versabantur, Sex. Roscio temporis illius acerbitatem, iniquitatemq; obijcient? & illam sicariorũ multitudinem, in qua ipsi duces ac principes erant, huic crimini putabunt fore? qui non modo Romæ non fuit, sed omnino, quid Romæ ageretur, nesciret: propterea quod ruri assiduus, quemadmodũ tute confiteris, fuit. Vereor, ne aut molestus sim vobis, iudices, aut ne in-

genijs vestris videar diffidere, si de tã perspicuis rebus diutius disserã. Erutij criminatio tota, vt arbitror, dissoluta est, nisi forte exspectatis, vt illa diluam, quæ de peculatu, ac de eiusmodi rebus commenticijs, inaudita nobis ante hoc tempus, ac noua obiecit. quæ mihi iste visus est ex alia oratione declamare, quam in aliũ reum commentaretur: ita neque ad crimen parricidij, neque ad eum, qui caussam dicit, pertinebant. de quibus quoniam verbo arguit, verbo satis est negare. si quid est, quod ad testes reseruet; ibi nos quoque, vt in ipsa caussa, paratiores reperiet, quam putabat.

EXPLANATIO.

P. SCIPIO, *te Metelle*:} dixi iam, significari Scipionẽ eius patrem, qui Pompeij Magni socer fuit: Metellum autem eius Metelli, qui cum Lẽtulo Spinthere consulatum gessit. cur enim aliter credam, cum eos adesse, & sedere Cicero dixerit aduocatós Sex. Roscij, in quibus auctoritas, atque amplitudo summa esset? Quæ quidem in adolescentibus verba locũ non habent. Quid illa, quæ ibidem subiungit? Ceterorum neq; dictum obscurũ potest esse, propter nobilitatem, & amplitudinem, neque temere dicto concedi, propter ætatem, & prudentiam: ego si quid liberius dixero, vel occultum esse, propterea, quod nondum ad remp. accessi, vel ignosci adolescentiæ meæ poterit. Aetatẽ ijs tribuit, & prudentiam, viris certe, non adolescentulis. Infra vero tollitur plane dubitatio, vbi de iisdem Scipione, & Metello hæc dicuntur: Postulabant homines nobilissimi, atque integerrimi nostræ ciuitatis: qui ita vixerunt, talesque à populo Romano putantur, vt, quidquid dicerẽt, nemo esset, qui nõ æquum putaret. DVBITATE *etiam nunc, iudices, si potestis, à quo sit Sex. Roscius occisus*,} indignatio, quod in re perspicua dubitetur. tale illud in Verrem lib. III. Vos etiam nunc dubitate, si potestis, vtrum tantum numerum tritici Venerius, apparitor istius, acceperit, an huic exegerit. Ibidem: Exspectate etiam, iudices, si potestis, auctoritatem accusationis meæ. Non dissimilis illa indignatio lib. II. Retinete, retinete hominẽ in ciuitate, iudices: parcite, & conseruate; vt sit, qui vobiscum res iudicet, qui in

ſenatu, ſine vlla cupiditate de bello & pace ſententiam ferat. QVO, *quaſi in portum reiectus à ceteris ſuſpicionibus, confugere poſſes:*} quo argumento contra Roſcium, ceteris deficientibus, vti poſſes. cum enim, per quem Roſcius parricidium admiſerit, commiſſa tibi non liceret: reſtabat vnum, vt admiſiſſe per ſeruos diceres. at ego cupere Roſcium oſtendi, vt de ſeruis quæratur: nec tamen id licere, quia ſeruos ei Chryſogonus ademerit. SCOPVLVM} apte, quia dixerat, portum, &, Reiectus tamquam à fluctibus. VNA *mercede*} cum à noſtris aduerſarijs pecuniam acceperis, vt Sex. Roſcium, non, vt eos ipſos, à quibus acceperis, accuſares. NOS *iudicio perfundere*,} non dicit, nos accuſare: vt leue contra Roſciũ hoc eſſe Erutij argumentum ſignificet: ſed, iudicio perfundere, id eſt, leuiter adſpergere, aliqua nos iudicij moleſtia afficere. A SECTORIBVS} ab ijs, qui proſcriptorum bona emunt. Chryſogonum deſignat. SECTORES *collorum, & bonorum*?} vt, quos occidiſſent, eorum bona tamquam proſcriptorum emerent. ideo autem colla ſecabãtur proſcriptorum, vt, capitibus in Roſtra delatis, cædes omnibus pateret, præmiaq; ſectoribus darentur. itaq; in oratione contra competitores dixit Cicero de Catilina: Populum vero, cum, inſpectante populo, collum ſecuit hominis maxime popularis, quanti faceret, oſtendit. Eodemq; referuntur illa pro Murena: Deſcendi in campũ cum illa lata, inſigniq; lorica, non quæ me tegeret, (etenim ſciebam Catilinam non latus, aut ventrem, ſed caput & collum ſolere petere) verum vt omnes boni animaduerterent. Et proprie, Sectores collorum, & bonorum, vno verbo duabus rebus accommodato. nam quod ad bona pertinet, ſatis conſtat, ſectorem à ſecando, id eſt, cædendo, dictum: quod in auctione ſeparatim ſingula vendi ſolerent, domus, prædia, ſupellex, nomina: vt quaſi ſecari bona viderentur. & quia, ſecare, & cædere, idem ſunt, propterea dixit L. Craſſus in procemio lib. III. de Orat. Non tibi illa ſunt cædenda, ſi Craſſum vis coercere: hæc tibi eſt excidenda lingua: qua vel euulſa, ſpiritu ipſo libidinem tuam libertas mea refutabit. Loquebatur L. Craſſus

de sectione auctionaria eorum pignorum, quæ sibi consul Philippus abstulerat. NISI *forte exspectatis,* } vt illa diluam. Negat hic loquendi modus: est enim pro, Non exspectatis. infra: Nisi hoc mirum est, quod vis diuina assequi non possit, si id mens humana adepta non sit. Et aliquanto post: Nisi hoc indignum putas, quod vestitum sedere in iudicio vides. pro, quod indignum putare nō debes. Et in Verrem lib. II. Nisi forte id agimus, non vt magistratibus nostris morem accipiendi, sed socijs caussam dicendi auferre videamur. In Catone: Nisi forte ego vobis, qui & miles, & tribunus, & legatus, & consul versatus sum in vario genere bellorum, cessare nunc videor, cum bella non geram. Idem valet, Nisi si: quamquam id interdum est dubitantis; vt apud Terentium in Andr. Repudiatus repetor, quamobrem? nisi si id est, quod suspicor: Aliquid monstri alunt. Eodem pertinet, Nisi vero: vt in Cat. II. Nisi vero si quis est, qui Catilinæ similes cum Catilina sentire non putet. Et pro Milone: Nisi vero existimatis, dementem P. Africanū fuisse, qui cum à C. Carbone tribuno pl. seditiose interrogaretur, quid de Ti. Gracchi morte sentiret, respondit, iure cæsum videri. NEQVE *ad crimen parricidij,* } ad nullam parricidij partem. NEQVE *ad eum, qui caussam dicit,* } ad Roscium. VT IPSA *caussa* } in qua agenda paratiorem me reperit, quam putabat.

ORATIO.

VENIO nunc eo, quo me non cupiditas ducit, sed fides. nā, si mihi liberet accusare, accusarem alios potius, ex quibus possem crescere: quod certum est non facere; dum vtrumuis licebit. is enim mihi videtur amplißimus, qui sua virtute in altiorem locum peruenit, non qui adscendit per alterius incommodū, & calamitatem. Desinamus aliquando ea scrutari, quæ sunt inania: quæramus, vbi maleficium & est, & inueniri potest. iam intelliges, Eruti, certum crimen quam multis suspicionibus coarguatur. tametsi neque omnia dicam, & leniter vnumquodq; tangam. neque enim id facerem, nisi necesse esset: & id erit signi me inuitū facere, quod non prosequar longius, quam salus huius, & mea fides postulabit. Caussam tu nullam reperiebas in Sex. Roscio. at ego in T. Roscio reperio. tecum enim mihi res est, T. Rosci, quoniam istic sedes,

sedes, ac te palam aduersarium esse profiteris. de Capitone post viderimus, si, quemadmodum paratum esse audio, testis prodierit. tũ alias quoque suas palmas cognoscet, de quibus me ne audisse quidẽ suspicatur. L. Caßius ille, quem populus R. verißimum & sapientißimum iudicem putabat, identidem in caußis quærere solebat, cui bono fuisset. sic vita hominum eſt, vt ad maleficium nemo conetur sine spe, atque emolumento accedere. hunc quæsitorem, ac iudicem fugiebant, atque horrebant ij, quibus periculum creabatur: ideo quod, tametsi veritatis erat amicus, tamen natura nõ tam propensus ad misericordiam, quam inclinatus ad seueritatem videbatur. Ego, quamquam præest huic quæstioni vir & contra audaciam fortissimus, et ab innocentia clementißimus, tamen facile me paterer, vel illo ipso acerrime iudice quærente, vel apud Caßianos iudices, quorum etiam nunc ij, quibus caussa dicenda eſt, nomen ipsum reformidant, pro Sex. Roscio dicere. in hac enim caussa cum viderent illos amplißimã pecuniam poßidere, hunc in summa mendicitate esse, illud quidem non quærerent, cui bono fuisset; sed & perspicuum crimen, & suspicionem potius ad prædam adiungerẽt, quam ad egestatem. quid. si accedit eodem, vt tenuis antea fuerit? quid. si, vt auarus? quid, si, vt audax? quid, si, vt illius, qui occisus eſt, inimicißimus? num quærenda caussa, quæ te ad tantum facinus adduxerit? quid ergo horum negari poteſt? tenuitas hominis eiusmodi eſt, vt dißimulari non queat, atque eo magis eluceat, quo magis occultatur. auaritiam præfers, qui societatem coieris de municipis, cognatique fortunis cum alienißimo. quam sis audax, (vt alia obliuiscar) hinc omnes intelligere potuerunt, quod ex tota societate, hoc eſt ex tot sicarijs, solus tu inuentus es, qui cum accusatoribus sederes, atque os tuum non modo ostenderes, sed etiam offerres. inimicitias tibi fuisse cum Sex. Roscio, & magnas rei familiaris controuersias, concedas, necesse eſt. Restat, iudices, vt hoc dubitemus, vter potius Sex. Roscium occiderit, is, ad quem morte eius diuitiæ venerint; an is, ad quem mendicitas: is, qui anteą tenuis fuerit; an is, qui postea factus sit egentißimus. is, qui ardens auaritia feratur infestus in suos; an is, qui semper ita vixerit, vt quæstum nosset nullum, fructum autem eum solum, quem labore peperisset: is, qui omnium sectorum audacißimus sit; an is, qui propter fori iudiciorumque insolentiam non modo subsellia, verum etiam vrbem ipsam reformidat: postremo, iudices, id quod ad rem mea sententia maxime pertinet,

tinet, vtrum inimicus potius, an filius. Hæc tu, Eruti, tot & tanta si nactus esses in reo, quam diu diceres? quo te modo iactares? tempus hercule te citius, quam oratio, deficeret. etenim in singulis rebus eiusmodi materies est, vt dies singulos possis consumere: neq; ego non possum: non enim mihi tantum derogo, tametsi nihil arrogo, vt te copiosius, quam me putem posse dicere. verum ego forsitan propter multitudinem patronorum in grege annumerer: te pugna Cannensis accusatorem sat bonum facit. multos cæsos non ad Thrasimenum lacum, sed ad Seruilium vidimus. quis ibi non est vulneratus ferro Phrygio? non necesse est omnes commemorare, Curtios, Marios, denique Mamercos, quos iam ætas à prælijs auocabat postremo Priamum ipsum senem Antistium, quem non modo ætas, sed etiam leges pugnare prohibebant. iam, quos nemo propter ignobilitatem nominat, sexcenti sunt, qui inter sicarios, & de veneficijs accusabant. qui omnes, quod ad me attinet, vellem viuerent: nihil enim mali est, canes ibi quamplurimos esse, vbi permulti obseruandi, multaq; seruanda sunt: verum, vt fit, multa sæpe, imprudentibus imperatoribus, vis belli, ac turba molitur. dum is in alijs rebus erat occupatus, qui summam rerum administrabat, erant interea, qui suis vulneribus mederentur, qui, tamquam si offusa reip. sempiterna nox esset, ita ruebant in tenebris, omniaq; miscebant. à quibus miror, ne quod iudiciorum esset vestigium, nō subsellia quoque esse combusta: nam et accusatores, & iudices sustulerunt. hoc cōmodi est, quod ita vixerunt, vt testes omnes. si cuperent, interficere non possent. nam, dum hominum genus erit; qui accuset eos, non deerit: dum ciuitas erit, iudicia fient. Verū, vt cœpi dicere, & Erutius, hæc si haberet in caussa quæ commemoraui, posset ea quamuis diu dicere, & ego, iudices, possum: sed in animo est, quemadmodū ante dixi, leuiter, transire, ac tantūmodo perstringere vnamquamq; rem; vt omnes intelligant, me non studio accusare, sed officio defendere. Video igitur caussas esse permultas, quæ istū impellerēt: videamus nūc, ecquæ facultas suscipiendi maleficij fuerit.

EXPLANATIO.

ALIOS *potius*} nobiliores T. Roscio; in quem cogor ea dicere, quæ salus Sex. Roscij, meaque fides postulat. EX QVIBVS *possem crescere*:} in honoris locum altiorem adscendere. Sic lib. V. in Verrem: Si videor hic, id quod ego non quæsiui, de vno isto voluisse

crescere:

crescere: isto absoluto, quod sine multorum scelere fieri non potest, de multis mihi crescere licebit. DVM *vtrumuis licebit.* } non licuit vtrumuis in caussa Verris, Siculis eius promissa commemorantibus, & vt fortunas eorum omnes defenderet orantibus. QVONIAM *istic sedes*} in subsellijs accusatorum. ALIAS *suas palmas cognoscet*} alias cædes, me narrante. supra: Multarum palmarū vetus, & nobilis gladiator. infra: Audio præterea non hanc suspicionem nunc primum in Capitonem conferri, multas esse infames palmas, hanc primam esse tamen lemniscatam, quæ Romæ deferatur. L. CASSIVS} de quo supra diximus. QVEM *populus Romanus verissimum & sapientissimum iudicem putabat,*} itaque præfecit eum iudicio virginum Vestalium: quas omnes, nimia etiam, vt putatur, asperitate vsus, damnauit. Asconius. SIC *vita hominum est,*} Terentianū in Ad Ita vita est hominis, quasi cūl udas tesseris. QVAESITOREM *ac iudicem*} quæsitor iudicio præerat: iudices quæsitori parebant. recte igitur distinxit quæsitorem ac iudicem. NATVRA *non tam propensus ad misericordiam, quam implicatus ad seueritatem videbatur,*} Nihil simile, inter, Propensus, & Implicatus. quod si pro, Implicatus, leges, Inclinatus, translatio commode absoluetur. PRAEEST *huic quæstioni*} prætor M. Fannius. CONTRA *audaciam*} accusatorum, qui vel ad ipsa subsellia cum ferro telisque venerunt. AB *innocentia*} pro innocentia. opponuntur enim, Contra audaciam, Ab innocentia. CLEMENTISSIMVS:} cognita Sex. Roscij innocentia clementissimū se præbebit. ILLO *ipso*} L. Cassio. ACERRIMO *iudice*} acerrime iudicia exercere solito. QVAERENTE} quæsitore, loco Fannij. CASSIANOS} Cassij seueritati simillimos. ILLVD *quidem non quærerent*} quod satis patet. VT *tenuis antea fueris?*} contra T. Roscium. Tenuis autem, pro, pauper, vt supra; Mallius Glaucia quidam, homo tenuis. CVM *alienissimo.*} cum Chrysogono. TE *pugna Cannensis*} Cannensi pugna quot eo tempore Romanorum millia cæsa sint, nemo vel paullo humanior ignorat. Cannensem autem à similitudine vocat, eam pugnam, qua Sulla Marianos quamplurimos

plurimos occidit. ACCVSATOREM *fat bonum,*} cæsis reliquis Cannensi pugna. Non tu, inquit, propter eloquentiam accusator sat bonus es, sed quia periere, qui accusare consueuerant. NON *ad Thrasimenum,*} ad quem lacum Hannibal, ante Cannensem pugnam, magno prælio, cæso etiam Flaminio consule, Romanos vicit. Nominat hunc lacum, quia similiter ad lacum cædes magna Sullæ iussu facta est. SERVILIVM} à conditore vocatum. Romæ fuit in principio vici iugarij, continens, vt ait Festus, basilicæ Iuliæ. Hæc historia reperitur apud Senecam in libro de prouidentia Dei, et Iulium Firmicum. Seneca sic: Viderint, inquit, hoc isti, quos Romæ deprehendit felicitas tua. Videant largum in foro sanguinem, & supra Seruilianum lacum (id enim proscriptionis spoliarium est) senatorum capita, & passim vagantes per vrbem percussorum greges, & multa millia Romanorum vno loco post fidem, immo per ipsam fidem, trucidata. Firmicus autē his verbis: Vis ne aliquid tibi; quia in Sullanis temporibus immoramur; de lacu Seruilio referam? in quo multorum senatorum capita ad ostentationem immanissimi facinoris, sectis ceruicibus pependerunt. QVIS *ibi non est vulneratus ferro Phrygio?*} non dubito, quin sit versus ex vetere tragœdia, translatus ad indicandam ciuium Romanorum cædem, ad Seruilianum lacū Sullæ iussu commissam. CVRTIOS} accusatorum, qui ad Seruilium lacum cæsi sunt, nomina commemorat. MAMERCOS} Aemiliæ gentis. A PRAELIIS *auocabat;*} hoc dicit, vt, eos hoc ipso tātum interfectos, quia essent accusatores, ostendat, non quia pro Marianis contra Sullam pugnassent. PRIAMVM *ipsum,*} comparat Antistium Priamo, quia, vt ille summa senectute, in magna Troianorum cæde, occisus esset, sic Antistius, multis cæsis accusatoribus, senex admodum ideo necatus est, ne quis esset, qui de quotidianis cædibus quemquam accusaret. Priami autem mentionem induxit, quia dixerat, Ferro Phrygio De hoc in Bruto: Coniunctus Sulpicij ætati P. Antistius fuit, rabula sane probabilis: qui, multos cū tacuisset annos, neque contemni solum, sed irrideri etiā

solitus

ſolitus eſſet, in tribunatu primum contra C. Iulij illam conſulatus petitionem extraordinariam, veram cauſſam agens eſt probatus, & eo magis, quod, eandem cauſſam cum ageret eius collega ille ipſe Sulpicius, hic plura, & acutiora dicebat itaque poſt tribunatum primo multæ ad eum cauſſæ, deinde omnes, maximæ quæcumque erant, deferebantur. rem videbat acute, componebat diligenter: memoria valebat: verbis non ille quidem ornatis vtebatur, ſed tamen non abiectis. expedita autē erat, & perfacile currens oratio. & erat eius quidā tamquam habitus non inurbanus: actio paullum cum vitio vocis, tum etiam ineptijs claudicabat. hic temporibus floruit ijs, quibus inter profectionem redituḿque L. Sullæ, ſine iure fuit, & ſine vlla dignitate reſp. LEGES *pugnare prohibebant.*} lex fuit, per quā vltra ætatis annum XLVI non pugnare licuerit, auctoribus, Cicerone in Catone, Palybio lib. VI. de rep. quæ vero diſerte pugnare prohibuerit, nulla, quod ſciam, nominatur. & opinor, ait Cicero, Prohiberent, pro, Non cogerent: oratorie. QVI *ſuis vulneribus mederentur,*} qui vel ſuos inimicos vlciſcerentur, vel eos, qui accuſare ſolerent, ſimulq́ue iudices ipſos occiderent: ita fore ſperantes, vt ſuorum ſcelerum pœnas effugerent.

ORATIO.

VBI *occiſus eſt Sex. Roſcius? Romæ. quid tu, Roſci, vbi tūc eras? Romæ. verum, quid ad rem? & alij multi. quaſi nunc id agatur, qui ex tanta multitudine occiderit: ac non hoc quæratur, eum, qui Romæ ſit occiſus, vtrum veriſimilius ſit ab eo eſſe occiſum, qui aſſiduus eo tempore Romæ fuerit: an ab eo, qui multis annis Romam omnino non acceſſerit. Age nunc, ceteras facultates quoque conſideremus. Erat tum multitudo ſicariorum, id quod commemorauit Erutius: & homines impune occidebantur. quid? ea multitudo quæ erat? opinor, aut eorum, qui in bonis erant occupati, aut eorum, qui ab ijs conducebantur, vt aliquem occiderent. ſi eos putas, qui alienum appetebāt; tu es in eo numero, qui noſtra pecunia diues es: ſin eos, quos, qui leuiore nomine appellant, percuſſores vocant, quære, in cuius fide ſint, & clientela: mihi crede, aliquem de ſocietate tua reperies. & quidquid tu contra di-*

xeris, id cum defensione nostra contendito: ita facillime caussa Sex. Roscij cum tua conferetur. Dices, quid postea, si Romæ assiduus fui? respondebo: at ego omnino non fui. Fateor me sectorem esse, verum & alij multi: at ego, vt tute arguis agricola, & rusticus. non continuo, si me in gregem sicariorum contuli, sum sicarius: at ego profecto, qui ne noui quidem quemquam sicarium, longe absum ab eiusmodi crimine. Permulta sunt, quæ dici possunt, quare intelligatur summam tibi facultatem fuisse maleficij suscipiendi: quæ non modo iccirco prætereo, quod teipsum non libenter accuso; verum eo magis etiam, quod, si de illis cædibus velim commemorare, quæ tum factæ sunt ista eadem ratione, qua Sex. Roscius occisus est, vereor ne ad plures oratio mea pertinere videatur. Videamus nunc strictim, sicut cetera, quæ post mortem Sex. Roscij, abs te, T. Rosci, facta sunt: quæ ita aperta & manifesta sunt, vt medius fidius, iudices, inuitus ea dicam. vereor enim, cuicuimodi es, Rosci, ne ita hunc videar voluisse seruare, vt tibi omnino non pepercerim. cum hoc vereor, & cupio tibi aliqua ex parte, quod salua fide possim, parcere; rursus immuto voluntatem meam. venit enim mihi in mentem oris tui. te ne, cum ceteri socij tui fugerent, ac se occultarent, vt hoc iudicium non de illorũ præda, sed de huius maleficio fieri videretur; potissimum tibi partes istas depoposcisse, vt in iudicio versarere, & sederes cum accusatore? qua in re nihil aliud assequeris, nisi vt ab omnibus mortalibus audacia tua cognoscatur, & impudentia. Occiso Sex. Roscio, qui primus Ameriam nunciat? Mallius Glaucia, quem iam antea nominaui, tuus cliens, & familiaris. quid attinuit eum potissimum nunciare, quod, si nullum iam ante consilium de morte, ac de bonis inieras, nullamque societatem neque sceleris, neque præmij cum homine vllo coieras, ad te minime omnium pertinebat? Sua sponte Mallius nunciat? quid, quæso eius intererat? An cum Ameriã non huiusce rei caussa venisset, casus accidit, vt id, quod Romæ audierat, primus nunciaret? cuius rei caussa venerat Ameriam? non possum, inquit, diuinare. eo rem iam adducam, vt nihil diuinatione opus sit. Qua ratione Roscio Capitoni primum nunciauit? cum Ameriæ Sex. Roscij domus, vxor, liberique essent, cum tot propinqui cognatique optime conuenientes; qua ratiõe factum est, vt iste tuus cliens sceleris tui nuncius, T. Roscio Capitoni potissimũ nunciaret: occisus est à cena rediens. nondum lucebat, cum Ameriæ

scitum

scitum est. quid hic incredibilis cursus? quid hæc tanta celeritas, festinatioque significat? non quæro, quis percusserit. nihil est, Glaucia, quod metuas: nõ excutio te, si quid forte ferri habuisti, nõ scrutor: nihil ad me arbitror pertinere. quoniam, cuius consilio occisus sit, inuenio, cuius manu sit percussus, non laboro. vnum hoc sumo, quod mihi apertum tuum scelus, resq; manifesta dat: vbi, aut vnde audiuit Glaucia, qui tã cito sciuit? fac audisse statim. quæ res eum nocte vna tantum itineris contendere coëgit? quæ necessitas eũ tanta premebat, vt, si sua sponte iter Ameriam faceret, id temporis Roma proficisceretur? nullam partem noctis requiesceret? Etiamne in tam perspicuis rebus argumentatio quærenda. aut coniectura capienda sit? nõ ne vobis hæc, quæ audistis, cernere oculis videmini, iudices? non illum miserum, ignarum casus sui redeuntẽ à cena videtis? nõ positas insidias? non impetum repentinum? nõ versatur ante oculos vobis in cæde Glaucia? non adest iste T. Roscius? nõ suis manib. in curru collocat Autumedontem illum, sui sceleris acerbissimi, nefariæque victoriæ nuncium? non orat, vt eam noctẽ peruigilet? vt honoris sui caussa laboret? vt Capitoni quamprimũ nunciet? quid erat, quod Capitonem primum scire voluerit? nescio: nisi hoc video, Capitonem in his bonis esse socium: de tribus & decẽ fundis tres nobilissimos fundos eum video possidere. audio præterea, non hanc suspicionem nunc primum in Capitonem conferri, multas esse infames palmas, hanc primam esse tamen lemniscatã, quæ Romæ deferatur: nullum modum esse hominis occidendi, quo ille non aliquot occiderit: multos ferro, multos veneno. habeo etiã dicere, quẽ, cõtra morẽ maiorũ, minorẽ annis LX de ponte in Tiberim deiecerit. qui, si prodierit; atq; adeò cum prodierit, scio enim proditurum esse, audiet. veniat modo explicet suũ volumen illud, quod ei, planum facere possum, Erutium cõscripsisse: quod aiunt illum Sex. Roscio intentasse, & minitatum esse, se omnia illa pro testimonio esse dicturum, o præclarum testem, iudices: o grauitatem dignam exspectatione: o vitam honestam, atque eiusmodi, vt libentib. animis ad eius testimonium vestrum iusiurandum accommodetis. profecto non tam perspicue istorum maleficia videremus, nisi ipsos cæcos redderet cupiditas, & auaritia. & audacia. Alter ex ipsa cæde volucrẽ nunciũ Ameriam ad sociũ, atq; ad magistrũ suũ misit, vt, si dissimulare oẽs cuperent se scire ad quẽ maleficiũ pertineret, tamen ipse apertum suum scelus ante omniũ oculos poneret;

neret. Alter, si dijs immortalibus placet, testimonium etiam in Sex. Roscium dicturus est. quasi vero id nunc agatur, vtrũ id, quod dixerit, credendum, an, quod fecerit, vindicandum sit. itaque more maiorum comparatum est, vt in minimis rebus homines amplißimi testimonium de sua re non dicerent. Africanus, qui suo cognomine declarat tertiam partem orbis terrarum se subegisse, tamen, si sua res ageretur, testimonium non diceret. nam illud in talem virum non audeo dicere: si diceret, non crederetur. Videte nunc, quam versa, & mutata in peiorem partem sint omnia. cum de bonis, & de cæde agatur, testimonium dicturus est is, qui & sector est, et sicarius, hoc est, qui & illorũ ipsorum bonorũ, de quib. agitur, emptor, atque possessor est, & eũ hominẽ occidendum curauit, de cuius morte quæritur. Quid tu, vir optime? ecquid habes, quod dicas? mihi ausculta: vide, ne tibi desis: tua quoque res permagna agitur. multa scelerate, multa audacter, multa improbe fecisti, vnum stultißime, profecto tua sponte, nõ de Erutij sententia. nihil opus fuit, te istic sedere. neque enim accusatore muto, neque teste quisquam vtitur eo, qui de accusatoris subsellio surgit. huc accedit, quod paullo tamen occultior, atque tectior vestra ista cupiditas esset. nunc quid est, quod quisquam ex vobis audire desideret; cum, quæ facitis, eiusmodi sint, vt ea dedita opera à vobis cõtra vosmetipsos facere videamini?

EXPLANATIO.

QVAE ISTVM *impellerent:*} T. Roscium. QVI IN *bonis erant occupati;*} qui aliena bona appetebãt. ALIQVEM} Chrysogonũ dicit. CVICVIMODI es, *Rosci,*} qualisqualis es, vel vir bonus, vel improbus. MALLIVS} supra nominatus, cliens T. Roscij. QVOD *salua fide poßim*} modo ne Sex. Roscij caussa, & officio meo desim. CVM *accusatore?*} Erutio. IN *curru*} cisijs, dixit supra. AVTVMEDONTEM} Glauciam, aurigæ Achillis Autumedonti, qui curru celerrime ferretur, persimilem. NESCIO: *nisi hoc video*} modus loquendi, Ciceroni, Terẽtio, Plauto familiaris. ep. ad Memmium: Equidem, si, quid ipse sentiam, quæris; nec, cur ille tantopere contendat, video, nec cur tu repugnes: nisi tamen multo minus tibi cõcedi potest, quã illi, laborare sine caussa. VIDEO *poßidere*} abundare arbitror, video: INFA-

MES

MES *palmas*} nobiles, & gloriosæ in victoria palmæ gladiatorum erant: huius gladiatoris infames fuere: ciues enim occidit.supra.LEMNISCATAM} ceteris nobiliorem,propter lemniscos, id est,fasciolos,vt ait Festus,è corona dependentes. QVAE *Romæ deferatur:*} propter necem Sex.Roscij.CONTRA *morem maiorum,*} iocatur. nam more maiorũ nemini post annos LX. ferre suffragium licebat.ij porro Depontani senes, id est de pōte deiecti,vocabantur:quia pontes erant lignei,ad tempus facti,in quibus suffragia ferebantur. Capito autē vere nescio quem in Tiberim deiecerat. Not⁹ est ille mos ex Festo,Varrone,& Ouidio,Suetonio,Nonio,Cicerone,Scriptore etiam Rhet.ad Herenniũ.AD *magistrum suum*} Capitonem.supra: Contulit se ad eum lanistam. ALTER *ex ipsa cæde*} T.Roscius Magnus. ALTER} T. Roscius Capito.SI DIIS *immortalibus placet,*} quod mihi propositum initio fuit,onus hoc explanandarũ Ciceronis orationum suscipienti, vt sententias obscuriores,quantum in me esset,illustrarem,Latiniq; sermonis proprietatem atque elegantiam ostenderem,inania quædam,& inutilia,quæ nonnulli ad ambitionē congerunt, omitterem; id vt exsequar,accurate operam dabo; quam feliciter, alij viderint. Hic loquendi modus, Si dijs placet, tum ad indignationem, tum ad gratiarum actionem pertinet. Indignātis est, vt in hoc loco, & in Pisonem: Appellatus est hic vulturius illi⁹ prouinciæ, si dijs placet, imperator. De Fin.lib.II. Quoniam, si dijs placet,ab Epicuro loqui discimus.Tusc.V. Qua gloria commotus Epicurus exoritur:cui etiam,si dijs placet,videtur semper sapiens beatus Eodem spectat illud pro Flacco: Litemus igitur Lentulo : parentemus Cethego : reuocemus eiectos: nimiæ pietatis & summi amoris in patriam nos pœnas, si ita dijs placet, sufferamus. De Orat.lib.III. Etiam Latini, si dijs placet,hoc biennio magistri dicendi exstiterunt. Terentius in Eun. Vide,vt otiosus sit,si dijs placet. Quo loco Donatus: Proprium est exclamantis propter indignitatem alicuius rei,siue temeritatem, & indignantis.Catullus:

Deprendi modo populum puellæ
Trusantem. hunc ego, si placet Dionæ,
Protelo rigida mea cecidi.

Liuius quoque sæpe eodem modo locutus est. Gratias agentis illud est apud Plautum in Capt.

Expediui ex seruitute filium, si dijs placet.
Apud eundem in Truc.
Postquam illoc veni, aduenit,
Si dijs placet, ad villã, argentũ meo qui debebat patri.

AFRICANVS} minor. nam de maiore cum fit mẽtio, aliquid addi solet, vt, Africanus ille maior. TERTIAM *partem orbis terrarum*} Africam. Carthaginem enim stipẽdiariam fecit maior African⁹, euertit minor. Is, QVI *&* *sector est, & sicarius,*} T. Roscius Magnus. cur & sector, & sicarius, sequentibus ostẽditur. QVID *tu, vir optime?*} T. Roscium alloquitur, TE ISTIC *sedere cum accusatore.*} Mendose antea. Te isti credere. MVTO,} si istic vt accusator sedes, cur siles? &, si siles, cur istic sedes? muto enim accusatore nemo vtitur. NEQVE *teste*} ratio altera, cur sedere T. Roscius cum accusatore non debeat. Si istic sedes, testimonium tibi dicere non licet. at testimoniũ dicturus es: istic igitur sedere non debes.

ORATIO.

AGE, nũc illa videamus, iudices, quæ statim cõsecuta sunt. Ad Volaterras in castra L. Sullæ mors Sex. Roscij quattriduo, quo is occisus est, Chrysogono nunciatur. quæritur etiã nũc, quis eũ nunciũ miserit. nõ ne perspicuum est, eundem, qui Ameriam? curat Chrysogonus, vt eius bona veneant statim. qui non norat hominem, aut rem? atqui ei venit in mentem, prædia concupiscere hominis ignoti, quem omnino numquam viderat. soletis, cũ aliquid huiusmodi auditis, iudices, cõtinuo dicere: necesse est aliquẽ dixisse municipẽ, aut viciniũ. ij plerũq; indicãt; per eos pleriq; prodũtur. hic nihil est, quod suspicionẽ hãc putetis. nõ enim ego ita disputabo: verisimile est Roscios istã rem ad Chrysogonũ detulisse. erat enim eis cũ Chrysogono iã antea amicitia. nã, cum multos veteres à maioribus Roscij patronos, hospitesque haberent, omnes eos colere atq; obseruare destiterũt, ac se in Chrysogoni fidẽ & clientelam contulerunt. hæc possum omnia vere dicere: sed in hac caussa con-

sa coniectura nihil opus est: ipsos, certo scio, non negare, ad hæc bona Chrysogonum accessisse impulsu suo. Si eum, qui indicij partem acceperit, oculis cernetis: poteritis ne dubitare, iudices, qui indicarit? qui sunt igitur in istis bonis, quibus partẽ Chrysogonus dederit? duo Roscij. num quisnam præterea? nemo est, iudices. num ergo dubium est, quin ij obtulerint hanc prædam Chrysogono, qui ab eo partem prædæ tulerunt? Age, nunc ex ipsius Chrysogoni iudicio Rosciorum factum consideremus. Si nihil in ista pugna Roscij, quod operæpretium esset, fecerant, quam ob caussam à Chrysogono tantis præmijs donabantur? si nihil aliud fecerunt, nisi rem detulerunt; non ne satis fuit his gratias agi? denique, vt perliberaliter ageretur, honoris aliquid haberi? cur tria prædia, tãtæ pecuniæ statim Capitoni dantur? cur, quæ reliqua sunt, iste Roscius omnia cum Chrysogono communiter possidet? non ne perspicuum est, iudices, has manubias Roscijs Chrysogonum, re cognita, concessisse? Venit in decem primis legatus in castra Capito. Totam vitam, naturam, moresque hominis ex ipsa legatione cognoscite. nisi intellexeritis, iudices, nullum esse officium, nullum ius tam sanctum, atque integrum, quod non eius scelus, atque perfidia violarit, & imminuerit, virum optimum esse eum iudicatote. Impedimento est; quo minus de his rebus Sulla doceatur: ceterorum legatorũ consilia, & voluntatem Chrysogono enunciat: monet, vt prouideat, ne palam res agatur: ostendit, si sublata sit venditio bonorum, illum pecuniam grandem amissurum, sese capitis periculum aditurum: illum acuere, hos, qui simul erant missi, fallere: illum identidẽ monere, vt caueret; hisce insidiose spem falsam ostendere: cum illo contra hos inire consilia, horum consilia illi enunciare: cum illo partem suam depacisci, hisce, aliqua fretus hora, semper omnes aditus ad Sullã intercludere. postremo, isto hortatore, auctore, intercessore, ad Sullam legati non adierunt: istius fide, ac potius perfidia decepti. id quod ex ipsis cognoscere poteritis, si accusator voluerit testimoniũ eis denunciare, pro re certa spem falsam domum retulerunt.

EXPLANATIO.

VOLATERRAS } à Sulla obsessas, vt Marianarũ partium victis & agros ademit, & ius Romanæ ciuitatis pro Domo, & ep. 4. lib. XIII. fam. EVNDEM *qui Ameriam?* } T. Roscium Magnum, de quo supra: Oc-

ciso Sex Roscio, qui primus Ameriam nunciat? Mallius Glaucia, tuus cliens, & familiaris. HOMINEM, } Sex. Roscium. REM? } eius bona. ATQVI *ei venit in mentē* } ironia: quia scilicet ei venire in mentem non potuerit, nisi ad eum duo Roscij, Magnus, & Capito, rem illam detulissent. ROSCIOS } Magnū, & Capitonē, IN CHRYSOGONI *fidem, & clientelam contulerunt* } quia gratiosissimus esset apud Sullam. IN ISTA *pugna* } qua occisus est Sex. Roscius. & quia māubitæ sunt ex pugna, ideo subiungitur paullo post, Has manubias. ALIQVA *fretus hora*, } commoda sententia non elicitur; reponi posset, vsitato genere loquendi: Aliqua facta mora. SI ACCVSATOR *voluerit eis testimonium denunciare*, } nam reo denunciandi testimonij potestas non dabatur.

ORATIO.

IN priuatis rebus si qui rem mandatam non modo malitiosius gessisset sui quæstus, aut commodi caussa, verum etiam neglimgentius, eum maiores summum admisisse dedecus existimabāt: itaque mandati constitutum est iudicium, non minus turpe, quam furti; credo propterea, quod, quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in his operæ nostræ vicaria fides amicorum supponitur: quā qui lædit, oppugnat omnium commune præsidium, &, quantum in ipso est, disturbat vitæ societatē. nō. n. possumus omnia per nos agere: alius in alia est re magis vtilis: iccirco amicitiæ comparantur, vt commune commodū mutuis officijs gubernetur, quid recipis mandatum. si aut neglecturus, aut ad tuum commodum conuersurus es? cur mihi te offers, ac meis commodis officio simulato officis, & obstas? recede de medio: per alium transigam. suscipis onus officij, quod te putas sustinere posse: quod minime videtur graue ijs, qui minime ipsi leues sunt. ergo iccirco turpis hæc culpa est, quod duas res sanctißimas violat, amicitiā, et fidem. nam neq; mandat quisquam fere, nisi amico; neque credit, nisi ei, quem fidelem putat. perditißimi est igitur hominis, simul & amicitiam dissoluere, & fallere eum. qui læsus non esset, nisi credidisset. Itane est? in minimis rebus, qui mandatum neglexerit, turpißimo iudicio condemnetur, necesse est: in re tanta, cum is, cui fama mortui, fortunæ viui, cōmendatæ sunt, atq; concreditæ, ignominia mortuū affecerit, is inter honestos homines, atq; adeo inter viuos numerabitur? in minimis

mis priuatisque rebus etiam negligentia in crimen mandati iudiciumque infamia reuocatur: propterea quod, si recte fiat, illũ negligere oporteat, qui mandarit, non illum, qui mandatum receperit: in re tanta, quæ publice gesta, atque commissa sit, qui non negligentia priuatum aliquod cõmodum læserit, sed perfidia, legationis ipsius cæremoniam polluerit, maculaque affecerit, qua is tandem pœna afficietur? aut quo iudicio damnabitur? si hãc ei rem priuatim Sex. Roscius mandauisset, vt cum Chrysogono transigeret, atque decideret, inque eam rem fidem suam, si quid opus esse putaret, interponeret, ille, qui sese facturum recepisset, non ne, si ex eo negotio tantulum in rem suam conuertisset, damnatus per arbitrum, & rem restitueret, & honestatem omnem amitteret? nunc non hanc ei rem Sex. Roscius mandauit: sed, id quod multo grauius est, ipse Sex. Roscius cum fama, vita, bonisque omnibus à decurionibus publice Roscio mãdatus est: & ex eo. T. Roscius non paullum nescio quid in rem suam conuerit, sed hunc funditus euertit bonis: ipse tria prædia sibi depactus est; voluntatem decurionũ ac municipum omnium tantidem, quanti fidem suam, fecit.

EXPLANATIO.

NON *minus turpe, quam furti:*} pro Cæcina. Qui per tutelam, aut societatem, aut rem mandatam, aut fiduciæ rationem fraudauit quempiam, in eo, quo delictũ maius est, eo pœna est tardior. est enim turpe iudicium. De Nat. de. lib. III. Inde tot iudicia, de fide mala, tutelę, mandati, pro socio, fiduciæ. FAMA *mortui,*} existimatio Sex. Roscij, qui videtur occisus esse, tãquam contra nobilitatem senserit: cum tamen fautor nobilitatis perpetuo fuerit. FORTVNAE *viui*} Roscij filij, suis fortunis à duobus T. Roscijs, & à Chrysogono per iniuriam spoliati. IGNOMINIA *mortuum affecerit,*} ignominia notatum reliquerit, quasi necatus ideo sit, quia proscriptus fuisset vt hostis nobilitatis. IN CRIMEN *mandati, iudiciumque infamia reuocatur.*} rectius, opinor, Iudiciumque infamiæ: pro, iudicium turpe, quod infamiã affert. nam supra: Mandati constitutum est iudicium, nõ minus turpe, quam furti. SI RECTE *fiat,*} si fiat id, quod debet. non enim recte fiet, si neglexeritis, qui mandatum recepit. QVI *mandarit,*} vbi enim mandauit, licet ei ne-

gligere:curare amplius eũ non oportet. PER *arbitrum,*} per iudicem.nam & ea iudicia, in quibus adderetur, Ex fide bona, quia similia arbitrijs essent, Arbitria vocabantur.pro Quinctio: Quasi ij, qui magna fide societatem gererent, Arbitrium pro socio condemnari solerẽt. Pro Q Roscio: Cur non arbitrum pro socio adegeris, quęro. Lib. II. Off. Arbitrum illum adegit, quidquid sibi dare facere oporteret ex fide bona. Quibus in locis arbitrium pro iudicio, & arbitrum pro iudice accipi, satis constat. eadem enim lib. III. de Nat. de. appellantur iudicia tutelæ, mandati, pro socio. Et in eodem libro de Off. iudicia vocãtur, in quib' adderetur, Ex fide bona. ROSCIO} T. Roscio Capitoni. TRIA *prædia*} vel nobilissima. DEPACTVS *est.*} cũ altero T. Roscio, & cũ Chrysogono.

ORATIO.

VIDETE *iam porro cetera, indices, vt intelligatis fingi maleficium nullum posse, quo iste sese non contaminarit. In rebus minoribus socium fallere turpissimum est, æqueque turpe, atque illud, de quo ante dixi: neque iniuria: propterea quod auxilium sibi se putat adiunxisse, qui cum altero rem communicauit. ad cuius igitur fidem confugiet, cum per eius fidem læditur, cui se commiserit? atqui ea sunt animaduertenda peccata maxime, quæ difficillime præcauentur. tecti esse ad alienos possumus: intimi multa apertiora videant necesse est: socium vero cauere qui possumus? quem etiam si metuimus, ius officij lædimus. recte igitur maiores eum, qui socium fefellisset, in virorum bonorum numero non putarunt haberi oportere. at vero T. Roscius non vnũ rei pecuniariæ sociũ fefellit, (quod tametsi graue est, tamẽ aliquo modo posse ferri videtur) verum nouem homines honestissimos, eiusdem muneris, legationis, officij, mandatorumque socios, induxit, decepit, destituit, aduersarijs tradidit, omni fraude & perfidia fefellit. qui de eius scelere suspicari nihil potuerunt, socium officij metuere non debuerunt; eius malitiam non viderunt, orationi vanæ crediderunt. itaque nunc illi homines honestissimi propter istius insidias parũ putãtur cauti prouidiq; fuisse. iste, qui initio proditor fuit, deinde perfuga: qui primo sociorũ consilia aduersarijs enũciauit, deinde societatẽ cũ ipsis aduersarijs coijt; terret etiã nos, ac minatur, trib. prædijs, hoc est præmijs sceleris, ornatus.*

*tus.In eiusmodi vita,iudices,in his tot tantisq; flagitijs hoc quoq;
maleficiũ, de quo iudiciũ est, reperietis. etenim quærere ita debe-
tis: vbi multa auare,multa audacter,multa improbe, multa perfi-
diose facta videtis,ibi scelus quoq; latere inter illa tot flagitia puta
tote.tametsi hoc quidẽ minime latet:quod ita prõptũ,& propositũ
est,vt nõ ex illis maleficijs,quæ in illo cõstat esse,hoc intelligatur;
verũ ex hoc, etiã si quod illorũ forte dubitabiur, cõuincatur. Quid
tãdẽ,quæso,iudices?nũ aut ille lanista omnino iã à gladijs receßis-
se videtur,aut hic discipulus magistro tantulũ de arte concedere?
par est auaritia,similis improbitas,eadẽ impudentia,gemina auda
cia:etenim, quoniã fidẽ magistri cognostis,cognoscite nũc discipuli
æquitatẽ. Dixi iã antea,sæpe numero postulatos esse ab istis duos
seruos in quæstionẽ: tu semper, T. Rosci,recusasti. quæro abs te,ij
ne,qui postulabãt,indigni erãt,qui impetrarent;an iste non cõmoue
bat,pro quo postulabant ?an res ipsa tibi iniqua videbatur?postula-
bant homines nobilißimi, atque integerrimi nostræ ciuitatis,quos
iam antea nominaui,qui ita vixerunt,talesque à populo R.putan-
tur,vt quidquid dicerent,nemo esset, qui non æquum putaret. po-
stulabãt autẽ pro homine miserrimo,atq; infelicißimo;qui vel ipse
sese in cruciatũ dari cuperet,dũ de patris morte quæreretur.res por
rò abs te eiusmodi postulabatur,vt nihil interessẽt,vtr eam rẽ re-
cusares,an de maleficio confiterere. quæ cum ita sint,quæro abs te,
quam ob caussam recusaris.cum occiditur Sex.Roscius,ibidem fu
erunt.seruos ipsos,quod ad me attinet,neque arguo,neque purgo.
quod à vobis hoc pugnari video,ne in quæstionem dentur,suspicio-
sum est: quod vero apud vos in honore tanto sunt,profecto necesse
est.sciant aliquid,quod si dixerint,perniciosum vobis futurum sit.
In dominos quæri de seruis,iniquum est, an ne quæritur? Sextus e-
nim Roscius reus est:neque,cum de hoc quæritur,vos dominos es-
se dicitis.cum Chrysogono sunt:ita credo:litteris eorum,& vrba-
nitate Chrysogonus ducitur,vt inter suos omnium deliciarum at-
que omniũ artium puerulos, ex tot elegantißimis familijs lectos,
velit hos versari,homines pæne operarios,ex Amerina disciplina
patrisfamiliæ rusticani.non est ita profecto, iudices; nõ est verisi-
mile,vt Chrysogonus horũ litteras adamarit,aut humanitatẽ;nõ,
vt rei familiaris negotio diligentiã cognorit eorũ,& fidẽ.est quid-
dã,quod occultatur:quod quo studiosius ab ipsis opprimitur,& ab-
sconditur,eo magis eminet,& apparet.quid igitur ? Chrysogonus,*

sui.

sui maleficij occultandi caussa. quæstionem de his haberi nō vult? minime, iudices. nō in omnes arbitror omnia cōuenire: ego in Chrysogono quod ad me attinet, nihil eiusmodi suspicor: neque hoc mihi nunc primum in mentem venit dicere. meministis me ita distribuisse initio caussam; in crimen, cuius tota argumentatio permissa Erutio est; & in audaciã, cuius partes Roscijs impositæ sunt. quidquid maleficij, sceleris, cædis erit, proprium id Rosciorum esse debebit. nimiã gratiam, potentiamque Chrysogoni dicimus et nobis obstare, & perferri nullo modo posse, & à vobis, quoniam potestas data est, non modo infirmari, verum etiam vindicari oportere. ego sic existimo; qui quæri velit ex ijs, quos constat, cum cædes facta sit, affuisse, eum cupere verum inuenire; qui recuset, eum profecto, tametsi verbo non audet, tamen re ipsa de maleficio suo confiteri.

EXPLANATIO.

ATQVE *illud*,} mandati. PRODITOR} in legatione: cum sociorum cōsilia aduersarijs enunciauit. ILLE *lanista*} ter iam Capitonem Lanistam vocauit. A GLADIIS *recessisse*} ab arte sua. nam Lanista gladiatorum in gladijs perite tractandis magister est. itaque P. Rutilius Rufus, ex ludo C. Aurelij Scauri doctoribus gladiatorum accersitis, vitandi atque inferendi ictus subtiliorem rationē legionibus ingenerauit. Recte etiam legeretur, Gladiatura cessisse: cum sit in antiquis libris, Gladiatore cessisse. FIDEM} legatione à decurionibus ei mandata. AB ISTIS} ab aduersarijs: id est, nos ab aduersarijs postulasse. ISTE} Sex. Roscius. QVOS *iam antea nominaui*:} Scipionem, & Metellum nominauit. VEL *ipse sese*} non modo seruos. NEQVE *arguo, neque purgo*.} argui, ac puniri etiã iure poterant, quod, eorum dominus cum occideretur ipsis præsentibus, opera nō tulissent. propterea metu pœnæ seruos Marcelli fugisse, quod dominus eorum ante tabernaculum à Magio interfectus esset, scribit Sulpicius ad Ciceronem. vide apud Iustinianum, titulo, qui est, ad Syllanianum, V. VI. AN NE *quæritur*?} non quæritur, quia Sex. Roscius reus est, vos illorum seruorum, qui ad ipsum pertinent, domini. quod tamen vos non dicitis. CVM *de hoc quæritur*,}

in

in iudicio:cum accusatur. FAMILIIS} seruorum. id enim interdum valet Familię nomen. infra: Familiam vero quantam,& quam varijs cum artificijs habeat, quid ego dicam?

ORATIO.

DIXI initio, iudices, nolle me plura de istorum scelere dicere, quam caussa postularet, ac necessitas ipsa cogeret. nam & multæ res afferri possunt; & vnaquæque earum multis cum argumentis dici potest. verum ego, quod inuitus, ac necessario facio, neq; diu, neque diligenter facere possum: quæ præteriri nullo modo poterant, ea leuiter, iudices, attigi: quæ posita sunt in suspicionibus, de quibus si cœpero dicere, pluribus verbis sit differendum, ea vestris ingenijs coniecturæq; committo. Venio nunc ad illud nomen aureum Chrysogoni: sub quo nomine tota societas statuitur. de quo, iudices, neq; quo modo dicam, neq; quo modo taceam, reperire possum. si enim taceo, vel maximam partem relinquo: sin autem dico, vereor ne nō ille solus, id quod ad me nihil attinet, sed alij quoq; plures læsos se esse putent: tametsi ita res se habet; vt mihi in communem caussam sectorum dicendum nihil magnopere videatur: hæc enim caussa noua profecto, & singularis est. Bonorum Sex. Roscij emptor est Chrysogonus. primum hoc videamus, eius hominis bona qua ratione venierint, aut quo modo venire potuerunt. atq; hoc non ita quæram, iudices, vt id dicam, esse indignum hominis innocentis bona venisse. si enim hæc audientur, ac libere dicentur, non fuit tantus homo Sex. Roscius in ciuitate, vt de eo potissimum conqueramur. verū ego hoc quæro: qui potuerunt ista ipsa lege, quæ de proscriptiōe est, siue Valeria est, siue Cornelia (nō enim noui, nec scio) verum ista ipsa lege bona Sex. Roscij venire qui potuerunt? scriptum enim ita dicunt esse, vt eorum bona veneant, qui proscripti sunt: quo in numero Sex. Roscius non est: aut eorū qui in aduersariorum præsidijs occisi sunt. dum præsidia vlla fuerunt, in Sullæ præsidijs fuit: postea quam ab armis recesserunt; in summo otio rediens à cena, Romæ occisus est. si lege: bona quoque lege venisse fateor. sin autem constat, contra omnes non modo veteres leges, verum etiam nouas: bona quo iure, aut quo modo, aut qua lege venierint, quæro. In quem hoc dicam, quæris Eruti? non in eum, quem vis, & putas: nam Sullam & oratio mea ab initio, & ipsius eximia virtus omni tēpore purgauit. ego hæc omnia Chrysogonum

sogonum fecisse dico, vt ementiretur, vt malum ciuem Roscium fu- isse fingeret, vt eum apud aduersarios occisum esse diceret, vt his de rebus à legatis Amerinorum doceri L. Sullam passus non sit? denique etiam illud suspicor: omnino hæc bona non venisse: id quod postea, si per vos, iudices, licitum erit, aperietur. opinor e- nim esse in lege, quam ad diem proscriptiones, venditionèsque fi- ant, nimirum ad Kal. Iun. aliquot post menses & homo occisus est, & bona venisse dicuntur. profectò aut hæc bona in tabulas publi- cas nulla redierunt; nosque ab isto nebulone facetius eludimur, quam putamus: aut, si redierunt, tabulæ publicæ corruptæ aliqua ratione sunt. nam lege quidem bona venire non potuisse constat.

EXPLANATIO.

NOMEN *aureum*} iocatur in Chrysogoni nomine. χρυσὸς enim aurum est. SIVE *Valeria est, siue Corne lia,*} eam tulit L. Valerius Flaccus interrex, siue L. ipse Sulla. latam à Valerio Cicero ipse lib. I. de leg. osten- dit his verbis: Quid iniustius ea lege, quam interrex no- ster tulit, vt dictator, quem vellet ciuium, impune posset occidere. NOVAS} Valeriam, siue Corneliam. AB INI- TIO} cum dixit: Hæc omnia, iudices, imprudente L. Sulla, facta esse, certo scio. SI PER *vos, iudices, licitum erit,*} si me audire volueritis, ea, quę ad caussam puto pertinere, libere narrantem. AB ISTO *nebulone*} à Chrysogono, qui sese bona Sex. Roscij de L. Sulla dicit emisse. supra.

ORATIO.

INTELLIGO, *me ante tempus, iudices, hæc scrutari, & pro pemodum errare, qui, cum capiti Sex. Roscij mederi debeam, rediuiam curem. non enim laborat de pecunia, non vllius rati onem sui commodi ducit: facile egestatem suam se laturū putat, si hac indigna suspicione, & ficto crimine liberatus sit. verum quæso à vobis, iudices, vt hæc pauca, quæ restant, ita audiatis, vt partim me dicere pro me ipso putetis, partim pro Sex. Roscio. quæ enim mihi ipsi indigna, & intolerabilia videntur, quæque ad omnes, nisi prouidemus, arbitror pertinere, ea pro me ipso, ex animi mei sē su ac dolore, pronuncio: quæ ad huius vitæ casum, caussamq; pertī neāt, & quid hic pro se dici velit, & qua condicione contentus sit, iā in extrema oratione nostra, iudices, audietis. Ego hæc à Chryso- gono mea spōte, remoto Sex. Roscio, quæro primū, quare ciuis optimi bona*

bona venierint: deinde, quare hominis eius, qui neque apud aduersarios occisus est, neque proscriptus fuerat, bona venierint cum in eos solos lex scripta sit: deinde, quare aliquanto post eã diem venierint, quæ dies in lege præfinita est: deinde, cur tantulo venierint. quæ omnia si, quemadmodũ solent liberti nequã, & improbi facere, in patronum suum voluerit conferre, nihil egerit. nemo est enim, qui nesciat, propter magnitudinem rerum multa multos, partim conniuente, partim imprudente L. Sulla, commisisse. placet igitur in his rebus aliquid imprudentia præteriri? non placet, iudices: sed necesse est. etenim si Iuppiter Optimus Maximus, cuius nutu et arbitrio cælum, terra, mariaque reguntur, sæpe ventis vehementioribus, aut immoderatis tempestatibus, aut nimio calore, aut intolerabili frigore hominibus nocuit, vrbes deleuit, fruges perdidit; quorum nihil pernicies caussa diuino cõsilio, sed vi ipsa, & magnitudine rerum factum putamus; at contra, commoda, quibus vtimur, lucemque, qua fruimur, spiritumque, quẽ ducimus, ab eo nobis dari, atque impertiri videmus: quid miramur, L. Sullam, cum solus remp. regeret, orbemq́; terrarum gubernaret, imperijq́; maiestatem, quam armis receperat, legibus confirmaret, aliqua animaduertere non potuisse? nisi hoc mirũ est, quod vis diuina assequi non possit, si id mens humana adepta nõ sit. Verũ, vt hæc missa faciam, quæ iam facta sunt; ex ijs, quæ nunc maxime fiunt, nonne quiuis potest intelligere, omnium architectum & machinatorem vnum esse Chrysogonum, qui Sex. Roscij nomen deferendum curauit? hoc iudicium, cuius honoris caussa accusare se dicit Erutius ✶

EXPLANATIO.

REDIVIAM *curem.*} morbum, quo cutis extra vngues soluitur. CVR *tantulo venierint.*} duobus millibus nummum. ALIQVID *imprudentia præteriri?*} ab eo, qui remp. gubernat. PERNICIES *caussa*,} generandi casu, Pernicij Ciceronem dixisse, ait Gellius lib. IX. cap. 14. Carisius autem lib. I. non Pernicij, sed, pernicies: vt mirum sit, illa quoque ætate scriptos libros à veritate interdum aberrasse. Nobis, vtrum sequamur, incertum est. DIVINO *consilio*,} quod ita Iuppiter ipse velit: quemadmodum nec Sulla fieri vult ea, quæ fiunt. VI} natura. MAGNITVDINE} quod res ipsæ pro sua natura tantum possint. COMMODA, *quibus vtimur*,}

vtimur,} hæc addit ad colligendam Sullæ gratiam: vt, sicut à Ioue, item ab ipso plura dari, atque impertiri commoda, quam inferri damna, videantur. NISI *hoc mirum est,*} diximus iam, hoc loquendi genus ad negandum vsurpari. est igitur, Nisi hoc mirum est, pro, Mirum non est. VIS *diuina*} vim in Ioue, mentem in homine ponit.

ORATIO.

desunt non pauca.

aptam, & ratione dispositam se habere existimant, qui in Sallentinis, aut in Brutijs habent, vnde vix ter in anno audire nuncium possunt. alter tibi discedit de Palatio, & ædibus suis: habet animi relaxandi caussa rus amœnum, & suburbanum, plura præterea prædia, neque tamen vllum nisi præclarum, & propinquum: domus referta vasis Corinthijs, & Deliacis, in quibus est authepsa illa, quam tanto pretio nuper mercatus est, vt, qui prætereuntes pretium enumerari audiebant, fundum venire arbitrarentur. Quid præterea cælati argenti? quid stragulæ vestis? quid pictarum tabularum? quid signorum? quid marmoris apud illum putatis esse? tantum scilicet, quantum è multis splendidisque familijs in turba & rapinis coaceruari vna in domo potuit. Familiam vero quantam, & quam varijs cum artificijs habeat, quid ego dicã? mitto hasce artes vulgares, coquos, pistores, lecticarios: animi, & aurium caussa tot homines habet, vt quotidiano cantu vocum, & neruorum, & tibiarum, nocturnisque conuiuijs tota vicinitas personet. In hac vita, indices, quos sumptus quotidianos, quas effusiones fieri putatis? quæ vero conuiuia? honesta, credo, in eiusmodi domo: si domus hæc habenda est potius, quam officina nequitiæ, et diuersorium flagitiorum omniũ. Ipse vero quemadmodũ composito et delibuto capillo passim per forum volitet cum magna caterua togatorum, videtis, iudices; vt omnes despiciat; vt hominẽ præ se neminem putet; vt se solum beatum solum potentem putet. Quæ vero efficiat, & quæ conetur, si velim cõmemorare, vereor, iudices, ne quis imperitior existimet me caussam nobilitatis, victoriamque voluisse lædere, tametsi meo iure possum, si quid in hac parte mihi non placeat, vituperare. non enim vereor, ne quis alienum me animum habuisse à causa nobilitatis existimet. sciunt ij, qui me norunt, me pro illa tenui infirmaque parte, posteaquam id,

quod

quod maxime volui, fieri non potuit, vt componeretur, id maxime defendisse, vt ij vincerent, qui vicerunt. quis enim erat, qui non videret humilitatem cum dignitate de amplitudine contendere? quo in certamine perditi ciuis erat, non se ad eos iungere, quibus incolumibus, & domi dignitas, et foris auctoritas retineretur. quæ perfecta esse, & suum cuiq; honorem, & gradum redditum, gaudeo, iudices, vehementerq; lætor: eaq; omnia deorum voluntate, studio populi R. consilio, et imperio, & felicitate L. Sullæ gesta esse intelligo. quod animaduersum est in eos, qui contra omni ratione pugnarunt, non debeo reprehendere. quod viris fortibus, quarum opera eximia in rebus gerendis exstitit, honos habitus est, laudo. quæ vt fierent, iccirco pugnatū esse arbitror, meq; in eo studio partium fuisse confiteor. sin autem id actum est, & iccirco arma sumpta sunt, vt homines postremi pecunijs alienis locupletarentur, & in fortunas vniuscuiusque impetum facerent, & id non modo re prohibere nō licet, sed ne verbis quidem vituperare: tum vero in isto bello non recreatus, neq; restitutus, sed subactus, oppressusq; populus R. est. verum longe aliter est: nihil horum est, iudices: non modo non lædetur caussa nobilitatis, si istis hominibus resistetis, verum etiam ornabitur. etenim, qui hæc vituperare volunt, Chrysogonum tantum posse queruntur, qui laudare volunt, concessum ei non esse commemorant. ac iam nihil est, quod quisquam aut tam stultus, aut tam improbus sit, qui dicat: vellem quidem liceret, hoc dixissem: dicas licet. hoc fecissem: facias licet, nemo prohibet. hoc decreuissem: decerne, modo recte: omnes approbabunt. hoc iudicassem: laudabunt omnes, si recte, & ordine iudicaris. dum necesse erat, resq; ipsa cogebat, vnus omnia poterat. qui postea quam magistratus creauit, legesque constituit: sua cuique procuratio, auctoritasq; est restituta. quam si retinere volunt ij, qui receperunt: in perpetuum poterunt obtinere. sin has cædes, & rapinas, & hos tantos, tamque profusos sumptus aut facient, aut approbabunt: nolo in eos grauius quidquā ne ominis quidem caussa dicere: vnum hoc dico: nostri isti nobiles, nisi vigilantes, & boni, & fortes, & misericordes erunt, ijs hominibus, in quibus hæc erunt, ornamenta sua concedant, necesse est. quapropter desinant aliquando dicere, male aliquē locutū esse, si quis vere, ac libere locutus sit: desinant, suam caussam cum Chrysogono communicare: desinant, si ille læsus sit, de se aliquid detractum arbitrari: videant, ne turpe miserumque

rumque sit, eos, qui equestrem splendorem pati non potuerunt, serui nequissimi dominationem ferre posse. quæ quidem dominatio, iudices, in alijs rebus antea versabatur; nunc vero quam viam munitet, quo iter affectet, videtis: ad fidem, ad iusiurandum, ad iudicia vestra, ad id, quod solum prope in ciuitate sincerum, sanctumque restat. Hic ne etiam sese putat aliquid posse Chrysogonus? hic etiam potens esse vult? o rem miseram, atque acerbam. neque mehercules hoc indigne fero, quod verear, ne quid possit: verũ, quod ausus est, quod sperauit se se apud tales viros aliquid ad perniciem posse innocentis, idipsum queror. icirco ne experrecta nobilitas, armis, atque ferro remp. recuperauit, vt ad libidinem suam liberti, seruuliq; nobilium, bona, fortunas vestras, nostrasque vexare possent? si id actum est, fateor me errasse, qui hoc maluerim: fateor insanisse, qui cum illis senserim: tametsi inermis, iudices, sensi. sin autem victoria nobilium ornamento, atque emolumento reip. populoq; R. debet esse: tum vero optimo, & nobilissimo cuiq; meam orationem gratissimam esse oportet. Quod si quis est, qui & se, & caussam lædi putet, cum Chrysogonus vituperetur, is caussam ignorat, seipsum prope non nouit. caussa enim splendidior fiet, si nequissimo cuique resistetur. ille improbissimus Chrysogoni fautor, qui sibi cum illo rationem communicatam putat, læditur, cum ab hoc splendore caussæ separatur.

EXPLANATIO.

ALTER *tibi descendit de palatio*} Chrysogonum describit: quem habere ædes in palatio, cum seruus fuerit indignissimũ videtur. *Tibi*:} cum indignatione elatum. VASIS *Corinthijs*,} capta, incensaque Corintho, aurum, argentum, æs igni corrupta, permistaque sunt. inde æs Corinthium, & vasa Corinthia primæ nobilitatis, propter aurum & argentum: secundum locum Deliaca obtinebant, lib. II. in Verrem. Supellectilem ex ære, elegantiorem & Deliacam, & Corinthiam. QVID *marmoris*} de signis locutus, intulit, Quid marmoris: vt marmorea complecteretur omnia. LECTICARIOS} lecticam gestare solitos, vt in ep. Sulpicij: Cum meis lecticarijs eum in vrbem referre sum coactus, TOGATORVM,} ciuium Romanorum, tempori seruientium, quia Chrysogonus apud Sullam gratia valeret. VIRIS *fortibus*}

Metellis, Catulis, Lucullis, Seruilijs, Pompeijs. HOMINES *postremi,* } obscuri loci, infimæ condicionis, vltimæ sortis. Marcus Brutus ad Ciceronem: Quod si Romanos nos esse meminissemus: non audacius dominari cuperent postremi homines, quam nos prohibere-mus. NE OMINIS *quidem caussa,* } ne vt ominari quidem male in eos videar: nedum, quod ijs graue aliquid imprecer. EQVESTREM *splendorem* } equestrem ordinem, iudicia administrantem. SERVI } qui antea seruierat. nam tum quidem libertus erat Chrysogonus.

ORATIO.

VERVM *hæc omnis oratio, vt iam ante dixi, mea est: quã me vti resp. & dolor meus, & istorum iniuria coegit. sed Roscius horum nihil indignũ putat: neminem accusat: nihil de suo patrimonio queritur: putat homo imperitus morum, agricola, & rusticus, ista omnia, quæ vos per Sullam gesta esse dicitis, more, lege, iure gentium facta: culpa liberatus, & crimine nefario solutus, cupit à vobis discedere: si hac indigna suspicione careat, animo æquo se carere suis omnibus commodis dixit: rogat, oratque te, Chrysogone, si nihil de patris fortunis amplissimis in suam rem conuertit, si nulla in re te fraudauit, si tibi optima fide sua omnia concessit, adnumerauit, appendit, si vestitum, quo ipse tectus erat, anulumque de digito suum tibi tradidit: si ex omnibus rebus se ipsum nudum, neque præterea quidquam, excepit, vt sibi per te liceat innocenti amicorum opibus vitam in egestate degere. prædia mea tu possides: ego aliena misericordia viuo. concedo, & quod animus æquus est, & quia necesse est. mea domus tibi patet, mihi clausa est. fero. familia mea maxima vteris: ego seruum habeo nullum: patior, & ferendum puto. quid vis amplius? quid insequeris? quid oppugnas? qua in re tuam voluntatem lædi à me putas? vbi tuis commodis officio? quid tibi obsto? si spoliorum caussa vis hominem occidere, spoliasti. quid quæris amplius? si inimicitiarum, quæ sunt tibi inimicitiæ cum eo, cuius antea prædia possedisti, quam ipsum cognosti? sin metuis: ab eo ne aliquid metuis, quem vides ipsum ab sese tam atrocem iniuriam propulsare non posse? sin, quod bona, quæ Roscij fuerunt, tua facta sunt, iccirco hunc illius filium studes perdere: non ne ostendis id te vereri, quod præter ceteros tu metuere non debeas, ne quando liberis*

 proscri-

proscriptorum bona patria reddantur? facis iniuriam, Chrysogone, si maiorem spem emptionis tuæ in huius exitio ponis, quam in ijs rebus, quas L. Sulla gessit. quod si tibi caussa nulla est, cur hunc miserum tanta calamitate affici velis; si tibi omnia sua præter animam tradidit, nec sibi quidquam paternum, ne monumenti quidem caussa reseruauit: per deos immortales, quæ ista tanta crudelitas est? quæ tam fera immanisque natura? quis vmquam prædo fuit tam nefarius, quis pirata tam barbarus, vt, cum integrã prædam sine sanguine habere posset, cruenta spolia detrahere mallet? scis hunc nihil habere, nihil audere, nihil posse, nihil vmquam contra rem tuam cogitasse: & tamen oppugnas eum: quem neque metuere potes, neque odisse debes, nec quidquam habere iam reliqui vides, quod ei detrahere possis: nisi hoc indignum putas, quod vestitum sedere in iudicio vides, quem tu è patrimonio, tamquam è naufragio, nudum expulisti. quasi vero nescias hunc & ali, & vestiri à Cæcilia Balearici filia, Nepotis sorore, spectatissima femina: quæ cum patrem clarissimum, amplissimos patruos, ornatissimum fratrem haberet, tamen, cũ esset mulier, virtute perfecit, vt, quanto honore ipsa ex illorum dignitate afficeretur, non minora illis ornamenta ex sua laude redderet. An, quod diligenter defenditur, id tibi indignum facinus videtur? mihi crede, si pro patris eius hospitio, & gratia vellent omnes huius hospites adesse, & auderẽt libere defendere, satis copiose defenderetur: sin autem pro magnitudine iniuriæ, proque eo, quod summa reip. in huius periculo tentatur, hæc omnes vindicaret: cõsistere me hercule vobis isto in loco non liceret. nunc ita defenditur, non sane vt moleste ferre aduersarij debeant, neq; vt se potentia superari putent. quæ domi gerenda sunt, ea per Cæciliam transiguntur. fori iudicijque rationem Messalla, vt videtis, iudices, suscepit, qui si iam satis ætatis, atque roboris haberet, ipse pro Sex. Roscio diceret. quoniam ad dicendum impedimento est ætas, & pudor, qui ornat ætatem, caussam mihi tradidit, quem sua caussa cupere, ac debere intelligebat. ipse assiduitate, consilio, auctoritate, diligentia perfecit, vt Sex. Roscij vita erepta de manibus sectorum, sententijs iudicum permitteretur. Nimirum, indices, pro hac nobilitate pars maxima ciuitatis in armis fuit, hæc acta res est, vti nobiles restituerentur in ciuitatem, qui hoc facerent, quod facere Messallã videtis, qui caput innocentis defenderent, qui iniuriæ resisterent, qui, quantum possent, in salute

salute alterius, quam in exitio, mallent oſtendere. quod, ſi omnes, qui eodem loco nati ſunt, facerent: & reſp. ex illis, & ipſi ex inuidia minus laborarent.

EXPLANATIO.

ANVLVMQVE *de digito ſuum tibi tradidit*} rectius, quam, vt antea, Anulumque dedit, os ſuum tibi tradidit. Anulum autem nō aureum, ſed ferreum. nam aureo ſenatoribus tantum, & equitibus Romanis vti licebat. PRAEDIA *mea tu poſſides, ego aliena miſericordia viuo:*} ſimilis locus ad commouendam iudicum miſericordiam in ea pro Quinctio: De re pecuniaria cupio contendere, non licet. at ea controuerſia eſt, nihil ad me attinet: cauſſam capitis dicas oportet. & quæ ſequūtur. Nec diſſimiliter in Verrem, lib. V. Cleomenem nominare non licet. at cauſſa cogit. moriere, ſi appellaris. At remiges non erant. prætorem tu accuſas? frange ceruicem. *Aliena miſericordia:*} Cæciliæ, Balearici filiæ. infra: Quaſi vero neſcias, hunc & ali & veſtiri à Cæcilia, Balearici filia, Nepotis ſorore. DEROGETVR,} minuatur. alibi, Abrogare fidem. SIN *metuis.*} ne tibi ille aliqua re noceat. AB SESE} à capite ſuo. QVOD *præter ceteros tu metuere non debeas*} apud Sullam gratioſiſſimus. N[illegible]*do liberis proſcriptorum bona patria reddantur?*} quæ ne redderentur, Valeria lege cautum erat. IN IIS *rebus, quas L. Sulla geſſit;*} quæ ſunt eiuſmodi, vt, q̄ ille poſt victoria fecit, rata fore videantur. NE *monumenti quidem cauſſa*} in agro, quo mortuus inferatur. nam, vt diximus, extra vrbem ſepulcra erant. ſupra: Cui de tanto patrimonio prædo iſte nefarius ne iter quidem ad ſepulcrū patrium reliquiſſet. SVMMA *reip.*} nam, ſi hunc innocentem iudicio penderent homines nefarie: in ſummum reſp. diſcrimen adduceretur. quis enim, quod liberet, id ſibi licere non putaret? QVAE *domi gerenda ſunt,*} quod ad Roſcij victum, veſtitumque attinet. MESSALLA} Valerię gentis, patriciæ: nam Valerij Flacci plebeij. iuniorem eſſe Cicerone, atque aliquot quidem annis, ea, quæ ſequuntur, oſtendunt. itaque, cum duos Meſſallas poſt Ciceronem conſules fuiſſe videam, poſteriorem ſignificari crediderim,

diderim, qui anno vrbis DCC cum Domitio cõsulatum gessit. ROBORIS} quo pueri & adolescẽtes carent. vnde illud pro Cælio: Cum autem paullum iam roboris accessisset ætati, in Africam profectus est. Phil. X. Alter virtutis robore firmior, quã ætatis. Robustus accipitur eodem sensu. pro Cælio: Vellem aliquis ex vobis robustioribus hũc maledicendi locũ suscepisset. Pro Sulla: Quod si esses vsu, atq; ætate robustior. De Harusp. resp. Deinde iam robustus. Phil. V. Aetate multo robustior. Vis eadem est in verbo. pro Sextio: Recita, q̃so, P. Sexti, quid decreuerint Capuæ decuriones: vt iã virilis tua vox possit aliquid significare inimicis nostris, quid nam, cum se corroborauerit, effectura esse videatur. Pro Cœlio: Cum is iam se corroborauisset, & vir inter viros esset. In Lælio: Corroboratis ætatibus. CVPERE, *ac debere*} in priore amor ostenditur, in posteriore officium. AVCTORITATE,} non ex gestis magistratibus, cum esset adolescẽtulus, sed ob nobilitatem. SECTORVM,} qui bona patris eius tamquam proscripti, se emisse dicunt. pertinet hoc primum ad Chrysogonum, deinde ad duos Roscios, cum quibus ille prædam communicauit. QVI *eodem loco nati sunt*,} in quibus par nobilitas est. ad Terentiã lib. XIV: Quid aliæ faciant isto loco feminæ. EX *inuidia*} inuidia opponitur gratiæ: & est populi de aliquo mala quædam opinio. alia porro inuidia est, cũ alienis angimur bonis.

ORATIO.

VERVM *si à Chrysogono, iudices, non impetramus, vt pecunia nostra contentus sit, vitam ne petat: si ille adduci non potest, vt, cum ademerit nobis omnia, quæ nostra erant propria, ne lucem quoque hanc, quæ communis est, eripere cupiat; si nõ satis habet auaritiam suam pecunia explere, nisi etiam crudelitate sanguinis perlitus sit: vnũ perfugium, iudices, vna spes reliqua est Sex. Roscio, eadem quæ reip. vera pristina bonitas, & misericordia. quæ, si manet, salui etiam nunc esse possumus. sin ea crudelitas, quæ hoc tempore in rep. versata est, vestros quoque animos, id quod fieri profecto non potest, duriores, acerbioresque reddidit: actum est, iudices: inter feras satius est ætatem degere, quam in hac tanta immanitate versari. ad eamne rem vos reseruati estis*

ad eam ne rem delecti, vt eos cōdemnaretis, quos sectores, ac sicarij iugulare non potuissent? solēt hoc boni imperatores facere, cum prælium committunt, vt in eo loco, quo fugā hostium fore arbitrantur, multos collocent, in quos, si qui ex acie fugerint, de improuiso incidant. nimirum similiter arbitrantur isti bonorū emptores, vos hic tales viros sedere, qui excipiatis eos, qui de suis manibus effugerint. dij prohibeant, iudices, vt hoc, quod maiores Consilium publicum vocari voluerunt, præsidium sectorum existimetur. An vero, iudices, vos non intelligitis, nihil aliud agi, nisi vt proscriptorum liberi quauis ratione tollantur? & eius rei initium in vestro iureiurando, atque in Sex. Roscij periculo quæri: dubium est, ad quem maleficiū pertineat, cum videatis ex altera parte sectorem, inimicum, sicarium, eundemque accusatorem hoc tempore, ex altera egentem, probatum suis filium, in quo non modo culpa nulla, sed ne suspicio quidem potuit consistere: numquid hic aliud videtis obstare Roscio, nisi quod patris bona venierunt: quod si id vos suscipitis, & eadem in re operam vestram profitemini, si iccirco sedetis, vt ad vos adducantur eorum liberi, quorum bona venierūt: cauete, per deos immortales, iudices, ne noua, & multo crudelior per vos proscriptio instaurata esse videatur. Illā priorem, quæ facta est in eos, qui arma capere potuerunt, tamen senatus suscipere voluit, ne quid acrius, quam more maiorum comparatum est, publico consilio factum videretur. hanc vero, quæ ad eorum liberos, atque infantium puerorum incunabula pertinet, nisi hoc iudicio à vobis reijcitis, et aspernamini: videte, per deos immortales, quem in locum remp. peruenturā putetis. Homines sapientes, & ista auctoritate & potestate præditos, qua vos estis, ex quibus rebus maxime resp. laborat, ijs maximè mederi cōuenit. vestrum nemo est, quin intelligat, populum R. qui quondam in hostes lenissimus existimabatur, hoc tempore domestica crudelitate laborare. hāc tollite ex ciuitate, iudices: hanc pati nolite diutius in hac rep. versari: quæ non modo id habet in se mali, quod tot ciues atrocissime sustulit, verum etiam hominibus lenissimis ademit misericordiam consuetudine incommodorum. nam, cum omnibus horis aliquid atrociter fieri videmus, aut audimus: etiam qui natura mitissimi sumus, assiduitate molestiarum sensum omnem humanitatis ex animis amittimus.

Desit fortasse quippiam.

EXPLANATIO.

VERVM *si à Chrysogono non impetramus, vt pecunia nostra contentus sit, vitam ne petat*; } mirabilis locus in epilogis inducendus ad misericordiã iudicum commouendam. similis ille pro Quinctio: Si licet viuere eum, quem Sex. Næuius non vult; si est homini honesto locus in ciuitate, inuito Næuio; si fas est respirare P. Quinctium contra nutum, ditionemque Næuij; si, quas pudore ornamenta sibi peperit, ea potest contra petulantiam te defendente obtinere: spes est, & hunc miserum, atque infelicem aliquando tandem posse consistere. sin & poterit Næuius id, quod libet; & ei libebit, quod non licet: quid agendum est? qui deus appellandus est? cuius hominis fides imploranda est? qui deniq; questus, qui mœror dignus inueniri calamitate tanta potest? PECVNIA *nostra*: } Pecuniam pro bonis omnibus, vt alibi quoque, posuit. ACTVM *est, iudices*: } quod in oratione pro Quinctio, loco à nobis proxime recitato, dixit: Quid agendum est? qui deus appellandus est? cuius hominis fides imploranda est? CONSILIVM *publicum* } senatorum, qui iudicia lege Sullæ tractabant. PROSCRIPTORVM *liberi* } quos petendorum magistratuum potestate Sulla priuauit, occidi tamen noluit. in Pisonem. IN VESTRO *iureiurando* } vt vestris sententijs condemnetis Sex. Roscium contra leges, quas vos esse seruaturos iureiurando polliciti estis. AD QVEM *maleficium pertineat*; } vtrum ad filium, qui nunc reus est, an ad T. Roscium Magnum, qui bona emit, qui inimicus est, qui sicarius, qui hunc accusat. VENIERVNT? } quæ se non putant, incolumi filio, retinere posse. SENATVS *suscipere noluit*, } lata igitur ad populum lege Sulla obtinuit, vt in eos, qui contra se, ac nobilitatem arma ceperant, iure suo posset animaduertere. infra: Populum Romanũ domestica crudelitate laborare. SVSCIPERE *noluit*: } nõ probauit S. C. MORE *maiorum* } qui necare ciuem Romanum vetat. DOMESTICA } contra ciues ipsos, qualis antea numquam fuerat, nec postea fuit, nisi Octauio, Antonio, Lepido triumuiris.

IN. ORA.

IN. ORATIONEM. CICERONIS. PRO. Q. ROSC. COMOEDO.

PAVLLI. MANVTII. COMMENTARIVS.

ARGVMENTVM.

TRADIDIT C. *Fannius Cherea Q. Roscio, cõmunemq; cum eo fecit seruũ suum Panurgum, ea condicione, vt illum arte histrionica erudiret, deinde quæstus communis esset. aliquanto post Q. Flauius quidam Tarquiniensis Panurgum occidit. Flauium Roscius iudicio persequi cum vellet, cognitorem in eam rem Fannium dedit. lite contestata, iudicio damni iniuria constituto, decidit cum Flauio Roscius, vt ipse aiebat, pro sua parte; vt Fannius, pro tota societate; fundum accepit, non pecuniam. Post aliquot annos Roscium Fannius arbitrum adegit. arbiter fuit idem, qui in hac caussa iudex est,* C. *Calpurnius Piso. is de re sententiam non tulit, sed Roscium rogauit, vt Fannio pro labore, quod cognitor fuisset, quod vadimonia obisset,* H-S CCIƆƆ *cum eo tamen, vt Fannius repromitteret, ac restipularetur; si quid exegisset à Flauio, partem eius dimidiam se Roscio daturũ. spopondit ita se facturum Fannius: deinde Flauio litem intendit. iudex*

fuit C. Cluuius, eques Romanus. eius sententia Flauius H-S CCCIↃↃↃ Panurgi nomine Fannio dissoluit. cuius pecuniæ pars dimidia, cum ex restipulatione Roscio deberetur: tamen tantum abest, vt ei quidquam Fannius dederit, vt eum etiam in iudicium vocauerit, tamquam sua parte in vetere illa decisione fraudatus. æstimabat enim fundum, quem à Flauio Roscius acceperat, H-S CCCCIↃↃↃↃ: *inde petebat* H-S IↃↃↃ: *quasi Roscius pro societate, non pro se tantum, decidisset. in quo lis tota vertitur. Et hoc maxime argumento ad criminationem Fannij repellendam Cicero vtitur, quod is, accepta à Roscio pecunia, quia cognitor eius fuerat, repromisisset, & stipulatus esset, si quid à Flauio exegisset, dimidium ei se daturum. quo sibi nullam à Roscio ex vetere decisione deberi pecuniam indicauit. Acta caussa videtur post Aureliã legem, quæ Pompeio & Crasso cos. iudicandi potestatem restituit equitib. Romanis. nam, ante quã Fannius Rosciũ in iudiciũ vocauit, iudex fuerat inter Fanniũ et Flauiũ C Cluuius. De anno iure dubitatur. nã, si est acta post Aureliã legẽ, vnus ei assignandus est ex tribus annis, qui sunt ante consulẽ C. Pisonẽ, qui hac in caussa iudex est. anno primo, quo lex Aurelia fertur, id est Pompeio & Crasso cos. acta non videtur. nam, cum dicat Cicero, Flauium iampridem esse mortuum, qui cum Fannio litigauerat ad iudicem Cluuium: fieri non potest, vt eodem anno Fannius cum Flauio ad iudicem Cluuium, & cum Roscio ad iudicem Pisonem litigauerit. Sequitur annus Hortensio & Metello cos. quo anno cũ ædilis curu. Cicero fuerit, verisimile nõ videtur, priuatam caussam in illo magistratu eum agere voluisse. De tertio anno, quo Metellus, & Rex consulatum gesserunt, facile crediderim. nam, quę*

post

post hunc sequitur, eo consul fuit C. Piso, huius caussa index. qui vero post Pisonem sequitur, eo præturam Cicero gessit, vt Roscij caussam omnino agere non potuerit. Post præturam vero suam non dixisset Cicero, Magis mea adolescentia indiget illorum bona existimatione, quam illorum seuerissima senectus desiderat meam laudem. Quæ si dicantur L. Metello, & Rege cos. biennio ante Ciceronem prætorem, ferri possunt. ijs enim consulibus annum ætatis * XXXIX *Cicero agebat. qua ætate alios quoque appellatos esse adolescentes, alibi docuimus.*

M. TVLLII. CICERONIS. PRO. Q. ROSCIO. COMOEDO.

ORATIO III.

Multa, quæ desunt, quærenda.

malitiam naturæ, crederetur. is scilicet vir optimus, & singulari fide præditus, in suo iudicio tabulis suis testibus vti conatur. solent fere dicere, qui per tabulas hominis honesti pecuniã expensam tulerunt: ego ne talem virum corrumpere potui, vt mea caussa falsum in codicem referret? exspecto, quam mox Cherea hac oratione vtatur: ego ne hanc manum, plenam perfidiæ, & hos digitos meos impellere potui, vt falsum perscriberent nomen? quod, si ille suas proferet tabulas, proferet suas quoque Roscius. erit in illius tabulis hoc nomen: at in huius non erit. cur potius illius, quam huius, credetur? scripsisset ille, si non iussu huius expensum tulisset? non scripsisset hic, quod sibi expensum ferri iussisset? nam, quemadmodum turpe est scribere, quod non debetur: sic improbum est non referre, quod debeas. æque enim tabulæ condemnantur eius, qui verum non retulit; & eius, qui falsum perscripsit. Sed ego, copia & facultate caussæ confisus, vide, quo progrediar. si tabulas C. Fannius accepti et expensi profert suas, in suam rem, suo arbitratu scriptas: quo minus secundum illũ iudicetis, non recuso. quis hoc frater fratri, quis parens filio tribuit, vt, quodcumq; retulisset, id ratum haberet? ratum habebit Roscius. profer. quod tibi fuerit persuasum, huic erit persuasum: quod tibi fuerit probatum, huic erit probatum. paullo ante à M. Perperna, P. Saturij abulas poscebamus: nũc tuas, C. Fanni Cherea, solius flagitamus: &, quo minus secundum eas lis detur, non recusamus. quid ita non profers? non conficit tabulas? immo diligentissime. non refert parua nomina in codices? immo omnes summas. leue & tenue hoc nomen H-S CCCIↃↃↃ sunt? quo modo tibi tanta pecunia extraordinaria iacet? quo modo H-S CCCIↃↃↃ in codice accepti & expensi non sunt? pro dij immortales, esse ne quemquam tanta audacia præditum, qui, quod nomẽ referre in tabulas timeat, id petere audeat? quod in codicem iniuratus referre noluit, id iurare in litem non dubitet? quod sibi probare non possit, id persuadere alteri conetur.

EXPLA-

EXPLANATIO.

IS SCILICET *vir optimus*,} ironia in Cheream: cuius tabulis Cicero fidem abrogat. quia quæ in iudicium tabulæ proferuntur, vt ijs testibus aliquid probetur, eas oportet à viro optimo; & singulari fide prædito, scriptas esse. PECVNIAM *expensam tulerunt*:} debitorem aliquem fecerunt. HOC NOMEN} H-S CCCIↃↃↃ, eiusq; pecuniæ dimidium Roscio expensum. NON ERIT} cur enim. quam suam esse pecuniam crederet, eius dimidiũ Chereæ ferret acceptum? IVSSV *huius*} quasi dixisset Chereæ Roscius, cõmunem illam pecuniam esse; eumq; nomen illud in suas tabulas referre iussisset. quod si verum esset: certe in suas quoque tabulas nomen idem Roscius retulisset. non retulit: ergo nõ suo iussu retulit Cherea. QVOD *non debebatur*:} hoc ad Cheream pertinet. QVOD *debeas*.} hoc ad Roscium. QVI *verum non retulit*:} qui, cum aliquid deberet, id acceptum in tabulas nõ retulit. in quo peccasset Roscius, si Cherea debuisset. QVI *falsum perscripsit*.} qui retulit in tabulas expensum, quod sibi nõ debebatur. IN SVAM *rem, suo arbitratu scriptas*:} in quibus Cherea scripserit, expensa Roscio H-S IↃↃↃ. A M. PERPERNA} hic sedebat in consilio C. Pisonis: non placet igitur dici, P. Saturij tabulas à M. Perperna petitas esse. cur enim ab hoc potius quam à Pisone? quem consilio præfuisse, infra ostenditur his verbis: Tu C. Piso, tali fide, virtute, grauitate, auctoritate ornatus, ex aduersarijs pecuniam petere non auderes. Et paullo post: Vtinam sederet in consilio C Pisonis: ipse C. Piso est. Et: Iudex est is, quem nos non minus bene de nobis existimare. quam secũdum nos iudicare velimus. Et alibi. Malim igitur, deleta præpositione, A, M. Perperna vocandi casu dictum esse. aut, si ne sic quidem, vnum appellare iudicem sine Pisone, placet; aut hæc subita à Perperna ad Cheream cõuersio sermonis offendit, quæ nec meis auribus, vt ingenue fatear, grata admodum accidit: legatur sane, A M. Perperna, dum ab eo non tamquam à iudice, sed tamquam à Roscij pariter & Chereæ amico, extra iudicium

cium petitas esse tabulas putemus. Huius autem Perpernæ familiam, cum diu diligenterq; perquisierim, adhuc tamen ignoro. P. SATVRI} Saturij legendum cõstat. is patronus erat Chereæ: cuius cum tabulæ poscebantur, nomen aliquod in ijs, quod Chereæ tabulas refelleret, reperiri posse putabatur. TVAS *solius*} antiqua locutio. Terentius in Heaut. Tot mea

Solius solliciti sunt caussa, vt me vnum expleant?

In Vatinium: Ciuitatis salutem cum mea vnius salute esse coniunctam? In Pisonem: Iuraui remp. atq; hanc vrbẽ mea vnius opera esse saluam. FLAGITAMVS.} ante poscebamus, nũc flagitamus: maiore enim studio petendum, quod ad detegendam Chereæ improbitatẽ vel maxime pertinet. LIS DETVR.} iudicetur, decernatur. Valer. Max. lib. II. cap. 3. Lutati, quamuis adhuc tacueris, secundum te litem do. Gellius lib. V. cap. 10. Si contra te lis data erit. EXTRAORDINARIA} neglecta nullo ordine. IACET?} à te negligitur, quasi leue quoddam ac tenue nomen. TIMEAT,} quasi falsum. timuit, inquit, ne suis ex tabulis falsi condemnaretur. IVRARE *in litem*} litis caussa, ad litem obtinendam.

ORATIO.

NIMIVM *cito ait me indignari de tabulis: non habere se hoc nomen in codice accepti & expensi relatum confitetur, sed in aduersarijs patere contendit. Vsq; eo ne te diligis, & magnifice circumspicis, vt pecuniam non ex tuis tabulis, sed aduersarijs petas? suum codicẽ testis loco recitare, arrogantiæ est: suarũ perscriptionũ, et liturarũ aduersaria proferre, nõ amentia est? quod, si eandẽ vim, diligentiã, auctoritatemq; habent aduersaria, quam tabulæ: quid attinet codicem instituere, conscribere? ordinẽ conseruare? memoriæ tradere litterarum vetustatem? sed, si, quod aduersarijs nihil credimus, iccirco codicẽ scribere instituimus: quod etiam apud omnes leue, & infirmũ est, id apud iudicem graue, & sanctũ esse ducetur? quid est, quod negligenter scribamus aduersaria? quid est, quod diligenter conficiamus tabulas? qua de caussa? quia hæc sunt menstrua, illæ sunt æternæ: hæc delentur statim, illæ seruantur sancte: hæc parui temporis memoriam, illæ perpetuæ existimationis fidẽ & religionẽ amplectuntur: hæc sunt deiecta,*

illæ in

illæ in ordinem confectæ. itaq; aduersaria in iudiciũ protulit nemo:codicem protulit:tabulas recitauit.tu,C.Piso,tali fide,virtute, grauitate,auctoritate ornatus,ex aduersarijs pecuniam petere non auderes.ergo,quæ clara sunt consuetudine, diutius dicere non debeo:illud vero,quod ad rem vehementer pertinet,quæro: Quampridem hoc nomen, Fanni,in aduersaria retulisti?erubescit: quid respondeat,nescit:quid fingat extemplo,nõ habet. sunt duo menses iam,dices:tamen in codicẽ accepti & expensi referri debuit.amplius sunt sex menses:cur tamdiu iacet hoc nomen in aduersarijs? quid,si tandẽ amplius triennium est?quo modo,cum omnes,qui tabulas conficiant,menstruas pæne rationes in tabulas trãsferant,tu hoc nomen trienniũ amplius in aduersarijs iacere pateris? vtrum cetera nomina in codicẽ accepti & expensi digesta habes, an non? si non,quo modo tabulas conficis?si etiam:quamobrem, cum cetera nomina in ordinẽ referebas,hoc nomen triennio amplius,quod erat inprimis magnũ,in aduersarijs relinquebas? nolebas sciri, debere tibi Roscium:cur scribebas?rogatus eras,ne referres:cur in aduersarijs scriptum habebas?Sed,hæc quamquam firma esse video:tamen ipse mihi satisfacere non possum,nisi à C.Fannio ipso testimonium sumo;hanc pecuniam ei non deberi.magnum est, quod conor:difficile est,quod polliceor:nisi eundem & aduersarium, & testem habuerit Roscius,nolo vincat.

EXPLANATIO.

INDIGNARI} indignantis hæc esse quis non intelligit?Pro dij immortales, esse ne quemquã tanta audacia præditum, qui, quod nomen referre in tabulas timeat, id petere audeat?Et reliqua. Quare, cur Budæo magis placere debuerit, Indagare, caussam esse nullã video.VSQVE *eo ne te diligis*}tantum ne tibi tribuis. MAGNIFICE *circumspicis,*} imaginem quandã retulit eorũ, qui se ipsi nimis diligunt.ADVERSARIA}.in quibus confuse dierum singulorum acta perscribuntur:&,si quis in eo peccet,fraudi ei non est:idem, si quid in tabulis,id est in codice cõmittat,non impune fert.Quod veteres aduersaria,Diarium hodie dicimus.ORDINEM *conseruare?*}qui nõ conseruatur in aduersarijs. MEMORIAE *tradere litterarũ vetustatẽ?*} ideo enim scribũtur tabulę, vt perpetuo cõseruentur:aduersaria vero vt post mẽsem cõscindantur.

ſcindantur. APVD *omnes*} aduerſarijs enim nemo credit. DEIECTA,} perturbata, ordine neglecto. CODICEM *protulit*:} verbum vnde pendeat, obſcurum videtur: ſed ex, Nemo, quod proxime dictum eſt, elicitur affirmatio. ſic lib. II. de Orat. Nemo extulit eum verbis, qui ita dixiſſet, vt, qui adeſſet, intelligerēt, quid diceret, ſed contempſit eum, qui minus id facere potuiſſet. Horatius Sat. I.

Qui fit, Mæcenas, vt nemo, quam ſibi ſortem
Seu ratio dederit, ſeu fors obiecerit, illa
Contentus viuat, laudet diuerſa ſequentes.

Nam, Laudet, affirmationem perſpicue poſtulat. Plura attulimus exempla, in ep. ad Cornificiū, lib. XII. REFERRI *debuit*.} ſi quidem aduerſaria ſolent eſſe menſtrua.

ORATIO.

PECVNIA *tibi debebatur certa, quæ nunc petitur per iudicem, in qua legitimæ partis ſponſio facta eſt. Hic tu ſi amplius H-S nummo petiſti, quam tibi debitum eſt, cauſſam perdidiſti: propterea quod aliud eſt iudicium, aliud eſt arbitrium, iudicium eſt pecuniæ certæ, arbitrium incertæ. ad iudicium hoc modo venimus, vt totam litem aut obtineamus, aut amittamus: ad arbitrium hoc animo adimus, vt neq; nihil, neq; tantum, quantum poſtulauimus, conſequamur. eius rei ipſa verba formulæ teſtimonio ſunt. quid eſt iudicio? directum, aſperum, ſimplex:* SI. PARET H-S. IↃↃↃ. DEBERI. *hic, niſi planum facit H-S.* IↃↃↃ *ad libellam ſibi deberi, cauſſam perdit. quid eſt in arbitrio? mite, moderatum:* QVANTVM. AEQVIVS. MELIVS. SIT. DARI. *ille tamen confitetur plus ſe petere, quam debeatur, ſed ſatis ſuperq; habere dicit, quod ſibi ab arbitro tribuatur. itaq; alter cauſſæ confidit, alter diffidit. Quæ cum ita ſint; quæro abs te, quid ita de hac pecunia, de his ipſis H-S* IↃↃↃ, *de tuarum tabularum fide compromiſſum feceris, arbitrum ſumpſeris, quantum æquius melius ſit dari, repromitti ve; ſi pateret. quis in hanc rem fuit arbiter? vtinam is quidē Romæ eſſet: Romæ eſt. iam vtinā adeſſet in iudicio: adeſt. vtinam ſederet in conſilio C. Piſonis: ipſe C. Piſo eſt. eundem ne tu arbitrum et iudicem ſumebas? eidem & infinitam largitionem remittebas, & eundem in anguſtiſſimam formulam ſponſionis concludebas? quis vmquam ad arbitrum, quantum petijt, tantum abſtulit? nemo: quantum enim æquius eſſet ſibi dari, petijt. de quo nomine*

homine ad arbitrum adisti, de eo ad iudicem venisti. ceteri, cũ ad iudicem caussam labefactari animaduertũt, ad arbitrũ confugiũt: hic ab arbitro ad iudicem venire est ausus: qui cũ de hac pecunia, de tabularũ fide arbitrũ sumpsit, iudicauit sibi pecuniã nõ deberi.

EXPLANATIO.

PECVNIA *tibi debebatur certa,*} H-S ↀↀↀ. QVAE *nunc petitur per iudicem,*} nam incerta petitur ad arbitrum. LEGITIMAE *partis*} infra: Cum tertia parte sponsio facta est. sponsione autem is, qui actor erat, lacessere dicebatur, & si litem perdidisset, simul amittebat eam pecuniam, cuius facta sponsio esset: quam fuisse ex lege tertiam eius partem, de qua litigaretur, ostẽdit hæc oratio. FORMVLAE} quam prætor vel iudici dat vel *arbitro*: iudici, Si patet, H-S ↀↀↀ deberi: subaudi, tantum soluat: arbitro, Quantum æquius melius sit, dari: subaudi iube. Iudicij formulam plura testãtur exempla. in Diuin. Iudicium dat statim: si pateret, eam, se & sua Veneris esse dixisse. lib. II. in Ver. Si paret, fundum Capenatem, quo de agitur, ex iure eum P. Seruilij esse. lib. III. Si pateret, iugera eius modo fundi esse plura, quam colonus esset professus. Ibidem: Si pateret, aduersus edictum fecisse. AD *libellam*} ad assem. idem enim valent: materia differunt; quod as æreus, libella argenteus nummus est. QVANTVM *æquius melius sit dari.*} prætoris formulæ verba, arbitro datæ, hoc sensu: Iube, non quantum petitur; sed, quantum tibi æquius melius videtur petitori tantum dari. Eiusdem formulæ mentio fit lib. III. *Off.* Reliquorum autem iudiciorum hæc verba maxime excellunt, in arbitrio rei vxoriæ, Aequius melius. Quibus verbis arbitro potestas dabatur ex ęquo & bono æstimãdi, quid actori dari oporteret. ALTER *caussæ cõfidit,*} qui ad iudicem agit. ALTER *diffidit*} qui suam caussam arbitro committit. DE TVARVM *tabularum fide*} quam ipsemet in dubium voces, vbi compromissum facis. ARBITRVM *sumpseris,*} qui compromissum facit, & arbitrum sumit, certam sibi non deberi pecuniam indicat. quod Cherea cum fecerit, cur postea certam pecuniam, H-S ↀↀↀ, ad iudicem petit? REPROMITTIVE; }

M vt ex

vt ex arbitri sententia, quantum æquius & melius esset vel daret tibi Rosciꝰ, vel se daturum promitteret: si modo pateret, eum debere. Addidit enim Cicero, Si pateret, vt nihil prorsus debere Roscium ostenderet: quod illa formulæ verba, Quantum æquius & melius, aliquid eum debere significare videbantur. EIDEM} arbitro. EVNDEM} iudicem. ANGVSTISSIMAM} remittendi enim potestatem iudex non habet, sed ex formula sponsionis, verbi gratia, Si patet, Chereæ H.S Iↄↄↄ Roscium debere, vel omnino condemnare Roscium cogitur, vel absoluere. DVAE *partes caussæ*} prior desideratur. nã de nõ adnumerata pecunia mẽtio supra nulla fit.

ORATIO.

IAM duæ partes caussæ sunt confectæ: adnumerasse sese negat: expensum tulisse non dicit, cum tabulas non recitat. reliquuum est, vt stipulatum se esse dicat: præterea enim quemadmodum certam pecuniam petere posSit, non reperio. Stipulatus es? vbi? quo die? quo tempore? quo præsente? quis spopondisse me dicit? nemo. Hic ego si finem faciã dicendi, satis fidei, & diligentiæ meæ, satis caussæ, & controuersiæ, satis formulæ, & sponsioni, satis etiam iudici fecisse videar, cur secundum Roscium iudicari debeat. Pecunia petita eSt certa, cum tertia parte sponsio facta eSt. hæc pecunia, necesse est, aut data, aut expensa lata, aut stipulata sit. datam non esse, Fannius confitetur: expensam latam non esse, codices Fannij confirmant: stipulatam non esse, taciturnitas testium cõcedit. Quid ergo est? quod & reus is, est, cui & pecũia leuissima, & existimatio sanctißima fuit semper? & iudex est is, quẽ nos nõ minus bene de nobis existimare, quã secundum nos iudicare velimus? & aduocatio ea est, quam propter eximium splendorem, vt iudicem vnum, vereri debeamus: perinde, ac si in hanc formulam omnia iudicia legitima, omnia arbitria honoraria, omnia officia domestica conclusa, & comprehensa sint, perinde dicemus. illa superior fuit oratio necessaria, hæc erit voluntaria: illa ad iudicem, hæc ad C. Pisonem: illa pro reo, hæc pro Roscio: illa victoriæ, hæc bonæ existimationis caussa comparata. Pecuniam petis, Fanni, à Roscio: quam? dic audacter, & aperte: vtrũ, quæ tibi ex societate debeatur, an, quæ ex liberalitate huius promissa sit, & ostentata? quorũ alterũ est grauius & odiosius; alterum

alterum leuius, & facilius. quæ ex societate debeatur? quid ais? hoc iam non leuiter ferendum est, neque negligenter defendendū. si qua enim sunt priuata iudicia summæ existimationis, & pæne dicam capitis, tria hæc sunt, fiduciæ, tutelæ, societatis: æque enim perfidiosum, & nefarium est, fidem frangere, quæ continet vitā; & pupillum fraudare, qui in tutelam peruenit; & socium fallere, qui se in negotio coniunxit. quæ cum ita sint: qui sit, qui socium fraudarit, & fefellerit, consideremus. dabit enim nobis iam tacite vita acta in alterutram partem firmum & graue testimonium.

EXPLANATIO.

RELIQVVM *est, vt stipulatum se esse dicat.*} vt hæc H.S Iɔɔɔ sibi à Roscio deberi per stipulationē dicat. Stipulationum duo genera, vnum extra litem, alterum in lite. vtrumque fiebat per interrogationem, & sponsionem. Extra litem hoc modo. Cherea Roscium interrogat: Spōdes ne, te mihi daturū H.S Iɔɔɔ? ille respondet, spondeo. Ita Roscius per stipulationem Chereæ debet H.S Iɔɔɔ. quod si Roscius nō spopondit, stipulatio esse non potest. ideo subiungit Cicero ex persona Roscij: Quis spopondisse me dicit? nemo. Altera stipulatio est in lite, hoc modo. Petit ad iudicem C. Pisonem à Q. Roscio Fannius Cherea H.S Iɔɔɔ, ex formula à prætore data, Si patet Roscium Chereæ debere H.S Iɔɔɔ, sponsionem facit cum tertia parte, id est, si caussa cadat, Roscio daturum tertiam eius pecuniæ partem, de qua litem intenderat: ne scilicet calumniā impunitā ferret. eandem spōsionē Roscius quoq; faciebat: sic alter alterum interrogabat, Roscius Cheream: Spōdes ne, te mihi esse daturum, ni pateat H.S Iɔɔɔ tibi à me deberi, eius pecuniæ tertiā partem, de qua me in iudiciū vocas? Cherea respondebat, Spondeo. Rursus Roscium Cherea interrogabat: Spondes ne, te mihi esse daturū, si pateat H.S Iɔɔɔ mihi à te deberi, eius pecuniæ tertiam partem, de qua te in iudiciū voco? Roscius respondebat, Spōdeo. sic alter alteri, sponsione vtrimque facta, per stipulationē debebat eam pecuniam, cuius facta spōsio erat. Et, quia prior sponsio actoris erat, posterior rei

ideo stipulationis & restipulationis nomē locum habebat. restipulabatur enim, qui spōsione prouocatus, eandē sponsionem facere non recusabat. vnde apud Valerium Max. lib. II. cap. 3. Valerius spōsione Catulum prouocauit, ni suo ductu Punica classis esset oppressa. Nec dubitauit restipulari Lutatius. PETITA *est*} ad iudicem Pisonem. CERTA,} H-S IↃↃↃ. CVM *tertia parte sponsio facta est.*} vt, nisi Cherea H-S IↃↃↃ ad libellam probaret sibi à Roscio deberi, non modo litem perderet, sed præterea tertiam partem pecuniæ à se petitæ, cuius pecuniæ spōsio facta esset. supra: Pecunia tibi debebatur certa, quæ nunc petitur per iudicem, in qua legitimæ partis sponsio facta est. STIPVLATAM *non esse*,} stipulatione promissam non esse, stipulatione non deberi. QVID *ergo est?*} quid igitur, quod agâ, relinquitur? ET REVS *is est.*} sic olim ex ingenio correxi. ADVOCATI O} viri graues, qui ad reum subleuandum ad iudicium veniebant, non vt caussam agerent, sed vt præsentia sua reo suffragarentur. IN HANC *formulam*} à prætore iudici datam, ex qua litigatur. LEGITIMA,} legibus constituta. HONORARIA,} sic arbiter honorarius Chrysippus vocatur in libro de Fato. æque enim qui cōtrouersam rem arbitro committunt, ei honorem habēt, bene de illius fide, scientiaque existimantes. OMNIA officia domestica} perinde ac si agatur de quocūque iudicio legitimo, arbitrio honorario, officio domestico, ita dicam, ea persequens diligenter, quæ videntur extra caussam esse, cum ea iam absoluerim, quę in caussa sunt. NECESSARIA,} ad obtinendam litem. AD C. PISONEM:} vt optimum virum. PRO *Roscio:*} de illius vita & moribus: vt appareat, vter vtrū fraudare voluerit, Cheream Roscius, an Rosciū Cherea. BONAE *existimationis*} vt bene de Roscio homines existiment. quod pluris etiā, quam ipsam victoriam, probi viri faciunt. QVORVM *alterum*} si pecunia, quæ à te petitur, ex societate debetur. GRAVIVS, *&* *odiosius:*} quia nihil grauius & odiosius, quā socium fallere. IN ALTERVTRAM *partem*} vel fraudatum esse socium, vel non esse.

ORA.

ORATIO.

Q. ROSCIVS? quid ais? non ne vt ignis in aquam coniectus continuo restinguitur, & refrigeratur: sic referens falsum crimen in purißimam & castißimam vitã collatum statim concidit, & exstinguitur? Roscius socium fraudauit. potest hoc homini huic hærere peccatum? qui medius fidius (audacter dico) plus fidei, quam artis. plus veritatis, quam disciplinæ, poßidet in se: quẽ populus R. meliorem virum, quam histrionem, esse arbitratur: qui ita dignißimus est scena propter artificium, vt dignißimus sit curia propter abstinentiam. sed, quid ego ineptus de Roscio apud Pisonẽ dico? ignotum hominem scilicet plurib. verbis cõmendo. est ne quisquam omnium mortalium, de quo melius existimes tu? est ne quisquam, qui tibi purior, pudentior, humanior, officiosior, liberalior videatur? Quid tu, Saturi, qui contra hunc venis, existimas aliter? nõ ne, quotiescumque in caussa in nomen huius incidisti, toties hũc & virum bonum esse dixisti, & honoris caussa appellasti? quod nemo nisi aut honestißimo, aut amicißimo facere consueuit. qua in re mihi ridicule es visus esse inconstans, qui eundem & læderes, & laudares; & virum optimum, & hominem improbißimum esse diceres. eundem tu & honoris caussa appellabas, & virum primarium esse dicebas, & socium fraudasse arguebas. sed, vt opinor, laudem veritati tribuebas, crimen gratiæ concedebas: de hoc, vt existimabas, prædicabas, Chereæ arbitratu caussam agebas. Fraudauit Roscius. est hoc quidem auribus, animisque hominum absurdũ. quid, si tandem aliquem timidum dementem, diuitem inertem nactus esset, qui experiri non posset? tamen incredibile esset. verũ tamen, quem fraudarit, videamus. C. Fanniũ Cheream Roscius fraudauit. oro, atque obsecro, vos, qui vtrumque nostis, vitam inter se vtriusque conferte; qui non nostis, faciem vtriusque considerate. non ne ipsum caput, & supercilia illa penitus abrasa olere malitiã, & clamitare calliditatem videntur? non ne ab imis vnguibus vsque ad verticem summum, si quam coniecturã affert hominibus tacita corporis figura, ex fraude, fallacijs constare totus videtur? qui iccirco capite, & supercilijs semper est rasis, ne vllum pilum viri boni habere dicatur. cuius personam præclare Roscius in scena tractare consueuit. (neque tamen pro beneficio ei par gratia refertur) nam Ballionem illum improbißimũ, & periurißimum lenonẽ cũ agit, agit Cheream. persona illa, lutulenta, impura, inuisa, in huius

 moribus,

moribus, natura, vitaque est expressa. qui quamobrẽ Roscium similem sui in fraude & malitia existimarit, nihil videtur: nisi forte, quod praeclare hunc imitari se in persona lenonis animaduertit.

EXPLANATIO.

QVR. ROSCIVS?} subaudi, sociũ fraudauit? REFERVENS} exsistens, ebulliens, quasi ex quodam improbitatis feruore natum. CASTISSIMAM} nullius vitij labe contaminatam. QVAM *artis*;} cum tamen arte excellat. vnde adagium: Gestum agere, spectante Roscio, impudentis est. CVRIA} ordine senatorio. CONTRA *hunc venis*,} proprie de litibus. Phil. II. Contra rem suã me nescio quando venisse, questus est. Phil. IIX. Negat se illi amicum esse debere: cum suo magno esset beneficio, venisse eum cõtra se. HONESTISSIMO} hoc refertur ad eius dignitatem, qui honoris caussa appellatur. LAEDERES,} lædere, interdum est, sermone detrahere, vt hic: nam, Laudares, vt cõtrarium infertur. Sic in ep. ad Lentulum: Cum me disputantem, non lacessentem, læsisset, exarsi. Ad Appium: Quadam dissimilitudine institutorum meorum, ac tuorum lædi te putat. prominui existimationem tuam. In ep. Trebonij: Cum, etiam si odio pari fuerit in eos, quos læsit, tamen certe non magis dignos habuerit, in quos tanta libertate verborum incurreret. GRATIAE} cum Cherea gratificareris. TIMIDVM *dementem*} si Roscius fraudasse aliquem diceretur, non Chereæ similem, sed eum, qui ob timorem, dementiam, diuitias, inertiam experiri, id est, litigare non posset: incredibile tamen esset. cũ vero fraudasse Chereã dicatur, multo minus credibile est. NE VLLVM *pilum viri boni habere dicatur*.} nam si capite, superciliisque rasis non esset: habere eum aliquod saltem boni viri pilum, dici posset. ita non carere penitus bonitatis laude videretur. nũc vere dici potest, nullũ eũ habere pilum boni viri. NEQVE *tamen pro beneficio ei par gratia refertur*.} quamquam Roscius, cum improbissimum lenonẽ agit, agat Cheream, & in eius moribus, natura, vitaq; personam illam lutulentam, impuram, inuisam exprimat: tamen, pro beneficio parem ei gratiam non refert,

id est,

id est, ab eo grauissime læsus, nō plane reponit, quod deberet. BALLIONEM *illum*} in Pseudolo inductum à Plauto. NISI *forte*, } nisi putat, sui similem esse Roscium in moribus, & vita, quia se imitatur egregie in persona lenonis: in qua exprimenda Chereæ quidem similis est, cum in moribus tamen, & vita dissimilis admodum sit.

ORATIO.

QVAMOBREM *etiam atque etiam considera, C. Piso, quis quem fraudasse dicatur: Roscius Fannium? quid est hoc? probus improbum, pudens impudentem, periurū castus, callidum imperitus, liberalis auidum. incredibile est. quemadmodum, si Fannius Roscium fraudasse diceretur, vtrumque ex vtriusque persona verisimile videretur, & Fannium per malitiam fecisse, & Roscium per imprudentiam deceptum esse: sic, cum Roscius Fannium fraudasse arguatur, vtrumque incredibile est, & Roscium quidquam per auaritiam appetisse, & Fanniū quidquam per suam bonitatem amisisse. Principia sunt huiusmodi: spectemus reliqua.* H.S. I϶϶϶ *Q. Roscius fraudauit Fannium: qua de caussa subridet Saturius veterator, vt sibi videtur: ait, propter ipsa* H.S. I϶϶϶. *video: sed tamen cur ipsa* H.S. I϶϶϶ *tam vehementer concupierit? quæro. nam tibi, M. Perperna, C. Piso, certe tanti non fuisset, vt socium fraudaretis. Roscio cur tanti fuerit, caussam requiro. egebat? immo locuples erat. debebat? immo in suis nummis versabatur. auarus erat? immo etiam ante, quam locuples, semper liberalißimus, munificentißimusque fuit. pro deūm hominūque fidem, qui* H.S. CCCI϶϶϶. CCCI϶϶϶. CCCI϶϶϶ *quæstus facere noluit, (nam certe* H.S. CCCI϶϶϶. CCCI϶϶϶. CCCI϶϶϶ *merere & potuit, & debuit, si potest Dionysia* H.S. CCCI϶϶϶. CCCI϶϶϶ *merere) is per summam fraudem, et malitiam, & perfidiam* H.S. I϶϶϶ *appetijt? & illa fuit pecunia immanis, hæc paruula; illa honesta, hæc sordida; illa iucunda, hæc acerba; illa propria, hæc in caussa, & in iudicio collocata. decem his annis proximis* H.S *sexagies honestißime consequi potuit, noluit: laborem quæstus recepit, quæstum laboris reiecit: populo R. adhuc seruire non destitit, sibi seruire iam pridem destitit. hoc tu vnquam, Fanni, faceres? sed, si hos quæstus recipere posses non eodem tempore & gestum, & animam ageres? dic nunc te*

ab Roscio H.S ↀↀↀ circumscriptum esse: qui tantas, & tam infinitas pecunias non propter inertiam laboris, sed propter magnificentiam liberalitatis repudiarit. Quid ego nunc illa dicam, quae vobis in mētē venire certe scio? Fraudabat te in societate Roscius. sunt iura, sunt formulae de omnibus rebus constitutae, ne quis aut in genere iniuriae, aut ratione actionis errare possit. expressae sunt enim ex uniuscuiusque damno, dolore, incommodo, calamitate, iniuria publicae à praetore formulae, ad quas priuata lis accommodatur. quae cum ita sint, cur non arbitrum pro socio adegeris Q. Roscium, quaero? formulam nō noras? notissima erat. iudicio graui experiri nolebas? quid ita? propter familiaritatem veterem? cur ergo laedis? propter integritatem hominis? cur igitur insimulas? propter magnitudinem criminis? ita ne vero; quem arbitrum circumuenire non posset, cuius de ea re proprium erat iudicium, hunc per iudicem condemnabis, cuius de ea re nullum est arbitrium? quin tu hoc crimen aut obijce, vbi licet agere, aut facere noli, vbi non oportet. tametsi iam hoc tuo testimonio crimen sublatum est. nā, quo tu tempore illa formula vti noluisti, nihil hunc in societatem fraudis fecisse ostendisti. Fecit pactionem: num tabulas habet, an non? si non habet, quemadmodum pactio est? si habet, cur non nominas? Dic nunc, Roscium abs te petisse, vt familiarem suum sumeres arbitrum: non petijt. dic pactionem fecisse, vt absolueretur: non pepigit. quaere, quare sit absolutus: quod erat summa innocentia, & integritate. quid enim factū est? venisti domum vltro Roscij: satisfecisti: quod temere commisisses in iudicium vt denunciares, rogasti vt ignosceret: te affuturum negasti: deberi tibi ex societate nihil, clamitasti. iudici hic denunciauit; absolutus est. tamē fraudis, ac furti mentionem facere audes? Perstat in impudentia. pactionem enim, inquit, mecum fecerat. idcirco videlicet, ne condemnaretur? quid erat caussae, cur metueret, ne cōdemnaretur? res erat manifesta, furtū erat apertum. cuius rei furtum factum erat? exorditur magna cum exspectatione veteris histrionis exponere societatem. Panurgus, inquit, fuit Fannij. is fuit ei cum Roscio communis. hic primum questus est non leuiter Saturius, communem factum esse gratis cum Roscio, qui pretio proprius fuisset Fannij. largitus est scilicet, homo liberalis, & dissolutus. & bonitate affluēs, Fannius Roscio. sic puto. quoniam ille hic constitit paullisper, mihi quoque necesse est paullum commorari. Panurgum tu, Saturi, proprium

prium Fannij dicis fuisse: at ego totum Roscij fuisse contendo. quid erat enim Fannij? corpus: quid Roscij? disciplina. facies non erat, ars erat pretiosa. ex qua parte erat Fannij, non erat H-S I ↄↄↄ; ex qua parte erat Roscij, amplius erat H-S CCCI ↄↄↄ. nemo enim illũ ex trunco corporis spectabat, sed ex artificio comico æstimabat. nam illa membra merere per se non amplius poterant duodecim æris: disciplina, quæ erat ab hoc tradita, locabat se non minus H-S CCCI ↄↄↄ. o societatem captiosam, & indignam, vbi alter H S I ↄↄↄ, alter, CCCI ↄↄↄ quod sit, in societatem affert. nisi iccirco moleste pateris, quod H-S I ↄↄↄ tu ex arca proferebas, H-S CCCI ↄↄↄ ex disciplina & artificio Roscius promebat. quã enim rẽ, & exspectationẽ, quod studiũ, & quẽ fauorẽ secum in scenam attulit Panurgus? quod Roscij fuit discipulus. qui diligebant hunc, illi fauebãt: qui admirabantur hunc, illum probabant: qui denique huius nomen audierant, illum eruditum, & perfectum existimabant. sic est vulgus; ex veritate pauca, ex opinione multa æstimat. quid sciret ille, perpauci animaduertebant; vbi didicisset, omnes quærebant: nihil ab hoc prauum & peruersum produci posse arbitrabantur. si veniret ab Statilio, tametsi artificio Roscium superaret, adspicere nemo posset. nemo enim, sicut ex improbo patre probum filium nasci, sic ex pessimo histrione bonum comœdum fieri posse, existimaret. quia veniebat à Roscio, plus etiam scire, quàm sciebat, videbatur. quod item nuper in Erote comœdo vsu venit: qui postea quam è scena non modo sibilis, sed etiam conuicio explodebatur, sicut in aram confugit in huius domum, disciplinam, patrocinium, nomen. itaque perbreui tempore, qui ne in nouissimis quidem erat histrionibus, ad primos peruenit comœdos. quæ res extulit eum? vna commendatio huius: qui tamen Panurgum illum non solum, vt Roscij discipulus fuisse diceretur, domum recipit, sed etiam summo cum labore, stomacho, miseriaque erudijt. nam, quo quisque est solertior, & ingeniosior, hoc docet iracundius, & laboriosius. quod enim ipse celeriter arripuit, id cum tarde percipi videt, discruciatur.

EXPLANATIO.

CASTVS,} purus, incorruptæ vitæ. supra: Purissimam, & castissimam vitam. PER SE} necessaria est præpositio, Per: vt seruetur in oppositis ordo. nam, vt dictum iam est, Per malitiam, per imprudentiã:

ſic debet ſubiungi, Per auaritiā, per ✶ breuitatē: vt bonitas hic pro negligentia quadā ſumatur. Aut igitur locus emendandus: aut, Per ſe, pro ſua ſponte, dictum puto. SATVRIVS } qui pro Cherea agebat. VETERATOR, } aſtutus. M. PERPERNA, } ante Piſonē iudicem appellatur, quia conſularis, & cenſorius. Alius autē ab eo, qui Sertorium occidit. nam ille non diu poſt Sertorij necem, hic autem vixit ad annos XCIIX, vt ait Plinius lib. VII. TANTI *non fuiſſet.* } hoc lucrum. lib. IV. in Verrem: Fuit tanti, Eſt tanti. IN SVIS *nummis verſabatur.* } eodē libro: In ſuis nummis multis eſſe. NOLVIT, } vel quod artis ſuæ præſtantia non dignum quæſtū iudicaret: merebat enim diurna opera, auctore Macrobio lib. III. mille denarijs: qui ſcutati ſunt CXX: vel quia proximis decem ſuperioribus annis quæſtum reiecerat. vt infra. DIONYSIA } nota ſaltatricula: cuius nomine L. Torquatus, vir antiquæ ſeueritatis, Hortenſium appellabat, quod in geſtu plus, quam deceret, haberet artis. ACERBA: } fraudato ſocio. HAEC *in cauſſa, & in iudicio collocata.* } dubiū igitur, vnius ne propria, an duorum communis. H-S SEXAGIES } ſubaudi, centena millia: ſcutatorum CLXXX millia. loquitur nō de ſingulorum annorū. ſed de totius decennij quæſtu. SERVIRE *nō deſtitit,* } in ſcena. ET GESTVM, & *animam ageres?* } geſtum ageres, quamdiu viueres, ad extremam vitæ horam: tum quoque geſtum ageres, cum animam ipſam ageres: Iocatur in verbo, Ageres, duas res, pro adiuncto nomine indicante. nam, Agere animam, eſt mori. CIRCVMSCRIPTVM } deceptum, fraudatum. ERRARE *poſſit.* } nam, qui erraret, cauſſa caderet. A PRAETORE } dabat enim actori prætor iudicium cum formula. ARBITRVM *pro ſocio adegeris* } pro, ad arbitrium egeris. IVDICIO *graui* } ne Roſcij obeſſes exiſtimationi. LAEDIS? } perfidiæ notā illi conaris inurere. PER *arbitrum* } cui licebat, quidquid vellet. CIRCVMVENIRE } quod per arbitrum facilius eſſet, quam per iudicem. NVLLVM *eſt arbitrium?* } cū in anguſtiſſimā formulam ſponſionis concludatur? vt ſupra dictū eſt. VBI LICET *agere:* } apud arbitrum,

quod

quod fecerat Cherea, sed, pactione interposita, litigare apud arbitrum desierat. IACERE } obijcere. VBI *non oportet.* } apud iudicem. FORMVLA *illa vti noluisti;* } cœptam litem ad arbitrum persequi noluisti. Quæ sit arbitrij, quæ iudicij formula, iam dictum est; illa mitis, & moderata, Quantum æquius melius sit dari, hæc directa, aspera, simplex, si patet H-S Iↄↄↄ deberi. FACIT *pactionem:* } Roscius cum Fannio. id enim Fannius dicebat, vt ostenderet, ab instituto iudicio discessurũ nõ fuisse: nisi Roscius pactionẽ fecisset. NVM *tabulas habet,* } argumentũ cõtra Fanniũ. nam, si facta pactio esset, mentio fieret in tabulis. non fit mentio, ergo nulla pactio. CVR *non nominas?* } conuertit sermonem à Saturio ad Fannium. VT *absolueretur,* } ne iudicium perageretur: vt ab arbitro dimitteretur. absolui enim videtur, qui dimittitur. ABSOLVTVS: } iudicij molestia liberatus. dimissus ab arbitro, litem auctore non persequente. QVOD *erat summa innocentia, & integritate.* } quia sciebas, ab eo tibi nihil deberi. SATISFECISTI: } excusasti te, purgasti te verbis. id enim est Satisfacere. hinc Satisfactionẽ accipere, pro, excusationem probare. in ep. ad Trebatium: Hic tu me etiã insimulas, nec satisfactionem meam accipis. IN IVDICIVM *vt denunciaret,* } subesse mendum, satis constat: de correctione diuinandum. mihi quidem placeret hoc modo: Illi iudicium vt denunciaretur. pro, vt in iudiciũ ad arbitrum vocaretur. RES *erat manifesta:* } ironia. nam, si res non manifesta, cur metueret, ne condemnaretur? si non metueret, cur pactionem faceret? EXORDITVR } Saturius. VETERIS *histrionis* } Panurgi. cùm ironia dictum. quo modo enim vetus histrio, si eum Fannius Roscio erudiẽdum tradidit, & communem gratis fecit? tota igitur irrisio est, magnificis prolata verbis, ad exprimẽdã Saturij ostentationem, qui, quod magna cum exspectatione exorsus est, paucissimis verbis absoluit: tantum enim hoc dixit: Panurgus fuit Fannij. is fuit ei cum Roscio communis. Qua narratione quid humilius. NON *erat* H-S Iↄↄↄ, } non vendi potuit, si facies sine arte esset, H-S Iↄↄↄ; sed, quia comicum artificium didicerat,

locari

locari potuit amplius H-S CCCIↃↃↃ.DVODECIM *æris:*} duodecim assibus: qui erant ærei. vsitata locutio. LOCABAT SE} in perpetuum si locatus esset Panurgus, eius operæ pretium non minus H-S CCCIↃↃↃ fuisset. CAPTIOSAM,} ex parte Fannij. INDIGNAM,} ex parte Roscij. STATILIO} pessimo histrione. AD PRIMOS *peruenit comœdos.*} plus igitur est artis in comœdo, quam in histrione. quamquam et comœdi histriones dicantur.

ORATIO.

PAVLLO *longius oratio mea prouecta est hac de caussa, vt condicionem societatis diligenter cognosceretis, quæ deinde consecuta? Panurgum, inquit, hunc seruum communem, Q. Flauius Tarquiniensis quidã interfecit. in hanc rem, inquit, me cognitorem dedisti: lite contestata, iudicio damni iniuria constituto, tu sine me cum Flauio decidisti: vtrum pro dimidia parte, an pro tota societate? planius dicam. vtrum pro me, an pro me, & pro te? pro me? potui. exemplo multorum licitum est: iure fecerunt multi: nihil in ea re tibi iniuriæ feci: pete tu tuum: exige, & aufer, quod debetur: suam quisque partem iuris possideat, ac persequatur. at enim tu tuũ negotium gessisti bene: gere & tu tuũ bene. magno tuam dimidiam partem decidisti: magno & tu tuam partem decide. H-S CCCIↃↃↃ tu abstulisti: si sit hoc vero, H-S CCCIↃↃↃ tu quoque aufer. sed hanc decisionem Roscij, oratione, & opinione augere licet, & re, & veritate mediocrem & tenuẽ esse inuenietis. accepit enim agrum temporibus ijs, cum iacerent pretia prædiorum: qui ager neque villam habuit, neque ex vlla parte fuit cultus: qui nunc multo pluris est, quam tunc fuit. neque id est mirum. tum enim propter reip. calamitates omnium possessiones erant incertæ: nunc, deum immortalium benignitate, omnium fortunæ sunt certæ. tum erat ager incultus, sine tecto, nunc est cultissimus, cum optima villa. Verumtamen, quoniam natura tam maleuolus es, numquam ista te molestia, & cura liberabo. Præclare suum negotium gessit Roscius, fundum fructuosissimum abstulit: quid ad te? tuam partem dimidiam, quemadmodum vis, decide. Vertit hic rationem, & id, quod probare non potest, fingere conatur. de tota re, inquit, decidisti. Ergo huc vniuersa caussa deducitur: vtrum Roscius cum Flauio de sua parte, an de tota societate fecerit pactionem?*

ctionem. nam ego Roscium, si quid communi nomine tetigit, confiteor præstare debere societati. societatis, non suas lites redemit, cum fundum à Flauio accepit. quid ita satis non dedit, amplius à se neminem petiturum? qui de sua parte decidit, reliquis integram relinquit actionem: qui pro socijs trãsigit, satisdat neminem eorum postea petiturum. quid ita Flauio sibi cauere non venit in mentem? nesciebat videlicet Panurgum fuisse in societate: sciebat. nesciebat Fannium Roscio esse socium: præclare. nam iste cum eo litem contestatam habebat. cur igitur decidit, & non restipulatur, neminem amplius petiturum? cur de fundo decidit, & iudicio non absoluitur? cur tam imperite facit, vt nec Roscium stipulatione alliget, neque à Fannio iudicio se absoluat? est hoc primum & ex condicione iuris, & ex consuetudine cautionis grauissimum, & firmissimum argumentum: quod ego pluribus verbis amplecterer, si non alia certiora & clariora testimonia in caussa haberem. &, ne forte me hoc frustra pollicitum esse prædices, te, te, inquam, Fanni, ab tuis subsellijs contra te testem suscitabo.

EXPLANATIO.

ME *cognitorem dedisti:* } qui agerem in iudicio, & litem curarẽ. LITE *contestata,* } instituta: cum scilicet prætor iudicium dedit. DAMNI *iniuria* } subauditur, Dati, vt, Damni iniuria, sint formulæ verba, quam prętor dabat: quasi, propter iniuriam damni dati. VTRVM *pro dimidia parte,* } loquitur ex persona Roscij. SI FIT *hoc vero,* } Roscius non fatetur, se decidisse cum Flauio H.S CCCIↃↃↃ. accepit enim fundum, non pecuniam: accepit autem, quo tempore iacebant pretia pdiorum, perturbata bellis ciuilibus rep. Si fit hoc vero: pro, Si vere fit. ERANT *incertæ;* } quia victoris arbitrio, ac libidine, publica priuataque geruntur omnia. TVM *erat ager incultus, sine tecto,* } quo tempore quanti erat, non æstimabat illum agrum Cherea, sed quanti, postea quam & cultissimus fuit, & optimam villam habuit, &, rep. cõstituta, possessionibus omnium certis, non iacebant pretia prædiorum. NVMQVAM *ista te molestia, & cura liberabo.* } perpetuo cruciaberis alieno bono. VERTIT *hic rationem,* } quia duo proposuerat: Vtrũ pro dimidia parte, an

te,an pro tota societate? & vnũ absoluit, licuisse Roscio pro sua parte decidere;aggreditur alterum,Pro tota societate. Vertit,inquit, Fannius rationem, nõ ait Roscium pro se,sed pro tota societate decidisse. L I T E S *redemit,*} Roscius,accepto fundo,liberauit Flauium litibus nõ suis,sed societatis.Obiectio Fannij.Q V I D *ita satis nõ dedit,*} responsio Ciceronis.Si Roscius fundum illum accepit societatis nomine; cur non Flauio satisdedit; amplius ab eo neminem petiturũ?aut si nõ satisdedit quis credat,ei Flauium fundum suum dedisse pro tota societate?A SE} ab ipso Flauio.S I B I *cauere*} per satisdationem,acceptis sponsoribus. L I T E M *contestatam habebat.*} ad arbitrum. paullo ante:Me cognitorem dedisti:lite contestata,iudicio damni iniuria constituto, tu sine me cum Flauio decidisti.C V R *igitur decidit*?} Flauius cum Roscio. N O N *restipulatur,*} non alligat Roscium promissione per stipulationem facta, neminem amplius petiturum. Restipulari,est hic idem, quod stipulari.sed,Restipulari, Cicero dixit,vt Flauius,qui fundum dabat,contra sibi per satisdationem caueret.I V D I C I O *non absoluitur*?} litibus nõ liberatur,quæ à Fannio,Roscij socio, imminent. N E Q V E *à Fannio*} qui potest ei litem intendere pro sua parte. A B T V I S *subsellijs*}erant iudicum,actorum,reorum subsellia. O R A T I O.

CRIMINATIO *tua quæ est? Roscium cum Flauio pro sociteate decidisse:quo tempore? abhinc annis quattuor. Defensio mea quæ est, Roscium pro sua parte cum Flauio transegisse.repromittis tu abhinc trienniũ Roscio. quid? recita istã restipulatiõnẽ clarius. attende quæso,Piso: Fannium inuitum, & huc atq; illuc tergiuersantem, testimoniũ contra se dicere cogo. quid.n.restipulatio clamat?* QVOD.A.FLAVIO.ABSTVLERO PARTEM.DIMIDIAM.INDE. ROSCIO.SOLVTVRVM. SPONDEO.*tua vox est,Fanni. quid tu auferre potes à Flauio, si Flauius nihil debet? quid hic porro nunc restipulatur,quod iampridem ipse exegit? quid vero Flauius tibi daturus est,qui Roscio omne,quod debuit,dissoluit? cur in re tam veteri.in negotio tam confecto,in societate dissoluta.noua hæc restipulatio interponitur? quis est huius restipulationis scriptor? testis? arbiter? quis? tu, Piso:tu e-*

nim

nim Q. Roscium pro opera, pro labore. quod cognitor fuisset, quod vadimonia obisset, rogasti vt Fannio daret H-S ccc I ɔɔɔ, hac condicione, vt si quid ille exegisset à Flauio partem eius dimidiã Roscio dissolueret satis ne ista restipulatio dicere tibi videtur aperte, Roscium pro se decidisse? At enim forsitan hoc tibi veniat in mẽtem, repromisisse Fannium Roscio si quid à Flauio exegisset, eius partem dimidiam sed omnino exegisse nihil. Quid? tu non exitum exactionis: sed initium repromissionis spectare debes: neque, si ille persequi noluit, non, quod in se fuit, iudicauit Roscium suas, non societatis lites redemisse. Quid si tandem planum facio, post decisionem veterem Roscij post repromissionem recentem hanc Fannij H-S ccc I ɔɔɔ Fannium à Q. Flauio Panurgi nominè abstulisse? tamen diutius illudere viri optimi existimationi Q. Roscij audebit? paullo ante quærebam, id quod vehementer ad rẽ pertinebat, qua de caussa Flauius, cũ de tota lite faceret pactionẽ, neq; satis acciperet à Roscio, neq; iudicio absolueretur à Fannio. nunc vero, id quod mirum & incredibile est, requiro, quamobrem, cum de tota re decidisset cum Roscio, H-S ccc I ɔɔɔ separatim Fannio dissoluit. hoc loco, Saturi, quid pares respõdere, scire cupio; vtrum, omnino Fannium a Flauio H-S ccc I ɔɔɔ non abstulisse, an alio nomine, & alia de caussa abstulisse? si alia de caussa; quæ ratio tibi cum eo intercesserat? nulla. addictus erat tibi? non. frustra tempus cõtero. omnino, inquit, H-S ccc I ɔɔɔ à Flauio nõ abstulit, neque Panurgi nomine, neque cuiusquam. si planum facio, post hanc recentem stipulationem Roscij, H-S ccc I ɔɔɔ à Flauio te abstulisse, numquid caussæ est, quin ab iudicio abeas turpissime victus? quo teste igitur hoc planum faciam? venerat, vt opinor, hæc res in iudiciũ? certe. quis erat petitor? Fannius. quis reus? Flauius. quis iudex? Cluuius. ex his vnus mihi testis est producendus, qui pecuniam datam dicat. quis est ex his grauissimus? sine controuersia. qui omnium iudicio comprobatus est, iudex. quem igitur ex his tribus à me testem exspectabis? petitorem? Fannius est: contra se numquam testimonium dicet. reum? Flauius est: is iampridem est mortuus: si viueret, verba eius audiretis. iudicem? Cluuius est. quid is dicit? H-S ccc I ɔɔɔ Panurgi nomine Flauium Fannio dissoluisse. quem tu, si ex censu spectas, eques R. est: si ex vita, homo clarissimus est: si ex te, iudicem sumpsisti: si ex veritate, id, quod scire potuit, & debuit, dixit. nega, nega nunc, equiti R. homini

bone-

honesto iudici tuo, credi oportere. circumspicit, æstuat, negat nos Clunij testimonium recitaturos. recitabimus: erras: inani, & tenui spe te consolaris. recita testimonium T. Manilij, & C. Luscij Ocreæ, duorum senatorum, hominum ornatissimorum, qui ex Clunio audierunt.

EXPLANATIO.

REPROMITTIS} apparet omninò aliquid pecuniæ Fannium à Roscio accepisse, & propterea repromisisse, id est, spopondisse, ei se, si, quid à Flauio accepisset, dimidium daturum. QVID *hic porro*} Roscius NVNC} ab hinc triennium, loquitur vt de præsenti tempore, quia multo ante Roscius deciderat, & quia restipulationis verba proxime sunt recitata. RESTIPVLATVR,} cur stipulatione Fannium alligat Roscius, si pro tota societate, vt tu ais, ante annos quindecim cum Flauio decidit, & eum omni lite liberauit, omni iudicio absoluit. Hoc verbum, Restipulari, de Roscio hic, per stipulationem alligante Fannium, vsurpatur, paullò ante de Fannio, ei repromittente, & se per sponsionem obligante, infra: Qua, malum, stultitia fuit Roscius, qui ex iurisperitorum consilio, & auctoritate stipularetur à Flauio diligenter, vt, quod is exegisset à Flauio; dimidiam partem sibi dissolueret, siquidem sine cautione & repromissione nihilominus id Fannius societati, hoc est Roscio, debebat? OMNE, *quod debuit dissoluit?*} hæc enim criminatio tua est, Roscium cum Flauio pro tota societate decidisse. FANNIO *daret* H-S CCCIↃↃↃ,} quis credat, Flauio pro labore, quod cognitor fuisset, à Roscio tantum esse datum, quantum ipse accepit à Flauio pro damno Panurgi nece accepto? multo minus fuerit, necesse est: itaque, si reponeretur, H-S CCIↃↃ, moderata summa esset, scutati scilicet trecenti. EXEGISSE *nihil.*} hoc ita refellebat Cicero. Nihil exegit, quia litem prosequi noluit, sed cum Roscio repromisit, ei se, si quid à Flauio exegisset, partem eius dimidiam daturum, ostendit Roscium pro sua tantum parte decidisse. INITIVM *repromissionis*} originem, & caussam repromissionis Fannij. ideo enim repromisit, quia Roscium iudicabat

cabat pro sua parte, non pro societate, decidisse. NEQVE *iudicio absolueretur à Fannio.*} supra: Cur tam imperite facit, vt nec Roscium stipulatione alliget, neque à Fannio iudicio se absoluat? ADDICTVS *erat tibi?*} traditus à iudice, qui eum condemnauerat H-S cccIↃↃↃ. Addicti enim dicebantur, quos prætor damnatos creditori domum ducendos tradebat. vnde lib. II. de Orat. Quanti addictus? Mille nummum. Duas licet. Quam tamen consuetudinem ad hæc permansisse tempora non arbitror. nam Sulla dictatore C. Pompilius prætor pro debitoribus legem tulit, vt, qui bonam copiam eiurasset, in eum creditoris nulla potestas esset. Varro lib. VI. de lingua Lat. TESTEM *exspectatis?*} si cũ Fannio loquitur, Exspectas, rectius videtur, quam, Exspectatis; si cum Fannio, & eius amico Saturio, qui cõtra Roscium venit, aut etiam, si cum iudice Pisone, & ijs, qui aderant in consilio, recte legitur, Exspectatis. nã, Spectabis, vt est in vulgatis libris, mendosum esse constat. Nec placet, Exspectabis: quia vis in præsenti tempore maior est, quam in futuro. EX CENSV} equestris census fuit CD millia; id est, duodecim scutatorum millia. EQVES *Romanus est:*} ergo post legem Aureliam, quæ iudicia inter tres ordines communicauit, acta caussa est. POTVIT *& debuit,*} quia iudex fuit. QVI EX *Cluuio audierunt.*} apparet, cum hæc ageretur caussa, Cluuium abfuisse. nam, si adesset, testimonium eius recitaretur, non eorum, qui ex ipso audissent.

ORATIO.

VTRVM *dicis, Luscio, & Manilio, an & Cluuio non esse credendum? planius, atq; apertius dicam: vtrum Luscius & Manilius nihil de* H-S cccIↃↃↃ *ex Cluuio audierunt; an Cluuius falsum Luscio, & Manilio dixit? hoc ego loco, soluto & quieto sum animo: &, quorsum recidat responsum tuum, non magnopere laboro: firmißimis enim, & sanctißimis testimonijs virorum optimorum caussa Roscij communita est. si iam tibi deliberatum est, quibus abroges fidem iurisiurandi: responde. Manilio, & Luscio negas esse credendum? dic, aude. est tuæ contumaciæ, arrogantiæ vitæque vniuersæ vox. quid exspectas, quam mox*

ego Lucium, & Maniliũ dicam ordine esse senatores, ætate grandes natu, natura sanctos & religiosos, copijs rei familiaris locupletes, & pecuniosos? non faciam: nihil mihi detraham, cum illis exactæ ætatis seuerißime fructum, quem meruerunt, retribuam. magis mea adolescẽtia indiget illorum bona existimatione, quam illorum seuerißima senectus desiderat meam laudem. Tibi vero, Piso, diu deliberandum, & concoquendum est, vtrum potius Chereæ iniurato in sua lite, an Manilio, & Luscio iuratis in alieno iudicio credas. Reliquum est, vt Cluuium falsum dixisse Luscio, & Manilio contendat. quod si facit, qua impudentia est: eũne testem improbabit, quem iudicem probarit? ei negabit credi oportere, cui ipse crediderit? eius testis ad iudicem fidem infirmabit, cuius propter fidem & religionem iudicis testes comparabat? quẽ ego si ferrem iudicem, refugere non deberet; cum testem producam, reprehendere audebit? Dixit enim, inquit, iniuratus Luscio, et Manilio. si diceret iuratus, crederes: at quid interest inter periurũ, & mendacem? qui mentiri solet, peierare consueuit. quem ego, vt mentiatur, inducere possum, vt peieret, exorare facile potero. nam, qui semel à veritate deflexit, hic non maiore religione ad periurium, quam ad mendacium, perduci consueuit. quis enim deprecatione deorum, nõ conscientiæ fide, commouetur? propterea, quæ pœna ab dijs immortalibus periuro, hæc eadem mendaci constituta est. non enim pactione verborum, quibus iusiurãdum comprehenditur, sed ex perfidia, & malitia, per quam insidiæ tenduntur alicui, dij immortales hominibus irasci, et succensere consuerũt. At ego hoc ex contrario cõtendo. leuior esset auctoritas Cluuij, si diceret iuratus, quam nunc est, cum dicit iniuratus. tum enim forsitan improbis nimis cupidus videretur, qui, qua de re iudex fuisset, testis esset: nũc omnibus inimicis, necesse est, castißimus, & constantißimus esse videatur, qui id, quod scit, familiaribus suis dicit.

EXPLANATIO.

NIHIL *mihi detraham,* } qui adolescens, qui homines ætate grandes laudat, arroganter facit, & sibi potius detrahit: cum ipse magis illorum indigeat testimonio, quam illorum senectus eius laudem desideret. CONCOQVENDVM } statuendum. translatio à cibis, qui comeduntur, & concoquuntur. CVIVS *propter fidem* } ita coniunge: Cuius iudicis ob fidem & religionem.

gionem. HIC NON *maiore religione*} non plus huic in peierando, quam in mētiendo, religionis eſt: cui religio non eſt, mentiri, eidem, peierare, non eſt. DEPRECATIONE *deorum*,} qui deprecatione deorum in peierando, idem in mentiendo conſcientiæ fide commouetur. Deprecatur deos, id eſt alienat, à ſeque remouet is, qui peierat. ſic Deprecari bellum, ignominiā, & ſimilia, dicitur. NIMIS *cupidus*} gratificandi Roſcio. CASTISSIMVS,} integerrimus. ſupra Caſtus opponitur Periuro.

ORATIO.

DIC nunc, ſi potes, ſi res, ſi cauſſa patitur, Cluuium eſſe mentitum. mentitus eſt Cluuius? ipſa mihi veritas manum inijcit, & pauliſper conſiſtere, & commorari cogit. Vnde hoc totum ductum, & conflatum mēdacium eſt? Roſcius eſt videlicet homo callidus & verſutus: hoc initio cogitare cœpit: quoniā Fannius à me petit H.S ĺↃↃↃ, *petam à C. Cluuio, equite R. ornatiſſimo homine, vt mea cauſſa mentiatur; dicat deciſionē factam eſſe, quæ facta non eſt;* H.S CCCIↃↃↃ *à Flauio data eſſe Fannio, quæ data non ſunt. eſt hoc principium improbi animi, miſeri ingenij, nullius conſilij. quid deinde? Poſtea quam ſe præclare confirmauit, venit ad Cluuium, quem hominem? leuem? immo grauiſſimum: mobilem? immo conſtantiſſimum: familiarem? immo alieniſſimum. hunc poſtea quam ſalutauit, rogare cœpit, & blande & concinne ſcilicet: mentire mea cauſſa; viris optimis, tuis familiaribus, præſentibus dic Flauium cum Fannio de Panurgo decidiſſe; qui nihil tranſegit: dic* H.S CCCIↃↃↃ *dediſſe, qui aſſem nullum dedit. Quid ille? ego vero cupide & libenter mentiar tua cauſſa: &, ſi quando me vis peierare, vt paululum tu compendij facias, paratum fore ſcito. non fuit cauſſa, cur tantum laborem caperes, et ad me venires: per nuncium hoc, quod erat tam leue, tranſigere potuiſti. Pro deum hominumque fidem: hoc aut Roſcius vmquam à Cluuio petijſſet, ſi H.S millies in iudiciū haberet; aut Cluuius Roſcio petenti conceſſiſſet, ſi vniuerſæ prædæ particeps eſſet? vix medius fidius tu, Fanni, à Ballione, aut aliquo, eius ſimili, hoc poſtulare auderes, & impetrare poſſes: quod cū eſt veritate falſum, tum ratione quoque eſt incredibile. obliuiſcor enim Roſcium & Cluuium viros eſſe primarios: improbos, temporis cauſſa eſſe fingo. falſum ſubornauit teſtem Roſcius Cluuiū? cur tam ſero? cur, cum al-*

tera pensio soluenda esset, non tum, cum prima? nam iam antea H-S I ↃↃↃ *dissoluerat. deinde, si iam persuasum erat Cluuio, vt mentiretur; cur potius* H-S CCCIↃↃↃ, *quā* CCIↃↃↃ. CCCIↃↃↃ. CCCIↃↃↃ, *data dixit Fannio à Flauio, cū ex restipulatione pars eius dimidia Roscij esset?*

EXPLANATIO.

CONFIRMAVIT} in hac tam improba cogitatione. H-S MILLIES} tricies centena scutatorū millia. IN IVDICIVM *haberet:*} à iudicio exspectaret: si H-S millies in iudicio ageretur. locutio parum vsitata: quamquam, Esse in potestatem, simili fere modo dicatur. A BALLIONE,} ab impurissimo illo lenone, qui est apud Plautum in Pseudolo: de quo supra. ALTERA *pensio*} à Roscio soluēda Fannio. iam enim dictū est, conuenisse inter eos, rogante Pisone, vt Roscius Fannio, ꝑ opera, pro labore, ꝙ cognitor fuisset, quod vadimonia obisset, pecuniā solueret. eius pecuniæ soluta prima pensio erat, secunda restabat. NON TVM, *cum prima?*} nam, si subornare falsum testem Roscius Cluuium voluisset, certe subornasset potius ante, quam primam pensionem solueret. non enim eam soluisset, nisi Fannius ei dimidium eius dedisset, quod à Flauio exegisset. cuius restipulationis verba supra recitata sunt. H-S IↃↃↃ} vt in eo loco, Rogasti vt Fannio daret H-S CCCIↃↃↃ, videri pecuniæ nimium dixi, & legendū potius, CCIↃↃ; sic hoc in loco, vt ea pecunia diuidatur in pensiones duas, pro IↃↃↃ reponendum puto, IↃↃ.

ORATIO.

IAM *iam intelligis, C. Piso, sibi soli, societati nihil Roscium petisse. hoc cum sentit Saturius esse apertum, resistere, & repugnare contra veritatem non audet: aliud fraudis, & insidiarū in eodem vestigio diuerticulum reperit. petisse, inquit, suā partem Roscium à Flauio confiteor: vacuam, & integram reliquisse Fannij, concedo: sed, quod sibi exegit, id commune societatis factum esse contendo. quo nihil captiosius, neq; indignius potest dici. Quæro enim, potuerit ne Roscius ex societate suam partem petere, nec ne? si non potuit, quemadmodum abstulit? si potuit, quemadmodum non sibi exegit? nam, quod sibi petitur, certe alteri non exigitur. an ita*

ita est? si, quod vniuersæ societatis fuisset, petisset; quod tum exactum esset, æqualiter omnes partirentur: nunc, cum petierit quod suæ partis esset, non, quod abstulit, soli sibi exegit? Quid interest inter eum, qui per se litigat, & qui cognitor est datus? qui per se litem contestatur, sibi soli petit: alteri, nemo potest, nisi qui cognitor est factus. ita ne vero? cognitor si fuisset tuus, quod vicisset iudicio ferres tuum: suo nomine petijt, quod abstulit, tibi non sibi exegit? quod, si quisquam petere potest alteri, qui cognitor non est factus: quæro, quid ita, cum Panurgus esset interfectus, & lis contestata Flauio damni iniuria esset, tu in eam litem cognitor Roscij sis factus? cum præsertim ex tua oratione, quodcunque tibi peteres, huic peteres; quodcunque tibi exigeres, id in societatem recideret. quod si ad Roscium nihil perueniret, quod tu à Flauio abstulisses, nisi te in suam litem dedisset cognitorem: ad te peruenire nihil debet, quod Roscius pro sua parte exegit; quoniam tuus cognitor nõ est factus. quid enim huic rei respondere poteris, Fanni? cum de sua parte Roscius transegit cum Flauio, actionẽ tibi tuam reliquit, an non? si non reliquit, quemadmodum H-S CCCIↃↃↃ *ab eo postea exegisti? si reliquit, quid ab hoc petis, quod per te persequi & petere debes? simillima enim, & maxime gemina societas hereditatis est. quemadmodũ socius in societate habet partem: sic heres in hereditate habet partem. vt, heres sibi soli, non coheredibus petit: sic socius sibi soli, non socijs, petit: & quemadmodum vterque pro sua parte petit, sic pro sua parte dissoluit; heres ex sua parte, qua hereditatem adijt; socius ex ea, qua societatem coijt. quemadmodum suam partem Roscius suo nomine condonare potuit Flauio, vt eam tu non peteres: sic cum exegit suam partem, & tibi integram petitionem reliquit, tecum partiri non debet. nisi forte tu peruerso more, quod huius est, ab alio extorquere non potes, huic eripere potes. Perstat in sententia Saturius; quodcumque sibi petat socius, id societatis fieri. quod si ita est: qua, malum, stultitia fuit Roscius, qui ex iuris peritorum consilio & auctoritate restipularetur à Fannio diligenter, vt, quod is exegisset à Flauio, dimidiam partem sibi dissolueret; si quidem sine cautione, & repromißione nihilo minus id Fũnius societati, hoc est Roscio, debebat?*

Desiderantur non pauca.

EXPLANATIO.

IN EODEM *vestigio*} statim. sic, E vestigio dicitur. QVEMADMODVM *non sibi exigit*? } id est, ergo sibi exegit, non, quod tu ais, societati. LITEM *contestatur*, } litem intendit: accipit à prætore iudicium, vt litiget. QVOD *si quisquam petere potest alteri*, } alteri nemo petit, nisi qui cognitor est factus: Roscius cognitor non est factus: quo modo igitur tibi petijt? DAMNI *iniuria*} formulæ verba: & subaudiendum, Dati. supra: Lite contestata, iudicio damni iniuria constituto. QVOD CVMQVE *tibi peteres*, } cum esses cognitor Roscij. QVODCVMQVE *tibi exigeres*, } non cum esses cognitor Roscij, sed cum post aliquot annos sponsionem illam fecisti: Quod à Flauio abstulero, partem dimidiam inde Roscio me soluturum spondeo. NISI *te in suam litem dedisset cognitorem*: } inde enim accidit, vt pro opera, pro labore, quod cognitor fuisses, quod vadimonia obisses, pecuniam tibi Roscius, duabus pensionibus soluendam, rogante Pisone promitteret; tu autem cõtra, si quid à Flauio exegisses, dimidium eius te Roscio daturum repromitteres. AB EO} à Flauio. HVIC *eripere potes*. } quod falsum est. nam, vt à Flauio Roscij partem extorquere non posses, sic eam Roscio eripere non potes. quod, si posse te putas, peruerso more agis. aut enim vtrumque licet, aut neutrum. illud non licere constat, cur hoc licere vis? QVA, *malum, stultitia fuit Roscius*, } ante multos annos minima correctione, distinctione mutata, locum restitui. legebatur, & distinguebatur hoc modo: Quæ, malum, stultitia fuit? Roscius, qui. RESTIPVLARETVR *à Fannio*, } restipulationem sumeret à Fannio.

IN. ORATIONEM. CICERONIS. QVAE. DIVINATIO. DICITVR.

PAVLLI. MANVTII. COMMENTARIVS.

ARGVMENTVM.

ARGVMENTI *loco pauca dicam: quia Pedianus admodum diligenter hoc munus exsecutus est. C. Cornelius Verres (nam Corneliæ gentis eum fuisse, indicant lib. I. & III. libertorum nomina) per triennium Siciliæ præfuit; vbi cum amare multa, crudeliter, libidinose gessisset, repetundarum à Siculis postulatus est. ij sibi patronum ob eas caussas, quæ in hac oratione exponuntur, Ciceronem delegerunt. Sed cum accusandi munus ad se potius pertinere Q. Cæcilius Niger Siculus, qui Verris quæstor fuerat, contenderet; orta contentione, Cicero hanc orationem habuit, quæ Diuinatio dicitur; quia iudices, remotis testibus, & tabulis, argumenta sola sequantur, & quasi diuinent, vter debeat accusare.*

M. TVLLII. CICERONIS. DIVINATIO. IN. C. VERREM. SIVE. DE. CONSTITVENDO. ACCVSATORE.

ORATIO. IV.

SI QVIS *vestrum, iudices, aut eorum, qui adsunt, forte miratur, me, qui tot annos in caussis, iudicijsq; publicis ita sim versatus, vt defenderim multos, læserim neminem, subito nunc, mutata voluntate, ad accusandum descendere; is, si mei consilij caussam rationemque cognouerit, vna & id, quod facio, probabit, & in hac caussa profecto neminem mihi esse præponendum actorem putabit. Cum quæstor in Sicilia fuissem, iudices, itaque ex ea prouincia decessissem, vt Siculis omnibus iucundam, diuturnamque memoriam quæsturæ, nominisque mei relinquerem; factum est, vti cum summum in veteribus patronis multis, tum nõnullum etiam in me præsidium suis fortunis constitutum esse arbitrarentur, qui nunc populati, atque vexati, cuncti ad me publice sæpe venerunt, vt suarum fortunarũ omnium caussam defensionemq; susciperem. me sæpe esse pollicitum, sæpe ostendisse, dicebant, si quod tempus accidisset, quo tempore aliquid à me requirerent, commodis eorum me non defuturum. venisse tempus aiebant, non iam vt commoda sua, sed vt vitam salutemque totius prouinciæ defenderem: sese iam ne deos quidem in suis vrbibus, ad quos confugerent, habere, quod eorum simulacra sanctißima C. Verres ex delubris religiosißimis sustulisset: quas res luxuries in flagitijs, crudelitas in supplicijs, auaritia in rapinis, superbia in contumelijs efficere potuisset, eas omnes sese hoc vno prætore per triennium pertulisse: rogare, et orare, ne illos supplices aspernarer, quos me incolumi nemini supplices esse oporteret.*

EXPLANATIO.

SI *quis vestrum, iudices,*} qui de constituendo accusatore iudicabant, eosdẽ iudicare postea de reo consueuisse, exẽplo cognoscimus C. Marcelli: de quo sic infra: Scitis, qui est in cõsilio, C. Marcellus. De eodem autẽ lib. IV. Dedit igitur tibi fortuna Siculorum C. Marcellum iudicem. Iudicabant adhuc soli senatores ex lege L. Sullæ; qui & in equestrem ordinem, & in plebem, quia contra se pro Mario pugnauerant, victor acerbe in primis, adempta etiam iudicandi potestate, animaduertit. hoc autem anno à L. Aurelio Cotta prætore lata lex est de iudicijs inter tres ordines communicandis. AVT *eorum, qui adsunt,*} iudicia fiebant in foro, spectãte, & audiente populo, præsertim vbi orator clarus eloquẽtiæ fama caussam ageret. MIRATVR,} non inutilis est ratio occupandi, quæ videntur obstare: quæ πρόληψις dicitur. quod notauit Quinctilianus libr. IV. cap. I. TOT *annos*} caussa Verris acta est Cn. Pompeio Magno. M. Crasso cos. ad hos consules à L. Sulla, Q. Metello cos. quo anno primam caussam publicam egit pro Sex. Roscio, vndecim numerãtur anni: si duos cõprehendamus, vnum quo Sulla, & Metellus, alterum, quo Pompeius, & Crassus consules fuere: sin vtrumq; excipimus, quod mihi quidẽ non videtur: vtroq; enim Cicero caussas publicas egit; anni nouem erũt. è quibus biennium si demas, quo Cicero in Græcia fuit, & annum, quo quæstor in Sicilia: sex relinquẽtur, quibus Cicero in caussis, iudicijsq; publicis versatũ se dicit. nam, etsi libro de Claris orat. ita scriptum reliquerit: Cum igitur essem in plurimis caussis, & in principibus patronis quinquennium fere versatus, tũ in patrocinio Siciliensi maxime in certamen veni ædilis designatus cum designato consule Hortensio: nõ tamen ibi totum tempus significat, quod agendis caussis ab adolescẽtia dederat, sed illud tantum, quo, reuersus è Sicilia, (reuertit aũt L. Octauio, C. Aurelio Cotta cos.) versatus est in principibus patronis. quod eo patet dilucidius, quia Cicero, Quinquẽnium fere, dicit. nã ab Octauio & Cotta cos. quo anno, vt dixi, redijt è Sicilia,

cilia, ad Pompeiũ, Crassumq; cos. anni integri quattuor. quibus addita duorũ annorũ parte, eius, quo rediit è Sicilia, & eius, quo Verrẽ accusauit, quinquenniũ ferè fiet. IN CAVSSIS, *iudicijsq; publicis*} Iudicium publicum Iustinianus definit, cuius actio cuiuis de populo permittitur, tum scilicet, cum resp. læsa est, vt in crimine maiestatis, ambitus, repetundarum, peculatus, inter sicarios, quo parricidium includitur, veneficij, de vi publica. Atq; in eo Iustiniani loco adscribit acuti vir ingenij, summæq; doctrinæ: Publica ergo iudicia inde nomen trahunt, quod patent omnibus. Et subiungit: Eadem ratione popularia iudicia sunt publica. ex quo efficitur, vt alia sint iudicia publica ciuilia, alia criminalia. Idem in suis Paratitlis, Populares, inquit, actiones, & publica iudicia sunt: sed in vsu popularia plerumq; dicimus ciuilia siue forensia, publica criminalia, quæ ex populo quilibet subscribẽs in crimen iure ordinario intendere potest in pœnã certam, & legitimam. Video tamẽ esse, qui hanc Iustiniani sententiã in dubiũ vocarit; qua ratione adductus, mihi, non admodum acuto, parum constat. negat enim publici iudicij nomẽ inde natũ, quod cuiuis de populo liceat experiri: potius ab eo deducit, quia caussa publica sit, id est, quia quiuis de populo iniuriam acceperit. Quasi vero, cũ hoc dicit, Iustiniani opinionẽ refellat. verbis enim differunt, re ipsa, vt ego arbitror, consentiunt. quando enim cuiuis de populo licet experiri? quod Iustinianus de publico iudicio dixit. nimirũ, quando cuiuis de populo facta iniuria est. id autẽ accidit, cum resp. læditur. lædi enim non potest, nisi simul lædantur omnes. quod si ex hoc illud, id est, si ex publica iniuria priuata sequitur actio: cur in eo falli Iustinianũ existimem, quia spectauit id, quod sequitur, omisit, quod antecedit? isto sane modo tollantur enthymemata, quia semper aliquid omittunt, vnde etiam nomen acceperunt. At lege Lętoria, in eos lata, qui adolescentes circumscripsissent, publicũ iudiciũ rei priuatæ constitutũ est. Quid refert? priuata illa fuit iniuria: sed quia, decipere incautã ætatẽ, graue scelus visũ est, accusandi iure neminẽ excludi, item, vt in ijs criminibus,

minibus,quibus vniuersa resp.lędebatur,populo iure placuit:nec cœpit esse, Lætoria lege lata,publica res,q̃ priuata antea fuerat, vt ijdem interpretantur:sed priuatæ rei cœpit esse publicum iudiciū. quod ipsa quoq; lib. III. de Nat.De. Ciceronis verba perspicue demonstrant. Atque id tamen institutum in rep.Iustiniani temporibus obseruatum vix crediderim.proditum quidem, vnde suspicari liceat,nihil video.quo verecundius, ac timidius ad ea reprehendenda,quæ vel ipse,vel,vt creditur, eius nomine spectatæ sapientiæ viri litteris mandanda censuerūt, accedere nos decet.Exstitere alij,qui non definitionē,sed etymologiam à Iustiniano tradi iudicarunt: ipsi tamen de publici iudicij nomine non vnam, vt in re certa, sed quattuor,vt in dubia, caussas attulerunt:primam, quia leges eæ, quibus publica iudicia constituta sunt, publicæ dicantur:alteram,quia populi ipsius cognitio & animaduersio erat priscis temporibus,auctore Pomponio cap.2. de Orig.iur.tertiam,quia maxime ad remp.pertinet eorum facinorum vindicatio: quartam, quia legibus illis exsecutio,& accusatio publica effecta,id est,cuilibet è populo permissa est.Quarum,ego,caussarum quæ sit maxime probabilis,non disputo:hoc dico,quæ cum eo,quod à Iustiniano scriptum legimus, pugnet, earum, vt mihi quidem videtur, esse nullam. VERSATVS,} assiduitas quædam ostenditur hoc verbo. LAESERIM} accusauerim. Lædere enim dicitur, qui oratione detrahit, aut inuehitur in aliquem: vt lib. II. Te, omnium Siculorum patronum,vna Mamertina ciuitas,socia furtorum,ac flagitiorum tuorum,publice laudat,ita tamen nouo more, vt legati lædant, legatio laudet. In epist. ad Lentulum: Cum me disputantem,non lacessentem, læsisset, exarsi. Pro Fonteio, & Phil. X. Lædere, Laudare opponuntur. SVBITO} præter consuetudinem meam. NVNC} annos natus XXXVII. decet enim adolescentes accusatio, potius quam viros: & inter illa adolescentium officia, quæ valeant ad gloriam adipiscendam, accusationem Cicero numerat libro II. Offic. Accusauerat autem L. Crassus C. Carbonem,annum agens XIX,

C. Cæsar.

C.Cæsar Cn.Dolabellam annum XXI. Tacitus in dialogo de Orat. AD *accusandum descendere:* } habuit rationem loci. nam ex collibus, in quibus habitabant ingenui ciues, præsertim nobiliores, descensio erat in forum, vbi iudicia fiebant. propterea sæpe hoc verbum vsurpat Cicero, vt lib. III. in Verrē. Et in hoc homine sæpe à me quæris Hortensi, quibus inimicitijs, aut qua iniuria adductus, ad accusandum descenderim. Phil. II. Hodie non descendit Antonius. Phil. XII. Consul secum præsidio descensurum esse dixit. Phil. XIV. Scitis enim, per hos dies creberrimū fuisse sermonem, me cum fascibus descensurum fuisse. Pro Cluentio: Quod certissimis criminibus & testibus fretus ad accusandū descenderim. Pro Murena: Si quis hoc forte dicet, Catonem descensurum ad accusandum non fuisse, nisi prius de caussa iudicasset. Pro Cœlio: Sic constituetis, iudices, nec descensurum quemquam ad hanc accusationem fuisse, cui, vtrum vellet, liceret. In ep. Cœlij: Sine vllo subscriptore descendit, & Tuccium reum fecit. Horatius Ode I. lib. III. Carm. Descendat in campum petitor. Asconius in argumento pro Mil. Sedebat eo tempore Cn. Pompeius ad ærarium, perturbatusq; erat eodē illo clamore: itaq; Domitio promisit, se postero die cum præsidio descensurum. CAVSSAM, *rationemq;* } adiungitur ad caussam ratio, quia caussa, quæ non probetur, esse potest, ratio non potest: recte enim fit, quod ratio tuetur, ac probat. VNA } vel, Vna mecum; vel, Vna ad res duas, quæ subijciuntur, & ad duo verba, Probabit, Putabit, referatur: vt sit: Vna & probabit, quod ad accusandum descenderim, & actorem hac in caussa non modo Q. Cæcilium, qui mecum contendit, sed neminem prorsus mihi esse præponendū putabit. CVM *quæstor in Sicilia fuissem,* } ridenda potius, quam refellenda eorum opinio, qui putant Ciceronem in vrbe primum, deinde in Sicilia quæsturam gessisse: quasi per biennium quæstor esse potuerit. mos enim fuit, vt quæstores designati sortirentur, quę cuiusque cura vel in vrbe, vel extra vrbem in magistratu futura esse. iuisse autem statim initio magistratus quæstorem Ciceronem in Siciliam, Plutarchus in eius vita

significat:

ſignificat: nec vlla quęſturæ eius vrbanæ actio, nulla vmquam oratio nominatur: cum & conſul Murenam, & prætor Cluentium defenderit, Maniliam quoque rogationem ſuaſerit. Reſtat illa dubitatio, potuerit ne Cicero duobus prætoribus in prouincia quæſtor eſſe, Sex. Peducæo, auctore Pediano, & M. Curtio, ipſo auctore Tullio: qui ait in ea poſt red. in ſen. Iam T. Fadius, qui mihi quæſtor fuit, & M. Curtius, cuius ego patris quæſtor fui, ſtudio, amore, animo huic neceſſitudine non defuerunt. De qua dubitatione homines eruditi, optimeq́ue de litteris meriti, cum in ſuis libris aliquid attigerint; mihi tamen, vt, quod ſentio, dicam, id, quod opinātur, haud ſatis probant. nam nec in prouincia quæſtor, niſi poteſtas prorogetur, vltra annum eſſe; nec duo prætores, duove procōſules eodē anno eandem prouinciam adminiſtrare poſſunt. At Cicero nec vltra annum quæſtor in Sicilia fuit: & duos tamen, niſi mentitur Aſconius, quod equidem non arbitror, prætores habuit. Hoc ipſum eſt, vnde ego me non facile explico. nam, ſi dicam, Ciceronem dimidium anni in Sicilia fuiſſe Peducæo prætore, ne Aſconio fidem abrogem; & dimidium alterius Curtio; ne teſtimonium Ciceronis infirmem: valde mihi videar errare. ſic enim neceſſe erit, ſortitum iam Siciliam Ciceronē ſediſſe per ſex menſes in vrbe, prouinciali munere neglecto. citius crediderim è Sicilia deceſſiſſe Peducæum ante exitum anni, aliqua nobis obſcura cauſſa, ſenatu permittente, & ei ſtatim Curtium ſucceſſiſſe: ita Ciceronem eodem anno duobus prætoribus quæſtorem fuiſſe. quam difficultatem (nondum enim ipſe mihi plane ſatisfacio) miror à Pediano animaduerſam non eſſe. VT *Siculis omnibus iucundam, diuturnamq́ue memoriam quæſturæ, nominisq́; mei relinquerem.*} in oratione pro Plancio, & Plutarchus. IN *veteribus patronis multis*} Marcellis maxime, ortis ab eo, qui Syracuſas cepit, & ſeruauit. ſic Allobrogum ciuitatem Q. Fabij Sangæ patrocinio vti ſolitam, ſcribit Salluſtius: credo quod eos Q. Fabius Maximus vicerat, à quibus etiam Allobrogici cognomen accepit. fuit enim hęc Romanorum ducum humanitas, vt, quos bello ſuperaſſent, in cli-

in clientelam acceptos perpetuo tuerentur. quæ consuetudo tamquam hæreditas quædam ad posteros etiam pertinebat. quod Cicero ipse lib. I. Off. narrat. V T I *cum*} vsitata fuerunt, Cum, tum: cum, tum etiam: cum, tum vero: tum tum, tum, tum etiam. nec maiorem aut prius posteriore, aut posterius priore vim habuit. N O N N V L L V M *etiam in me*} minuit arrogantiam, quia veteribus Siculorum patronis, nobilitate, & virtute claris, quodam modo se comparare cœperat. Q V I *nunc populati, atq; vexati cuncti ad me publice sæpe venerunt, vt suarum fortunarum omnium caussam defensionemque susciperem.*} totam hanc sententiam oratorie amplificat. cum enim dicit, Populati, atque vexati, ostendit se misericordia moueri debuisse: cum subiungit, Cuncti, vniuersæ Siciliæ voluntate: cum, Publice, auctoritate ciuitatum: cum, Sæpe, precibus, & studio: cum, Fortunarum omnium, vita, ac salute. dicit enim infra: Venisse tempus aiebant, non iam vt commoda sua, sed vt vitam, salutemque totius prouinciæ defenderē. *Populati*: patiendi significatione: vt paullo post: Populatæ, vexatæ, funditus euersæ prouinciæ. *Defensionemque susciperem*: vitat accusatoris nomen: vt infra: Quæ videtur esse accusatio mea, non potius accusatio, quam defensio, est existimanda. defendo enim Siciliam totam. S AE P E} cum esset in Sicilia, & cum inde Romam decederet. nam in sola decessione polliceri sæpe non potuit. E S S E *pollicitum*,} fidem igitur implorabant: quam non præstare, flagitium est. S AE P E *ostendisse*} & hoc ad vniuersum quæsturæ tempus pertinet, non ad illud solum, quo decedens orationem habuit Lilybæi. Ostendisse, valet, spem verbis attulisse, vt in epist. ad Lentulum: Is, hac regia caussa excepta, ceteris in rebus se acerrimum tui defensorem fore ostendit. Et ad Varronem: Etsi munus flagitare, quamuis quis ostenderit, ne populus quidem solet, nisi concitatus. Q V O *tempore*} quod ad sententam attinet, otiosum est, Tempore, sed profecto, si quid ornat, otiosum id non est. ornat enim, aut saltem blanditur auribus eiusdem verbi repetitio: vt infra: Cum illius diei mihi venit in mentem, quo die, citato reo mihi dicendum

cendum sit. Et lib. II. Erant hæc ex eo genere, quod ego maxime genus ex sociorum litteris reperire cupiebam. Lib. IV. Domus erat ante istum prætorem nulla paullo locupletior, qua in domo hæc non essent. Lib. V. Scitote esse opidum in Sicilia nullum, quo in opido non isti ex aliqua familia non ignobili delecta ad libidinem mulier esset. Lib. II. Offic. Valetudo sustentatur noticia sui corporis, & obseruatione earum rerum, quæ res aut prodesse soleant, aut obesse. Ad Q. fr. lib. Diem scito esse nullum, quo die non dicam pro reo. VITAM *salutemque totius prouinciæ*} quod supra dixit: Suatum fortunarum omnium. NE DEOS *quidem*} nedum homines, ad quos confugerent in eiusmodi tempore. Act. I. Deum denique nullum Siculis, qui ei paullo magis affabre, atque antiquo artificio factus videretur, reliquit. EORVM *simulacra*} quasi, sublatis deorum simulacris, dij simul ipsi tollerentur: non quod re vera sic esset: sed quod, opem deorum imploraturi, ad eorum simulacra confugere solerent. quod hodie quoque fit. LVXVRIES *in flagitijs*,} quattuor ab eo, qui multis imperat, requiruntur, continentia, humanitas, benignitas, comitas. pro his quattuor virtutibus totidem eis contraria vitia contulit in Verrem: vt etiam lib. II. Cum perferre non possent luxuriem, crudelitatem, auaritiam, superbiam. EAS *omnes*} mire auget querellam Siculorũ. nam &, Omnes, dicit; &, Hoc vno prætore; &, Per triennium; &, Pertulisse. quæ vim habent singula. HOC *vno prætore*} cum vnus prætor esse non soleat per triennium. sed Verres, exspectatione Arrij successoris, qui non successit, vltra legitimum tempus, prorogato imperio, Siciliæ præfuit. Prætorias prouincias, video esse qui credant, annuas ex ea lege fuisse, cuius mentio fit Phil. I. sed ea lex à C. Cæsare post euersam rempub. lata est, amplius viginti annis post accusationem Verris. Quid igitur? non annuæ, cum accusatus est Verres, prætoriæ erant prouinciæ? Erant, itemque consulares, sed veteribus legibus. Quid igitur Cæsar tulit? ne prætoriæ prorogarentur, consulares autem in alterum duntaxat

taxat annum prorogationem haberent: cum vtrarumque prorogatio longior iam esse cœpisset, quam & mos maiorum,& reip.ratio postularet. atq; hanc legem Cicero ait optima etiam rep.sæpius esse flagitatam. ROGARE, *& orare,*} orantis preces plus ad mouendum valent, quam rogantis. oramus enim,cum suppliciter, & cum quadam reuerentia petimus: rogamus etiam blande,& familiariter. Asconius interpres: Rogare, vt hominem: orare, vt deos. iam enim, quibus id facerent, non habebant. Id mihi non placet. Quasi vero Ciceronem, vt caussam susciperet, deorum loco Siculi orarent. Concedo, erepta illis à Verre simulacra. quid tum? reliquerit ea Verres: non ideo Ciceronem Siculi orassent? aut quis credat, Siculos, cum Ciceronem rogârent, atque orarent, ad simulacra deorum, sibi adempta, respexisse? quam multos oramus, nihil de dijs cogitantes? vt lib. III. in Ver. Flentes rogare, atque orare cœperunt. Et in ep. ad Seruilium: Te oro, atque rogo, vt eum in reliquijs veteris negotiationis colligendis iuues. Est igitur orare, non tamquam à dijs petere, sed studiose, ac vehementer petere, quacumque de re,& à quocumq; homine petatur. SVPPLICES *aspernarer,*} ex persona Siculorum exprimit à se accusationis officium. nam aspernari Siciliam prouinciam, contumeliosum est; supplicem, inhumanum. ME *incolumi*} qui eos defendere & possem,& deberem. SVPPLICES *esse*} in tali re. nam, in omni re, arroganter diceret.

ORATIO.

TVLI grauiter, & acerbe, iudices, in eum me locum adductum, vt aut eos homines spes falleret, qui opem à me, atque auxilium exspectassent; aut ego, qui me ad defendendos homines ab ineunte adolescentia dedissem, tempore atque officio coactus ad accusandum traducerer. Dicebam, habere eos actorem Q. Cæcilium, qui præsertim quæstor in eadē prouincia post me quæstorem fuisset, quo ego adiumento sperabam hanc à me molestiam posse dimoueri, id mihi erat aduersarium maxime. nā illi multo mihi hoc facilius remisissent, si istum non nossent, aut si iste apud eos quæstor non fuisset. adductus sum, iudices, officio fide, misericordia, multorū bonorū exemplo, veteri consuetudine, institutoq; maiorū, vt onus

vt onus hoc laboris, atque officij non ex meo, sed ex meorum necessariorum tempore mihi suscipiē dum putarem. quo in negotio tamen illa me res, iudices, consolatur, quod hæc quæ videtur esse accusatio mea, non potius accusatio, quā defensio est existimanda. defendo enim multos mortales, multas ciuitates, prouinciam Siciliā totā. quamobrē si mihi vnus est accusandus, propemodum manere in instituto meo videor, & non omnino à defendendis hominibus subleuandisq; discedere. quod si hanc caussam tā idoneā, tā illustrē, tā grauem non haberē; si aut hoc à me Siculi non petissent, aut mihi cum Siculis caussa tantæ necessitudinis nō intercederet, & hoc, quod facio, me reip. caussa facere profiterer, vt homo singulari cupiditate, audacia, scelere præditus, cuius furta, atque flagitia nō in Sicilia solum, sed in Achaia, Asia, Cilicia Pamphylia, Romæ denique ante oculos omniū maxima turpissimaq; nossemus, me agente in iudiciū vocaretur: quis tandē esset, qui meum factum, aut cōsilium posset reprehendere? quid est, pro deum hominumq; fidem, in quo ego reip. plus hoc tempore prodesse possim? quid est, quod aut populo R. gratius esse debeat, aut sociis exterisq; nationibus optatius esse possit, aut saluti fortunisq; omnium magis accommodatum sit? populatæ, vexatæ, funditus euersæ prouinciæ: socij, stipendiarijque populi R. afflicti, miseri, iam nō salutis spem sed exitij solatiū quærunt. qui iudicia manere apud ordinē senatorium volunt, queruntur accusatores se idonoes nō habere. qui accusare possunt iudiciorū seueritatē desiderant. populus R. interea, tametsi multis incōmodis difficultatibusq; affectus est, tamē nihil æque in rep. atq; illam veterē iudiciorū vim grauitatemq; requirit. iudiciorū desiderio tribunicia potestas efflagitata est. iudiciorū leuitate ordo quoq; alius ad res iudicandas postulatur. iudicū culpa, atq; dedecore etiā censoriū nomen, quod asperius antea populo videri solebat, id nunc poscitur, id iā populare, atq; plausibile factū est. in hac libidine hominū nocentissimorum, in populi R. quotidiana querimonia, iudiciorū infamia, totius ordinis offensione, cum hoc vnum his tot incommodis remediū esse arbitrarer, vt homines idonei, atque integri caussam reip. legumque susciperent; fateor me salutis omnium caussa ad eā partē accessisse reip. subleuādæ, quæ maxime laboraret. nūc, quoniam, quibus rebus adductus ad caussam accesserim, demōstraui; dicendum necessario est de contentione nostra, vt in constituendo accusatore, quod sequi possitis, habeatis.

EXPLANATIO.

TVLI *grauiter, ac acerbe,* } auget oratorie significationem molestiæ suæ. nam grauia multa sunt, quæ nõ acerba: acerbũ vero si quid est, idẽ non modo graue, sed ita graue, vix vt ferri posse videatur. graue aũt, acerbũq; erat Cicerõi, vel supplices aspernari Siculos, sui amantissimos, quibus præsertim sæpe pollicitus esset, cõmodis eorum se non defuturum; vel, cum ad eam ætatem pro reis, non contra reos, dicere solitus esset, eorum rogatu ad accusandum descendere. Asconius distinguit: grauiter, quod accusare nollet: acerbe, quod Siculorum iniurijs affligeretur. Cum vtrumque Cicero coniunxerit ad indicandum dolorem suum, ex difficili, dubiaque deliberatione susceptum. EXSPECTASSENT; } promissis meis adducti. TEMPORE, *atque officio coactus* } tẽpore Siculorum, officio meo. Q. CAECILIVM } Nigrum, domo Siculum, vt ait Pedianus, libertinum hominem, vt Plutarchus. QVAESTOR } Verre prætore. IN EADEM *prouincia* } vt eum æque, ac me, nosse potuissent. POST *me* } vt eius memoria recentior apud eos deberet esse. QVO EGO *adiumento* } secundum argumentum in Cæcilium, à Siculorum voluntate. nam primum est, quod ad se cuncti, opem, atque auxilium petentes, publice sæpe venerint. SI ISTVM *non nossent,* } nam quia nouerant, nec probitati confidere, nec in eius eloquentia victoriæ spem locare posse videbantur. AVT SI *iste apud eos quæstor non fuisset.* } amare in Cæcilium: nam quęstura, innocenter gesta, cõciliat animos prouincialium, & vinculo quasi quodam beneuolentię coniungit. quod Siculis Cicero significauerat, cum diceret: Qui pręsertim quæstor in eadem prouincia post me quæstorem fuisset. OFFICIO, } quod ijs à me deberi videtur, apud quos quæstor fui. FIDE, } quia sæpe sum pollicitus, me commodis eorum non defuturum. MISERICORDIA, } propter acerbissimas iniurias, quas Verre prætore per triennium pertulissent. MVLTORVM *bonorum exemplo,* } L. Crassi, M. Antonij, clarissimorum oratorum, L. Luculli, &

lî,& Marci fratris eius, L. Cæsaris Strabonis, P. Sulpicij, L. Fusij: quos nominat lib. II. Off. VETERI *consuetudine, institutóque maiorũ* } quos imitatione dignos esse, nemo negat. in ijs, vt ceteri mittantur, M. Cato ille Censorius accusauit Ser. Sulpicium Galbam LABORIS, *atque officij* } quia laboris, molestum esse poterat: sed, quia simul officij, non molestum. lib. III. in Verr. Hoc ego plus habeo, quam qui ceteros accusarunt: si onus est id appellandũ, quod cum lætitia feras; ac voluptate. NON EX MEO, } non quia persequar iniurias meas: non enim ego læsus à Verre sum, aut mihi vllæ cum eo priuatim intercedunt inimicitiæ. QVO *in negotio tamen* } hactenus probauit, recusare se accusandi onus non potuisse: nunc ostendere conatur, potius defendere se, quam accusare. Laudat autem ipse lib. II. Off. eas accusationes tantum, quæ vel reip. caussa; vel patrocinij suscipiuntur: & huius accusationis in Verrem vtitur exemplo. VNVS } confert vnũ cum multis: inde colligit argumentum. Si vnum accuso, defendo multos: quid caussę est, quin actio mea defensio potius, quam accusatio, vocetur? QVOD *si hanc caussam,* } primã accusationis caussam ab officio, fide, misericordia deduxit; alterã sumit ab ipsa rep. q̃ nũc exponitur. TAM *idoneam,* } hoc ad æquitatem caussæ refero: Tam illustrẽ, ad prouinciæ Siciliæ nobilitatem: Tam grauem, ad maxima Verris crimina. NON *petissent,* } qui & petierunt, & cuncti, & publice, & sæpe. CAVSSA *tantæ necessitudinis* } orta ab eius quæstura: in qua negotiatoribus comem, mercatoribus iustum, municipibus liberalem, socijs abstinentem, omnibus in omni officio diligentissimum se præbuit. quod in ea pro Plancio, alibi etiã similé aliquid, de se ipso scriptũ reliquit. SINGVLARI *cupiditate, audacia, scelere* } summę improbitatis descriptio qua si per gradus ad summũ perducitur. nã, qui cupit, is si nõ audet, nihil turpe cõmittit. si vero ad cupiditatẽ accedat audacia, tũ facile scelus erumpit. *Cupiditate:* verbũ mediũ, qđ ad bonas, malasq; res æque accõmodatur. *Audacia:* ꝓprie de malis reb⁹. *Scelere:* generale de omnib⁹ vitijs C. Verris, supra nominatis, luxurie in flagitijs, crudelitatẽ

in supplicijs, auaritia in rapinis, superbia in contumelijs. Eiusdem generis est id, quod proxime sequitur, Furta, atque flagitia. nam, cum vnum Verris crimen, furta, nominasset, subiunxit, Flagitia, non luxuriem tantum notans, de qua dixit supra, quas res luxuries in flagitijs efficere potuisset, sed omnia simul Verris crimina comprehendens. Facit hoc interdum Cicero, vt ex parte totum intelligat. nã, vt flagitium à luxurie ad omnia crimina, sic scelus ab ea culpa, quæ committitur in deos, ad nefaria quæque deducit. quod, si cui propria sceleris significatio in dubium venit, audiat hæc in Verrem coniecta lib. IV. Vnum hoc crimen videtur esse, & à me pro vno ponitur: de Mercurio Tindaritano plura sũt: sed, ea quo pacto distinguere, ac separare possim, nescio. Est pecuniarum captarum: quod signum à socijs pecuniæ magnæ sustulit. Est peculatus: quod publice populi Romani signum, de præda hostium captum, positum imperatoris nostri nomine, non dubitauit auferre. Est maiestatis: quod imperij nostri gloriam, rerumque gestarũ monumenta euertere, atque asportare ausus est. Est sceleris: quod religiões maximas violauit. Est crudelitatis: quod in hominem innocentem, in socium nostrum, atque amicum, nouum, ac singulare supplicij gen⁹ excogitauit. PRAEDITVS] vsurpatur tam de malis, quam de bonis rebus. IN ACHAIA, *Asia, Cilicia, Pãphylia*] hæ quattuor prouinciæ nõ omnes ad imperium Dolabellæ proconsulis, cum quo Verres legatus profectus est, sed Cilicia tantum, & Pamphylia pertinebant: vt Act. I. Vexatorem Asiæ, atque Pamphyliæ. Nam interdum Asiæ nomẽ vsurpat pro ipsa Cilicia: vt etiam lib. I. Sese, cum esset trierarchus, & Verrem ex Asia decedẽtem prosequeretur, iussu Dolabellæ fuisse vna cum isto Sami. Et lib. II. Qui sociorum iniurijs, prouinciarumque incommodis doleat, is in te non expilatione Asiæ, vexatione Pamphylię, squalore & lacrumis Siciliæ, cõcitetur? Ciliciæ vero præfuisse Dolabellam, Cicero docet lib. I. in Verr. Postquam, inquit, Cn. Dolabellę Cilicia prouincia cõstituta est; o dij immortales, quanta iste cupiditate, quibus allegationib.

illam

illam sibi legationem expugnauit? Vellem quidem hoc in loco paullo vberior, ac dicã etiam, paullo accuratior Pediani fuisset interpretatio. nam, quod ait, Verrem in his quattuor prouincijs legatum & proquæstorem Dolabellæ flagitia multa commisisse: id ex parte verum, ex parte falsum est: verum, si de legato Verre; falsum, si de proquæstore, accipiatur. nam legatus erat, non proquæstor, cum per Achaiam, Asiamque transiuit, in Ciliciam cum proconsule suo Dolabella proficiscens. proquæstor autem fuit aliquanto post, quam in Ciliciam peruenit, Malleolo quæstore mortuo. ROMAE *denique, ante oculos omnium,*} argumentum. nam, si Romæ, ante oculos omniũ improbus, præsertim cum prætor esset vrbanus, quãto magis apud exteras nationes, longe ab oculis nostris? procliuiores enim ad peccandum sumus, impunitate proposita. MAXIMA, *turpissimaque*} quædam maxima, quæ necesse est eadem esse turpissima; quædam si non maxima, saltem turpissima. ME *agente*} me accusante. Honestiore vocabulo rem eam significat, quæ, veretur, ne reprehendatur, vt supra: In hac caussa neminẽ mihi esse præponendũ actorẽ putabit. NOSSEMVS,} vt explorata, ac certa. verbo enim vti voluit dubitationẽ excludente. MEVM *factum, aut consilium*} & accusationem ipsam, & accusandi caussam. Accusationis nomen, vt odiosum, vbique vitat. itaque, Meum factum, dixit. & supra, Id, quod facio. PRO *deum, hominumq; fidem,*} vtrum admiratur, an affirmat? vtrumq; simul: & in vtroq; testes adhibet deos, atq; homines: quorum fidei nõ credere, nefas est. Hoc *tempore*} quo vel nõ accusantur, qui socios nostros populãtur, vexãt, euertũt; vel absoluũtur. Hoc enim tacite significat, & idem infra paullo apertius. POPVLO *Romano*} nõ cõtẽto senatorijs iudicijs. Infra: In populi Romani quotidiana q̃rimonia, iudiciorũ infamia. MAGIS *accõmodatũ siti*} q̃ vt homines idonei, atq; integri caussã reip. iudiciorũq; suscipiant. Hoc enim latius patere voluiti, q̃ vt aut de se ipso tãtũ actore, aut de vno reo C. Verre acciperetur. paullo post. POPVLATAE, *vexatæ funditus euersæ*} sæpe amplificat orator. amplificatio aũt vel sim-

plex est,vel duplex:simplex,vt hic,& in ep. ad Balbū: Omnia promissa,cōfirmata,certa,& rata sunt.Ibidē:Vidi, cognoui,interfui.Lib.III.in Verr.Qui quęstor cōsulem suū,cōsilijs cōmissis,spoliare,relinquere,prodere,oppugnare ausus sit.In Catil.II. Abijt,excessit, euasit, erupit. Eadē ex cōiunctis,vt infra:Siciliā ꝓuinciā C.Verres per trienniū depopulatꝰ esse,Siculorū ciuitates vastasse, domos exinanisse,fana spoliasse, dicitur.Et subiūgit:Me defensorē calamitatū suarū,me vltorē iniuriarū,me cognitorē iuris sui,me actorē caussæ totiꝰ esse voluerūt.Et act.I.in Verr.Depeculatorē ærarij,vexatorē Asiæ,atq; Pāphyliæ,ꝓdonē iuris vrbani, labē,atq; perniciē prouinciæ Siciliæ.Et in Catil.I.Furentē audacia,scelus anhelātē,pestē patriæ nefarie molientē,vobis, atq; huic vrbi ferrū,flammāq; minitantē.Atq; huius quidē generis legentib.Ciceronis orationes prope innumerabilia occurrūt. Duplex illa pro Milone: Est.n.hæc, iudices, non scripta,sed nata lex,q̄ nō didicimꝰ, accepimꝰ,legimꝰ, verū ex natura ipsa arripuimꝰ,hausimꝰ,expressimus. SOCII, *stipēdiarijq́;* stipēdiarij distinguūtur à socijs,nō quod ipsi quoq; inter socios nō essent, sed, vt arbitror, quia cōdicione omniū deterrima.fuere enim sociorū tria genera,immunes,vectigales,stipēdiarij. id mihi videor ex ipso Cicerone posse colligere.nā lib.IV.in Verrē:Maiores,inquit,nostri facile patiebantur hæc esse quāplurima apud socios,vt imperio nostro quam ornatissimi,florentissimiq; essent. Hoc de socijs immunibus dici, quis non putet?cum sequatur: Apud eos autem,quos vectigales,aut stipendiarios fecerant,tamē hęc relinquebāt illi,quib.ea iucunda sunt,quę nobis leuia videbātur, haberent hæc oblectamēta, & solatia seruitutis Hęc Cicero:qui & in ea pro Balbo distinguit stipendiarios à fœderatis. Vectigal autē exigebatur ex decuma, portorio, pecore publico: vnde publicani, q. exigebant,decumani,portitores, pecuarij vocati: eorūq; tota ratio,scriptura, vt ait Asconius:de quo postea considerabimus. Stipendiū grauius quā vectigal. non enim certum,& inæquale,sed arbitrio populi Romani pendebatur.& in eadem prouincia ciuitates erant aliæ vectigales,aliæ stipēdiaræ. vtriusq; generis apud Pliniū leguntur

tur multæ. NON *salutis*} quã penitus amiſerunt. EXITII *ſolatium*} quod ſolatium? vt condemnentur ij, quorum ſcelere afflicti perditiq; ſunt. QVERVNTVR, *accuſatores ſe idoneos non habere.*} vt infamia ſe liberẽt, culpam autem in accuſatores conferant. *Idoneos*: infra referri videtur ad ingenium, diligentiam, eloquentiã, non ad probitatem. dicit enim: Vt homines idõnei, atq; integri cauſsã reip. legumque ſuſciperent. Hic ſignificantur omnia, quæ ab accuſatore poſtulantur: vt act. I. in Verrem, omnia, quæ à iudice: cum ait; Hic, ſi quid erit offenſum, omnes homines non iam ex eodem ordine alios magis idoneos, quod fieri non poteſt, ſed alium omnino ordinẽ ad res iudicandas quærendum arbitrabuntur. MVLTIS *incommodis,*} ademerat Sulla tribunis pl. poteſtatem capiendi alios magiſtratus, quam eis poſtea C. Cotta conſul reſtituit. ademerat & ius ferendarũ legum, intercedendi tamen reliquerat. qua de re ſic Cæſar lib. I. bel. ci. Nec tribunis pl. ſui periculi deprecandi, neq; etiam extremi iuris interceſsionem retinendi, quod L. Sulla reliquerat, facultas tribuitur. Idem paullo poſt: Sullam, nudata omnibus rebus tribunicia poteſtate, tamen interceſsionem liberã reliquiſſe; Pompeiũ, qui amiſsã reſtituiſſe videatur, bona etiã, quæ ante habuerat, ademiſſe. Tranſtulit idem Sulla ad ordinem ſenatoriũ iudicia, reiectis equitibus, qui lege Sempronia C. Gracchi cum ſenatoribus iudicabant. Ademit etiam populo comitia ſacerdotũ omnium, & eos collegiorũ arbitrio cooptari voluit, vt augures ab auguribus, flamines à flaminibus. IVDICIORVM *deſiderio tribunicia poteſtas efflagitata eſt.*} eam poteſtatem hoc ipſo anno conſul Pompeius reſtituerat. Efflagitata eſt autem à populo, vt eſſent tribuni pl. qui ſenatoribus iudicibus, male iudicantibus, diem ad populũ dicerẽt. exẽplum exſtat in oratione pro Cluẽtio L. Quinctij tribuni pl. qui C. Iuniũ, propterea quod minus honeſte iudicaſſet, in concionẽ arreptã condemnauit. Et act. I. in Verr. Contemnimur, inquit, à populo Romano, deſpicimur; graui, diuturnaq; iam flagramus infamia. neq; n. aliã ob cauſſam populus Rom. tribuniciam poteſtatẽ

tanto studio requisiuit: quam cum poscebat, verbo il-lam poscere videbatur, re vera iudicia poscebat. neq; hoc Q. Catulum, hominem sapientissimum, atque amplissi-mum, fugit: qui, Cn. Pompeio, viro fortissimo, & clarissi-mo, de tribunicia potestate referente, cum esset senten-tiam rogatus, hoc initio est summa auctoritate vsus: pa-tres conscriptos iudicia male, & flagitiose tueri: quod si in rebus iudicandis populi Romani existimationi satis-facere voluissent, non tantopere homines fuisse tribuni-ciam potestatem desideraturos. L E V I T A T E } impro-bitate, non dixit, vt iudicum animos verbo molliore mi-nus offenderet. Leuis autem iudex est, qui facile moue-tur, & de recta iudicandi via deflectit sic contra, Grauis iudex, in tuendo iure firmus, & constans. O R D O *quoque alius* } equester: sed, præter equestrem, additus est tertius tribuni ærarij, Aurelia lege. Et hic, vt leuius afficiantur iudices, nō dicit, Ordo alius, (excluderētur enim iudicijs senatores) sed, Ordo quoque alius: id est, qui vobiscum simul iudicet. A D R E S *iudicandas* } modus loquendi. act. 1 in Verrem: Alium omnino ordinem ad res iudicandas quærendum arbitrabuntur. Ibidem: Quod si in rebus iu-dicandis populi Romani existimationi satisfacere volu-issent. Lib. I I. Quos ij, qui seueriora iudicia desiderant, arbitrentur res iudicare oportere. Vbi antea, Reos iudi-care, mendose legebatur. Phil. I. Viri fortissimi, atque ho-nestissimi, qui ordines duxerunt, res & iudicāt, & iudica-uerunt. Cœlius ad Cic. In hac discordia video Cn. Pom-peium senatum, quique res iudicant, secum habiturū. Et alibi sæpe. I V D I C V M *culpa, atq; dedecore* } hic minus parcit iudicibus, quam supra: quia subiungit, quasi medi-cinam vulneris, censoriæ spem reuocandæ potestatis: quam senatui gratiorem fuisse, quam populo, sequenti-bus intelligitur: vel quia legerētur è senatu, vel quia, mo-ribus cum præessent vnde Magistri morum vocabantur, & in omnes pro cuiusque culpa animaduerterēt, maio-rem populo, qui est ad peccandum procliuior, quam se-natui, metum inijciebant. I D N V N C *poscitur,* } aliquot annis intermissum. restitutum est hoc anno à Pompeio,

& Craſ-

& Crasso cos. censoresque creati Gellius & Lentulus. TOTIVS *ordinis*} senatorij, penes quem iudicia sunt. IDONEI, *atque integri*} *idonei*, ad agendum; *integri*, ne corrumpantur. nam in eo, qui accusat, simul cum eloquentia requiritur integritas. REIP.} vt prouinciarum sociorumque saluti, condemnanda hominum nocentissimorum libidine, consulatur. LEGVM Q.} pœnas nocentibus irrogantium. FATEOR} vide modestiam, vel potius artificium oratoris. qua enim in re sibi laudem deberi, proximo ostendit superiore membro, in ea re subiungit, Fateor: quod est verbum excusantis, ac tuentis id, quod veretur, ne cui turpe videatur. & sequentibus quoque verbis accusationis nomen euitat, caussam rei pro ipsa re subijciens. poterat enim sententiam ita concludere: Fateor, me salutis omnium caussa ad accusandum descendisse: sed, vt dixi, maluit caussam, cur accuset, substituere: & hoc modo cōclusit: Fateor me salutis omnium caussa ad eam partem accessisse reip. subleuādæ, quæ maxime laboraret. sic lib. I. in Verrem: Mihi videor magnā, & maxime ægram, & prope depositam reip. partem suscepisse, neque in eo magis meæ, quam vestræ laudi, existimationiq; seruisse. QVIBVS *rebus adductus*} quattuor est adductus, officio, fide, misericordia, reip. caussa. NECESSARIO} excusari vult necessitate, propter ea, quę cum de se ipso, tum contra Cæcilium maxime dicturus sit. QVOD *sequi possitis*,} vtroque nostrum cognito, habebitis, quod sequi possitis in accusatore deligendo.

ORATIO.

EGO sic intelligo, iudices: cum de pecunijs repetundis nomen cuiuspiam deferatur, si certamen inter aliquos sit, cui potissimum delatio detur, hæc duo in primis spectari oportere; quē maxime velint actorem esse ij, quibus factæ esse dicantur iniuriæ; & quem minime velit is, qui eas iniurias fecisse arguatur. in hac caussa, iudices, tametsi vtrumque esse arbitror perspicuum, tamen de vtroque dicam, & de eo prius, quod apud vos plurimum debet valere; hoc est de voluntate eorum, quibus iniuriæ factæ sunt, quorum caussa iudicium de pecunijs repetundis est constitutum. Siciliam prouinciam C. Verres per triennium depopulatus esse. Si-

culorum ciuitates vastasse, domos exinanisse, fana spoliasse dici- tur. adsunt, queruntur Siculi vniuersi: ad meam fidem, quam ha- bent spectatam iam, & diu cognitam, confugiunt: auxiliumsibi per me à vobis, atque à populo R. legibus petunt: me defenso- rem calamitatum suarum, me vltorem iniuriarum, me cognito- rem iuris sui, me actorem caussæ totius esse voluerunt. Vtrum, Q. Cæcili, hoc dices, me non Siculorũ rogatu ad caussam accedere: an optimorum fidelissimorum sociorum voluntatem apud hos grauem esse non oportere? si id audebis dicere, quod C. Verres, cui te inimi- cum esse simulas, maxime existimari vult, Siculos hoc à me non petisse: primum caussam inimici tui subleuabis; de quo non præ- iudiciũ, sed plane iudicium iam factum putatur, quod ita percre- buit, Siculos omnes actorem suæ caussæ contra illius iniurias quæ- sisse. hoc si tu, inimicus eius, factum negabis, quod ipse, cui maxi- me hæc res obstat, negare non audet: videto, ne nimium familia- riter inimicitias exercere videare. deinde sunt testes viri clarissi- mi nostræ ciuitatis: quos omnes à me nominari non est necesse: eos, qui adsunt, appellabo: quos si mentirer, testes esse impudentiæ meæ minime vellem. scit is, qui est in consilio, C. Marcellus: scit is, quem adesse video, Cn. Lentulus Marcellinus: quorum fide, atque præ- sidio Siculi maxime nituntur, quod omnino Marcellorum nomini tota illa prouincia adiuncta est. hi sciunt, hoc non modo à me peti- tum esse, sed ita sæpe, & ita vehementer esse petitum, vt aut caus- sa mihi suscipienda fuerit, aut officium necessitudinis repudiandũ. sed quid ego his testibus vtor? quasi res dubia, aut obscura sit. ad- sunt homines ex tota prouincia nobilissimi, qui præsentes vos o- rant atque obsecrant, indices, vt in actore caussæ suæ deligendo vestrũ iudicium à suo iudicio ne discrepet. omniũ ciuitatum totius Siciliæ legationes adsunt, præter duas ciuitates: quarũ duarum si adessent, duo crimina vel maxima minuerentur, quæ cum his ciui- tatibus C. Verri communicata sunt.

EXPLANATIO.

CVM DE pecunijs repetundis nomẽ cuiuspiam deferatur, & quærat aliquis, cur hoc vno de crimine, non simul de ambitu, de maiestate, & reliquis: potest enim delato cuiuspiam nomine, non tam de repetundis, quã de quouis alio crimine, oriri certamen inter eos, qui ac- cusare cupiunt; vt inter P. Sullam, qui Gabinij nomen de

ambitu

ambitu detulerat, & L.Torquatum: de quo sic in ep. ad Att.lib.IV.Candidati consulares omnes rei ambitus: quẽ P.Sulla, non dubitans quin foris esset, postularat, contradicente, & nihilobtinente Torquato. Et in ep.ad Q.fr.lib. III. Gabinium de ambitu reum fecit P.Sulla, contradixit L.Torquatus, omnibusq; libentibus nõ obtinuit. Quibus in locis operæpretium est animaduertere, Postulare, &, Reum facere, idem esse, quod, reum deferre. id quod ex epistola quoque M. Cœlij, cuius initium est, Etsi de rep. licet intelligere. Sed, vt ad quæstionem redeam; si de quouis crimine Cicero locutus esset, locum non haberet id, quod sequitur, Quem maxime velint actorem esse ij, quibus factæ dicantur esse iniuriæ: quod proprie pertinet ad crimen repetundarum. NOMEN *cuiuspiam deferatur,*} nominis delationem sequebatur accusatio, accidebat autem interdum, vt, qui nomen detulerat, non accusaret. Ille nouitius Ligur, ait in oratione pro domo, nomen Sex. Propertij detulit, accusare, alienę damnationis, scelerisque socius, propter calumniæ metum, non est ausus. Et in ep. Cœlij: Inter postulationem, & nominis delationem vxor à Dolabella discessit. Quo loco videtur Cœlius pro accusatione postulationem vsurpasse. Cicero tamen, Postulauit, pro, nomẽ detulit, interdum dixit: vt monui supra CVI *potissimum delatio detur,*} cuius delatio probetur, id est, quis accusator constituatur. nam, delatione probata, sequitur accusatio. VTRVMQVE *esse arbitror perspicuum,*} nam & Siculi, & Verres ipse, suæ voluntatis non obscura signa dederant. de Siculis dictũ est supra; de Verre sic infra: At enim solum id est, vt me Siculi maxime velint: alterum illud, credo, obscurum est, à quo Verres minime se accusari velit. ecquis vmquam tam palam de honore, tam vehementer de salute sua cõtẽdit, q̃ ille, atq; illius amici, vt ne hæc mihi delatio detur? QVORVM *caussa*} quia sociorum caussa constitutum erat iudicium de pecunijs repetundis. DOMOS *exinanisse,*} à summis ad infima descendit: alibi ab infimis adscẽdit ad summa. quod vtrumq; valet ad ornãdum. Hic igitur à prouincia ad ciuitates, à ciuitatibus ad domos,

domos, id est, à toto ad partes, à partibus ad particulas: at supra, ab vna iniuria ad multas, à multis ad exitium: cũ dixit: Populatæ, vexatæ, funditus euersæ prouinciæ. SPECTATAM *iam, & diu cognitam,* } in quæstura. Non satis videbatur, Spectatã, nisi adderet, Cognitam: quam multa enim spectantur, quæ non cognoscuntur. plena vero, minimeque dubia cognitio est, quæ tempore confirmatur. ideo addidit, Diu. LEGIBVS *petunt.* } datę hoc legibus, non Siculis. COGNITOREM *iuris sui,* } procuratorabsentem, cognitor præsentem, defendit. & videtur in quacũque re, maxima, minima, procurator fuisse; cognitor in maiore tantum. testem habeo Ciceronem ipsum. nam lib. I. in Verrem, Credet, inquit, iis equitibus Romanis populus Romanus, qui ad vos antea producti testes, ipsis inspectantibus ab isto ciuem Romanum, qui cognitores homines honestos daret, sublatum esse in crucem dixerunt. Ibique Pedianus: Hoc genus defensionis in iure Cognitor dicitur, maxime cũ de alicuius statu agitur. sic Cicero Siculorum iuris in re maxima cognitor est: equites Romani cognitores eius erant, quem si ciuẽ Romanum esse testimonio suo probarent, sperabant à turpissimo mortis genere posse liberari. Nam, quod Pedianus dixit, Maxime cũ de alicuius statu agitur: habuit rationem eius loci, quem interpretabatur: agebatur enim de statu, & condicione hominis in summo vitæ discrimine constituti: sed omnem significatiouem, quæ cadit in cognitoris nomen, haud omnino comprehendit. non enim, vt arbitror, ad statum Siculorum Ciceronem respexisse, cum dixit, Me cognitorem iuris sui, quisquã putabit, sed ad iniurias, quas Verre prætore pertulerant. quamquam Pedianus excusatione prorsus carere non videtur: aliquam enim significationem excludit, cum ait, Maxime. NON *præiudicium. sed planè iudicium* } Præiudicium interdum est signum, & iudicium iudicij futuri. nam, si constat, Siculos omnes actorem suæ caussæ quæsisse, apparet, vniuersam Siciliam à Verre populatam, atque vexatam. interdum est iudicium, quod in vno factum, alteri, qui reus eodem crimine futurus est, vehemẽ

ter

ter nocet. huius generis est illud pro Cluentio: Quid est, quod iam de Oppianici caussa plura dicamus? apud eosdem iudices reus est factus, cum is duobus præiudicijs iã damnatus esset. Ibidem: Qui ceteros, nullo præiudicio facto, tamen ex ipsa caussa cõdemnassent; hunc, quem bis condemnatũ iã acceperant, liberarẽt? Paullo post: Quod si hoc videtis, illo iudicio reum condemnari, præsertim ab ijsdem iudicibus, qui duo præiudicia fecissent, necesse fuisse: simul illud videatis, necesse est, nullam accusatori caussam esse potuisse, cur iudicium vellet corrumpere. Eodem sensu Suetonius in Iulio: Quæstor eius in præiudicium aliquot criminibus arreptus est. ACTOREM *suæ caussæ* } modeste: cum dicere debuerit. Me actorem suæ caussæ. nam illud refellit: Si dicere audebis, Siculos hoc à me non petisse. Et infra subiungit: Hi sciunt, hoc non modo à me petitum esse, sed ita sæpe, & ita vehementer esse petitũ, vt aut caussa mihi suscipienda fuerit, aut officium necessitudinis repudiandum. Quod tamen ipse omisit, intelligitur. NIMIVM *familiariter* } nõ vt eum decet, qui accusat. Video, inquit, ne, cui te inimicum esse profiteris, ei amicus esse videaris. Idem supra: Caussam inimici tui subleuabis. C. MARCELLVS: } cum essent alij Marcelli, Siculorum patroni; tamen hic solus nominatur, & quia iudex erat, & quia dignitate p̃stabat: præturã enim gesserat, & ex prætura in Sicilia cũ imperio fuerat: quo tempore multa in Siculos officia cõtulerat. Lib. III. in Verrem: C. Marcelle, te appello. Siciliæ prouinciæ, cum esses proconsul, præfuisti. Et lib. IV. Equestres sunt medio in foro Marcellorum statuæ: ex quibus iste C. Marcelli statuam delegit: cuius officia in illa ciuitate, totaq; prouincia recentissima erant, & maxima. Is igitur C. Marcellus pater eius fuit, qui cum L. Paullo consulatum gessit. augurem fuisse, ex lib. II de Diuin. cognoscitur: & Ciceronis ad eum epistola lib. XV. Collegæ, inscripta est. Erat, cum hæc Cicero dixit, alter C. Marcellus, cognomine Aeserninus adolescens, quem ab eo, qui iudex hac in caussa sedit, diuersum fuisse, ex lib. IV, in Verrem satis patet. CN. LENTVLVS *Marcellinus*: } Cor-

Corneliæ gentis, qui consulatum gessit cum L. Philippo: transiuit per adoptionem à Claudijs Marcellis ad Cornelios Lentulos: itaque duobus cognominibus vsus est. ideo dixit Pedianus, Marcellum, & Marcellinum, gentiles inter se fuisse. QVORVM} quia Marcellinus, item vt Marcellus, à vetere Siculorum patrono, qui Syracusas victor seruauit incolumes, à M. Marcello originem ducebat. PRAESIDIO} virtutem significat. A SVO *iudicio*} de me enim iudicant, id quod eorum preces declarant, non modo Cæcilium potius, quam me, sed omnino, præter me, actorem suæ caussæ quemquam à vobis non esse deligendum. Huc pertinet illud, dictum supra in ostēdenda Siculorū volūtate: Rogare, & orare, ne illos supplices aspernarer, quos, me incolumi, nemini supplices esse oporteret. PRAETER *duas ciuitates*:} Verris prædarum, furtorumque socias: quæ non modo contra Verrem legationes non miserant, verum etiam pro ipso miserant. eæ fuere Mamertina, & Syracusana. de Mamertina sic lib. IV. Mamertina ciuitas istum publice communi consilio sola laudat: omnibus iste ceteris Siculis odio est; ab his solis amatur. Et ibidem: Hæc ciuitas isti prædoni, ac piratæ Siciliensi Phaselis fuit. huc omnia vndique deportabantur, apud istos relinquebantur: quod celari opus erat, habebant sepositum, ac reconditum: per istos, quæ volebat, in nauem clam imponenda, occulte exportanda curabat: nauem denique maximam, quam onustam furtis in Italiam mitteret, apud istos faciendam, ædificandamque curauit. Et paullo post: Hinc illa crux, in quam ciuem Romanum iste, multis inspectantibus, sustulit: quam non est ausus vsquam defigere, nisi apud eos, quibuscum omnia scelera sua, ac latrocinia communicasset. De Syracusana autem sic eodem libro: Existimabam, vt Romæ ex istius amicis acceperam, ciuitatem Syracusanam propter Heraclij hereditatem non minus isti amicam, quam Mamertinam, propter prædarum, ac furtorum omnium societatem. Et paullo post: Respondi, neque Romæ in conuentu Siculorum, cum à me auxilium

xilium communi omnium legationum consilio petebatur, caussaque totius ad me Siciliæ deferebatur, legatos Syracusanorum affuisse. Et proxime: Eosdem Romæ fuisse legatos, illius adiutores improbitatis, socios furtorum, conscios flagitiorum. DVO *crimina* } vnum cum Mamertinis, alterum cum Syracusanis communicatum. in quo recte Pedianus: Duo crimina, generaliter: nam multa sunt.

ORATIO.

ATENIM *cur à me potissimum hoc præsidium petiuerūt? si esset dubium, petissent à me præsidium, nec ne, dicerem, cur petissent: nunc vero, cum id ita perspicuum sit, vt oculis iudicare possitis, nescio, cur hoc mihi detrimēto esse debeat, si id mihi obijciatur, me potissimum esse delectum. verum id mihi non sumo, iudices, & hoc non modo in oratione mea non pono, sed ne in opinione quidem cuiusquā relinquo, me omnibus patronis esse præpositum. non ita est: sed vniuscuiusque, temporis, valetudinis, facultatis ad agendum, ducta ratio est. mea fuit semper hæc in hac re voluntas, & sententia, quemuis vt hoc mallent, de ijs, qui essent idonei, suscipere, quam me; me vt mallent, quam neminem. Reliquum est, iam vt illud quæramus; cum hoc constet, Siculos à me petisse, ecquid hanc rem apud vos, animosque vestros valere oporteat, ecquid auctoritatis apud vos in suo iure repetundo socij populi R. supplices vestri habere debeant. de quo quid ego plura commemorem? quasi vero dubium sit, quin tota lex de pecunijs repetundis sociorum caussa constituta sit. nam, ciuibus cum sunt ereptæ pecuniæ, ciuili fere actione, & priuato iure repetuntur: hæc lex socialis est. hoc ius nationum exterarum est: hanc habent arcem, minus aliquanto nunc quidem munitam, quam antea; verumtamen, si qua reliqua spes est, quæ sociorum animos consolari possit, ea tota in hac lege posita est. cuius legis non modo à populo R. sed etiam ab vltimis nationibus, iampridem seueri custodes requiruntur. quis igitur est, qui neget oportere eorum arbitratu lege agi, quorum caussa lex sit constituta? Sicilia tota, si vna voce loqueretur, hoc diceret: quod auri, quod argenti, quod ornamentorem in meis vrbibus, sedibus, delubris fuit, quod in vnaquaque re beneficio senatus populiq́ue R. iuris habui, id mihi tu, C. Verres, eripuisti, atque abstulisti. quo nomine abs te sestertium*

millies

millies ex lege repeto. si vniuersa, vt dixi, prouincia loqui posset, hac voce vteretur. quoniam id non poterat, harum rerum actorē, quem idoneum esse arbitrata est, ipsa delegit. in huiusmodi re quisquam tam impudens reperietur, qui ad alienam caussam, inuitis ijs, quorum negotium est, decedere, aut adspirare audeat? Si tibi, Q. Caecili, hoc Siculi dicerent; te non nouimus, nescimus, qui sis; nūquam te antea vidimus. sine nos per eum nostras fortunas defendere, cuius fides est nobis cognita: non ne id dicerent, quod cuiuis probare deberent? nunc hoc dicunt, vtrumque se nosse, alterum se cupere defensorem esse fortunarum suarum, alterum plane nolle. cur nolint, etiam si tacent, satis dicunt. verum non tacent. tamen his inuitissimis te offeres? tamen in aliena caussa loquere? tamen eos defendes, qui se ab omnibus desertos potius, quam abs te defensos esse malunt? tamen his operam tuam pollicebere, qui te neq; velle sua caussa, nec si cupias, posse arbitrantur? cur eorum spem exiguā reliquarum fortunarum quam habent in legis & iudicij seueritate positam, vi extorquere conaris? cur te interponis inuitissimis ijs, quibus maxime lex consultum esse vult? cur, de quibus in prouincia non optime es meritus, eos nunc plane fortunis omnibus conaris euertere? cur ijs non modo persequendi iuris sui, sed etiam deplorandae calamitatis adimis potestatem? nam, te actore, quem eorum affuturum putas, quos intelligis, non vt, per te alium, sed vt per aliquem te ipsum vlciscantur, laborare?

EXPLANATIO.

A ME *potissimum*} omissis veteribus patronis. OCVLIS *iudicare*} quod mentis est, ad oculos trāsfert: alibi, quod est animi, ad oculos: vt ep. ad Lucceiū: Cerno iam animo, quanto omnia vberiora, atque ornatiora futura sint. DETRIMENTO} apud vos in actore deligendo. ET HOC *non modo in oratione mea non pono, sed ne in opinione quidem cuiusquam relinquo,*} simile illud infra: In quo ego quid eniti, aut quid efficere possim, malo in aliorum spe relinquere, quam in oratione mea ponere. OMNIBVS *patronis*} de patronis tantum Siculorum, ac de solis etiam Marcellis loquitur, non de omnibus, qui sunt in ciuitate: quod sequentibus intelligitur. TEMPORIS, *valetudinis, facultatis ad agendum,*} egregie Pedianus: Temporis, Marcelli iudicantis tunc: valetudi-

nis,

nis, Marcellini, quod erat tunc infirmior valetudine corporis: facultatis, alterius Marcelli, iuris magis studiosi, quam eloquētiæ. Alterum Marcellum, cuius nomen Pedianus omittit, arbitror esse M. Marcellum, qui cum C. Aquillio, L. Lucilio, P. Quinctilio, de caussa P. Quinctij tamquam iurisconsultus iudicauit. &, vt arbitror, idem est, qui lib. I. in Verrem nominatur, & qui C. Marcelli Aeserníni pater fuit: vt in Bruto. DVCTA *ratio est.* } à Siculis: qui non contempsere veteres patronos, sed varijs caussis, ne opem & auxilium ab ijs peterent, adducti sunt. Marcellinus inter Siculorum patronos numeratur, quia Marcellus, ante quam adoptaretur, fuerat, & Marcellini cognomen, vt Marcellus fuisse videretur, assumpserat. supra quoque, cum eum Cicero vt Siculorum patronum nominasset, subiecit: Omnino Marcellorū nomini tota illa prouincia adiuncta est. Et in ep. ad C. Marcellum consulem, lib XV. Marcellos, Marcellinosq; coniungit; in mentione Marcellorum, genus cognoscens; in Marcellinis, Marcellorum nomen. nam substituit: Mirificus enim generis ac nominis vestri fuit erga me semper animus. VOLVNTAS, } quod ad me attinet, alienus ab accusando sum: sed officio, fide, misericordia vincor. SENTENTIA, } debere eos iudicabam ab alijs hoc petere potius, quam à me. DE IIS, *qui essent idonei,* } quorum in numero Cæcilius non est. QVAM *neminem.* } cum omnino eos, nullo defensore, destitutos, & abiectos iacere, neque vellem, neq; æquum esse iudicarem. nam, quod Cæcilius actionem sibi postulat: idoneorum excluditur numero. IN SVO *iure repetundo* } cum iudicium repetundarum postulant, suum ius repetunt: nam sociorum caussa iudicium illud legibus est constitutum. LEX } Cornelia L. Sullæ de pecunijs repetundis. lata primum est à L. Calpurnio Pisone tribuno pl. ante annos centum, Censorino & Manilio cos. vt lib. II. & III. Off. & in Bruto. CIVILI *fere actione* } cuius enim cum ciue ad prætorem vrbanum contendit. PRIVATO *iure* } non publico iudicio: cū & inter priuatos, & de re priuata controuersia fit. HANC *habent arcem,* } quæ vexatos

P acci-

accipiat, ac defendat. NVNC *quidem*} quia iudicia turpiter, & flagitiose fiunt. MVNITAM,} apte: quia dixerat, Arcem. QVAM *antea*;} cum equites vobiscum lege C. Gracchi iudicarent. IN HAC *lege*} restituit sibi animos iudicum, parumper offensos antecedētibus verbis. quamquam in eo quoque modum tenuit. non enim dixit, Minus munitam, sed aliquanto minus. NON *modo à populo Romano*,} de quo supra: Quid est, quod aut populo Romano grauius esse debeat, aut socijs exterisque nationibus optatius esse possit? Hic Pedianus, quod equidē miror, populum Romanum à socijs non distinguit. VLTIMIS *nationibus*} vltimi imperij nostri. quo modo Vltimas terras vocat Hispaniam in ep. ad Lentulum: Recordare, inquit, quibus laudationem ex vltimis terris miseris. HOC *diceret*:} hæc alienæ personæ loquentis inductio mire non solum ornat, sed etiam quodā modo excitat orationē. vsus est ea Cicero lib. V. in Verrem: En ꝗ Tindaritani libenter prædicent: Nos in septemdecim populis Siciliæ nō eramus: nos semper in omnibus Punicis, Siciliensibusque bellis amicitiam fidemque populi Romani secuti sumus: à nobis omnia populo Romano semper & belli adiumenta, & pacis ornamenta administrata sunt. Ibidē paullo post: Ipse pater si iudicaret, per deos immortales quid facere posset, cū tibi hæc diceret: Tu in prouincia populi Romani prætor, cū tibi maritimum bellum esset administrandum, Mamertinis, ex fœdere quam deberent, nauem per triennium remisisti. In Catil. I. Si mecum patria, quæ mihi vita mea multo est carior, si cuncta Italia, si omnis resp. loquatur: M. Tulli, quid agis? Et illa Appij Cæci ad P. Clodij sororem, in oratione pro Cœlio: Mulier, quid tibi cum Cœlio? quid tibi cum homine adolescentulo? quid cum alieno? Nec inconcinne Porcius Latro in Catil. Per deos immortales oro te, Catilina, si patria tecū his vocibus vteretur, quid esses illi, quæso, responsurus? Ego te paruulum, Catilina, cum in primis ornatissimo genere nasci voluissem, &c. SEDIBVS,} quid, si, Aedibus? vt sit transitus ab vrbibus ad domos: deinde sequantur delubra. quem ordinem

supra scruauit in eo: Ciuitates vastasse, domos exinanisse, fana spoliasse. Et lib. IV. in Verr. Nihil in ædibus cuiusquam, ne in opidis quidem, nihil in locis cõmunibus, ne in fanis quidem, nihil apud Siculũ, nihil apud ciuem Romanum, denique nihil istum, quod oculos animumque accenderit, neque priuati, neque publici, neq; profani, neq; sacri, tota in Sicilia reliquisse. BENEFICIO *senatus* } Senati, legit Carisius lib. I. H-S MILLIES } subtilior numerandi ratio, & examinatum diligenter auri pondus. tricies centena scutatorum, significari demonstrat. Est autem, H-S millies, concisum, quod &, Millies, dicebatur, vt in Philippicis; Septies, pro Septies millies centena millia. breuitatis enim caussa omittebant, Centena millia. Auget hic ὑπερβολικῶς, quia loquitur ex persona Siciliæ. nam ipse act. 1. in extremo, Verrem è Sicilia quadringenties H-S contra leges abstulisse, dicit. AVT *adspirare* } cupiditas hoc verbo cum inani conatu ostenditur: vt infra: De isto custode toto sic vobis breuissime respondebo; non esse hos tales viros commissuros, vt ad caussam tantam, à me susceptam, mihi creditam, quisquam subscriptor me inuito adspirare possit. Et libro Quinto: Quo neque Carthaginẽsium gloriosissimæ classes, cum mari plurimum poterant, multis bellis sæpe conatæ, vmquam adspirare potuerunt. Et in Bruto: Ex bellica laude adspirare ad Africanum nemo potest. In epist. ad Trebatium: Subinuideo tibi, vltrò te etiam accersitum ab eo, ad quem ceteri, non propter eius superbiam, sed propter occupationem, adspirare non possunt. Tusc. V. Occupaui te fortuna, omnesque tuos aditus interclusi, vt ad me adspirare nõ posses. Quibus exemplis; (vt alia omittantur) quæ sit huius verbi proprietas, intelligitur. VTRVMQVE *se nosse*, } æque contra Cæcilium, quia Siculis notus sit, vt si notus non esset. sententia similis pro Deiotaro: Quẽ profectò is, qui optime nostros homines nouit, vel quia non nosset, vel, si nosset, contẽneret. Est autẽ Cæcilij maior vituperatio, quia reijcitur à Siculis vt notus, quã si reijceretur vt ignotus. DESERTOS *potius*, } abundare omnino videtur, Potius, cum sequatur;

Malunt:sed alibi quoque modus idem loquendi reperitur. NEQVE *velle sua caussa,*} infra: De quibus in prouincia non optime es meritus. CONARIS *euertere?*} aut, quod accusare vis; cum ea tibi, quæ ad accusandum requiritur, facultas desit: aut, quod accusatorem te fingis, cum præuaricator futurus sis. DEPLORANDAE *calamitatis*} in iudicio. te enim caussam agente, Siculi non aderunt. TE IPSVM} ad ea, quæ in Sicilia quæstor commisisti.

ORATIO.

ATENIM *solum id est, vt me Siculi maxime velint: alterum illud credo obscurum est, à quo Verres minime se accusari velit. ecquis vnquam tam palam de honore, tam vehementer de salute sua contendit, quam ille, atque illius amici, vt ne hæc mihi delatio detur? sunt multa, quæ Verres in me esse arbitratur, quæ scit in te, Q. Cæcili, nõ esse: quæ cuiusmodi in vtroque nostrum sunt, paullo post cõmemorabo: nunc tãtum id dicam, quod tacitus tu mihi assentiare, nullã rem in me esse, quã ille contemnat, nullam in te, quam pertimescat. itaque magnus ille defensor, & amicus eius, tibi Hortensius suffragatur, me oppugnat: aperte ab iudicibus petit, vt tu mihi anteponare: & ait, hoc se honeste, sine vlla inuidia, ac sine vlla offensione contendere. nõ enim, inquit, illud peto, quod soleo, cũ vehemẽtius contendi, impetrare: reus vt absoluatur, non peto: sed vt ab hoc potius, quam ab illo accusetur, id peto. da mihi hoc: concede, quod facile est, quod honestũ, quod nõ inuidiosum: quod cum dederis, sine vllo tuo periculo, sine infamia illud dederis, vt is absoluatur, cuius ego caussa laboro. & ait idem, vt aliquis metus adiunctus sit ad gratiam, certos esse in consilio, quibus ostendi tabellas velit: id esse perfacile: non enim singulos ferre sententias, sed vniuersos constituere: ceratam vnicuique tabellam dari cera legitima, non illa infami, ac nefaria. atque is non tam propter Verrem laborat, quam quod eum minime res tota delectat. videt enim, si à pueris nobilibus, quos adhuc elusit, si à quadruplatoribus, quos non sine caussa contempsit semper, ac pro nihilo putauit, accusandi voluntas ad viros fortes, spectatosq; homines translata sit, se in iudicijs dominari non posse. huic ego homini iam ante denuncio; si à me caussam hanc vos agi volueritis, rationem illi defendendi totam esse mutandam, & ita*

tamen

tamen mutandam, vt meliore, & honestiore condicione sit, quam qua ipse esse vult; vt imitetur homines eos, quos ipse vidit, amplissimos, L. Crassum, & M. Antonium, qui nihil se arbitrabantur ad iudicia caussasq; amicorum praeter fidem, & ingenium, afferre oportere. nihil erit, quod me agente arbitretur iudiciũ sine magno multorum periculo posse corrumpi. ego in hoc iudicio mihi Siculorum caussam receptam, populi R. susceptam esse arbitror: vt mihi non vnus homo improbus opprimendus sit, id quod Siculi petiuerunt, sed omnino omnis improbitas, id quod populus R. iam diu flagitat, exstinguenda, atq; delenda sit. in quo ego quid eniti, aut quid efficere possim, malo in aliorum spe relinquere, quam in oratione mea ponere. Tu vero, Caecili, quid potes? quo tempore, aut qua in re non modo specimẽ ceteris aliquod dedisti, sed tute tui periculum fecisti? in mentem tibi non venit, quid negotij sit, caussam publicam sustinere? vitam alterius totam explicare? atque eam non modo in animis iudicum, sed etiam in oculis, conspectuque omnium exponere? sociorum salutem, commoda prouinciarum, vim legum, grauitatem iudiciorum defendere? cognosce ex me, quoniam hoc primum tempus discendi nactus es, quam multa esse oporteat in eo, qui alterum accuset: ex quibus si vnum aliquod in te cognoueris, ego iam tibi ipse istuc, quod expetis, mea voluntate cõcedam. primum integritatem, atque innocentiam singularem: nihil est enim, quod minus ferendum sit, quam rationem ab altero vitae reposcere eum, qui non possit suae reddere. hic ego de te plura non dicam: vnum illud credo omnes animaduertere, te adhuc ab nullis, nisi à Siculis, potuisse cognosci: Siculos hoc dicere, cum eidem sint irati, cui tu te inimicum esse dicis, sese tamen, te actore, ad iudicium non affuturos. quare negent, ex me non audies: hos patere id suspicari, quod necesse est. illi quidem, vt est hominum genus nimis acutum, & suspiciosum, non te ex Sicilia litteras in Verrem deportare velle arbitrantur, sed, cum ijsdem litteris illius praetura, & tua quaestura consignata sit, asportare te velle ex Sicilia litteras suspicantur. Deinde, accusatorẽ firmum, verumq; esse oportet. eum ego si te, putem cupere esse, facile intelligo esse nõ posse. nec ea dico, quae, si dicam, tamen infirmare non possis: te, ante quam de Sicilia decesseris, in gratiam redisse cum Verre: Potamonem, scribam, & familiarem tuum, retentum esse à Verre in prouincia, cum tu decederes: M. Caecilium, fratrem tuum lectissimum, atque ornatis-

tandem popularia? Interrogatio simplex multis cognoscitur exemplis. quorum pauca, vitādæ satietatis caussa, recitabo. infra: Quid illa, Cæcili, contemnenda ne tibi videntur esse? Lib. IV. Quid? signum Pæanis ex æde Aesculapij, præclare factum, sacrum, & religiosum, non sustulisti? Quid? ex æde Liberi simulacrum Aristei nō tuo imperio palā ablatum est? Quibus in locis, & alijs prope innumerabilibus, per interrogationē ad aliam rem transijcitur oratio. IN VTROQVE *nostrū sunt,*} malim, Sint. MAGNVS *ille defensor,*} qui dominetur in judicijs. Cū probro dictum: vt infra. AMICVS *eius*} aculeus in Hortensium. amicitiā enim gignit morū similitudo. HOC SE *honeste, sine vlla inuidia,*} cum alias nō honeste, nec sine inuidia soleam contendere. Fatentem inducit Hortensium, quæ in iudicijs corrumpendis agere solitus erat. CVM *vehementius contendi,*} non auctoritate, vel gratia, sed pecunia. DA MIHI *hoc:*} Hortensij verba ad iudicem, Pro Cæcilio petentis, pro Verre laborantis. VT IS *absoluatur,*} accusante enim Cæcilio, me defendēte, facile Verres elabetur. VT ALIQVIS *metus*} si promissum non seruauerit. AD GRATIAM} quæ futura est in seruando promisso. FERRE *sententias,*} sua quemq; tabella. VNIVERSOS *constituere:*} simul omnes, non separatim singulos, constituere tabellas in cista, vnde postea exceptæ dirimebantur, & ex maiore numero, vel absoluebatur, vel condemnabatur reus. CERA *legitima,*} non illa discolore, quæ corrupti fidem iudicis ei, qui corruperat, ostendebat. quod cum fieri iam non posset, ex infamia superiorum iudiciorum, in quibus Hortensius à corruptis iudicibus ceram in tabella discolorem pro signo promissæ voluntatis exegerat: necesse erat, vt certis hominibus tabellas ipsas, priusquam in cistam conijcerentur, empti iudices inspiciendas offerrent: vt ex inscripta tabellæ littera A, quæ absolutionis index erat, promissi fides ostenderetur NON *illa infami,*} cui locus iam non esset. AC NEFARIA.} vere nefaria: sed fateri Hortensium fingit, quod negari non poterat, re perspecta. Hæc eadā cera, non sine Hortensij probro, significatur act. 1.

Nulla nota, nullus color, nullæ sordes videbãtur his sententijs allini posse. Et libr.I. Nolo eos iudices, quos ego probarim, atque delegerim, sic in hac vrbe notatos, isto, absoluto, ambulare, vt non cerã, sed cœno obliti esse videantur. A PVERIS *nobilibus*,} adolescentibus, qui gloriæ cupiditate claros viros accusauerant, in ijs numerat Asconius Ap. Claudium, C. Cæsarem, M. Scaurum. Ego autem de Appio, & Cæsare assentior: de Scauro cogor ambigere. nam, cum Cicero subiungat, Quos adhuc elusit: apparet, quos defendit Hortensius, absolutos esse: quod in Appium. & Cęsarem conuenit, quibus accusantibus, Varro, & Dolabella sunt absoluti. Scaurus autem & accusauit alterum Dolabellam, eum scilicet, cui Verres legatus fuit, & damnauit. quod Asconius ipse in oratione pro illo demonstrat. Et lib.I. in Verr. Nemo iam, Dolabella, neque tui, neque tuorum liberum, quos tu miseros in egestate, atq; in solitudine reliquisti, misereri potest. Perspicue vero in eodem libro, paullo post: M. Scauro, qui Cn. Dolabellam accusauit, istum in sua potestate, ac ditione tenuit. Nam, quem Cæsar Dolabellam accusauit, eum absolutum, non Asconio solum, sed Suetonio quoque, & Plutarcho auctoribus probatur. quamquam ab Asconio dissentire Suetoniũ video. nam, cum duo quidem eiusdem prænominis eodem tempore Dolabellæ fuerint, vnus autem consularis, & triumphalis: hunc Asconius à Scauro, Suetonius ait à Cæsare accusatum. quam Cicero controuersiam dirimit. non enim cõsularem, sed prętorium accusatũ esse Dolabellam à Scauro, & Verrem, qui legatus ei fuerat, testimonium in eum dixisse, narrat lib.I. in Verrem: quod etiam verba ex eodem libro proxime recitata declarant. Sed, vt ad propositum reuertar: non video, qui possint illa verba, Quos adhuc elusit, ad Scaurum pertinere: qui, si victor ex iudicio discedit, certe non eluditur. A QVADRVPLATORIBVS,} sordido, & infami accusatorum genere, qui accusabant eos, quibus damnatis, quartam partem, vt ait Asconius, de bonis eorum consequebantur. NON *sine caussa*} nam ad accusandum idonei minime sunt. AD

VIROS

VIROS *fortes*,} vt posthac viri fortes, non pueri, quos adhuc elusit, spectati homines, nō quadruplatores, quos non sine caussa contempsit semper, ad accusandum descendant. TOTAM} quasi nulla ex parte honestā. ESSE *mutandam*, *& ita mutandam*,} habet elegantiam eiusdem verbi repetitio, vt pro lege Manilia: Annum iam tertium & vigesimum regnat, & ita regnat, vt se non Ponto, neq; Cappadociæ latebris, occultare velit, sed emergere è patrio regno, atq; in vestris vectigalibus, hoc est, in Asiæ luce versari. Ibidem: De Lucullo dicam alio loco, & ita dicam, Quirites. vt neq; vera laus ei detracta oratione nostra, neque falsa afficta esse videatur. QVA *ipse esse vult*.} cogam eum esse bonum virum, cōtra quàm adhuc fuit, & esse vult. me enim actore, spem deponat oportet iudicij corrumpendi. QVOS *ipse vidit*,} Antonium vidit Cicero, & audiuit: Crassum audire non potuit. annum enim agebat XVI, cum ille decessit, Philippo & Cæsare cos. vtrumq; autem vidit, & audiuit Hortensius, octo annis maior, quam Cicero. MVLTORVM} quos ego, quia pecuniam ob rem iudicandam acceperint, accusabo. RECEPTAM} pro officio, fideq; mea, ipsis rogantibus. SVSCEPTAM} vt, quod populus Romanus iamdiu flagitat, huius accusationis exemplo & iudices, & corruptores prorsus omnes ab improbitate deterream. Hoc igitur suscepi, flagitante populo, quasi totum quiddam, pro patria contra omnem improbitatem: illud recepi, Siculis rogantibus, quasi partem, pro vna prouincia contra vnum hominem improbum. IN OCVLIS, *conspectuque omnium*} eorum, qui adsunt. nō enim, Omnium, ad iudices referri potest, de quibus iam dixit, In animis iudicum: sed, vt arbitror, ad populi coronam pertinet. Hanc vero facultatem, quam hic adimit Cæcilio, sibi tribuit act. I. ijsdem fere verbis: Intelligit me ita paratū, atq; instructum in iudicium venire, vt non modo in auribus vestris, sed in oculis omnium sua furta, atq; flagitia defixurus sim. HOC *primum tempus discendi nactus es*,} duplex vituperatio. nam & notatur inscitia Cæcilij, qui nihil antea didicerit, & eiusdem temeritas, qui tamen accusatio-

nem sibi deposcat. similiter in oratione pro Cæcina, ad irrisionem aduersarij, fingit eum docere se velle, tamquã discipulum suum. Vt ex me, inquit, eã, quæ tibi in mentem non veniunt, audias. NISI *à Siculis,* } apud quos quæsturam gessisti. DICIS, } cum reuera non sis. supra: Cui te inimicum esse simulas. Suspicionem præuaricationis incipit afferre. EX ME *non audies:* } parco enim existimationi tuæ. HOS } iudices. QVOD *necesse est.* } ideo Siculos ad iudicium non affuturos, quia, qui sis, & quid præstare possis, probe nouerint. NIMIS *acutum, & suspiciosum,* } è Siculorum ingenijs argute capit argumentum contra Cęcilium. Acumine ingenij Siculos valuisse, ostendit etiam in Bruto. Aristoteles, inquit, cum sublatis è Sicilia tyrannis, res priuatæ longo interuallo iudicijs repeterẽtur, tum primum, ait, quod esset acuta illa gens, & controuersa natura, artem, & præcepta Siculos Coracem, & Tisiam conscripsisse. Et lib. III. in Verr. Ita acute, vt Siculum; ita seuere, vt tyrannum. Et in ep. ad Q. fr. Siculus ille capitalis, creber, acutus, breuis. Et Cœlius apud Quinctilianum lib. VI. cap. 4. Siculi quidem, vt sunt lasciui, & dicaces, aiebant eum in delphino sedisse, & sic, tamquam Ariona, transuectũ. ASPORTARE } ne tibi, qui furtorum Verris non modo conscius, sed etiam particeps fuisti, nocere possint. TE VELLE *ex Sicilia litteras* } iterata verba quiddam hic habent, quo fruantur aures: vt illa quoque similitudo, Deportare, Asportare, sensu tamen admodum dissimili: & in priore membro, Arbitrantur; in posteriore, suspicãtur. omnino, cum in Cęcilium per acerba sententia sit, sale tamen & lepore periodus redundat omnis. FIRMVM, *verumq;* } eloquentia, & integritate præditum. Supra: Vt homines idonei, atq; integri caussam reip. legũq; susciperent. Et: Si accusandi voluntas ad viros fortes, spectatosq; homines translata sit. NEC EA *dico,* } q̃ tamen dicit, sed ita breuiter, ac summatim, vt ea quasi negligere videatur. POTAMONEM } L. Papirium Potamonem. cuius mentio fit lib. III. & lib. IV. RETENTVM *esse* } vt cõmunem amicũ. qui, si te cum Verre inimicitias nõ ficte, sed vere exercere cognouisset,

non remansisset in prouincia,te decedente. CVM TV *decederes:*}Verres triennio Siciliam rexit:quæstores autẽ singulis annis mutati sunt:vt lib. II. in Verrem. LECTISSIMVM,*atque ornatißimum adolescentem,*}veram esse laudationem, Pedianus ait, quod à fratre nõ dissentiat, quẽ sciat amicum esse Verri.sed ea ne caussa esse debuit, cur lectissimus,atque ornatissimus adolescens diceretur?quę communis,& ampla quædam laus est, non ad germanitatis officiũ,vt existimasse videtur Asconius,proprie pertinet.Ego argumentum quidem agnosco de præuaricatione Cæcilij, quod eius frater cum Verre sit: sed ironiã abesse nõ arbitror,cum eum egregie laudat, qui cum homine perditissimo Verre, contra quem Sicilia tota testimonium dicat,familiàrissime & amicissime viuat. HOC *dico,*}hęc si coniunges,quæ satis longe distant: Nec ea dico:venustatem quandam,leporemq; senties. SI *maxime cupias,*}quem scio minime cupere, & præuaricatorẽ esse velle.

ORATIO.

QVERITVR *Sicilia tota, C. Verrem ab oratoribus, cum frumentum sibi in cellam imperauisset, & cum esset tritici modius H-S II, pro frumento in modios singulos duodenos sestertios exegisse. magnum crimen, ingens pecunia, furtum impudens, iniuria non ferenda. ego hoc vno crimine illum condemnem, necesse est. tu, Cæcili, quid facies? vtrum hoc tantum crimen prætermittes, an obijcies? si obijcies: id ne alteri crimini dabis, quod eodem tempore in eadem prouincia tũ ipse fecisti? audebis ita accusare alterum, vt, quo minus tute condemnere, recusare non posßis? si prætermittes, qualis erit ista tua accusatio? quæ domestici periculi metu, certißimi & maximi criminis non modo suspicionem, verum etiam mentionem ipsam pertimescat. Emptum est ex S.C. frumentum ab Siculis, prætore Verre, pro quo frumento pecunia omnis soluta non est. graue est hoc crimen in Verrem, graue me agente, te accusante nullum. eras enim tu quæstor: pecuniam publicam tu tractabas: ex qua, etiam si cuperet prætor, tamen, ne qua deductio fieret, magna ex parte tua potestas erat. huius quoque igitur criminis, te accusante, mentio nulla fiet. silebitur toto iudicio de maximis, & notißimis illius furtis, & iniurijs, mihi crede, Cæcili, non potest in accusando, socios vere defendere is, qui cum*

qui cum reo criminum societate coniunctus est. Mancipes à ciuitatibus pro frumento pecuniam exegerũt. quid? hoc Verre prætore factum est solum? non, sed etiam quæstore Cæcilio. quid igitur? daturus es huic crimini, quod & potuisti prohibere ne fieret, & debuisti? an totum id relinques? ergo id omnino Verres in iudicio suo non audiet, quod cum faciebat, quemadmodum defensurus esset, non reperiebat. atque ego hæc, quæ in medio posita sunt, commemoro: sunt alia magis occulta furta, quæ ille, vt istius credo animos, atque impetus retardaret, cum quæstore suo benignißime cõmunicauit. hæc tu scis ad me esse delata: quæ si velim proferre, facile omnes intelligent, vobis inter vos nõ modo voluntatem fuisse coniunctam, sed ne prædam quidem adhuc esse diuisam. Quapropter si tibi indicium postulabas dari, quod tecum vna fecerit: concedo, si id lege permittitur. sin autem de accusatione dicimus: concedas oportet ijs, qui nullo suo peccato impediuntur, quo minus alterius peccata demonstrare poßint.

EXPLANATIO.

SIBI *in cellam*] in vsum suum. H-S II] sestertijs binis, id est, assibus octo. alij interpretantur, sestertium duobus. quod miror. aliud est enim dicere, sestertijs duobus; qui sunt, vt diximus, asses octo: aliud sestertium duobus: vbi, millibus, subaudiri, Latini sermonis consuetudo postulat. quo modo fient scutati sexaginta. quæ summa si pretium esse putetur in singulos modios, quid absurdius? At in frumentaria sępe Cicero vtitur hoc genere loquendi. Vtitur sane: sed cum de singulis modijs non agitur, quorum est minimum pretium. Quod, aiunt, sestertium duobus, apud Nonium legi in verbo Exigere: si esset hoc mendum in Nonio, tollendum omnino censerem: sed in eo quidem, quo ego vtor, Nonio non est. DVODENOS *sestertios*] & hoc infirmat coniecturam illam, sestertium duobus. nam eadem ratione, Duodecim sestertium, hic legi oporteret. EXEGISTI.] quaternos à senatu, quibus frumentum tibi emeres, octonos ab oratoribus. id agnoscitur ex lib. III. in Verrem: Quaternos sestertios, inquit, quos mihi senatus decreuit, & ex ærario dedit, ego habebo, & in cistam transferam ex fisco. Quid postea? quid? pro singulis modijs, quos tibi impero, tu mihi

tu mihi octonos sestertios dato. Ita Verres primum à senatu, deinde ab oratoribus non debitam pecuniam colligebat: à senatu, pro frumento sibi in cellam emendo, quatternos sestertios in singulos modios, cum tamē modius binis tantum sestertijs esset: ab oratoribus octonos pro binis. EMPTVM *est ex S.C. frumentum*} transit ad aliud crimē. nam hoc frumentum præter decumanum, populus Romanus emit, vt annonæ grauitas in vrbe leuaretur. DEDVCTIO} diminutio: quę facta est à Verre diuersis nominibus, pro spectatione, pro Collybo, pro nescio quo cerario, pro scriba: vt lib. III. in Verrē. MANCIPES} publicani, qui decumani vocabantur à redemptis decumis PRO FRVMENTO *pecuniam exegerunt.*} quæ dabatur æstimatio prætori pro frumento in cellam, mancipibus autem non dabatur. propterea Cicero vt crimen obijcit. QVEMADMODVM *defensurus esset,*} commune crimen erat inter mancipes, & Verrem. illi pro frumento pecuniam exigebant: quod non licebat: hic, furtorum, prædatorumq; particeps, permittebat ijs, vt, quāti vellent, decumanum frumentum æstimarent, id est, quantam vellent ab aratoribus pecuniam exigerent. RETARDARET, } ab accusādo. CVM *quæstore suo benignissime communicauit.*} laudare videtur, & vituperat. prætorem enim decet erga quęstorem suum benignum esse: verum hæc benignitas furtorum communicatio est. SI ID *lege permittitur.*} non permittebatur, ait Pedianus, in caussa repetundarum. IIS, } vitat arrogantiam, ad multos transferens, quod de seipso significat. itaq; de indicio dixerat, Concedo: de accusatione, quæ integritatem requirit, non dixit, Concedas oportet mihi, sed, Concedas oportet ijs. NVLLO *suo peccato*} nulla criminū societate.

ORATIO.

AC vide, quantum interfuturum sit inter meam, atq; tuam accusationem. ego, etiam quæ tu sine Verre commisisti, Verri crimini daturus sum. quod te non prohibuerit, cum summam ipse haberet potestatem. tu contra, ne quæ ille quidem fecit, obijcies, ne qua ex parte coniunctus cum eo reperiare. Quid illa, Cæcili? contemnenda ne tibi videntur esse? sine quibus caussa sustineri, præ

ri, præsertim tanta, nullo modo potest. aliqua facultas agendi, aliqua dicendi consuetudo, aliqua in foro, iudicijs, legibus aut ratio, aut exercitatio. intelligo quam scopuloso, difficiliq; in loco verser. nam, cum omnis arrogantia odiosa est, tum illa ingenij, atq; eloquentiæ multo molestißima. quamobrem nihil dico de meo ingenio; neque est, quod poßim dicere; neque si esset, dicerem. aut enim id mihi satis est, quod est de me opinionis, quidquid est; aut, si id parum est, ego maius id commemorando facere non possum, de te, Cæcili, iam mehercule hoc extra hanc contentionem certamenq; nostrum familiariter tecum loquar. tu ipse quemadmodũ existimes, vide etiam atque etiam: & tu te collige: &, qui sis, & quid facere poßis, considera. putas ne, te posse de maximis, acerbißimisque rebus, cum caussam sociorũ, fortunasque prouinciæ, ius populi R. grauitatem indicij, legumq; susceperis, tot res, tam graues, tam varias, voce, memoria, consilio, ingenio sustinere? putas ne te posse, quæ C. Verres in quæstura, quæ in legatione, quæ in prætura, quæ Romæ, quæ in Italia, quæ in Achaia, Asia, Pamphyliaq; patrarit, ea, quemadmodum locis, temporibusque diuisa sint, sic criminibus, & oratione distinguere? putas ne posse. id quod in eiusmodi reo maxime necessarium est, facere, vt, quæ ille libidinose, quæ nefarie, quæ crudeliter fecerit, ea æque acerba, & indigna videantur esse ijs, qui audient, atq; illis visa sunt, qui senserunt? magna sunt ea, quæ dico. mihi crede, noli hæc contemnere. dicenda, demonstranda, explicanda sunt omnia: caussa non solum exponenda, sed etiam grauiter copioseq; agenda est: perficiendum est, si quid agere, aut perficere vis, vt homines te non solum audiant, verum etiam libenter, studioseq; audiant. in quo si te multum natura adiuuaret; si optimis à pueritia disciplinis, atq; artibus studuisses, & in his elaborasses; si litteras Græcas Athenis, non Lilybæi; Latinas Romæ, non in Sicilia, didicisses: tamen esset magnum, tantam caussam, tam exspectatam, & diligentia consequi, & memoria complecti, & oratione exponere, & voce, & viribus sustinere.

EXPLANATIO.

AC VIDE,} ingressus non exspectatæ sententiæ, vt ad Att. Ac vide mollitiem: non tenui lacrymas. Modus autem loquendi similis occurrit infra: At vide, quid differat inter meam opinionem, ac tuam. Et in Verrem lib. V. Vide, quid intersit inter tuam libidinẽ, maiorumq;

maiorumq; auctoritatem, inter amorem, furoremq; tuum, & illorum consilium atq; prudentiam. PRAESERTIM *tanta*,} in qua maxima & acerbissima crimina sunt explicanda. FAMILIARITER *tecum loquar*.} monitoris & amici partes sumit. quod irridendi genus est. QVAE C. *Verres in quæstura, quæ in legatione*;} cum esset quæstor Carbonis, & legatus Dolabellæ. lib. I. in Verrem: Hi sunt anni consumpti in quęstura, in legatione Asiatica, & pręture vrbana, & prætura Siciliensi. Quo loco satis constat de quæstore Carbonis Verre sermonem esse. itaque falluntur, qui ad hanc quæsturam ea referunt, quæ commisit Verres in Achaia: cum Verri quæstori contigerit Gallia prouincia: vt lib. I. dilucide patet. IN PRAETVRA,} primo loco Siciliensem Verris præturā ostendit, dicens: Putas ne te posse de maximis, acerbissimisque rebus, cum caussam sociorum, fortunasq; prouinciæ &c. Nunc præturam attigit vrbanam, in qua Romæ, & in Italia Verres multa patrauit. quæ licet ad crimen repetundarum, id est, ad Siculos non attineant, omittenda tamen ab accusatore non sunt. IN ACHAIA, *Asia*,} alienis prouincijs, per quas cum suo proconsule Dolabella transiuit Verres, & rursus sine proconsule per Asiā, ad regem Nicomedē, & Sadalā proficiscens: vt lib. I. PAMPHYLIA} suæ prouinciæ parte. nam Dolabellæ Cilicia constituta est. lib. I. MAGNA *sunt ea, quæ dico*.} hæc tamquā imperito dixit: ait: Donatus in illud Terentij in Adel. Non est flagitium, mihi crede. GRAVITER, *copioseque*} sequitur ratio, cur grauitas & copia requiratur. NON *Lilybæi*,} vbi deterius, quam in reliqua Sicilia, Græce loquebantur. erat autem Siculorum vtraq; mendosa lingua, siue Gręca, siue Latina. vtraque enim vtebantur, sed Græca communiter inter ipsos. itaque litteras Syracusanorum lib. V. Græce scriptas fuisse, ex verbo ἰδηκώτισαν, apparet. ac de Latina quidem, quomodo in Siciliam transierit, Diodorus Siculus lib. I. his verbis: Διὰ τὴν ἐπιμιξίαν τοῖς ἐν τῇ νήσῳ πολλὴν ἐμπειρίαν τῆς ῥωμαίων διαλέκτου πεποιημένοι. De Gręca vero sic idē lib. V. Ἀναμιγνύμενοι δ' ἀλλήλοις, καὶ διὰ πλῆθος τῶν καταπλεόντων ἑλλήνων, τήν τε διάλεκτον αὐτῶν ἔμαθον.

ORATIO

ORATIO.

FORTASSE *dices:quid?ergo hæc in te sunt omnia?vtinam quidem essent:verumtamen,vt esse possent,magno studio mihi à pueritia est elaboratum.quòd si ego hæc,propter magnitudinem rerum, ac difficultatem,assequi non potui,qui in omni vita nihil aliud egi:quam longe tu ab his rebus abesse arbitrare,quas nō modo antea numquam cogitasti,sed ne nunc quidem,cum in eas ingrederis, quæ, & quantæ sint,suspicari potes?ego,qui,sicut omnes sciunt, in foro iudicijsq́ue ita versor,vt eiusdem ætatis aut nemo, aut pauci plures caussas defenderint,& qui omne tempus,quod mihi ab amicorum negotijs datur, in his studijs, laboribusq́ue consumam,quo paratior ad vsum forensem, promptiorq́; esse possim,tamen,ita deos mihi velim propitios,vt,cum illius diei mihi venit in mentem,quo die,citato reo,mihi dicendum sit, non solum commoueor animo,sed etiam toto corpore perhorresco.iam nunc mente,& cogitatione prospicio,quæ tum studia hominum,qui concursus futuri sint,quantam exspectationē magnitudo iudicij sit allatura,quantam auditorum multitudinem C.Verris infamia concitatura,quantam denique audientiam orationi meæ improbitas illius factura sit. quæ cum cogito,iam nunc timeo, quinam pro offensione hominum, qui illi inimici,infensiq́; sunt, & exspectatione omnium,& magnitudine rerum dignum eloqui possim.tu horum nihil metuis,nihil cogitas,nihil laboras:&,si quid ex vetere aliqua oratione;* Iouem ego Optimum Maximum, aut, Vellem,si fieri potuisset, iudices,*aut aliquid eiusmodi ediscere potueris;præclare te paratum in iudicium venturum arbitraris. ac,si nemo tibi responsurus esset,tamen ipsam caussam, vt ego arbitror, demonstrare non posses:nunc illud ne quidem cogitas, tibi cum homine disertissimo,& ad dicendum paratissimo,futurum esse certamen?quicum modo disserendum,modo omni ratione pugnandum, certandumq́; sit.cuius ego ingenium ita laudo,vt non pertimescam,ita probo, vt me ab eo delectari facilius, quam decipi putem posse. numquam ille me opprimet consilio:numquam vllo artificio peruertet: numquam ingenio me suo labefactare, atque infirmare conabitur: noui omnes hominis petitiones,rationesq́; dicendi:sæpe in iisdem, sæpe in contrarijs caussis versati sumus.ita contra me ille dicet, quamuis sit ingeniosus, vt non nullum etiam de suo genio iudicium fieri arbitretur. te vero,Cæcili,quemadmodū sit elusurus, quam omni ratione iactaturus,*

turus, videre iam videor: quoties ille tibi potestatem optionemq; factur⁹ sit, vt eligas vtrum velis factum esse, nec ne; verum esse, an falsum: vtrum dixeris, id contra te futurum. qui tibi æstus, qui error, quæ tenebræ, dij immortales, erunt homini minime malo. quid, cum accusationis tuæ membra diuidere cœperit, & in digitis suis singulas partes caussæ constituere? quid cum vnumquodque transigere, expedire, absoluere? ipse profecto metuere incipies, ne innocenti periculum facesseris. quid, cum commiserari, conqueri, & ex illius inuidia deonerare aliquid, & in te transijcere cœperit? commemorare quæstoris cum prætore necessitudinem constitutam? morem maiorum? sortis religionem? poteris ne eius orationis subire inuidiam? vide modo, etiam atque etiam considera. mihi enim videtur periculum fore, ne ille non modo verbis te obruat, sed gestu ipso, ac motu corporis præstinguat aciem ingenij tui, teque ab institutis tuis, cogitationibusque abducat. atque huiusce rei iudicium iam continuo video futurum. si enim mihi hodie respondere ad hæc, quæ dico, potueris: si ab isto libro, quem tibi magister ludi nescio quis ex alienis orationibus compositum dedit, verbo vno discesseris: posse te & illi quoque iudicio nō deesse, & caussæ atq; officio tuo satisfacere arbitrabor. sin mecum in hac prolusione nihil fueris, quem te in ipsa pugna cum acerrimo aduersario fore putemus?

EXPLANATIO.

CVM IN *eas ingrederis,* } vsum & exercitationem hic adimit Cæcilio, studium vero, & diligentiam, cum dixit, Numquam cogitasti. quæ vero adimit aduersario, ea sibi tribuit in sequentibus: & se tamē caussarum magnitudine commoueri vehementer dicit. ILLIVS *diei* } lepide subiungit, Quo die, vt supra: Si quod tempus accidisset, quo tempore aliquid à me requirerēt. NON *solum commoueor animo,* } idem sibi contingere solitum esse, L. Crassus, orator ille summus, fatetur lib. 1. de Orat. Equidem, inquit, & in vobis animaduertere soleo, & in me ipso sæpissime experior, vt exalbescam in principijs dicendi, et tota mente, atque omnibus artubus cōtremiscam. adolescentulus vero sic in initio accusationis exanimatus sum, vt hoc summum beneficium Q. Maximo debuerim, quod continuo consilium dimiserit, si-

mul ac me fractum, ac debilitatum metu viderit. In Cluentiana vero: Semper equidem magno cum metu incipio dicere. NIHIL *cogitas,*} tantũ abest, vt hæc metuas, vt ne cogites quidem: aut, si cogitas, non laboras: nõ cogitare autem, stulti hominis est, non laborare, impudentis. EX VETERE *aliqua oratione,*} vt Catonis Censorij, q. solitus est in omnibus orationũ suarũ procemijs deorum mẽtionẽ facere. auctor Seruius in illud Virgilij lib. VII. Dij nostra incepta secundent. DISSERENDVM,} acute, & subtiliter. PVGNANDVM,} grauiter, & copiose. Disserere, ad ingenium, pugnare, ad vim, copiamq́ue pertinet orationis. ITA *laudo,*} laudare cœpit, vt Cæcilium deterreat: ipse cur non timeat, subiungit. QVAM *decipi*} hoc pertinet ad illud: Quicum modo disserendum. proptereaq́ue subiungit: Numquam ille me opprimet consilio, numquam vllo artificio peruertet. LABEFACTARE, *atque infirmare*} hoc ad illud respicit: Modo omni ratione pugnandum. eiusdem enim ingenij est, & disserendo decipere, & pugnando labefactare. quo in vtroque Hortensium ita laudat, vt eum sibi non anteponat. PETITIONES,} apte: quia dixerat, Modo omni ratione pugnandum, certandumq́ue sit. iam illa verba, Opprimet, Peruertet, Labefactare, Infirmare, similitudinem quandam pugnæ referunt. IVDICIVM *fieri*} ex ingenij mei comparatione. VIDERE *iam videor:*} modus futuræ rei repræsentandæ vt in Lælio: Videre iam videor populum Romanum à senatu disiunctum, multitudinisq; arbitrio res maximas agi. Dicitur etiam de re præsenti, vt in ep. ad Att. lib. XII. Mecum esse te puto, non solum, quod meam rem agis, verũ etiã, q᷈d videre videor, quo modo agas. HOMINI *minime malo.*} quasi misereatur eius, cui tot ac tanæ difficultates impẽdeant, quod ad irridendum valet. DIVIDERE} quam ei laudem Cicero tribuit in Bruto. EXPEDIRE,} expedire, plus est, quam transigere; minus, quam absoluere. ideo dixit. Transigere, expedire, absoluere. possunt. n. multa transigi, nec expederi possunt; expediri, nec absolui. IN TE *transijcere*} non vt cõmunicetur crimen.

sed

sed vt totum in te cōferatur. NECESSITVDINEM} quæstor enim prætori loco filij, prætor quæstori loco parentis debet esse. Infra: Sic à maioribus accepimus, prætorem quæstori suo parentis loco esse oportere. Et in ep. ad Brutū lib. XIII. Cum ad te tuus quæstor M. Varro proficisceretur, cōmendatione egere eum nō putabam: satis enim commendatum tibi eum arbitrabar ab ipso more maiorū; qui, vt te non fugit, hanc quæsturæ coniunctionem liberorum necessitudini proximam voluit esse. Tres contra Cæcilium caussas ex ipsius quæstura Cicero sumit: ipsam quæstoris cum prætore coniunctionē, liberorū necessitudini proximam; morem maiorum, per quē accusare prętorem suū quæstori non licebat; sortis religionem, id est, voluntatē deorū, vnde sors ipsa pendet. ideo sortem diuinam Phil. III. vocat. nam prouinciæ quæstoribus sorte contingebant. Hæc autem Cicero colligit, vt, quod sibi Cæcilius ad impetrandum accusatoris locum adiumento sperabat esse maximo, quia scilicet quæstor Verris fuisset, id ipsū ostendat aduersariū ei vehemēter esse. SVBIRE *inuidiæ?*} q̄ ille quæstoris cū prætore necessitudinē, morē maiorū, sortis religionē cōmemorans, in te cōmouebit? Inuidiæ, legit Asconius, & addit exemplum, Magno ponderi subire: quod propriū est: translatum autē, Inuidiæ subire. VIDE *modo,*} hoc monentis est. non enim, Modo, accipitur pro, nunc. tale illud Cælij, in ep. 2. lib. IIX. Vide modo, inquis. MIHI} qui illū probe noui. tibi fortasse nō videtur, homini imperito, qui nec illum, nec omnino caussas, iudiciaq; nosti. GESTV *ipso, ac motu corporis*} non minus hoc ad deridendū Hortensium, quā ad deterrendū Cæcilium, pertinet. gestus enim Hortensij plus habebat artis, quam deceret: vt histrioni similior, quam oratori, videretur. ideo L. Torquatus, homo seuerus, & grauis, gesticulariā Dionysiam, notissimæ saltatriculæ nomine, appellabat. Gellius lib. I. cap. 5. Idē notauit Cicero de claris Orat. parce tamē, ac modeste. Sed in Verrū lib. III: Tamē ne putamus, inquit, patronū tuū in hoc crimine ceruiculam iactaturum? PRAESTINGVAT *aciem ingenij tui,*} vt ea, quæ caussa postulat, quæque

iam cogitaueris, videre non possit. AB INSTITVTIS *tuis, cogitationibusque* } ab ijs, quæ contra Verrem domi cõmentatus es.

ORATIO.

ESTO: *ipse nihil est, nihil potest: at venit paratus eum subscriptoribus exercitatis, & disertis. est tamen hoc aliquid, tametsi non est satis. omnibus enim rebus is, qui princeps in agendo est, ornatissimus, & paratissimus esse debet. verumtamẽ L. Appuleium esse video proximum subscriptorem, hominem nõ ætate, sed vsu forensi, atque exercitatione tironem. deinde, vt opinor, habet Alleniũ, hunc tamen à subsellijs: qui quid in dicendo possit, numquam satis attendi: in clamando quidem video eum esse bene robustum, atque exercitatum. in hoc spes tuæ sunt omnes. hic, si tu eris actor constitutus, totum iudicium sustinebit. ac ne is quidem tantum contendet in dicendo, quãtum potest; sed cõsulet laudi, & existimationi tuæ, & ex eo, quod ipse potest in dicendo, aliquantũ remittet, vt tu tamen aliquid esse videare. vt in actoribus Græcis fieri videmus; sæpe illum, qui est secundarum, aut tertiarum partium, cum possit aliquanto clarius dicere, quam ipse primarum, multum summittere, vt ille princeps quammaxime excellat: sic faciet Allien⁹: tibi seruiet: tibi lenocinabitur: minus aliquãto contendet, quam potest. iam hoc considerate, cuiusmodi accusatores in tanto iudicio simus habituri, cum & ipse Allienus ex ea facultate, si quam habet, aliquantum detracturus sit, & Cæcilius tum denique se aliquid futurũ putet, si Allienus min⁹ vehemens fuerit, & sibi primas in dicendo partes concesserit quartum quem sit habiturus, non video, nisi quem forte ex illo grege oratorum, qui subscriptionem sibi postularunt, cuicumque vos delationem dedissetis. ex quibus alienissimis hominibus ita paratus venis, vt tibi hospes aliquis sit recipiendus. quibus ego non sum tantum honorem habiturus, vt ad ea, quæ dixerint, certo loco, aut singulatim vnicuique respondeam. sic breuiter. quoniam non consulto, sed casu in eorum mentionem incidi, quasi præteriens satisfaciam vniuersis. tanta ne vobis inopia videor esse amicorum, vt mihi nõ ex his; quos mecum adduxerim, sed de populo subscriptor addatur? vobis autem tanta inopia reorum est, vt mihi caussam præripere conemini potius, quam aliquos à columna Mænia vestri ordinis reos reperiatis? Custodem, inquit, Tullio me apponite. quid?*

mibi

mihi quam multis custodibus opus erit, si te semel ad meas capsas admisero? qui, non solum, ne quid enuncies, sed etiam, ne quid auferas, custodiendus sis. sed de isto custode toto sic vobis breuissime respondebo: numquã esse hos tales viros commissuros, vt ad caussam tãtam, à me susceptam, mihi creditam, quisquam subscriptor, me inuito, adspirare possit: etenim fides mea custodem repudiat, diligentia speculatorem reformidat. Verum, vt ad te, Caecili, redeã, quam multa te deficiant, vides: quam multa sint in te, quae reus nocens in accusatore suo cupiat esse, profecto iam intelligis. quid ad haec dici potest? non enim quaero, quid tu dicturus sis. video, mihi non te, sed hunc librum esse responsurum, quem monitor tuus hic tenet. qui si recte monere volet, suadebit tibi, vt hinc discedas, neque mihi verbum vllum respondeas. quid enim dices? an id, quod dictitas, iniuriam tibi fecisse Verrẽ? arbitror: neque enim esset verisimile, cum omnibus Siculis faceret iniurias, te illi vnum eximium, cui consuleret, fuisse, sed ceteri Siculi vltorem suarum iniuriarum inuenerunt; tu, dum tuas iniurias per te, id quod non potes, persequi conaris, id agis, vt ceterorum quoque iniuriae sint impunitae, atque inultae. & hoc te praeterit, non id solum spectari solere, qui debeat, sed etiam illud, qui possit vlcisci; in quo vtrumque sit, eum superiorem esse; in quo alterum, in eo, non quid is velit, sed quid facere possit, quaeri solere.

EXPLANATIO.

CVM *subscriptoribus exercitatis, & disertis*} ironia: vt è sequentibus colligitur. erãt autem Subscriptores, actores eiusdem caussae, quam primo loco agebat is, cui subscribebant: quos oportebat agere summissius, quã ille, qui princeps erat in agendo. Subscriptores autem habet accusator, nõ defensor. nam accusator dicitur is, qui nomen detulit, quique in agendo princeps est. qui vero ei subscribunt, eique se adiutores fore, & eandem simul caussam acturos esse profitentur, Subscriptores vocantur. hi quattuor omnino videntur fuisse. nam subiungitur: Quartum quem sit habiturus, non video: nisi quem forte ex illo grege oratorum, qui subscriptionem sibi postularunt, cuicumque vos delationem dedissetis. & M. Coelium à quattuor accusatum esse constat, Atratino, Heren-

Herennio, Clodio, Balbo. Differunt igitur accusator, & subscriptor nomine, non re. nam & subscriptor, vt dixi, agit eãdem caussam: itaque subijcitur: Ne is quidem tantũ contendet in dicendo, quantũ potest, sed consulet laudi, & existimationi tuæ, & ex eo, quod ipse potest, aliquãtum remittet. Ipsum quoq; subscriptorẽ Cicero vocat accusatorem, quia sit particeps eiusdẽ muneris: Iam hoc, inquit, considerate, cuius modi accusatores in tanto iudicio simus habituri: cũ & ipse Allienus ex ea facultate, si quam habet, aliquantũ detracturus sit, & Cæcilius tũ deni que se aliquid futurum putet, si Allienus minus vehemens fuerit, & sibi primas in dicendo partes concesserit. Vnius exemplum subscriptoris habemus infra: P. Lẽtulus, is, qui princeps senatus fuit, accusabat M'. Aquillium, subscriptore C. Rutilio Rufo. Trium, in ep. ad Q. fr. Gabiniũ de ambitu reum fecit P. Sulla, subscribente priuigno Memmio, fratre Cęcilio, Sulla filio: quattuor, vt dixi iam, in ea pro Cœlio. Hoc genus hominum in iudicijs vsitatum potius videtur fuisse, quam necessarium. nam hic subscriptores Cæcilius iam duos habet, qui, cum Verris nomen detulit, subscripserant: at Cicero nullum habet. Et Sempronius Rufus, vt est in epistola Cœlij, sine vllo subscriptore Tuccium reum fecit. Hoc nomen, atque adeo hic subscribendi mos locum in defensionibus non habebat: &, quicumque eandẽ caussam agerent, patroni pariter appellabantur. De numero non constat. ante L. Domitium, et Ap. Claudium cos. raro quisquam, auctore Pediano, pluribus quã quattuor vtebatur. ijs consulibus defensus est Scaurus à sex patronis: post bella ciuilia ante legem Iuliam ad duodenos est peruentum. De ordine, si plures erant, vt fere in reis defendendis esse soliti sunt, perorandi locus, in quo plurimum pollet oratio, à reliquis patronis ei dabatur, qui ceteris antecellebat eloquẽtia. quem honorem Ciceroni habuit Hortensius. nam in libro de clar. or. ita loquitur Brutus: Cũ partiretur Hortensius tecum caussas, perorandi locum, vbi plurimum pollet oratio, semper tibi relinquebat. Quod si hoc Hortensius, qui propter eloquentiam rex caussarum dictus

est: quis dubitet, quin idem alij fecerint? itaque Balbum Cicero post Pompeium & Crassum vltimo loco defendit. Ipse tamen in eodem libro nihil ait esse vitiosius, q̃ vt caussæ singulæ defenderentur à pluribus. Numerum patronorum, & ordinem agendi, æque reprehendit Antonius lib. II. de Orat. illos quoq;, inquit, errare arbitror, qui, id quod mihi numquam placuit, plures adhibēt patronos: vti quemque eorū minimum putant esse, ita eū primum volunt dicere. res enim hoc postulat, vt eorum exspectationi, qui audiunt, quam celerrime occurratur. Sentit igitur de numero patronorum Antonius idem, ꝙ Cicero: de ordine dissentit, cum agi caussas primum velit à melioribus. quamquam ipse quoque, quod laudat, non seruauit. nam in ijsdem caussis ante L. Crassum dicere solius est: ne, si post eum audiretur, minus placeret. quod fatetur lib. I. de Orat. Princeps igitur in agendo, quia locus accusandi à iudicibus ei datus est, & quia primus agit caussam, accusator dicitur: defensor autem, vel si omnibus, eandē caussam agentibus, eloquentia p̄stet, princeps tamē in agendo, quia postremo loco dicit, nec est, nec apellatur. ORNATISSIMVS} instructissimus: vnde Ornare classem, Ornare prouinciam. PARATISSIMVS} ab eloquentia. Phil. II. Inuectus est copiosius multo in istum, & paratius Dolabella, quam nunc ego. EST *tamen hoc aliquid*: } ad inscitiam Cęcilij subleuandam. ALLIENVM } gemina L. scriptum est in antiquis lapidibus. nomen hic esse proprium, infra cognoscitur. in quo miror Asconium sentire cum ijs, (sic enim videtur) qui, Alienum, non Allienum, legebant. A SVBSELLIIS: } satis in iudicijs exercitatum. Subsellia erant in foro, in quibus sedebant iudices, siue priuata, siue publica caussa ageretur. de his Cicero loquitur, id est de iudicijs, non de subsellijs minorum magistratuum. de quibus proprie loqui non potest: cum Subsellia commune sit nomen, non ad eos magis, quam ad iudices, pertinens. Apparet autem hoc quasi contrarium ad id referri, quod proxime de Appuleio dixerat, Vsu forēsi, atq; exercitatiōe tironē, ideo subiūgit: In hoc spes

tuæ sunt omnes. Asconius quoque ad Allieni laudem dictũ accipit: vt maior irrisio sit Cæcilij, qui nec à subsellijs fuerit aliquando. QVOD *ipse potest in dicendo*, } subaudiri malim, In dicendo, quam pronunciari. ACTORIBVS *Græcis* } qui palliatas fabulas agunt, quales Plauti, Terentijque sunt. PRIMARVM, } primas partes agere dicitur, qui sæpius ad agendum regreditur: secundas, qui minus, quam ille, qui primas: tertias, quam qui secundas. LENOCINABITVR: } vt tu volueris, vt tibi placere intellexerit, ita caussam aget. CVIVSMODI *accusatores* } Cæcilium, Appuleium, Allienum. EX ILLO *grege oratorum*, } Grege, dixit, vt oratorum nomini dignitatẽ detraheret. boni enim oratores pauci: grex vero constat è multis. Alij legunt, Moratorum, Asconij verbis in eam opinionem adducti. quod equidem non improbo: necessaria tamen mutatio non videtur. POSTVLARVNT, } à quibus? à iudicibus, opinor. at Cæcilius Appuleiũ, & Allienum ipse delegerat: sed mos erat, vt quattuor adhiberentur. quas partes qui sibi à iudicibus postulabant, non ab eo, qui princeps in agendo esset, deligebantur, apparet eos maioribus in caussis versari solitos non esse. CVICVMQVE *vos delationem dedissetis.* } iam delatum erat nomen Verris: ea delatio, nisi iudicum sententia comprobaretur, irrita erat. delatione confirmata, (id enim est, delationem dare) sequebatur accusatio. Hoc autem ideo dicit, vt id hominum genus admodum leue significet, qui nulla caussa, sed temere, sibi subscriptionem postulent, parum laborãtes de exitu iudicij. nam, si Verrem condemnatum cuperent, non petijssent subscriptionem, cuicumque vos delationem dedissetis, sed si dedissetis ei, qui maxime ad accusandum idoneus esse videretur. ALIENISSIMIS, } nemo paratus esse potest ex alienissimis, id est ijs, quos minime nouit. deridet igitur Cæciliũ, qui, fretus hominibꝰ alienissimis, paratũ se fore in iudicio credat. HOSPES *aliquis* } inopiã ostẽdit subscriptorũ: qui, cũ sint aliẽissimi, Cæcilio tamẽ eorũ aliquis, vt amicus, ꝓpter subscriptionis beneficiũ, hospitio recipiẽdus erit. Hęc mihi placebat

interpretatio: cum tamen, quæ Pedianus, aliiqúe scripsere, non contemnam. QVAE *dixerint*,} cum sibi subscriptionem postularunt. tempus enim præteritum significari, satis ostēdūt ea, quæ sequūtur. RESPONDEAM.} vt, eos mihi addendos non esse, iudicibus ostendā. NON *consulto, sed casu*} & hoc ad contemptum eorum dixit. SATISFACIAM *vniuersis*.} dicam, quod sufficere omnibus possit. Et statim cum indignatione quadam orditur: Tanta ne vobis inopia videor esse amicorū, vt mihi non ex his, quos mecum adduxerim, sed de populo subscriptor addatur? VOBIS} aderant igitur. QVOS *mecum adduxerim*,} quorum fidei, & diligentiæ possem confidere: si modo subscriptore indigerem: quo non indigeo. Id enim tacite significat. DE POPVLO} ex alienissimis, ex illo grege. ADDATVR?} non postulanti, non indigenti, recusanti potius, & inuito. Plautus Aul. Quos si Argus seruet, qui oculeus totus fuit; Quem quondā Ioui Iuno custodem addidit; Is numquam præterea seruet, tibicinā. CAVSSAM *præripere*} quæ mihi vni tradita est, ad vos transferre. verbum, Præripere, fidem eorum in dubium adducit. nō enim dicit, Vt eādem caussam mecum simul agere, sed, Præripere mihi, obsistere, & impedire, ne reꝰ accusante me cōdemnetur. A COLVMNA *Mænia*} ad quam in foro infames rei, sortis infimæ, & obscuræ condicionis, vt fures, & serui nequam, (hos enim exempli caussa Pedianus nominat) accusabātur. in oratione pro Sextio, qui graui ære alieno premerentur, ad eam columnam à creditoribus vocari solitos esse, inuehens in Gabinium significare Cicero videtur his verbis: Qui olim, ne Scylleo illo æris alieni in freto ad columnā adhæresceret, in tribunatus portū perfugerat. Eiusdem columnæ apud Sex. Pompeium est mentio. VESTRI *ordinis*} nullius existimationis. CVSTODEM, *inquit*,} fingit aliquem dicere, si subscriptoris locum obtineat, vtilem in eo quoque caussæ futurum, quia, ne præuaricari Tullius posſit, diligenter animaduertet. DE ISTO *custode toto*} de toto subscriptorum genere. HOS *tales viros*} iudices: quorū de subscriptoribus addendis potestas

hoc loco perspicue demonstratur. REFORMIDAT.} ne, si quis consilia mea nouerit, enunciet iis, quibus vt occulta sint, opera danda est. HVNC *librum*} de quo supra: Quem tibi magister ludi nescio quis, ex alienis orationibus compositũ, dedit. TE} qui Siculus & ipse es. VNVM *eximium fuisse.*} vnum exceptum esse. non ille te vnum exemit, cum omnibus Siculis iniurias faceret. Terentianum loquendi genus, in Hec. Vt neminem habeam in eximium: PERTI} qui accusationem tibi dari postulas. ID QVOD *non potes,*} nō enim facultatis in te tantum est, vt iniurias tuas ipse per te persequi possis. SINT *impunitæ.*} nam te actore reus elabetur. ita nec tu iniurias tuas, nec Siculi suas vlciscentur. QVI *debeat,*} qui maximam acceperit iniuriam.

ORATIO.

QVOD. *si ei potissimum censes permitti oportere accusandi potestatem, cui maximam C. Verres iniuriam fecerit: vtrum tandem censes hos iudices grauius ferre oportere, te ab illo esse læsum, an prouinciã Siciliam esse vexatam, ac perditã? opinor, concedis, multo hoc esse grauius, & ab omnibus ferri grauius oportere. concede igitur, vt tibi anteponatur in accusando prouincia. nam prouincia accusat, cum is agit caussam, quem sibi illa defensorem sui iuris, vltorem iniuriarum, actorem totius caussæ adoptauit. At eam tibi C. Verres fecit iniuriam, quæ ceterorũ quoque animos posset incommodo commouere. Minime. nam id quoq; ad rem pertinere arbitror, qualis iniuria dicatur, quæ caussa inimicitiarum proferatur. cognoscite ex me: nam iste eam profecto, nisi planè nihil sapit, numquam proferet.*

EXPLANATIO.

ADOPTAVIT.} adsciuit, delegit. infra: Illa erat caussa iustissima, quod eum sibi Achæi patronũ adoptarant. Et Vatinius ad Cic. Quem potius adoptem, aut inuocem, quam eum, quo defendente vince re didici NISI *planè nihil sapit,*} simul enim proferret improbitatem suam.

AGONIS *quædam Lilybætana,*} vsitatum narrationis initium, de quo diximus in ea pro Quinctio ad illud: C. Quinctius fuit P. Quinctij huius frater.

ORATIO.

AGONIS *est quædam Lilybætana, liberta Veneris Erycinæ, quæ mulier ante hunc quæstorem copiosa plane, & locuples fuit. ab hac præfectus Antonij quidã symphoniacos seruos abducebat per iniuriam, quibus se in classe vti velle dicebat. tũ illa, vt mos in Sicilia est omnium Venereorum, & eorũ, qui à Venere se liberauerunt, vt præfecto illi religionem Veneris, nomenq; obijceret, dixit, & se, & omnia sua Veneris esse. vt hoc quæstori Cæcilio, viro optimo, & homini æquißimo, nuntiatũ est; vocari ad se Agonidem iubet: iudicium dat statim, si pareret, eam se, & sua Veneris esse dixisse. iudicant recuperatores id, quod necesse erat. neque enim erat cuiquam dubium, quin illa dixisset. iste in possesionem bonorum mulieris mittit: ipsam Veneri in seruitutẽ adiudicat: deinde bona vendit: pecuniam redegit, ita, dum pauca mancipia Veneris nomine Agonis, ac religione retinere vult, fortunas omnes, libertatemq́ue suã istius iniuria perdidit. Lilybæum Verres venit postea. rem cognoscit: factum improbat: cogit quæstorem suum pecuniam, quam ex Agonidis bonis redegisset, eam mulieri omnem adnumerare, & reddere. est adhuc, id quod vos omnes admirari video, non Verres, sed Q. Mucius. quid enim facere potuit elegantius ad hominum existimationem. æquius ad leuandã mulieris calamitatẽ, vehementius ad quæstoris libidinẽ coërcendam? summe hæc omnia mihi videntur esse laudanda: sed repente è vestigio ex homine, tamquam aliquo Circæo poculo, factus est Verres: redit ad se, atque ad mores suos: nam ex illa pecunia magnam partem ad se auertit: mulieri reddidit, quantulum visum est. Hic tu, si læsum te à Verre esse dices, patiar, & concedam: si iniuriam tibi factam quereris, defendam, & negabo. Deinde, de iniuria, quæ tibi facta sit, neminem nostrum grauiorem vindicem esse oportet, quam te ipsum, cui facta dicitur. si tu cum illo postea in gratiam redisti. si domi illius aliquoties fuisti; si ille apud te postea cenauit: vtrum, te perfidiosum, an præuaricatorem existimari mauis? video esse necesse alterutrum. sed ego tecum in ea non pugnabo, quo minus, vtrum velis, eligas. Quid, si ne iniuriæ quidem, quæ tibi ab illo facta sit, caussa remanet? quid habes, quod posis dicere, quamobrem non modo mihi, sed cuiquam anteponarei? nisi forte illud, quod dicturum te esse audio; quæstorem illius fuisse. quæ caussa grauis esset, si certares mecum, vter nostrum illi amicior.*

amicior esse deberet: in contentione suscipiendarum inimicitiarum ridiculum est putare, caussam necessitudinis ad inferendum periculū iustam videri oportere. etenim, si plurimas à tuo prætore iniurias accepisses: tamen, eas ferendo, maiorem laudē, quā vlciscendo, mererere: cū vero nullum illius in vita rectius factum sit, quā id, quod tu iniuriam appellas; hi statuent, hanc caussam, quam ne in alio quidem probarent, in te iustam ad necessitudinem violandam videri? qui, si summam iniuriam ab illo accepisti: tamen, quoniam quæstor eius fuisti, non potes eum sine vlla vituperatione accusare. si vero nulla tibi facta est iniuria: sine scelere eum accusare non potes. quare, cum incertum sit de iniuria; quemquam esse horum putas, qui non malit te sine vituperatione, quam cum scelere, discedere.

EXPLANATIO.

ANTE *hunc quæstorem copiosa plane, & locuples*} furtū Cæcilij iam incipit indicare. Mos hic Ciceronis est, criminis ostendendi, ante quam rem ipsam exponat. Sic lib. II. Heraclitus est, Hieronis filius, Syracusanus, homo in primis domi suæ nobilis, & ante hunc prætorem vel pecuniosissimus Syracusanorum. Lib. III. Agyrinensis est, in primis honesta ciuitas Siciliæ, hominū ante hunc prætorem locupletium, summorumque oratorum. Lib. IV. Ea domus ante aduentum istius sic ornata fuit, vt vrbi quoq; esset ornamento. Ibidem: Domus erat ante istum prętorem nulla paullo locupletior, qua in domo hæc non essent, etiam si præterea nihil esset argēti, patella grandis, patera, turibulum. Cum enim dicit, Ante hunc prętorem expilatas à Verre, exinanitasque Siculorum domus indicat. ANTONII} lib. II. Postquam M. Antonij infinitum illud imperium senserant. Hic post præturam curam habuit, infinito cum imperio, totius oræ maritimæ; &, indicto Cretensibus bello, morbo perijt. vnde lib. III. in Verr. Antonium, cum multa contra sociorū salutē, multa cōtra voluntatē prouinciarū & faceret, & cogitaret, iń medijs eius iniurijs, & cupiditatibus mors oppressit. Asconius, epitome, Velleius, alij. Filius fuit M. Antonij oratoris, pater eius, qui cum Octauiano, & Lepido remp. oppressit. VENEREORVM} qui se

Vene-

Veneri consecrarunt. SE LIBERARVNT,} hi sunt Veneris liberti, in quibus erat Agonis: Venerei vero serui, non liberti. VIRO *optimo, & homini æquissimo,*} ironia: vt è sequentibus patet. IVDICIVM *dat statim,*} dat recuperatores, in hæc verba: Si pareret, eā se, & omnia sua Veneris esse dixisse. Dare iudicium, veteres dicebāt, pro, iudices dare, certa quadam verborum formula, à qua discedere non liceret. exemplum formulæ à Cæcilio datæ, hoc est: Si pareret, eam se, & omnia sua Veneris esse dixisse. Legendum autem, Si pareret, non, Si pateret: cum tamem sensus idem sit. sed multis in locis, vbi, Paret, fuit, repositum est, Apparet, ignoratione veterum formularum; in quibus, Paret, fuisse, pro, comparet, apparet, auctor est Festus. ideo lib. II. in Verr. lego: Si paret, fundum Capenatē. Si paret. lib. III. Si pareret, iugera eius modo fundi. Lib. V. bis. Et pro Roscio Com. Si paret, H-S IↃↃↃ deberi. Instit. lib. III. tit. 15. Perinde ei condici potest, si paret eū dare oportere, ac si mutuū accepisset. Et li. IV. tit. 6. Certū est, non posse actorē suam rem ità ab aliquo petere, si paret eum dare oportere. Et ibidem proxime: Si pareat eos dare oportere. Et tit. 13. Qua de caussa efficax est aduersus eum actio, quam actor intēdit, si paret eum dare oportere. Theophilus, εἰ φαίνεται, dixit: & addidit lib. IV. tit. 6. καταδίκασον ὦ δικαστά: quod est, Condemna eum iudex. apud Latinos subauditur: vt exemplis intelligitur. LILYBAEVM} vbi iudicium dederat Cæcilius. quæstor enim Lilybætanus erat: cum esset alter Syracusanus. Q. MVCIVS} qui pontifex max. fuit, collega L. Crassi oratoris in consulatu. eum Damasippus prætor, ex voluntate C. Marij iunioris consulis, cum alijs optimatum principibus occidit. Velleius, Appianus, Cicero lib. II. de Orat. Asiam rexit ita innocenter, vt senatus deinceps in eam prouinciam ituris magistratibus exemplum Scæuolæ administrationis decreto suo proponeret. Valerius Max lib. IIX. cap. 15. Eiusdem innocentia, lib. II. in Verrem laudatur his verbis: Quis erit posthac reus tam perditus, qui non ad Q. Mucij innocentiam referatur, si cum isto conferatur, si cum isto conferatur?

Ibidem

Ibidem paullo post: Cohors non Q. Scæuolæ, qui tamen de cohorte sua dare non solebat, sed C. Verris. REPENTE è *vestigio*} venit in mentem suspicari, ne alterutrum abundet. FACTVS *est Verres.*} iocatur ambiguo Verris nomine. quasi, factus est sus: cũ in reddẽda Agonidi pecunia homo visus esset. sus autem ita repẽte factus, tamquam Circæa potione. nam Circe socios Vlysis, vt fabulatur Homerus, in sues mutabat. DEFENDAM, *& negabo*} refellam, quod obijcis Verri; & negabo, tibi iniuriã esse factã. lædimur enim & iure, & iniuria, læsus es iure, ergo iniuriam non accepisti. DE INIVRIA, *quæ tibi facta sit,*} quam tu iniuriam appellas, tibique factam esse dicis. Et facta sit, non Facta est, Cicero dixit, quia, Est, affirmabat iniuriam Cæcilio esse factam: Sit, non affirmat ex persona Ciceronis, verum ex persona Cęcilij: vt si dixisset, De iniuria, quam tibi factam esse dicis. PERFIDIOSVM, } si eum vehementer accusabis; perfidiosus eris: cum te in gratiam postea cum illo redijsse, negare non possis. sin remisse, ac leuiter: præuaricatoris culpam subibis. NE *iniuriæ quidem caussa remanet.*} iniuriæ caussa pecunia fuit adempta tibi, & Agonidi reddita. quod si Verres rursus eam pecuniã ad te transtulit, iniuriæ caussa non remanet. Hoc Cicero significat, nec tamen perspicue narrat; quia probare non poterat, quod inter solos Verrem, & Cęcilium, nullo teste, transactum erat. itaque satis habet, iudices conijcere, incertũ esse de pecunia Cæcilio data, vel non data: quod infra quoque ostendit his verbis: Cum incertum de iniuria sit; quemquam esse horum putas, qui non malit te sine vituperatione, quam cum scelere, discedere? TE SINE *vituperatione*} si non accusas prætorem tuum: vituperatio nulla est. si accusas, cum de iniuria sit incertum: scelus à te committi, homines fortasse credent, ob eam necessitudinem, quæ inter quæstorem, & prætorem est quod igitur è re tua est, id statuent iudices, actorem te non esse deligendum: vt sine vituperatione potius, quam cum scelere discedas.

ORA-

ORATIO.

AT vide, quid differat inter meam opinionem, ac tuam. tu cum omnibus rebus inferior sis, hac vna re te mihi anteferri putas oportere, quod quæstor illius fueris. ego, si superior ceteris rebus esses, te hanc vnam ob caussam accusatorem repudiari putarem oportere. sic enim à maioribus nostris accepimus, prætorem quæstori suo parentis loco esse oportere, nullam neque iustiorē, neq; grauiorē caussam necessitudinis posse reperiri, quā coniunctiorē, sortis, quā prouinciæ, quā officij, quam publicam muneris societatem. quamobrē, si iure eum possis accusare, tamen, cū is tibi parentis numero fuisset, id pie facere non posses. cum vero neque iniuriam acceperis, & prætori tuo periculum crees: fateatis, necesse est, te illi iniustum impiumque bellum inferre conari. etenim ista quæstura ad eam rem valet, vt elaborandum tibi in ratione reddenda sit, quamobrem, eum, cui quæstor fueris, accuses; non vt ob eam ipsam caussam postulandum sit, vt tibi potissimum accusatio detur. neque fere vmquam venit in contentionem de accusando qui quæstor fuisset, quin repudiaretur. itaque neque L. Philoni in C. Seruilium nominis deferendi potestas est data, neq; M. Aurelio Scauro in L. Flaccum, neque Cn. Pompeio in T. Albucium: quorum nemo propter indignitatem repudiatus est. sed ne libido violandæ necessitudinis auctoritate iudicum comprobaretur. atque ille ita cum C. iulio contendit, vt tu mecum. quæstor enim Albutij fuerat, vt tu Verris. Iulius hoc secum auctoritatis ad accusandum afferebat. quod, vt hoc tempore nos ab Siculis, sic tum ille ab Sardis rogatus ad caussam accesserat. semper hæc caussa plurimum valuit: semper hæc ratio accusandi fuit honestissima, pro socijs, pro salute prouinciæ pro exterarum nationum cōmodis inimicitias suscipere, ad periculū accedere, operam, studium, laborem interponere. etenim, si probabilis est eorum caussa, qui iniurias suas persequi volūt, qua in re dolori suo, nō reip. cōmodis seruiunt: quāto illa caussa honestior, q̄ non solum probabilis videri, sed etiā grata esse debet, nulla priuatim accepta iniuria, sociorum atque amicorum populi R. dolore atque iniurijs commoueri?

EXPLANATIO.

CONIVNCTIONEM *sortis*,} supra: Sortis religionem. Sors igitur, vt à dijs immortalib. profecta, religione cōiūgit. & Phil. I II. Sors diuina appellatur.

IVRE}

IVRE} vt iniuriam tibi illatam persequereris. NEQVE *iniuriam acceperis,*} hic negat iniuriã Cæcilio à Verre esse factã: supra incertum esse dixit. CN. *Pompeio*} Straboni, Pompeij Magni patri. T. ALBVCIVM:} qui post præturam Sardiniæ præfuerat: vt in Orat. pro Postumo, & in Pisonem, & lib. II. Off. ATQVE *ille Cn. Pompeius*} glossema esse, Cn. Pompeius, quis non videt? C. IVLIO} Strabone, qui lepore, & facetijs excelluit: vt lib. I. Off. ideo de ridiculis disputat lib. II. de Orat. accusauit pro Sardis Albucium: vt lib. II. Off.

ORATIO.

NVPER *cum in P. Gabinium vir fortissimus & innocentissimus L. Piso delationem nominis postularet, & contra Q. Cæcilius peteret, isque se veteres inimicitias, iamdiu susceptas, persequi diceret: cum auctoritas, & dignitas Pisonis valebat plurimum, tum ille erat caussa iustissima, quod eum sibi Achæi patronum adoptarant. etenim, cum lex ipsa de pecunijs repetundis sociorum, atque amicorum populi R. caussa comparata sit; iniquum est, non eum legis iudicijque actorem idoneum maxime putari, quem actorem caussæ suæ socij, defensoremq; fortunarum suarum potissimum esse voluerunt. an, quod ad commemorandum est honestius, id ad probandum non multo videri debet æquius? vtra igitur est splendidior, vtra illustrior commemoratio: Accusaui eum, cui quæstor fueram, quicum me sors consuetudoque maiorum, quicum me deorum hominumque iudicium coniunxerat: an, Accusaui rogatu sociorum atque amicorum; delectus sum ab vniuersa prouincia, qui eius iura fortunasque defenderẽ? dubitare quisquam potest, quin honestius sit, eorum caussa, apud quos quæstor fueris, quam eum, cuius quæstor fueris, accusare? Clarissimi viri nostræ ciuitatis, temporibus optimis, hoc sibi amplissimum pulcherrimumque ducebant, ab hospitibus clientibusque suis, ab exteris nationibus, quæ in amicitiam populi R. ditionemque essent, iniurias propulsare, eorumque fortunas defendere. M. Catonem illum sapientem, clarissimum virum, & prudentissimum, cũ multis graues inimicitias gessisse accepimus propter Hispanorum, apud quos consul fuerat, iniurias. nuper Cn. Domitium scimus M. Silano diem dixisse propter vnius hominis Egritomari, paterni amici, atque hospitis, iniurias. neque enim magis animos hominum*

nocen-

nocẽtium res vmquam vlla commouit, quam hæc maiorũ consuetudo longo interuallo repetita, atque relata. Sociorum querimoniæ delatæ ad hominem non inertissimum: susceptæ ab eo, qui videbatur eorum fortunas fide, diligentiaq; sua posse defendere. hoc timent homines: hoc laborant: hoc institui, atque adeo institutum referri, ac renouari moleste ferunt. putant fore, vti, si paullatim hæc consuetudo serpere, ac prodire cœperit, per homines honestissimos, virosque fortissimos, non imperitos adolescentulos, aut illiusmodi quadruplatores, leges iudiciaque administrentur. cuius consuetudinis, atque instituti patres maioresque nostros non pœnitebat, tum, cum P. Lentulus, is, qui princeps senatus fuit, accusabat M. Aquilliũ, subscriptore C. Rutilio Rufo; aut cum P. Africanus, homo virtute, fortuna, gloria, rebus gestis amplissimus, postea quã bis consul, et censor fuerat L. Cottã in iudicium vocabat. iure tum florebat populi R. nomen: iure auctoritas huius imperij, ciuitatisque maiestas grauis habebatur. nemo mirabatur in Africano illo, quod in me nunc, homine paruis opibus, ac facultatibus prædito, simulant sese mirari: cum moleste ferãt. Quid sibi iste vult? accusatorem ne se existimari, qui antea defendere consueuerat? nunc præsertim, ea iam ætate, cum ædilitatem petat. ego vero ætatis nõ modo meæ, sed multo etiam superioris, & honoris amplissimi puto esse, & accusare improbos, & miseros calamitososque defendere. & profecto aut hoc remedium est ægrotæ, ac prope desperatæ reip. iudicijsque corruptis, ac contaminatis paucorum vitio, ac turpitudine, homines ad legum defensionem, iudiciorumque auctoritatem quam honestissimos, & integerrimos, diligentissimosque accedere: aut, si ne hoc quidem prodesse poterit, profecto nulla vmquam medicina his tot incommodis reperietur. nulla salus reip. maior est, quam eos, qui alterum accusant, non minus de laude, de honore, de fama sua, quam illos, qui accusantur, de capite, ac fortunis suis pertimescere. itaque semper ij diligentissime, laboriosissimeque accusarunt, qui se ipsos in discrimen existimationis venire arbitrati sunt.

EXPLANATIO.

IN *P. Gabinium*} qui Achaiam administrauerat. DEORUM *hominumque*} deorum, ob sortem: hominum, ob morem maiorum, qui hanc quæsturæ coniunctionem liberorum necessitudini proximam voluit esse.

QVAE *in amicitiam populi Romani, ditionemque essent,*} pro, in amicitia, ditioneque. sic locutus pro Quinctio: Ex eo tempore res esse in vadimonium cœpit. Pro lege Manilia: cum vestros portus in prædonum fuisse potestatem sciatis. Animaduertit hoc Gellius lib. I. cap. 7. APVD *quos consul fuerat,*} ex quibus etiam triumphauit. NVPER} C. Mario, C. Fimbria cos. vt ait Asconius in Corneliana, id est ante annos XXXIII. CN. DOMITIVM} tribunum pl. Sed, Nuper, dixit, habita ratione superiorum temporum. exemplum enim attulerat M. Catonis, qui multis annis ante Domitium fuerat. sic lib. II. Fecerunt hoc multi apud maiores nostros, fecit etiam nuper homo clarissimus Cn. Domitius, qui M. Silanum, consularem virum, accusauit, propter Egritomari, transalpini hospitis, iniurias. M. SILANO} consulari, qui cum Cimbris male rem gessit: vnde accusatus à Domitio. Asconius in Corneliana. DIEM *dixisse*} Diem dicere, est id quidem accusare, sed in hoc differt, quod accusant priuati homines, & magistratus, diem vero dicunt soli magistratus: idque proprium tribunorum plebis fuit. in Bruto: Nec sane plus frater eius M. Virgilius, qui tribunus plebis L. Sullæ imperatori diem dixit. Pro Milone: Diem mihi, credo, dixerat, multam irrogarat. Pro Flacco: Adiungis caussas inimicitiarum, quod patri L. Flacci, ædili cur. pater tuus, tribunus plebis diem dixerit. Lib. III. Offic. L. Manlio A. F. cum dictator fuisset, M. Pomponius tribunus plebis diem dixit, quod is paucos sibi dies ad dictaturam gerendam addidisset. Epist. secunda, lib. I. ad Q. fr. Si diem nobis Clodius dixerit, tota Italia concurret. Liuius lib. III: Cum diem Appio Virginius dixisset, Appius stipatus patriciis iuuenibus in forum descendit. Et lib. XXXIIX. Scipioni Africano duo Q. Petillij diem dixerunt. Suetonius in Cæsare: Subornauit etiam, qui C. Rabirio perduellionis diem diceret. Huc spectasse videtur Plautus, cum in Capt. dixit.

His diem dicã: irrogabo multam, vt mihi cenas decem
Meo arbitratu dent.

NON

NON *inertissimum:*} modestius laudare se ipsum non potuit: sicuti cum subiungit, Qui videbatur posse defendere. nam, Videbatur, non affirmat. Et cum ait, Fide, diligentiaq; sua: omissa ingenij mentione. Simile illud in vituperando lib. II. Heraclium hominem esse maiorem natu, non promptissimum. HOMINES} nocentes videlicet. ADOLESCENTVLOS} idem supra, NON *pœnitebat*,} fructum enim eius consuetudinis capiebant maximum ex amore sociorum: qui nunc afflicti, ac perditi iam non salutis spem, sed exitij solatium quærunt. P. LENTVLVS,} auus eius Lentuli, qui cum Catilina coniurauit: vt in Catil. & pro Domo PRINCEPS *senatus*} Princeps senatus dicebatur, quem censores in recitando primum legissent. sic, Princeps equestris ordinis, quem in recitādis equitum centurijs primum legissent. M'. AQVILLIVS} duo M'. Aquillij fuere, vterq; consularis: prior à P. Lentulo, alter, eius, vt opinor, filius, à L. Fusio accusatus, &, M. Antonio defendente, ob seruilis belli memoriam, ab eo feliciter in Sicilia confecti, liberatus. libr. II. Offic. libr. V. in Verrem, libr. II. de Orat. AFRICANVS,} minor, Paulli filius. L. COTTAM} consularem defensum esse, à Metello Macedonico, scriptum est in Bruto: septies ampliatum, in Valerio: absolutum, in oratione pro Murena. SIMVLANT *sese mirari:*} non mirantur, sed ideo mirari se simulant, quia moleste ferunt. cur autem, quod Africano licuit, id mihi non liceat, homini paruis opibus, ac facultatibus prædito? PAVCORVM *vitio*,} corruptelam ad paucos redigit: ne vniuerso ordini senatorio, qui tum res iudicabat, notam inurat improbitatis. QVAM HONESTISSIMOS,} ad dignitatem refertur. fere enim homines dignitate præditi à turpitudine deterrentur. itaque subiungit: Nulla salus reip. maior est, quam eos, qui alterum accusant, nō minus de laude, de honore, de fama sua, quam illos, qui accusantur, de capite, ac fortunis suis, pertimescere. Hęc autem ad excludendum accusatione Cæcilium pertinent.

ORATIO.

QVAMOBREM hoc statuere, iudices, debetis, Q. Cæcilium, de quo nulla vmquam opinio fuerit, nullaque in hoc ipso iudicio exspectatio futura sit, qui neque, vt ante collectam famam conseruet, neque, vti reliqui temporis spem cōfirmet, laborat, non nimis hanc caussam seuere, non nimis accurate, non nimis diligenter acturum. habet enim nihil, quod in offensione deperdat, vt turpissime flagitiosissimeque discedat: nihil de suis veteribus ornamentis requiret. à nobis multos obsides habet populus R. quos vt incolumes conseruare, tueri, confirmare, ac recuperare possimus: omni ratione erit dimicandum. habet honorem, quem petimus: habet spem, quam propositam nobis habemus. habet existimationem multo sudore, labore, vigilijsque collectam: vt, si in hac caussa nostrum officium, ac diligētiam probauerimus, hæc, quæ dixi, retinere per populum R. incolumia, ac salua possimus: sin tantulum offensum, titubatumque sit, vt ea, quæ singulatim ac diu collecta sunt, vno tempore vniuersa perdamus. Quapropter, iudices, vestrum est, deligere, quem existimetis facillime posse magnitudinem caussæ, ac iudicij sustinere, fide, diligentia, consilio, auctoritate. vos si mihi Q. Cæcilium antepósueritis, ego me dignitate superatum nō arbitrabor. populus R. ne tam honestam, tam seuerā, diligentemque accusationem, neque vobis placuisse, neque ordini vestro placere arbitretur, prouidete.

EXPLANATIO.

DE QVO *nulla vmquam opinio fuerit,* } quem nemo vmquam in patronorum numero posuit. COLLECTAM *famam* } quam nullam collegit. SPEM } quæ de eo nulla est. NON *nimis hanc caussam seuere,* } parū seuere, minus seuere, quam oporteat. Non nimis, videtur id, quod nimium est, excludere, sed ita minuit, propemodum vt neget. IN OFFENSIONE } si quid peccauerit. VT TVRPISSIME, *flagitiosissimeque discedat:* } quamuis in accusando Verre turpissime, id est, nulla diligentia & flagitiosissime, id est nulla fide, se gesserit. Sic locutus supra: Cum scelere discedere. Similiter ad Att. Si possum discedere, ne caussa optima in senatu pereat. Id est: Si possum eum exitum habere. VETERIBVS *ornamentis* } quæ nulla sunt. REQVIRET. } amittet. nemo

enim

enim amittit, quod non habet. NON *arbitrabor,*} æque enim & Cæcilium noui, & me ipsum. POPVLVS *Romanus*} monet iudices, vt infamiam vitent, & suam, & vniuersi ordinis senatorij. TAM *honestam,* }pro Sicilia prouincia contra reum nocentem, ac perditum. TAM *seueram,* } quam exspectare à me potius, quam à Cæcilio, debetis. Hoc ad illud opponitur, supra dictum: Non nimis hanc caussam seuere, non nimis accurate, non nimis diligenter acturum. NEQVE *vobis placuisse,*} vt à Verre corruptis. NEQVE *ordini vestro placere*} in eandem suspicionem adducit, si sibi Cæcilius ꝓferatur, vniuersum ordinem senatorium, male iam audientem iudiciorũ nomine. itaque paullo post de iudicijs inter tres ordines communicandis legem promulgauit: & pertulit L. Aurelius prætor. PROVIDETE.} vestra caussa, non mea. nam ego me dignitate superatum non arbitrabor.

IN ACTIONEM I. CICERONIS. IN VERREM.

PAVLLI MANVTII COMMENTARIVS.

ARGVMENTVM.

REVERSVS è *Sicilia Tullius, quo, post victum Cæcilium, impetratumq́; à iudicibus accusandi locum, ad colligendas in Verrem litteras, denunciandaq́ue testimonia profectus erat, hanc orationẽ habuit, in qua, sumpto à vita*

Verris initio, quæ ille primus Cn. Carbonis consulis quæstor, deinde C. Dolabellæ, Ciliciæ prouinciæ prætoris, legatus, & proquæstor, tum in prætura vrbana, postremo in Siciliensi per triennium patrauerat, ita percurrit, vt singulorum tamen criminũ magnitudinem patefaciat. Hac narratione Verre in odium iudicum adducto, aggreditur alterã partem; in qua spes Verris ostenditur de caussa in annum sequentem producenda: nõ solum, vt Glabrionem prætorem, singulari præditum integritate, ac sapientia, simulq́; iudices, viros optimos, atque iustißimos effugiat, quos pecunia sua corrumpi posse non confidit: verum etiam, vt ope, auctoritate, studio. Q. Hortensij, patroni sui, & Q. Metelli, amicißimi, qui iam designati consules erant, præterea M. Metello prætore sui studiosißimo, de pecunijs repetundis quærente, alijs iudicibus, elabatur. quod si accidat; ijs, quorum culpa suorum scelerum impunitatem Verres erit assecutus, inimicum se, accusatorem, aduersarium odiosum, asiduum, acerbum fore profitetur: sed, ne accidere posit, consilio & ratione iam prouidisse: nolle, quod fieri solet in expliandis criminibus operã, tempusq́ue consumere, & oratione perpetua eloquentiæ laudem quærere: nouo se vsurũ agendi genere, quod vnicum esse contra Verris insidias remedium putet, vt eum tabulis, testibus, litteris, auctoritatibus accuset: ita fore, vt, omisso legitimo tempore, ad dicendum dato, testibus ad singula crimina citatis, tota celeriter ad exitum accusatio perducatur. Nec eum fefellit opinio. nam Verres, noua accusandi ratione fractus, ac debilitatus, amissa patrocinij spe, in exsiliũ sua sponte abijt. Consilij sui exposita necessitate, monet iudices, atque hortatur, operam dent, vt conceptam per aliquot annos, paucorum culpa, turpitudinem

dinem atque infamiam iudiciorum, opportunitate temporis diuinitus dati, in vno reo, omnium, qui vnquam in iudicium adducti sint, nocentissimo, pecuniosissimo, audacissimo, sua æquitate, integritate, sapientia deleant, atque tollant. Minas addit: paratum se esse, si Verris opes plus, quam veritas legesq́ue valuerint, ad corrupti iudicij dedecus omni vi, ac seueritate persequendum. Prætorem Glabrionem ad suscipiendam integritatis, fidei, religionis caussam, liberandum infamia senatum, tuendam domesticam laudem, vehementer excitat. qui ne sibi cum consilio mutetur, quod spectabat Verres, conaturum se, atque effecturum esse confirmat.

M. TVLLII. CICERONIS. ACTIO. PRIMA. IN. C. VERREM.

ORATIO. V.

QVOD erat optandum maxime, iudices, & quod vnum ad inuidiam vestri ordinis, infamiamq́ue iudiciorum sedandam maxime pertinebat, id non humano consilio, sed prope diuinitus datum, atque oblatum vobis summo reip. tempore videtur. inueterauit enim iam opinio perniciosa reip. vobisq́ue periculosa, quæ nō modo Romæ, sed & apud exteras nationes omnium sermone percrebuit, his iudicijs, quæ nunc sint, pecuniosum hominem, quamuis sit nocens, neminem posse damnari. nunc in ipso discrimine ordinis iudiciorumq́ue vestrorum, cum sint parati, qui concionibus & legibus hanc inuidiam senatus inflammare conentur, reus in iudicium adductus est C. Verres, homo vita atque factis, omnium iam opinione, damnatus, pecuniæ magnitudine, sua spe, ac prædicatione absolutus. Huic ego caussæ, iudices, cum summa voluntate, & exspectatione populi R. actor accessi; non, vt augerem inuidiam

ordinis, sed vt infamiæ communi succurrerem. adduxi enim hominem, in quo reconciliare existimationem iudiciorum amissam, redire in gratiam cum populo R. satisfacere exteris nationibus possetis, depeculatorem ærarij, vexatorem Asiæ, atque Pamphyliæ prædonem iuris vrbani, labem atque perniciem prouinciæ Siciliæ. de quo si vos seuere, religioseque iudicaueritis, auctoritas ea, quæ in vobis remanere debet, hærebit. sin istius ingentes diuitiæ iudiciorum religionem veritatemque perfregerint: ego hoc tamen assequar, vt iudicium potius reip. quam aut reus iudicibus, aut accusator reo defuisse videatur. equidem, vt de me confitear, iudices, cum multa mihi à C. Verre insidiæ terra marique factæ sint, quas partim mea diligentia deuitarim, partim amicorum studio, officioque repulerim, numquam tamen, neque tantum periculum mihi adire visus sum, neq; tantopere pertimui, vt nunc in ipso iudicio. neque tantum me exspectatio accusationis meæ, concursusq; tantæ multitudinis, quibus ego rebus vehementissimè perturbor, commouet, quantum istius insidiæ nefariæ, quas vno tempore mihi, vobis, M. Glabrioni prætori, socijs, exteris nationibus, ordini, nomini denique senatorio facere conatur. qui ita dictitat, ijs esse metuendum, qui, quod ipsis solis satis esset, surripuissent, se tantum rapuisse, vt id multis satis esse posset, nihil esse tam sanctum, quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia posset. quod si, quam audax est ad conandum, tam esset obscurus in agendo: fortasse aliqua in re nos aliquando fefellisset: verum hoc adhuc percommode cadit, quod cum incredibili eius audacia singularis stultitia coniuncta est. nam, vt apertus in corripiendis pecunijs fuit, sic in spe corrumpendi iudicij perspicua sua consilia, conatusq; omnibus fecit. semel ait se in vita pertimuisse, tum, cum primum reus à me factus sit: quod, cum è prouincia recens esset, inuidiaque & infamia non recenti, sed vetere ac diuturna flagraret, tum ad iudicium corrumpendum tempus alienum offenderet. itaque, cum ego diem in Siciliam inquirendi perexiguam postulauissem, inuenit iste, qui sibi in Achaiam biduo breuiorem diem postularet: non vt idem conficeret diligētia, & industria sua, quod ego meo labore, & vigilijs consecutus sum: etenim ille Achaicus inquisitor ne Brundisium quidem peruenit: ego Siciliam totā quinquaginta diebus sic obij, vt omnium populorum, priuatorumq; litteras, iniuriasq; cognoscerem: vt perspicuum cuiuis esse posit, hominem

minem ab isto quæsitum esse, non qui reum suum adduceret, sed qui meum tempus obsideret.

EXPLANATIO.

QVOD *erat optandum*} quid enim optabilius ordini senatorio, quam accusationem dari, qua conceptũ per annos decem turpitudinem, infamiamque iudiciorum delere liceat, ac tollere? MAXIME} venustatis quiddam habet. Quod erat optandum maxime, & quod vnum ad inuidiam vestri ordinis, infamiamque iudiciorum sedandam maxime pertinebat. aures enim interdum delectat iteratio eiusdem verbi. IVDICIORVM} quæ cum ab equestri ordine lege C. Gracchi administrarentur, L. Sulla victor ea transtulit ad senatum. SVMMO *reip. tempore*} extremo: cum id resp. vehementer postulabat. VOBISQVE *periculosa*,} timendum enim, ne propterea equestris ordo ad iudicandum vocetur. QVAE *nunc fint*,} quæ nunc per senatores fiunt. CONCIONIBVS,} tribunos pl. significat, occasionem semper aliquam aucupantes de senatorio ordine detrahendi. LEGIBVS} de iudicijs ad equites transferendis. quam legem tulit hoc anno L. Cotta prætor. de quo sic lib. III: Quid possumus contra illum prætorem dicere, qui quotidie templũ tenet, qui remp. negat stare posse, ni ad equestrem ordinem iudicia referantur? NON VT *augerem inuidiam ordinis*,} non vt præuaricarer: nõ vt quemquam, aut ipse corrumperem, aut à reo, eiusue suffragatoribus corrũpi finerem. quæ commissa sunt antea, magna vestri ordinis inuidia, cum eiusmodi caussæ à pueris nobilibus, quos elusit Hortensius, vel à quadruplatoribus, quos idem non sine caussa semper contempsit, agerentur. DEPECVLATOREM *ærarij*,} cum esset Cn. Carbonis consulis quæstor. libr. I. in Verrem. VEXATOREM *Asiæ, atque Pamphyliæ*,} cum legatus, & proquæstor Dolabellæ. Asia enim hic pro Cilicia, Dolabellæ prouincia, ponitur, vt lib. I. Hi sunt anni consumpti in quæstura, & legatione Asiatica. Ibidem: Cum Verrem ex Asia decedentem prosequeretur, iussu Dolabellæ fuisse vna cum isto Sami. Et infra: Cũ tibi se

tota Asia spoliandam ac vexandam tradidisset; cum tibi exposita esset omnis ad prædandum Pamphylia; contentus his tam optimis rebus non fuisti? Lib. III Qui sociorum iniurijs, prouinciarumque incommodis doleat; is in te non expilatione Asiæ, vexatione Pāphyliæ, squalore & lacrymis Siciliæ, concitetur? IVRIS *vrbani*} cum prætor vrbanus. PROVINCIAE *Siciliæ*.} cum ei prętor per triennium præfuit. IN VOBIS *remanere*} non ad alium ordinem transferri. HAEREBIT:} permanebit, non auferetur. Minatur tacite mutationem iudiciorum, si Verres absoluatur. RELIGIONEM, *veritatemque*} cum dixerit: Si vos seuere, religioseq; iudicaueritis: hic subiungēdum videtur, Religionem, Seueritatemque, vt eadem referantur. Et infra: Nulla in iudicijs seueritas, nulla religio, nulla denique iam existimantur esse iudicia. Nec me tamen fugit, veritatē pro iustitia, ac seueritate solere vsurpari, vt lib. IV. Agitur existimatio, veritasque iudiciorum. Et pro Quinctio: Cum in tuam, C. Aquilli, fidem, veritatem, misericordiam P. Quinctius confugerit. Religionem autem à iudicibus postulat, quia iurati sententiam ferebant. Infra: Suscipe caussam religionis. Et lib. II. Si facultatem vere atque honeste iudicandi fide & diligentiā mea fecero. Quare, si cui, Veritatem, placet; aut si quis, Vere, Religioseque supra legere maluerit, vt locus loco ijsdem verbis respondeat: non contendam. TERRA, *marique*} cum è Sicilia, collectis tabulis, litteris, auctoritatibus, in Verrem, Romam redijt. Insidias alias, eius videlicet existimationi factas, & præmia præuaricationis proposita, non putabit hic significari, qui perpendet quod proxime sequitur, Quas partim, &c. quod ideo dictum volui, quia mihi verba Pediani scrupulum iniecerunt. Transijt autem à Vibone Veliam, vt eas insidias vitaret. Lib. II. A Vibone Veliam paruulo nauigio, inter fugitiuorum, ac prædonum, ac tua tela venissem. QVI *ista dictitat*,} oratoris est, ea dicentem reum inducere, quæ iudices illi infensos, inimicosque reddant. hoc artificio sæpe Cicero vtitur: vt infra: Semel ait se in vita pertimuisse. Et paullo post; Vt hoc palam dictitet,

non

non sine caussa se cupidum pecuniæ fuisse; quoniam tantum in pecunia præsidium experiatur esse. NON *recenti*} argute. Recens quidem ipse erat prouincia, non tamen recens ea, qua flagrabat, inuidia. FLAGRARET,} apud iudices, populumque Romanum. cum hoc verbo consentit illud supra: Qui hanc inuidiã senatus inflammare conentur. TEMPVS *alienum*} quia reus à me factus esset: quo actore, non erat, quod in suis diuitijs vllam spem collocaret: cum ego is essem, cuius diligentia nefarijs illius insidijs posset occurrere PER EXIGVAM} centum & decem dies. lib. I. BIDVO *breuiorem*} centum & octo dies. POSTVLARET:} vt ita mihi vel agendi locus adimeretur; vel, si ille, id quod acidit, neminẽ accusaret, saltem mihi dies multos, ad agendum in primis opposítos, eriperet, dum illius ex Achaia reditus exspectaretur, quem exspectari necesse erat, quia breuiorẽ, quam ego, diem inquirendi postulasset. Prior autem accusabat is, qui breuiorem ad inquirendum diem postulauerat. cuius generis exemplum hoc est apud Pedianum. Cæpio Scaurum reum fecit repetundarum. Scaurus tanta fuit constantia animi, & magnitudine, vt Cæpionem contra reum detulerit, & breuiore die inquisitionis accepta, effecerit, vt ille prior caussam diceret. Verrem ille Achaicus inquisitor neminẽ accusare cogitauit; quod res ipsa ostendit; sed Ciceroni tempus eripere. quam iniuriam lib I. queritur his verbis: Interposuistis accusatorem, qui, cum ego mihi centum & decem dies solos in Siciliam postulassem, centum & octo sibi in Achaiam postularet. menses mihi tres cum eripuissetis, ad agendum maxime appositos; reliquum omne tempus huius anni me vobis remissurum putastis. NON VT *idem conficeret*,} qui sibi in Achaiam biduo breuiorem diem postulauit, non id ei propositum fuit, quod ego meo labore, meisque vigilijs in Sicilia præstiti, vt in Achaia inuestigaret, & colligeret ea, quæ ad reum condemnandum pertinebant: nõ enim accusare quemquam voluit: sed id spectauit, à Verre scilicet inductus, vt mihi tempus eriperet. NON QVI *reum suum adduceret*,} nõ qui reuera accusare eum vellet, quem

reum fecisset, & cuius caussa tempus illud in Achaiam eundi postulasset: sed qui reditus meum tempus obsideret, id est, obsisteret, atque impediret, ne ego ante ad agendam caussam possem accedere, quam illi centum & octo dies, ab ipso in Achaiam postulati, omnes præterijssent. lib. I.

ORATIO.

NVNC homo audacissimus atque amentissimus hoc cogitat: intelligit me ita paratum, atque instructum in iudicium venire, vt non modo in auribus vestris, sed in oculis omnium sua furta, atque flagitia defixurus sim: videt senatores multos esse testes audaciæ suæ: videt multos equites R. frequentes præterea ciues, atq; socios, quibus ipse insignes iniurias fecerit: videt etiam tot graues ab amicissimis ciuitatibus legationes cum publicis auctoritatibus, ac testimonijs conuenisse. quæ cum ita sint; vsque eo de omnibus bonis male existimat; vsque eo senatoria iudicia perdita profligataque esse arbitratur; vt hoc palam dictitet, non sine caussa se cupidum pecuniæ fuisse, quoniam tantum in pecunia præsidium experiatur esse. sese, id quod difficillimum fuerit, tempus ipsum emisse iudicij sui, quo cetera facilius emere posset, vt, quoniam criminum vim subterfugere nullo modo poterat, procellam temporis deuitaret. quod si non modo in caussa, verum in aliquo honesto præsidio, aut in alicuius eloquentia, aut gratia spem aliquam collocasset: profecto non hæc omnia colligeret, atque aucuparetur; non vsque eo despiceret, contemneretque ordinem senatorium, vt arbitratu eius deligeretur ex senatu qui reus fieret, qui, dum hic, quæ opus essent, compararet, caussam interea ante eum diceret. quibus ego rebus quid iste speret, & quo animum intendat, facile perspicio: quamobrem vero se confidat aliquid perficere posse, hoc prætore, & hoc consilio, intelligere non possum. vnum illud intelligo, quod populus R. in reiectione iudicum iudicauit; ea spe istum fuisse præditum, vt omnem rationem salutis in pecunia poneret; hoc erepto præsidio, vt nullam sibi rem adiumento fore arbitraretur. etenim, quod est ingenium tantum, quæ tanta facultas dicendi, & copia, quæ istius vitam tot vitijs flagitijsque conuictam, iampridem omnium voluntate, iudicioque damnatum, aliqua ex parte posit defendere?

EXPLA-

EXPLANATIO.

NVNC} alia Verris malitia. HOMO *audacißimus, atque amentißimus*} vitij plus est in amentia, quam in audacia. nam audacia non deseritur à mente: amentia vero furor est, vnde abest omnis ratio, & à quo homines ad omne facinus, inopia mētis, & cogitationis, impellūtur. pertinet ad hanc significationē, quod lib. I. dicitur: Quæ, malum, est ista tanta audacia, atq; amentia? Et lib. III: An tu decumas, homo audacissime, atq; amentisime vendidisti? ibidē infra: His te litteris homo audacissime atq; amentissime iugulatum sentis? Et lib. IV. Audite etiā singularem eius cupiditatem, audaciam, amentiā, in ijs presertim sacris polluendis, quæ non modo manibus attingi, sed ne cogitatione quidem violari fas fuit. HOC *cogitat,*} id, quod infra palam eum dictitantem inducit, ideo se tempus emisse iudicij sui, quo cetera posset facilius emere. NON MODO *in auribus vestris, sed in oculis omniū*} quod ab accusatore postulari, dixit in Diuin. his verbis: In mentem tibi nō venit, quid negotij sit, caussam publicam sustinere? vitam alterius totam explicare? atque eum non modo in animis iudicum, sed etiam in oculis, conspectuq; omnium exponere? ESSE *testes audaciæ suæ:*} quibus insignes fecerit iniurias in Sicilia. AB AMICISSIMIS *ciuitatibus*} amicissimis populi Romani. PERDITA. *profligataq;*} videtur, quod Asconius quoque animaduertit, plus hic esse, Profligata, quam Perdita: cum tamen profligata recuperari possint, perdita non possint. itaque alibi idem Cicero Profligata primum, deinde ad maiorem vim indicandam, Perdita subiecit, vt pro Amerino: Omnia in eo ad perniciem profligata, atque perdita. Et in Verrem lib. III. Profligatissimus omnium mortalium, ac perditissimus. TEMPVS *emisse iudicij sui,*} pecunia effecisse, vt res ita duceretur, vt anno sequenti apud M Metellum, sui amantisimum, cui quæstio repetundarum obtigerat, caussa diceretur. CETERA} iudices ipsos, qui tunc erunt. FACILIVS} facilius anno sequenti: quod hoc anno, tali prætore, tali consilio, non modo difficilius esset, verum etiā fieri nullo modo posse videre.

videretur. VIM *criminum*} quæ à me proferentur. PROCELLAM *temporis*} impendentem ab optimo prætore; optimisque iudicibus. Et apte, Procellam, quia dixerat, Subterfugere: vt translationem absoluat. IN CAVSSA,} in sua innocentia. NON HAEC *omnia colligeret*,} quæ colligit ad caussę tempus extrahendū. ARBITRATV *eius*} vel nocens, vel innocens. QVI *reus fieret*,} ab illo, qui sibi in Achaiam biduo breuiorem, quam ego in Siciliam, diem postulauit. DVM HIC, *quæ opus essent, compararet*,} quæ opus essent ad protrahendum actionis meæ tempus, aut ad corrumpendum iudicium: quod eum sperare miror, hoc prætore, & hoc consilio. IN REIECTIONE *iudicum*} vtrimque iudices reijciebantur: sed Verres, qui maxime iustitiæ laude præstabant, eos reiecit. Lib. I.

ORATIO.

CVIVS *vt adolescentiæ maculas, ignominiasque prætercam, quæstura, primus gradus honoris, quid aliud habet in se, nisi Cn. Carbonem spoliatum à quæstore suo pecunia publica? nudatum, & proditum consulem? desertum exercitum? relictam prouinciam? sortis necessitudinem, religionemque violatam? cuius legatio exitium fuit Asiæ totius, & Pamphyliæ. quibus in prouincijs multas domos, plurimas vrbes, omnia fana depeculatus est, cum in Cn. Dolabellam scelus suum illud pristinum renouauit & instaurauit quæstorium; cum eum, cui legatus, & proquæstor fuisset, & in inuidiam suis maleficijs adduxit, & in ipsis periculis non solum deseruit, sed etiam oppugnauit, ac prodidit. cuius prætura vrbana ædium sacrarum fuit, publicorumque operum depopulatio: simul in iure dicendo, bonorum possessionumque contra omnium instituta addictio, & condonatio. iam vero omnium vitiorum suorum plurima, & maxima constituit monumenta, et indicia in prouincia Sicilia: quam iste per triennium ita vexauit, ac perdidit, vt ea restitui in antiquum statum nullo modo possit, vix autem per multos annos, innocentesque prætores aliqua ex parte recreari aliquando posse videatur. hoc prætore Siculi neque suas leges, neque nostra S.C. neque communia iura tenuerunt. tantum quisque habet in Sicilia, quantum hominis auarissimi, & libidinosissimi aut imprudentiam subterfugit, aut satietati superfuit. nulla res per*

triennium,nisi ad nutum istius, iudicata est : nulla res cuiusquam tam patrita,atque auita fuit, quæ non ab eo, imperio istius,abiudicaretur.innumerabiles pecuniæ ex aratorum bonis nouo nefarioq; instituto coactæ:socij fidelissimi in hostium numero existimati : ciues Romani seruilem in modum cruciati, & necati : homines nocentissimi propter pecuniam iudicio liberati, honestissimi atque integerrimi,absentes rei facti,indicta caussa damnati,& eiecti:portus munitissimi,maximæ,tutissimæq; vrbes piratis, prædonibusq; patefactæ:nautæ,milites que Siculorum,socij nostri,atq; amici fame necati:classes optimæ, atque opportunissimæ cum magna ignominia populi R. amissæ, & perditæ. idem iste prætor monumenta antiquissima partim regum locupletissimorum,quæ illi ornamento vrbibus esse voluerũt,partim etiam nostrorum imperatorum, quæ victores ciuitatibus Siculis aut dederunt, spoliauit,nudauitque omnia.neque hoc solum in statuis publicis, ornamentisque fecit:sed etiam delubra omnia,sanctissimis religionibus consecrata,depeculatus est,deum denique nullum Siculis,qui ei paullo magis affabre, atque antiquo artificio factus videretur, reliquit. In stupris vero, & flagitijs nefarias eius libidines commemorare, pudore deterreor:simul illorum calamitatem commemorando augere nolo,quibus liberos,coniugesque suas integras ab istius petulantia conseruare non licitum est. At enim hæc ita commissa sunt ab isto, vt non cognita sint ab omnibus.Hominem esse arbitror neminem,qui nomen istius audierit,quin facta quoque eius nefaria commemorare possit:vt mihi magis timendum sit, ne multa crimina prætermittere, quam ne qua in istum fingere existimer. neque enim mihi videtur hæc multitudo,quæ ad audiendũ conuenit,cognoscere ex me caussam voluisse, sed ea, quæ scit,mecum recognoscere. quæ cum ita sint:iste,homo amens,ac perditus, alia mecum ratione pugnat:non id agit, vt alicuius eloquentiam mihi opponat :non gratia,non auctoritate cuiusquam,non potentia nititur:simulat,his se rebus confidere.sed video,quid agat:neque enim agit occultissime:proponit inania mihi nobilitatis,hoc est hominum arrogantium, nomina: qui nō tam me impediunt,quod nobiles sunt; quam adiuuant,quod noti sunt. simulat se eorum præsidio confidere, cum interea aliud quiddam iam diu machinetur, quam spem nunc habeat in manibus,& quid moliatur,breuiter iam,iudices,exponam:sed prius,vt ab initio res ab eo constituta sit,quæso cognoscite.

EXPLA.

EXPLANATIO.

ADOLESCENTIAE *maculis,*} quæ leuiora sunt, aut etiam ignorantur, ea fingit orator à se præteriri: vt lib. I. Nihil à me de pueritiæ suæ flagitijs, peccatisq; audiet. Et paullo post: Lucretur indicia veteris infamiæ: patiatur eius vita reliqua, me hanc tantam iacturam criminum facere. Et in Vatinium: Atque illud tenebricosissimum tempus iuuentutis tuæ patiar latere. CN. CARBONEM} iterum consulem. Lib. I. Quæstor Cn. Papirio consuli fuisti abhinc annos quatuordecim. RELICTAM *prouinciam?*} hanc historiã exposuit pluribus verbis lib. I. RELIGIONEMQVE} quam cum necessitudine sors affert. In Diuin. Commemorare quæstoris cum prætore necessitudinem? morem maiorum? sortis religionem? LEGATIO} cum Dolabella. ASIAE} cui Nero præerat: in qua, & in Achaia, (per has enim prouincias in suam prouinciam Ciliciam proficiscens cum Dolabella transijt, ac postea quoque è Cilicia in Asiam redijt) quæ scelera Verres commiserit, lib. I. narratur. QVAESTORIVM:} qualis in Carbonẽ fuit, cui quæstor erat: talem se præbuit in Dolabellam, cui legatus, & proquæstor fuerat: vt consulem prodiderat, ita prætorẽ prodidit. IN IIS *ipsis periculis*} cum accusaretur à Scauro. OPPVGNAVIT, *ac prodidit.*} lib. I. M. Scaurus, qui Cn. Dolabellam accusauit, istum in sua potestate ac ditione tenuit. AEDIVM *sacrarum, publicorumq; operum*} quę ad curã prętoris vrbani pertinebãt. lib. I. ADDICTIO,} addixit, ac tradidit quibus voluit, pro imperio, neglectis aliorum prætorum institutis. TENVERVNT.} contra Verris libidinem Siculis neq; suæ leges, neq; nostra S. C. ne communia quidem iura opem vllam attulerunt. IMPRVDENTIAM *subterfugit,*} recte sic, non, vt alijs placuit. Imprudentia. Propter imprudentiã, inquit, Verris, aut propter eiusdem satietatem, aliquid Siculis relictum est. Proprie vero & eleganter, Subterfugit imprudentiã, Superfuit satietati. Nec minus eleganter lib. III. eodem sensu: Quibus quod tum aut remissum, aut relictum sit, id fuisse tantum, quantum ex eo, quo istius auaritia contenta

tecta fuit, redundarit. AD NVTVM *istius*,} prætor enim ipse non iudicabat, sed recuperatores dabat, à quibus iudicetur. ij vero ad nutum Verris omnia iudicarunt. EX *oratorum bonis*} percurrit hic breuiter, quæ fusius exponit in accusatione, suis locis. REGVM} Agathoclis, & Hieronis. AVT *dederunt, aut reddiderunt.*} dedit, id est, conseruauit Marcellus, Syracusis captis: quæ vero Carthaginenses è Sicilia asportauerant, ea, illis deuictis, in Siciliam relata suis sedibus restituit maior Africanus. DEVM *denique nullum Siculis,*} in Diuin. Sese iam ne deos quidem in suis vrbibus, ad quos confugerent, habere, quod eorum simulacra sanctissima C. Verres ex delubris religiosissimis sustulisset. AT ENIM *hæc ita commissa sunt ab isto, vt nõ cognita sint omnibus.*} obiectio per ironiam duobus modis inducitur, Vel cum, At enim, vt hic, & in Diuin. At enim solum id est, vt me Siculi maxime velint: alterum illud, credo, obscurum, à quo Verres minime se accusari velit. Vel cum, At credo, vt lib. I. At credo in hisce solis rebus indomitas cupiditates, atque effrenatas habebat: Ceteræ libidines eius, ratiõe aliqua, aut modo cõtinebantur. PROPONIT} in quo simulat: nam aliud quiddam iamdiu machinatur. INANIA *nomina*} quasi virtus absit. Ad Appiũ: Quæso, etiã ne tu has ineptias, homo, mea sententiá, summá prudẽtiá sũma etiã doctrina, plurimo rerũ vsu, addo vrbanitatẽ q̃ est virtus, vt Stoici rectissime putant, vllam Appietatem, aut Lentulitatẽ valere apud me plus, quam ornamenta virtutis, existimas? cum ea cõsecutus nondum eram, quæ sunt hominum opinionibus amplissima: tamen ista vestra nomina numquam sum admiratus: viros eos, qui ea vobis reliquissent, magnos arbitrabar. NOBILITATIS} hominum nobilium, qui Verri fauebant. ij erant, Q. Hortensius, patronus eius, consul designatus; tres Metelli; quorum Quinctus consul erat designatus; Marcus, prætor designatus; Lucius, Siciliæ præerat; C. Curio, consularis; Q. Metellus Pius Scipio, à Metello Pio, Numidici filio, adoptatus, qui postea Magni Pompeij socer fuit. quamquam non vnus ei suffragatus est Scipio, sed Scipiones omnes, propter gẽ

tilitatē:erat.n.Corneliæ gētis Verres.hoc & Pedianus in Diuinationis procemio significat, vt plurium Metellorū, sic plurium quoq; Scipionum, qui Verrem defenderent, mentione facta Accessit, inquit, non ignobilis futura de Verre victoria, qui à Metellis, Scipionibus, & multis alijs nobilibus viris, & præcipue ab Hortensio ipso defenderetur. HOMINVM *arrogantium,*} nihil verius. nam arrogantia, & superbia, commune nobilitatis malum est. Lib.I.Tantum dicam, paucos homines, vt leuissime dicā, arrogantes. Et Sallustius in Iug. Metellum Numidicum, alioqui virum integerrimū, cōmuni nobilitatis malo superbia laborasse dicit. QVOD *noti sunt*}id est infames. nam notus opponitur Nobili: vt pro Cœlio: Res est omnis in hac caussa, iudices, cum Clodia, muliere non solū nobili, sed etiā nota. Et pro Flacco: Homines apud nos noti, inter suos nobiles.

ORATIO.

VT primum è prouincia redijt, redemptio est huius indicij facta grandi pecunia. ea mansit in condicione atque pacto vsque ad eum finem, dum iudices reiecti sunt. postea quam reiectio iudicum facta est: quod & in sortitione istius spem fortuna populi R. & in reijciendis iudicibus mea diligentia istorum impudentiam vicerat; renunciata est tota conductio. præclare se res habebat: libelli nominum vestrorum, consilijque huius in manibus erant omnium: nulla nota, nullus color, nullæ sordes videbātur his sententijs allini posse: cum iste repente ex alacri, atque lætosic erat humilis, atque demissus, vt non modo populo R. sed etiam sibi ipse condemnatus videretur. ecce autem repente, his diebus paucis, comitijs consularibus factis, eadem illa vetera consilia pecunia maiore repetuntur, eædemq; vestræ famæ, fortunisque omnium insidiæ per eosdem homines comparantur. quæ res primo, iudices, pertenui nobis argumēto, indicioq; patefacta est, post aperto suspicionis introitu ad omnia intima istorum consilia sine vllo errore peruenimus. nam, vt Hortensius, consul designatus, domū reducebatur è campo, cum maxima frequentia, à multitudine; fit obuiam casu ei multitudini C. Curio. quem ego hominē honoris potius, quam contumeliæ caussa nominatum nolo. etenim ea dicam, quæ ille si cōmemorari noluisset, non tanto in cōuentu, tam aperte, palam

palamque dixisset: quæ tamen à me pedetentim, canteque dicentur, vt amicitiæ nostræ, & dignitatis illius habita ratio esse intelligatur. Videt ad ipsum fornicem Fabianum in turba Verrē: appellat hominem, & ei voce maxima victoriam gratulatur: ipsi Hortensio, qui consul erat factus, propinquis necessariisq; eius, qui tum aderant, verbum nullum facit: cum hoc consistit, hunc amplexatur, hunc iubet sine cura esse. renuncio, inquit, tibi, te hodiernis comitijs esse absolutum. quod cum tam multi homines honestißimi audissent, statim ad me defertur, immo vero, vt quisque me viderat, narrabat. alijs illud indignum, alijs ridiculum videbatur: ridiculum ijs, qui istius caussam in testium fide, in criminum ratione, in iudicū potestate, non in comitijs consularibus, positā arbitrabantur: indignum ijs, qui altius perspiciebant, & hanc gratulationem ad iudicium corrumpendum spectare arbitrabantur. etenim sic ratiocinabantur, sic honestißimi homines inter se, & mecum loquebantur. aperte iam & perspicue nulla esse iudicia: qui reus pridie iam ipse se condemnatum putabat, is, postea quam defensor eius consul est factus, absoluitur. Quid igitur? quod tota Sicilia, quod omnes Siculi, omnes negotiatores, omnes publicæ priuatæque litteræ Romæ sunt. nihil ne id valebit? nihil, inuito consule designato. Quid iudices? non crimina, non testes, non existimationem populi R. sequentur? non: omnia in vnius potestate, ac moderatione vertentur. Vere loquar, iudices. vehementer me hæc res commouebat. optimus enim quisque ita loquebatur: iste quidem tibi eripietur, sed nos non tenebimus iudicia diutius. etenim, quis poterit, Verre absoluto, de trāsferendis iudicijs recusare? erat omnibus molestū: neq; eos tam istius perditi subita lætitia, quā hominis amplißimi noua gratulatio, commouebat. Cupiebam dißimulare, me id moleste ferre: cupiebam animi dolorem vultu tegere, & taciturnitate celare. ecce autem illis ipsis diebus, cum prætores designati sortirentur, & M. Metello obtigisset, vt is de pecunijs repetundis quæreret, nunciatur mihi, tantam isti gratulationem esse factam, vt is quoque domum mitteret, qui vxori suæ nunciarent. sane ne hæc quidem res mihi placebat: neque tamen, quid tantopere in hac sorte metuendum mihi esset, intelligebam: vnum illud ex hominibus certis, ex quibus omnia comperi, reperiebam, fiscos complures cum pecunia Siciliensi à quodam senatore ad equitem R. esse translatos: ex his quasi X fiscos ad senatorem illū relictos esse

comitiorum meorum nomine: diuisores omnium tribuum noctu ad istum vocatos. ex quibus quidam, qui se omnia mea caussa debere arbitrabatur, eadem illa nocte ad me venit: demonstrat, qua iste oratione vsus esset: cōmemorasse istū, quā liberaliter eos tractasset, & iā antea, cum ipse praeturā petisset, & proximis consularibus, praetorijsque comitijs: deinde esse pollicitū quantū vellent pecūniae, si me aedilitate deiecissent: hic alios negasse audere; alios respōdisse, non putare perfici posse: inuentū tamen esse fortem amicum, ex eadē familia, Q. Verrē Romilia, ex optima diuisorum disciplina, patris istius discipulum, atq; amicū, qui, H S quingentis millibus depositis, id se perfecturū polliceretur: & fuisse tamen nonnullos, qui se vna facturos esse dicerent. quae cum ita essent: sane beneuolo animo me, vt magnopere cauerē, praemonebat. Solicitabar rebus maximis vno, atque eo perexiguo tempore. vrgebant comitia: & his ipsis oppugnabar grandi pecunia. instabat iudiciū: ei quoque negotio fisci Sicilienses minabantur. agere, quae ad iudiciū pertinebant, libere, comitiorū metu deterrebar: petitioni toto animo seruire, propter iudiciū non licebat. minari denique diuisoribus. ratio nō erat, propterea quod eos intelligere videbam, me hoc iudicio districtū, atq; obligatū futurū. atq; hoc ipso tempore Siculis denunciatū esse audio, primum ab Hortensio, domum ad illum vt venirent: Siculos sane in eo liberos fuisse; qui, quamobrem accerserentur, cum intelligerent, non venissent; interea comitia nostra, quorum iste se, vt ceterorū hoc anno comitiorum, dominum esse arbitrabatur, haberi coepta sunt: cursare iste, homo potens, cum filio blando, & gratioso circum tribus: paternos amicos, hoc est diuisores, appellare omnes, & conuenire. quod cū esset intellectū, & animaduersum, fecit animo libentissimo populus R. vt, cuius diuitiae me de fide deducere non potuissent, nē eiusdem pecunijs de honore deijcerer. postea quam illa petitionis magna cura liberatus sum, animo coepi multo magis vacuo, ac soluto nihil aliud, nisi de iudicio, agere, & cogitare. reperio indices, haec ab istis consilia inita, & constituta, vt, quacumque opus esse ratione, res ita duceretur, vt apud M. Metellum praetorem caussa diceretur: in eo esse haec commoda, primū M. Metellum amicissimum, deinde Hortensium consulem, non solū sed etiam Q. Metellum: qui quam isti sit amicus, attendite: dedit enim praerogatiuam suae voluntatis eiusmodi, vt isti pro praerogatiuis iam redidisse videatur.

E X.

EXPLANATIO.

REDEMPTIO *est huius iudicij facta*} dedit negotium corrumpendi peritis hominibus, qui sibi iudices emerent; facta vero iudicum sortitione, & reiectione, cum ij iudices remansissent, apud quos religio, & veritas plus, quam pecunia, posse videretur, renunciata est à redemptoribus, de corruptione desperantibus, tota illa conductio. IN SORTITIONE} conscribebantur è senatu iudices. eorum nominibus in vrnam coniectis, prætor vrbanus eum numerum sortiebatur, qui necessarius esset. sortitionem reiectio, reiectionem subsortitio sequebatur. FORTVNA}fortunæ munus fuit,quod optimi senatores,de Verre iudicaturi,ex vrna sint educti. MEA *diligentia*} quia,si quis mihi suspectior esset,eum reieci. NVLLA *nota nullus color,nullæ sordes*}acerbe in Hortensium: cuius opera, corrupto iudicio, discoloribus ceris tabellas absoluentium iudicũ notatas fuisse,dixit in Diuin. HIS *sententijs*}taliũ iudicũ. COMITIIS *cõsularibus factis,*} VI. Kal. Sext. accusatiõis vero prim⁹ dies fuit nonę Sex. vt infra: nonę sũt hodie Sextiles. C. CVPIO}pater eius, qui Cęsaris partes ciuili bello defendens,in Africa perijt. PETETENTIM,}nõ impulsus odio,non incitatus iracundia,sic prorsus, vt de meo nihil addam. IN TVRBA}quæ Hortẽsium è campo domum reducebat. QVID *igitur? quod tota Sicilia,*}tota hæc inducitur narratio ad iudicũ animos contra Hortensij, consulis designati, pro Verre pugnantis, gratiam, auctoritatemque cõfirmandos. NEGOTIATORES,} ciues Romani. NIHIL,*inuito consule designato.*} loquitur ex persona Verris amicorum. MODERATIONE}gubernatione, administratione. ITA *loquebatur:*}non quæ supra dicta sunt. quæ ab ijs,qui Verri fauerent, dicta finguntur: sed quæ subijciuntur statim. HOMINIS *amplissimi*}Curionis,consularis,& triumphalis. IN HAC *sorte*} M. Metelli: cũ is non hoc anno, sed sequẽti, quęsiturus esset de repetundis. CVM *pecunia Siciliensi*} quam Verres in Sicilia furatus,tradidit senatori, vt is eam ad equitem Romanum, exercitatum inprimis in pecunia tribubus

diuidenda, transferret COMITIORVM *meorum nomine*:} vt ædilitate deijcerer. Aedilis designatus erat, cum hæc diceret: vt infra. DIVISORES *omnium tribuum*} qui in legibus permittebantur. vnde illud in epist. ad Att. l. 1. Sextus, pater eius, nummos vobis diuidere solebat. Plautus etiam in Aul. Diuidere nummos in viros. CONSVLARIBVS, *prætorijsque*} vt Hortensius, & Q. Metellus consules, M. Metellus prætor designaretur. SI ME *ædilitate deiecissent*:} ædilicia comitia post consularia, prætoriaque fiebant. FORTEM} qui auderet negotiū suscipere. ROMILIA} tribu: de qua, & reliquis iam diximus. DISCIPVLVM} in nummis populo, etiam cōtra leges, diuidendis. H-S QVINGENTIS *millibus*} scutatorum quindecim millibus. MINABANTVR,} verebar, ne quem corrumperent. RATIO *non erat*,} nihil enim profecissem: cum intelligerent, occupatum me iudicio repetundarū eos accusare non posse. BLANDO, *et gratioso*} laudare videtur, & vituperat. probos enim adolescentes blanditiæ, lasciuarum mulierum propriæ, non decent. gratiam vero significat ætatis flore collectam. quo spectat illud lib. II. Syracusana ciuitas dedit ipsi statuam: & honos: & patri: bella hæc pietatis, & quæstuosa simulatio: & filio: ferri hoc potest: hunc enim puerum non oderunt. FECIT *animo libentissimo populus Romanus, vt*,} sic locutus & lib. II. Fecerunt, vt me, cuius fidem, continentiamque cognouerant, prope de vitæ meæ statu dolore ac lacrymis suis deducerent. Alibi. DE FIDE} fingit Verrem præuaricationis præmia sibi detulisse. POSTEA QVAM} postea quam ædilis designatus sum. PRAEROGATIVAM} significationem, & indicium. PRO *prærogatiuis*} quas ei Verres comitijs consularibus pecunia sua dederat. Iocatur in ambigua significatiōe prærogatiuæ. Bina comitia, vtraq; tributa, de ijsdē candidatis fieri solita, & ideo prærogatiuas duas hic significari, vnam, quæ primis, alteram quæ secundis comitijs suffragium ferret, quarum iudicium reliquæ fere tribus omnes sequerentur, in Pediano legimus. quod probari posse vix puto. nam hic non de tributis comitijs,

quibus

quibus creabātur minores magiſtratus,ſed de centuriatis,qua maiores,agi cōſtat.itaque prærogatiuas cēturias non tribus,à Cicerone dici arbitror, vnam,qua comitijs conſularibus creatus eſt conſul Q. Metellus, alterā, qua prætoris frater eius M.Metellus prætor.iiſdem enim comitijs conſules,& prætores,qui maiores erant magiſtratus,creabantur.

ORATIO.

AN me taciturum tantis de rebus exiſtimauiſtis? & in tanto reip.exiſtimationisque meæ periculo cuiquam conſultu rum potius,quam officio, & dignitati meæ? Accerſit alter conſul deſignatus Siculos: veniunt non nulli, propterea quod L. Metellus eſſet prætor in Sicilia: cum ijs ita loquitur, ſe conſulem eſſe,fratrem ſuum alterum Siciliam prouinciam obtinere, alterū eſſe quæſiturum de pecunijs repetundis: Verri, ne noceri poßit, multis rationibus eſſe prouiſum. Quid eſt, quæſo, Metelle, iudiciū corrumpere, ſi hoc non eſt, teſtes, præſertim Siculos, timidos homines, & afflictos, non ſolum auctoritate deterrere.ſed etiam conſulari metu, & duorum prætorum poteſtate? quid faceres pro homine innocente. & propinquo, cum propter hominem perditißimum, atq; alieniſſimum de officio, ac dignitate decedis, & committis, vt, quod ille dictitat, alicui, qui te ignorat, verum eſſe videatur: nam hoc Verrem dicere aiebant: te non fato, vt ceteros ex veſtra familia, ſed opera ſua conſulem factum. Duo igitur conſules, & quæſitor erunt ex illius voluntate. non ſolum effugiemus, inquit, hominem in quærendo nimium diligentem, nimium ſeruientem populi exiſtimationi, M.Glabrionem: accedet nobis etiam illud: iudex eſt M.Cæſonius, collega noſtri accuſatoris, homo in rebus iudicandis ſpectatus, & cognitus: quem minime expediat eſſe in eo conſilio, quod conemur aliqua ratione corrūpere: propterea quod iā antea, cum iudex in Iuniano conſilio fuiſſet, turpißimum illud facinus nō ſolum grauiter tulit, ſed etiam in medium protulit. hunc iudicem ex kal. Ian. non habebimus. Q.Manlium, & Q.Cornificium, duos ſeueriſſimos, atque integerrimos iudices, quod tribuni pl. tum erūt, iudices nō habebimus. P.Sulpicius, iudex triſtis, & integer, magiſtratum ineat neceſſe eſt nonis Dec. M.Crepereius, ex acerrima illa equeſtri familia, & diſciplina, L.Caßius, ex familia tum ad ceteras res, tum ad iudicandum ſeueriſſima; Cn. Tremellius, homo ſumma religione, & diligentia; tres hi, homines veteres,

tribuni militares sunt designati, ex kal. Ian. non iudicabunt. subsortiemur etiam in M. Metelli locum; quoniam is huic ipsi quæstioni præfuturus est. ita secundum kal. Ian. & prætore, & prope toto consilio commutato, magnas accusatoris minas, magnamq; iudicij exspectationem ad nostrum arbitrium, libidinemque eludemus.

EXPLANATIO.

ACCERSIT *alter consul designatus Siculos:* } hæc est prærogatiua, quam supra datam à Q. Metello dixit. ERVNT *ex illius voluntate.* } anno sequenti. COLLEGA *nostri accusatoris,* } ædilis cur. cum Tullio designatus. itaque, cum inierit magistratum, ædilicio districtus munere iudex esse non poterit. IN REBVS *iudicandis* } modus loquendi, pro, In iudicando. Infra: Eos pecuniam ob rem iudicandam accepisse. Et: Si in rebus iudicandis populi Romani existimationi satisfacere voluissent. Et: Alium omnino ordinem ad res iudicandas quærendum arbitrabuntur. Et lib. II. Parcite, & conseruate; vt sit, qui vobiscum res iudicet. Ibidem: Quos ij, qui seueriora iudicia desiderent, arbitrentur res iudicare oportere. Et alibi sæpissime. IN IVNIANO *consilio* } cum Oppianicus, iudice quæstionis Iunio, damnatus est. tunc enim Cæsonius iudex, & vacauit ipse culpa, &, qui corrupti erant iudices, vt Stalenus, Bulbus, Gutta, eos indicauit. pro Cluentio. IVDICES *non habebimus.* } non modo post Kal. Ian. sed etiam post IV. id. Dec. quo die magistratum inibant tribuni pl. vt docet Dionysius. TRISTIS, *& integer,* } seuerus, & probus. ornat eum eadem laude, qua duos superiores. NONIS *Dec.* } & hunc tribunum pl. esse designatum, Pedianus ostendit: sed miror primũ magistratus diem non eundem esse, quem Dionysius assignat. ILLA *equestri familia,* } equestri loco natum. nam nunc senatorem esse Greperetum, ex eo liquet, quia iudex est. DISCIPLINA } iudicandi, tum, cum iudicia penes equestrem ordinem erant. EX FAMILIA *ad iudicandum seuerissima;* } ex qua fuit ille Cassius, de quo sic in orat. pro Sex. Roscio: L. Cassius ille, quem populus Romanus verissimũ, & sapientissimũ iudicem putabat, identidem in caussis quærere solebat, cui bono fuit. HOMINES

NES

NES *veteres*, } antiquæ feueritatis in iudicando. METELLI } prætoris designati, cui quæstio de repetundis obuenerat.

ORATIO.

NONAE fuut hodie Sextiles: hora nona conuenire cœpistis. hunc diem iam ne numerant quidem. decem dies sunt ante ludos votiuos, quos Cn. Pompeius facturus est. hi ludi dies quindecim auferent: deinde continuo Romani consequentur. ita prope XL diebus interpositis, tum denique se ad ea, quæ à nobis dicta erũt, responsuros esse arbitrãtur: deinde se ducturos & dicẽdo et excusando facile ad ludos Victoriæ: cũ his plebeios esse cõiũctos, secundum quos aut nulli, aut pauci dies ad agendum futuri sunt: ita, defessa, ac refrigerata accusatione, rem integram ad M. Metellum prætorem esse venturam. quem ego hominem, si eius fidei diffisus essem, iudicem non retinuissem. nunc tamen eo animo sum, vt eo iudice, quam prætore, hanc rem transigi malim, & iurato suam, quam iniurato aliorum tabellas committere. Nunc ego, iudices, iam vos consulo, quid mihi faciendum putetis. id enim consilij mihi profecto taciti dabitis, quod egomet mihi necessario capiendum intelligo. si vtar ad dicendum meo legitimo tempore: mei laboris, industriæ, diligentiæque capiam fructum, & ex accusatione perficiam, vt nemo vmquam post hominũ memoriam paratior, vigilantior, compositior ad iudicium venisse videatur. sed in hac laude industriæ meæ, reus ne elabatur, summũ periculum est. quid est igitur, quod fieri poßit? non obscurum, opinor, neque absconditũ. fructũ istũ laudis, qui ex perpetua oratione percipi potuit, in alia tempora reseruemus: nunc hominem tabulis, testibus, priuatis, publicisq; litteris, auctoritatibusq; accusemus. Res omnis mihi tecum erit, Hortensi, dicam aperte. si te mecum dicendo, ac diluendis criminibus in hac caussa contendere putarem: ego quoque in accusando, atque in explicandis criminibus, operam consumerem. nũc, quoniam pugnare contra me instituisti non tam ex tua natura, quã ex istius tempore, & caussa, malitiose: necesse est, istiusmodi rationi aliquo consilio obsistere. tua ratio est, vt secundum binos ludos mihi respondere incipias: mea, vt ante primos ludos comperendinem. ita fiet, vt tua ista ratio existimetur astuta, meum hoc consilium necessarium. verum illud, quod institueram dicere, mihi rẽ tecum esse, huiusmodi est.

EXPLANATIO.

DECEM *dies* } qui cum tam pauci sint, à me quidē perorari, sed agi vtrimque caussa non poterit. Infra. LVDOS *votiuos* } ob Sertorium deuictū. CONTINVO } oratorie. nam, quattriduo interiecto, consequebantur. PROPE XL } XXXIIX erant, vt fasti dierū veteres declarant. nam ludi Romani, pr. non. Sept. commissi, pr. id. absoluebantur. ita dies nouem auferebant. In * factis veterum dierū post hos ludos Romanos, biduo interiecto, alij ludi Romani, in circo per quinque continuos dies habiti, leguntur: quos arbitror institutos esse post hoc tēpus, quo Verres accusatus est. alioqui Cicero ante ludos victoriæ nominasset. nec vero nominari possunt, cum Cicero dicat, Prope XL diebus interpositis: qui plures essent, quam XL, si ad eos accederent quinque dies, aut etiam quattuor. nam quinctus post annos multos additus est in honorem Cæsaris dictatoris: vt in Phil. II. scriptum est. Præterea, quod infra dicitur: Tua ratio est, vt post binos ludos mihi respondere incipias, ostendit, binos tantum, non trinos esse ludos à nonis Sext. ad ludos Victoriæ. QVAE A ME *dicta erunt*, } dicta diebus illis, qui sunt ante ludos votiuos, & qui post, ante Romanos. LVDOS *Victoriæ*, } qui committebantur VI. Kal. Oct. & per quinque dies fiebant. instituit eos L. Sulla, Telesino, Samnitum duce, dubia pugna victo. Velleius lib. II. PLEBEIOS *esse coniunctos*, } & hoc oratorie. quattriduum enim interest. AVT *nulli, aut pauci* } propter ferias, festosque dies. ep. 1. lib. II. ad Q. fr. Senatus fuit frequentior, quam putabamus esse posse mense Decembri, sub dies festos. De ferijs autem, festisque simul diebus, lib. II. de leg. Feriarum, festorumque dierum ratio in liberis requietem habet litium, & iurgiorum, in seruis operum, ac laborum: IVRATO *suam*, } iudices iurabant, prætor non iurabat. RES *omnis mihi tecum erit, Hortensi.* } hoc quale sit, interpretatur infra pluribus verbis. BINOS *ludos* } votiuos, & Romanos. COMPERENDINEM. } vt acta semel vtrimque caussa, iterum vtrimque agatur. nam ea comperendinatio est. actione priore defensor accu-

accusatori respondebat, posteriore defensori accusator. ita bis vterque caussam agebat, sed accusator primus, & vltimus. quæ colliguntur ex lib. I. Hoc autem nō oratione perpetua, sed testibus ad singula crimina editis, Cicero consecutus est: qua arte facultatem ademit Hortensio caussę protrahendæ: cum in testibus interrogandis hærere, & consistere cogeretur. & ipse Verres, cui consilia non procederent, sponte in exsilium discessit.

ORATIO.

EGO *cum hanc caussam Siculorum rogatu recepissem; idque mihi amplum, & præclarum existimassem, eos velle meæ fidei, diligentiæque periculum facere, qui innocentiæ, abstinentiæq; fecissent: tū, suscepto negotio, maius mihi quiddam proposui, in quo meā in remp. voluntatem populus Rom. perspicere posset. nam illud mihi nequaquam dignū industria, conatuq; meo videbatur, istum à me in iudiciū, iam omnium iudicio condemnatum vocari, nisi ista tua intolerabilis potentia, & ea cupiditas, qua per hosce annos in quibusdam iudicijs vsus es, etiam in istius hominis desperati caussa interponeretur. nunc vero, quoniam hæc te omnis dominatio, regnumq; iudiciorū tantopere delectat; & sunt homines, quos libidinis, infamiæq; suæ neque pudeat, neque tædeat; qui, quasi de industria in odium offensionemque populi R. irruere videantur: hoc me profiteor suscepisse, magnum fortasse onus, & mihi periculosum, verumtamē dignum, in quo omnes neruos ætatis, industriæque meæ contenderem, quoniam totus ordo, paucorū improbitate, & audacia premitur, & vrgetur infamia iudiciorum: profiteor, huic generi hominum me inimicum, accusatorem, odiosū, assiduum, acerbum aduersarium. hoc mihi sumo: hoc mihi deposco, quod agam in magistratu, quod agam ex eo loco, ex quo me populus R. ex Kal. Ian. secum agere de rep. ac de hominibus improbis voluit. hoc munus ædilitatis meæ populo R. amplissimum, pulcherrimumque polliceor. moneo, prædico, ante denuncio: qui aut deponere, aut accipere, aut recipere, aut polliceri, aut sequestres, aut interpretes corrumpendi iudicij solent esse, quiq; ad hanc rē aut potētiam, aut impudentiā suam professi sunt; abstineant in hoc iudicio manus, animosque ab hoc scelere nefario. erit tum consul Hortensius cū summo imperio, & potestate: ego autē ædilis, hoc est paullo-*

am-

amplius, quam priuatus. tamen hæc huiuſquodi res eſt, quam me a-ctorum eſſe polliceor, ita populo R. grata, atque iucunda, vt ipſe conſul in hac cauſſa præ me minus etiam, ſi fieri poſſit, quam priuatus, eſſe videatur. omnia non modo commemorabuntur, ſed etiam, expoſitis certis rebus, agentur, quæ intra decem annos, poſtea quã iudicia ad ſenatum tranſlata ſunt, in rebus iudicandis nefarie, flagitioſeque facta ſunt. cognoſcet ex me populus R. quid ſit, quamobrem, cum equeſter ordo iudicaret, annos prope quinquaginta cõtinuos, nullo iudice equite R. iudicante ne tenuiſſima quidem ſuſpicio acceptæ pecuniæ ob rẽ iudicandẽ cõſtituta ſit: quid ſit, quod iudicijs ad ſenatorium ordinẽ tranſlatis, ſublataque populi R. in vnumquemque noſtrum poteſtate, Q. Calidius damnatus dixerit, minoris H-S tricies prætorium hominem honeſte non poſſe damnari; quid ſit, quod. P. Septimio ſenatore damnato, Q. Hortenſio prætore, de pecunijs repetũdis, lis æſtimata ſit, eo nomine, quod ille ob rem iudicandã pecuniam accepiſſet: quod in C. Herennio, quod in C. Popillio ſenatoribus, qui ambo peculatus damnati ſunt, quod in M. Atilio, qui de maieſtate damnatus eſt. hoc planum factum eſt, eos pecuniam ob rem iudicandam accepiſſe: quod inuenti ſunt ſenatores, qui, C. Verre prætore vrbano ſortiente, exirent in eum reum, quem incognita cauſſa condemnarent: quod inuentus eſt ſenator, qui cum iudex eſſet in eodem iudicio ab reo pecuniam acciperet, quam iudicibus diuideret, & ab accuſatore, vt reum damnaret. Iam vero, quo modo illam labem, ignominiam, calamitatemque totius ordinis conquerar? hoc factum eſſe in hac ciuitate, cum ſenatorius ordo iudicaret, vt diſcoloribus ſignis, iuratorum hominum ſententiæ notarentur.

EXPLANATIO.

PERICLVM *facere*, } in accuſando Verre. INNOCENTIAE, *abſtinentiæque* } in prouincia, cum apud eos quæſtor fuit. SVNT *homines*, } iudices eos deſignat, qui de ſua infamia, deque odio & offenſione populi Romani minimum laborantes, religionem, fidem, veritatem pecunia venderent. IRRVERE } cum impetu, nullo pudore, nullo metu legum retenti EX EO *loco*, } è Roſtris. POTENTIAM, } nobiles quoſdã, Verri ſuffragãtes, carpit, Curionem, Scipionem, Hortenſiũ, duos Metellos. IMPVDENTIAM } in corrũpẽdo. AGENTVR, } vt ab

vt ab accusatore. TRANSLATA} à Sulla. PROPE *quinquaginta*} auget oratorie. anni enim quadraginta, vno amplius, aut altero, à secūdo C. Gracchi tribunatu, quo iudicia transtulit ad equites, ad Sullam iterum cōsulem numerantur. quamquam videtur mihi Sulla statim post victoriam, cū dictator esset factus, pro insigni contra equites odio iudicia mutare debuisse, non biennium exspectare, dum consul iterum fieret. quod si ita sit: anni quadraginta erunt, eoque maior Ciceronis oratoria licentia. NVLLO *equite Romano iudicante,*} duriuscule dictum videtur, pro, numquam, vllo equite Romano iudicante. Nam, quod alij magis probant, Nulla: quæro, qui possit illud per se consistere, Equite Romano iudicante? SVBLATA} à Sulla: qui prouocationem ad populum sustulit. quo turpius deinde senatores, metu pœnæ liberati, iudicarūt. MINORIS H-S XXXM} si de vniuerse pecunia, in iudicij corruptionem erogata, loqueretur: crederem legendum, H-S tricies millies: quæ sunt, scutatorum nonaginta millia. sin de pretio singulorum iudicum: H-S triginta millia, ferri potest: vt cuiusque iudicis merces nongenti scutati sint. HONESTE}vt culpa iudicum saltē excusaretur magnitudine mercedis. SENATORE *damnato,*}senatorum iudicia vituperat, non Hortensium, quo de repetundis quærente, Septimius dānatus est. LIS *æstimata sit eo nomine,*}accusatus est, & damnatus crimine repetundarum Septimius: sed æstimatio litis eo grauior, & acerbior fuit, quod eum constabat ob rem iudicandā pecuniā accepisse. nam eam quoque pecuniam ad litis æstimationem addi iudices voluerunt. SENATORES,}ad maiorem senatorij ordinis ignominiam, Senatores, dicit: cum vnus ille senator fuerit Fidiculanius Falcula: vt in orat. pro Cluentio. VERRE *prætore vrbano sortiente,*} prætor vrbanus iudices, qui sederēt in caussa publica, sortiebatur: reiectione facta, subsortiebatur iudex quæstionis: eorumque nomina idem prætor in tabulas referebat: vt lib. I. in extremo. Dicit autem facinus illud, Verre prætore vrbano sortiente, contigisse, vt aliqua ipsum quoque Verrem notaret infamia. IN

EVM

EVM *reum,*} in Oppianicum, accusante Cluentio damnatum. INCOGNITA *caussa* } ergo suppositi vltimo iudicij die. INVENTVS *est senator,* } C. Aelium Stalenum significari, docet oratio pro Cluentio. AB REO} Oppianico. AB ACCVSATORE, } Cluentio. in ipsa tamen, qua Cluentium defendit, oratione, à reo tantam pecuniam Staleno datam, qua iudices corrumperet, studet probare. Seruit igitur caussæ, quod oratorum est, in vtroque loco, hic, vt infamia notentur senatores, illic, vt absoluatur Cluentius. DISCOLORIBVS *signis* } diuersi coloris cera tabellis corruptorum iudicum illitis. In Hortensium: cuius opera, id agentis, vt nocentes rei ipso patrono absoluerentur, factum id esse, credebatur. vnde in Diuin. Ceratam vnicuique tabellam dari cera legitima, non illa infami, ac nefaria. Et huc spectat illud supra dictum: Nulla nota, nullus color, nullæ sordes videbantur hic sententijs allini posse.

ORATIO.

HAEC *omnia me diligenter, seuereque acturũ esse polliceor. quo me tandem animo fore putetis, si quid in hoc ipso iudicio intellexero simili aliqua ratione esse violatũ, atque commissum? cum præsertim planum facere multis testibus possim, C. Verrem in Sicilia, multis audientibus, sæpe dixisse, se habere hominem potentem, cuius fiducia prouinciam spoliaret, neque sibi soli pecuniam quærere, sed ita triennium illud præturæ Siciliensis distributum habere, vt secũ præclare agi diceret, si vnius anni quæstum in rem suam conuerteret, alterum patronis, & defensoribus suis traderet, tertium illum vberrimum quæstuosissimumq; annũ totum iudicibus reseruaret. ex quo mihi venit in mentem illud dicere, quod apud M. Glabrionem nuper cum in reijciendis iudicibus commemorassem, intellexi vehementer populum R. commoueri, me arbitrari fore, vti nationes exteræ legatos ad populum R. mitterent, vt lex de pecunijs repetundis iudiciumque tolleretur. si enim iudicia nulla sint, tantum vnumquemq; ablaturum putãt, quãtum sibi ac liberis suis satis esse arbitretur: nunc, quod eiusmodi iudicia sint, tantum vnumquemque auferre, quantum sibi, patronis, aduocatis, prætoribus, iudicibus satis futurum sit: hoc profecto infinitum*

finitum esse: se auarißimi hominis cupiditati satisfacere posse, nocentißimæ victoriæ non posse. o commemoranda iudicia, præclaramque existimationem nostri ordinis, cum socij populi R. iudicia de pecunijs repetundis fieri nolunt, quæ à maioribus nostris sociorum caussa cōparata sunt. An iste vmquam de se bonam spem habuisset, nisi de vobis malam opinionem animo imbibisset? quo maiore etiam, si fieri potest, apud vos odio esse debet, quam est apud populum R. cum in auaritia, scelere, periurio vos sui similes esse arbitretur. cui loco, per deos immortales, iudices consulite, ac prouidete. moneo, prædicoque id, quod intelligo, tempus opportunißimum vobis hoc diuinitus datum esse, vt odio, inuidia, infamia, turpitudine totum ordinem liberetis. nulla in iudicijs seueritas, nulla religio, nulla denique iam existimantur esse iudicia. itaque à populo R. contemnimur, despicimur: graui, diuturnaque iam flagramus infamia. neque enim vllam aliam ob caussam populus R. tribuniciā potestatē tanto studio requisiuit: quam cū poscebat, verbo illā poscere videbatur, re vera iudicia poscebat. neq; hoc Q. Catulū, hominē sapientißimū, atq; amplißimū, fugit: qui, Cn. Pōpeio, viro fortißimo, & clarißimo, de tribunicia potestate referente, cū esset sentētiam rogatus, hoc initio est, summa cū auctoritate, vsus: patres conscriptos iudicia male & flagitiose tueri: quod si in rebus iudicandis populi R. existimationi satisfacere voluissent, non tantopere homines fuisse tribuniciā potestatem desideraturos. ipse denique Cn. Pompeius, cum primum concionem ad vrbem consul designatus habuit, vbi, id quod maxime spectari videbatur, ostendit se tribuniciam potestatem restituturam; factus est in eo strepitus, & grata concionis admurmuratio. idē in eadem concione cum dixisset, populatas, vexatasq; esse prouincias, iudicia autē turpia, et flagitiosa fieri, ei rei se prouidere ac consulere velle: tū vero nō strepitu, sed maximo clamore suā populus R. significauit voluntatē. nūc aūt homines in speculis sunt: obseruāt, quemadmodū se vnusquisque vestrum gerat in retinenda religione, conseruandisq; legibus: vident, adhuc post legem tribuniciam vnum senatorē vel tenuißimum esse damnatum. quod tametsi non reprehendunt, tamen magnopere, quod laudent, non habent: nulla est enim laus, ibi esse integrum, vbi nemo est, qui aut poßit, aut conetur corrumpere. hoc est iudicium, in quo vos de reo, populus R. de vobis iudicabit. in

hoc

hoc homine statuetur, possit ne, senatoribus iudicantibus, homo nocentissimus, pecuniosissimusq; damnari, deinde est huiusmodi reus, in quo homine nihil sit, præter summa peccata, maximāq; pecuniā, vt, si liberatus sit, nulla alia suspitio, nisi ea, q̄ turpissima est, reside: reposßit. nō gratia, nō cognatione, nō alijs factis, non deniq; aliquo mediocri vitio tot tātaq; ei⁹ vitia subleuata esse existimabūtur. postremo ego caussā sic agam, iudices, eiusmodi res, ita notas, ita testatas, ita magnas, ita manifestas proferā; vt nemo à vobis, vt istū absoluatis, per gratiam cōetur cōtendere. habeo autē certam viam, atque rationem, qua omnes illorum conatus inuestigare, & consequi possim. ita res à me agetur, vt in eorum consilijs omnibus non modo aures hominum, sed etiam oculi populi R. interesse videantur. vos aliquot iam per annos conceptam huic ordini turpitudinē, atque infamiam delere, ac tollere potestis. constat inter omnes, post hæc constituta iudicia, quibus nunc vtimur, nullum hoc splendore, atque hac dignitate consilium fuisse. hic si quid erit offensum, omnes homines non iam ex eodē ordine alios magis idoneos, quod fieri non potest, sed alium omnino ordinem ad res iudicandas quærendum arbitrabuntur.

EXPLANATIO.

HOMINEM *potentem,* } aut Hortensium dicit: aut hoc fingit, vt solet, ad infamandum Verrem. VICTORIAE } quæ multo plus exigat, quā quod sibi ac liberis suis vel auarissimus homo cupiat. IN *auaritia,* } in capienda contra leges pecunia. SCELERE, } in ipso absoluendo, homine nocentissimo. PERIVRIO } contemnendis legibus in quas iurastis. iurabant enim iudices omnes, in ferenda sententia nihil se commissuros esse contra leges. CVI *loco consulite, ac prouidete.* } cui rei: vt paullo post: Ei rei se prouidere, & cōsulere. CONTEMNIMVR, } loquitur vt senator, quia censores eū Gellius, & Lentulus, qui tūc erant, in senatum legerant. anno autem superiore senator non fuerat. nam à censoribus Philippo, & Perperna, qui ante annos quattuordecim censuram gesserant, in senatum legi non potuit, cum ætate senatoria nondum esset. de qua suo loco dicemus. REQVISIVIT: } qualis ante Sullam fuerat. nā is valde eam minuit, lege lata, ne, qui tribunus pl. fuisset, ei postea

ei postea magistratus alios capere liceret. Q. CATVLVM,} eius filium, qui cum C. Mario consul fuit. Simultatem aliquam cum Pompeio gessit, quod eius ope, ac studio consul priore loco designatus erat collega eius M. Lepidus. CN. POMPEIO} consule. DE TRIBVNICIA *potestate* } quam, inito consulatu, restituerat: itaque paullo post legis tribuniciȩ, ab eo latæ, mentio fit. AD *vrbem*} cum adhuc esset in imperio: nam vrbem ingredientes imperium deponebant. Pompeius autem ad vrbem manserat, vt triumphans ingrederetur. Sertoriano bello confecto. EI REI *se prouidere, ac consulere velle:*} restituenda tribunicia potestate. IN SPECVLIS *sunt:*} quia vos, si quid offenderitis, vocari ad populū à tribunis pl. noua lege posse intelligunt. POST *legem tribuniciam* } latam à Pompeio de vetere potestate tribunis pl. restituenda. VNVM *senatorem* } miror hunc ab Asconio Dolabellam putari, qui multo ante legem tribuniciam, id est ante Pompeium consulem, damnatus erat: cum oppugnatus ac proditus in iudicio sit à Verre, vt libr. I. constat. id autem contigisse necesse sit ante, quam Verres in Siciliam iret, vbi per triennium fuit. vt omittam, quod è prouincijs, quibus præfuerant reuersi, statim accusabantur, non post aliquot annos. NISI EA *quæ turpissima est,*} absolutum esse videlicet sua pecunia. MEDIOCRI *aliquo vitio*} mediocre vitium esset, absolui gratia, cognatione, alijs recte factis: maximum autem, absolui corrupto iudicio. quæ in vobis hærebit culpa. PER GRATIAM *conetur corrumpere.*} nemo enim audebit, cum obijci videat eiusmodi res. NON MODO *aures*} vt eorum consilia populus Romanus non modo auribus accipiat, sed oculis cernere videatur. POST *hæc constituta iudicia,*} senatoria, lege Sullæ constituta. HOC *splendore,*} propter integritatem, honoresque præclare gestos, nulla turpi macula vitam obscurante. QVOD *fieri non potest,*} hic à iudicibus beneuolentiam captat: cum vero subiungit, Sed alium omnino ordinem, metum inijcit mutandorum iudiciorum: ita duabus caussis impellit eos ad seuere iudicandum.

ORATIO.

QVAPROPTER *primum ab dijs immortalibus, quod sperare mihi videor, hoc idem, iudices, peto, vt in hoc iudicio nemo improbus præter eum, qui iampridem inuẽtus eſt, reperiatur. deinde, ſi plures improbi fuerint, hoc vobis, hoc populo R. iudices, confirmo, vitam mehercule mihi prius, quam vim perſeuerantiamque ad illorum improbitatem perſequendam, defuturam. Verum, quod ego laboribus, periculis, inimicitijsque meis tum, cum admiſſum erit, dedecus ſeuere me perſecuturum eſſe polliceor; id ne accidat, tua ſapientia, auctoritate, diligentia, M. Glabrio, potes prouidere. ſuſcipe cauſſam iudiciorum: ſuſcipe cauſſam ſeueritatis, integritatis, fidei, religionis: ſuſcipe cauſſam ſenatus, vt is hoc iudicio probatus cũ populo R. & in laude, & in gratia eſſe poßit. cogita, qui ſis, quo loco ſis, quid dare populo R. quid reddere maioribus tuis debeas. fac tibi paternæ legis Aciliæ veniat in mentem: qua lege populus R. de pecunijs repetundis, optimis iudicijs, ſeuerißimisq; iudicibus vſus eſt. circumſtant te ſummæ auctoritates, quæ te obliuiſci laudis domeſticæ non ſinant, quæ te dies noctesque commoneant; fortißimum tibi patrem, ſapientißimum auum, grauißimum ſocerum fuiſſe. quare, ſi Glabrionis patris vim & acrimoniam ceperis ad reſiſtendum hominibus audacißimis; ſi aui Scæuolæ prudentiam ad proſpiciendas inſidias, quæ tuæ, atque horum famæ comparantur; ſi ſoceri Scauri conſtantiam; vt ne quis te de vera, & certa poßit ſententia dimouere: intelliget populus R. integerrimo, atque honeſtißimo prætore, delectoque conſilio, nocenti reo magnitudinem pecuniæ plus habuiſſe momenti ad ſuſpicionem criminis, quam ad rationem ſalutis. mihi certum eſt non committere, vt in hac cauſſa prætor nobis, conſiliumque mutetur. non patiar rem in id tempus adduci, vt Siculi, quos adhuc ſerui deſignatorum conſulum non mouerunt, cum eos nouo exemplo vniuerſos accerſſerent, eos tum lictores conſulũ vocent, vt homines miſeri, antea ſocij, atque amici populi Romani, nunc ſerui ac ſupplices, non modo ius ſuum fortunaſque omnes eorum imperio amittant, verum etiam deplorandi iuris ſui poteſtatem non habeant: non ſinam profecto, cauſſa à me perorata, XL diebus interpoſitis, tum nobis denique reſpondeant, cum accuſatio noſtra in obliuionem diuturnitate adducta ſit. non committam, vt tum res iudicetur, cum hæc frequentia totius Italiæ Roma diſceſſerit,*

ferit, quæ conuenit vno tempore vndique, comitiorum, ludorum censendique caussa. huius iudicij & laudis fructum, & offensionis periculum, vestrum laborem, solicitudinemque, nostram scientiam, quid agatur, memoriamque quid à quoq; dictum sit, omnium puto esse oportere. faciam hoc non nouum, sed ab ijs, qui nunc principes nostræ ciuitatis sunt, ante factum, vt testibus vtar statim. illud à me nouũ, iudices, cognoscetis, quod ita testes constituam, vt crimen totum explicem: vbi id interrogando, argumentis, atque oratione firmauero, tum testes ad crimen accommodem, vt nihil inter illam vsitatam accusationem, atq; hanc nouam intersit, nisi, quod in illa tunc, cum omnia dicta sunt, testes dantur, hic in singulas res dabuntur, vt illis quoque eadem interrogandi facultas, argumentandi, dicendique sit. si quis erit, qui perpetuam orationem, accusationemque desideret; altera actione audiet. nunc id, quod facimus, ea ratione facimus, vt malitiæ illorum consilio nostro occurramus, necessario fieri intelligat. hæc primæ actionis erit accusatio. Dicimus, C. Verrem, cum multa libidinose, multa crudeliter in ciues R. atque in socios, multa in deos, hominesque nefarie fecerit, tum præterea quadringenties sestertium ex Sicilia contra leges abstulisse hoc testibus, hoc tabulis, priuatis publicisq; auctoritatib. ita vobis planum faciemus, vt hoc statuatis, etiam si spatium ad dicendum nostro commodo, vacuosque dies habuissemus, tamen oratione longa nihil opus fuisse. Dixi.

EXPLANATIO.

PRAETER *eum,*} præter ipsum Verrem. QVI *iam pridem inuentus est,*} cuius nota iampridẽ improbitas est. POTES *prouidere.*} ne quis eorũ, qui tibi in consilio adsunt corrumpatur. ET IN *laude, & in gratia*} qui nunc & infamia, & in odio propter ea est, quia iudicia male, flagitioseque administret. QVI SIS,} prætorem te esse. QVO LOCO *sis,*} summa dignitate. Locum pro dignitate vsurpat alibi quoque, vt lib. I. Hominem ornatissimum loco, ordine, nomine, virtute. Ad Terentiam, & Tulliam: Videte, quid aliæ faciant isto loco fœminæ. Opinionem Pediani de tribunalibus non probo: nam in eo, qui sis, præturæ significatio continetur: vt addere de tribunalibus non sit necesse. QVID *dare*

populo Romano,} qui tibi præturam mandauit. QVID *reddere maioribus tuis*} quam ab ijs laudem accepisti, eandem redde. PATERNAE *legis Aciliæ*} repetundis: quæ comperendinationem adimebat, ampliandi potestatem dabat. lib. I. AVVM} Scæuolam, auum maternum. nam Glabrio gentis Aciliæ, Scæuola Muciç fuit. In Bruto: M. Glabrionem, bene institutum aui Scæuolæ diligentia, socors ipsius natura negligensque tardauerat. SCAVRI *constantiam,*} Scauri constantiæ multa suppetunt exempla: quorum nonnulla Pedianus commemorat in orat. pro Scauro. Cicero ipse ad Lentulum: Est vero, inquit, probandum, eum ob id ipsum fractum fuisse animo, in quo cum omnes homines, tum M. illum Scaurũ, singularem virum, constantia & grauitate superasset. Eiusdem constantia laudatur in orat. pro Fonteio, Principem senatus fuisse, significat in oratione pro filio. XL DIEBVS *interpositis,*} a nonis Sext. quo die agi cœpta est caussa, ad vltimum diem ludorum Romanorum. supra. A QVOQVE} à quoq; teste. quod sequentibus intelligitur. OMNIVM} vt omnes æque sciamus, & memoria teneamus, quid à quoque dictum sit. QVI NVNC *principes nostræ ciuitatis sunt.*} L. & M. Lucullos ait Pedianus eos fuisse, qui testib. ad singula crimina in accusando L. Cotta statim vsi sint. VT CRIMEN *totum explicem:*} sensus hic videtur esse. ita testes constituam, vt, cum eos interrogabo, omnes cuiusque criminis partes explicem: vt, vbi crimen totum interrogatione, argumentis, oratione firmauero, tum eosdem testes ad crimèn accommodem, & Hortensio defensori interrogandos tradam: vt, post interrogationem, ipse quoque argumentandi, ac dicendi facultatem habeat. Hoc infra apertius. ILLIS} qui Verrem defendent. EADEM} quæ mihi. ALTERA *actione*} dixi iam, comperendinatione iterum agendæ caussæ potestatem esse datam, non eodem tamen ordine. nam actione prima primus accusatori ad dicendum locus dabatur: tum defensor respondebat. actione vero altera, prior locus erat defensoris, posterior accusatoris. Cum igitur ait, Actiõe altera: suam posteriorem accusationem, dictã iam bis à

bis à defensore caussa, significat. EA RATIONE *facimus,*} dele, Facimus; vitij nihil erit in sententia. quod Asconius animaduertit. QVADRINGENTIES} duodecies centena scutatorum millia. VACVOSQVE *dies*} qui ludis occupabuntur. DIXI.} finis orationis, non tamen actionis, quam testes, tabulæ, priuatæ publicæque auctoritates, contra reum prolatæ, absoluebant.

IN. LIBRVM. I. ACTIONIS. II. CICERONIS. IN. VERREM.

PAVLLI. MANVTII. COMMENTARIVS.

ARGVMENTVM.

MALITIAM *Verris, & Hortensij, Ciceronis consilium vicit. Illi, caussæ diffisi, spem omnem in sequentis anni prætore, M. Metello, & in ipso patrono Verris, Hortensio, Quinctoque Metello, qui futuri consules erant, reponentes, curam omnem industriamq́; suam in eximendo tempore, ducendaq́; re defixerant. Contra Cicero, cognitis insidijs, omissa oratione perpetua, caussam per testes, tabulas, auctoritates egit: interrogandi testes, argumentandi, dicendiq́; facultate Hortensio tradita, orationem illi quoque perpetuam eripuit. quo deterritus Hortensius, desperato patrocinij sui exitu, agendæ caussæ consilium abiecit: Verres autem ipse tamquam conuictus, in exsilium*

ſponte diſceſsit. Sequentes igitur quinque libros Cicero, quaſi præſentem Verrem altera actione accuſaret, ad eloquentiæ laudem conſcripſit. huius autem primi libri procœmio nihil aliud agit, quam vt Verres adeſſe, defendiq́; iterum ab Hortenſio, comperendinationum more, videatur. deinde ad accuſandum aggreditur, à quæſtura Verris initio ſumpto.

M. TVLLII. CICERONIS. ACTIONIS. II. IN. VERREM.

LIBER. I.

ORATIO. VI.

NEMINEM *veſtrum ignorare arbitror, iudices, hunc per hoſce dies ſermonem vulgi, atque hanc opinionem populi Romani fuiſſe, C. Verrem altera actione reſponſurum non fuiſſe, neque ad iudicium affuturum. Quæ fama non iccirco ſolum emanarat, quod iſte certe ſtatuerat, ac deliberauerat, non adeſſe; verum etiam, quod nemo quemquam tam audacem, tam amentem, tam impudentem, fore arbitrabatur, qui tam nefarijs criminibus, tam multis teſtibus euictus, ora iudicum adſpicere, aut os ſuum populo R. oſtendere auderet. eſt idem Verres, qui fuit ſemper, vt ad audendum proiectus, ſic paratus ad audiendum: præſto eſt, reſpondet, defenditur: ne hoc quidem ſibi reliqui fecit, vt in rebus turpiſsimis, cum manifeſto teneatur, ſi reticeat, & abſit, tamen impudentiæ ſuæ pudentem exitum quæſiſſe videatur. patior, iudices, & non moleſte fero, me laboris mei, vos virtutis veſtræ, fructum eſſe laturos. nam, ſi iſte id feciſſet, quod primo ſtatuerat, vt non adeſſet, minus aliquanto, quam mihi opus eſſet, cognoſceretur, quid ego in accuſatione comparãda, conſtituendaq́ue elaboraſſem: veſtra vero laus tenuis plane, atq; obſcura, iudices, eſſet: neque enim hoc à vobis populus R. exſpectat, neq; eo poteſt eſſe contentus, ſi condemnatus ſit is, qui adeſſe noluerit, & ſi fortes fueritis in*

eo, quem

eo, quem nemo sit ausus defendere. immo vero adsit, respondea. summis opibus, summo studio potentissimorum hominum defendatur: certet mea diligentia cum illorum omnium cupiditate, vestra integritas cum istius pecunia, testium constantia cum illius patronorum minis, atque potentia. tum demum illa victa videbuntur, cum in contentionem certamenque venerint. absens si iste esset damnatus, non tam ipse sibi consuluisse, quam inuidisse vestrae laudi videretur. neque enim salus vlla maior reip. hoc tempore reperiri potest, quam populum R. intelligere, diligenter reiectis ab accusatore iudicibus, socios, leges, remp. senatorio consilio maxime posse defendi: neque tanta fortunis omnium pernicies potest accidere, quam opinione populi Rom. rationem veritatis, integritatis, fidei, religionis ab hoc ordine abiudicari. itaque mihi videor, iudices, magnam, & maxime aegram, & prope depositam reip. partem suscepisse, neque in eo magis meae, quam vestrae laudi existimationique seruisse. accessi enim ad inuidiam iudiciorum leuandam, vituperationemque tollendam; vt, cum haec res pro voluntate populi R. esset iudicata, aliqua ex parte mea diligentia constituta auctoritas iudiciorum videretur: postremo, vt esset hoc iudicatum, vt finis aliquando iudiciariae controuersiae constitueretur. etenim sine dubio, iudices, in hac caussa ea res in discrimen adducitur.

EXPLANATIO.

RESPONSVRVM *non fuisse,*} respondet non reus, sed personam rei sustinens defensor: respondet autem actione prima criminibus obiectis, altera vero iterum ijsdem criminibus: postremus accusatoris locus est. nam, vt dixi iam, in cõperendinatione bis vtrimque caussa agebatur. Responsurum igitur accipio, pro, affuturum, vt pro eo respondeat Hortensius. Et infra, cum ait: Respondet, defenditur: responsionem, & defensionem Hortensij significat. Et cum subiũgit: Si reticeat: itidem ad defensorem refero, pro, si non defendatur. nam reus, in iudicio tacebat, defensor autem pro eo loquebatur. Aliter Asconius. EVICTVS} actione prima. ORA *iudicum adspicere,*} quibus crimina sua tam multis testibus nota esse intelligeret. POPVLO *Romano*} circa iudicium stanti. PROIECTVS,} quem nulla ratio, quo minus in omne facinus

rueret, continere potuisset. AD AVDIENDVM:} ea, quæ commisit. IPSE *sibi consuluisse,*} quia, vitato iudicio, impudentiæ suæ pudentem tamen exitum quæsisse videretur, DILIGENTER *reiectis ab accusatore iudicibus,*} quod iam antea factum erat. vnde illud actione prima: Et in sortitione, istius spem fortuna populi Romani, & in reijciendis iudicibus mea diligentia istorũ impudentiam vicerat. ABIVDICARI.} abiungi, amoueri, auferri. *Prope depositam*} pergit in translatiõe, quia dixerat, Aegrã: & quia, Prope depositã, hic dicit, subiungit, Suscepisse. Prope, aũt nõ addidit sine caussa, sed vt spem tamẽ aliquam ostenderet sanandæ reip. nam si, Depositã, simpliciter dixisset, interitum demonstrasset. Similiter in Diuin. Fateor me, salutis omnium caussa, ad eam partem accessisse reip. subleuandæ, quæ maxime laboraret. PARTEM} iudicia, vere magnam reip. partem, non tamen totam remp. HAEC *res*} quæ nunc in iudicium venit, caussa scilicet Verris. ALIQVA *ex parte*} seruit modestiæ suæ. nam ad iudices quoq; pertinet eadẽ laus. CONSTITVTA} ne labet, vt antea. VT ESSE *hoc iudicatum,*} Vt, pro vbi, vel postquam. quod si ita accipitur, vt omnino accipiendum videtur: non est, cur de mendo suspicari quisquam possit. hoc enim dicitur: Accessi ad hanc caussam, vt, vbi de Verre iudicatum esset, nulla id de iudicijs inter populum Romanum, ordinemque Senatorium controuersia superesset. IVDICIARIAE *controuersiæ.*} Verris enim, hominis & nocentissimi, & pecuniosissimi, aut absolutione, aut condemnatione iudicabitur, vtrum populus Romanus, qui mutari iudicia vult, an senatus, qui recusat, recte sentiat.

ORATIO.

REVS est enim homo nocẽtissimus: qui si condemnatur, desinent homines dicere, his iudicijs pecuniam plurimũ posse; sin absoluitur, desinemus non de iudicijs transferendis recusare. tametsi de absolutione istius neque ipse iam sperat, nec populus R. metuit. de impudẽtia singulari, quod adest, quod respondet, sunt qui mirentur. mihi, pro cetera eius audacia, atq; amentia, ne hoc quidẽ mirandũ videtur. multa enim & in deos, et in homines

impie

impie nefarieq; commisit. quorũ scelerũ pœnis agitatur, & à mente consilioq; deducitur. agunt eum præcipitem pœnæ ciuiũ R. quos partim securi percussit, partim in vinculis necauit, partim implorantes iura libertatis & ciuitatis in crucẽ sustulit. rapiũt eum ad suppliciũ dij patrij, quod iste inuentus est, qui è complexu parentum abreptos filios ad necem duceret, & parentes pretium pro sepultura liberum posceret. religiones vero, cæremoniæque omnium sacrorum, fanorumque, violatæ, simulacraque deorum, quæ non modo ex suis templis ablata sunt, sed etiam iacent in tenebris ab isto retrusa, atque abdita, consistere eius animum sine furore atq; amentia non sinunt. neque iste mihi videtur se ad damnationem offerre solum, neque hoc auaritiæ supplicio communi, qui tot sceleribus se obstrinxerit, contentus esse: singularem quandam pœnam istius immanis, atque importuna natura desiderat. non id solum quæritur, vt, isto damnato, bona restituãtur ijs, quibus erepta sunt: sed & religiones deorum immortalium expiandæ, & ciuium R. cruciatus, multarumque innocentium sanguis istius supplicio luendus est. non enim furem, sed ereptorem, non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ, non sacrilegum, sed hostem sacrorum religionumque, non sicarium, sed crudelissimum carnificem ciuium sociorumq; in vestrum iudicium adduximus: vt ego hunc vnum eiusmodi reum post hominum memoriam fuisse arbitrer, cui damnari expediret. nam, quis hoc non intelligit, istum absolutum dijs hominibusque inuitis, tamen ex manibus populi R. eripi nullo modo posse? quis hoc non perspicit, præclare nobiscum actum iri, si populus R. istius vnius supplicio contentus erit? ac non sic statuerit, non istum maius in sese scelus concepisse, cum fana spoliarit, cum tot homines innocentes necarit, cum ciues R. morte, cruciatu, cruce affecerit, cum prædonũ duces accepta pecunia dimiserit, quam eos, si qui istum, tot, tantis, tam nefarijs sceleribus coopertũ, iurati sententia sua liberarent? non est, non est in hoc homine cuiquam peccandi locus, indices: non is est reus, non id tempus, non id consilium, (metuo, ne quid arrogantius apud tales viros videar dicere) ne actor quidem est is, qui reus tam nocens, tam perditus, tam victus, aut occulte surripi, aut impune eripi possit.

EXPLANATIO.

NEC *populus Romanus metuit.* } cognitis iam eius criminibus actione prima. PRO *cetera eius audacia,*

atque amentia,} supra quoque audacem, amentem, impudentē vocauit. Et IN *deos, & in homines,*} propterea dicit infra, Istum absolutum dijs, hominibusq; inuitis. In deos autem, quod eorum sanctissima simulacra è delubris abstulit. A MENTE, *consilioque deducitur.*} inde nascitur eius impudentia. vbi enim & mens, & ratio est, ibi pudor. AGVNT *eum præcipitem*} ne quis, eum adesse, & respondere, desperata absolutione. miretur. QVOS *partim*} vide lib. V. IN CRVCEM *sustulit,*} vt seruos. P. Gauium, municipem Consanum, significat. ABISTO *retrusa, atque abdita,*} obscuris occultata locis, ne sacrilegium pateat. AVARITIAE} ob crimen repetundarum. SVPPLICIO *communi*} æstimatione litis, & exsilio. SED *ereptorem,*} quasi legum pœnas contemnentem. Verris crimina omnia ad apertam vim, oratorio more exaggerans, Cicero deducit. CVI *damnari expediret.*} impendente, nisi damnetur, grauiore pœna. DIIS *hominibusque inuitis,*} qui contra deos impie, contra homines crudeliter, auare, libidinose multa commiserit. Rebus prosperis dicitur, Dijs, hominibusque approbantibus. EX MANIBVS} non dixit, Ex sententijs, sed, Ex manibus, quasi discerpendum propter scelera ab irato populo. quod infra confirmatur ijs verbis: Si istum viuū ad aliud iudicium perducere potuerimus. NOBISCVM} cum ordine senatorio. CONTENTVS *erit?*} lata enim hoc anno per Pompeiū consulem lege tribunicia, arripere tribunis pl. quoscūmque vellent, & ad populum attrahere licebat. de qua lege act. I. his verbis: Vident, adhuc post legem tribuniciam vnum senatorem vel tenuissimū esse damnatum. TOT, *tantis, tam nefarijs sceleribus*} augent singula, vt lib. II. Tot, & tantæ, & tam graues ciuitates. NON EST, *non est in hoc homine cuiquā peccādi locus,*} peccare in hoc reo licet nemini. Iteratio, Non est, non est, & vim auget, & quasi ad minādum pertinet. tale illud pro Fonteio: Fuit, fuit illis iudicibus diuinum, ac singulare, iudices, consilium. NON *id tempus,*} laborat enim nunc vel maxime senatorius ordo infamia iudiciorum. itaque iudicibus danda opera est, vt conceptam turpitudinem deleant potius in hac

caussa,

caussa, quam augeant. NON *id consilium*, } iudicum integerrimorum: itaque corruptores, quod sperent, non habent.

ORATIO.

HIS ego iudicibus non probabo, C. Verrem contra leges pecunias cepisse? sustinebunt tales viri, se tot senatoribus, tot equitibus R. tot hominibus honestissimis ex tã illustri prouincia, tot populorum, priuatorumq; litteris non credidisse? tantæ populi R. voluntati restitisse? sustineant. reperiemus, si istum viuũ ad aliud iudicium perducere potuerimus, quibus probemus, istum in quæstura pecuniam publicam, Cn. Carboni consuli datam, auertisse: quibus persuadeamus, istum alieno nomine à quæstoribus vrbanis, quod priore actione didicistis, pecuniã abstulisse. Erunt, qui & in eo quoq; audaciam eius reprehendant, quod aliquot nominibus de capite, quantum commodum fuerit, frumenti decumani detraxerit. Erunt etiam fortasse, iudices, qui illum eius peculatum vel acerrime vindicandum putent, quod iste M. Marcelli, & P. Africani monumenta, quæ nomine illorum, re vera populi R. & erãt, et habebãtur, ex fanis religiosissimis, ex vrbibus sociorũ, atq; amicorũ non dubitauerit auferre. emerserit ex peculatus etiam iudicio: meditetur de ducibus hostium, quos accepta pecunia liberauit: videat, quid de illis respondeat, quos in eorum locum subditos domi suæ reseruauit. quærat, non solum quemadmodum nostro crimini, verum etiam quo pacto suæ confessioni possit mederi. meminerit, se priore actione clamore populi R. infesto, atque inimico excitatum, confessum esse, duces à se prædonum securi nõ esse percussos; se iam tum esse veritum, ne sibi crimini daretur, eos ab se pecunia liberatos. fateatur id, quod negari non potest, se priuatum hominem prædonum duces viuos, atque incolumes domi suæ, postea quam Romam redierit, vsque dum per me licuerit, tenuisse. hoc in illo maiestatis iudicio si licuisse sibi ostenderit, ego oportuisse concedam. ex hoc quoque euaserit: proficiscar eo, quo me iampridem vocat populus Romanus. de iure enim libertatis, & ciuitatis suum putat esse iudicium, & recte putat. confringat iste sane vi sua consilia senatoria, quæstiones omnium perrumpat, euolet ex vestra seueritate: mihi credite, arctioribus apud populũ Romanum laqueis tenebitur. credet ijs equitibus R. populus R. qui ad vos antea producti testes, ipsis inspectantibus ab isto ciuem R. qui cognitores homines

homines honestos daret, sublatum esse in crucem dixerunt. credent omnes V & XXX tribus homini grauißimo, atque ornatißimo M. Annio, qui se præsente ciuem R. securi percussum esse dixit. audietur à populo R. vir primarius, eques R. L. Flauius, qui suum familiarem Herennium negotiatorem ex Africa, cum eum Syracusis amplius centum ciues R. cognoscerent, lacrymantesque defenderent, pro testimonio dixit, securi esse percussum. probabit fidem, & auctoritatem, & religionem suam L. Suetius, homo omnibus ornamentis præditus, qui iuratus apud vos dixit, multos ciues R. in Latumijs istius imperio crudelißime per vim morte esse multatos. Hanc ego caussam cum agam beneficio populi R. de loco superiore, non vereor, ne aut istum vis vlla ex populi R. suffragijs eripere, aut à me vllū munus ædilitatis amplius, aut gratius populo R. esse posßit. Quapropter omnes in hoc iudicio conentur omnia. nihil est iam, quod in hac caussa peccare, iudices, quisquam, nisi vestro periculo, poßit. mea quidem ratio cum in præteritis est rebus cognita, tum in reliquis explorata, atque prouisa est. ego meum studium in remp. iam illo tempore ostendi, cum longo interuallo veterem consuetudinem retuli, & rogatu sociorum, atque amicorum populi R. meorum autem necessariorum, nomen hominis audacißimi detuli. quod meum factum lectißimi viri, atque ornatißimi, quo in numero è vobis complures fuere, ita probarunt, vt ei, qui istius quæstor fuisset, & ab isto læsus inimicitias iustas persequeretur, non modo deferendi nominis, sed ne subscribendi quidem, cum id postularet, facerent potestatem.

EXPLANATIO.

VIVUM} elapsus enim iudicum sententijs ex hoc iudicio, manibus fortasse populi discerpetur. AD ALIUD *iudicium*} de peculatu: vt apud aliū prætorem, aliosque iudices eum accusem. CN. CARBONI} iterum consuli, Marianarum partium duci: cui Galliam prouinciam sortito quæstor Verres obtigit. Infra: Carbo grauiter ferebat, sibi quæstorem obtigisse hominem singulari luxuria, atq; inertia: verum tamen ornabat eum beneficijs, officijsq; omnibus. Ne diutius teneam: pecunia attributa numerata est: profectus est quæstor in prouinciam: venit in Galliam ad exercitū consularem cum pecunia: simul ac primum ei occasio visa est, auersa pe-

cunia

cunia quæstor consulem,exercitum.prouinciamq; desē- ruit.ALIENO *nomine*}Carbonis nomine, Pedianus ait: quod aperte falsum.nam de pecunia,quam Carboni datam auertit Verres,proxime dictum est. Idem subiungit veriorem,vt arbitror,interpretationem.Alieno nomine: sumptam à quæstoribus ad emptionem frumenti,quam Siculis non persoluit.QVOD *priore actione didicistis,*}non ex ipsa oratione,quæ nihil habet eiusmodi,sed ex testib⁹ à Cicerone productis.qui ad priorem actionē pertinent. itaq; dixit iam:Nemo quemquam tam audacem,tam amentem, tam impudentem fore arbitrabatur, qui tam nefariis criminibus,tam multis testibus euictus,ora iudicum adspicere, aut os suum populo Romano ostendere auderet. Eiusdem generis est illud infra: Meminerit, se priore actione clamore populi Romani.&c.Et illud:Credet iis equitibus populus Romanus,qui ad vos antea producti testes, ipsis inspectantibus,ab isto ciuem Romanū, qui cognitores homines honestos daret, in crucem sublatum esse dixerunt.DE CAPITE,} de toto frumento decumano, à decumanis promisso ad leuandam annonam populi Romani. Fecit autem id Verres nō tam eorum gratia, qui ab ipso decumas redemerant, quod existimasse videtur Asconius, quam vt id, quod aliquot nominibus,id est,fictis,adumbratisq; caussis, de capite frumenti decumani detrahebat,ad ipsum quadam ex parte perueniret.quod ex lib III.ꝑspicue cognoscitur. QVANTVM *commodum fuerit,*} quantum ei libuerit. Quo sensu insignem Verris audaciam ostendit: vt summam Philodami liberalitatem,cum dixit infra:Rogat Rubrium,vt, quos ei cōmodum sit,inuitet:pro,quoscumque velit. Et summam Verris iniustitiam in eo:Cur hunc dolorem cineri eius,atq; ossibus inussisti,vt liberis eius bona patria, voluntate patris,iure,legibus tradita,eriperes, & cui tibi esset cōmodum,condonares?Lib. II. Eum iudicē, quem cōmodum erat,præconē, haruspicem,medicū suum dabat. Lib.III.Cum is,non quantum debetur,sed quantum cōmodum est,auferat?Ibidem:Si cui ciuitati soluit, tantum detraxit,quantū cōmodum fuit.Et:Neque enim id

quod,

quod, debebatur, sed quantum cōmodum fuit, imperauit. M. MARCELLI, & *P. Africani monumenta*,} act. I. Idē iste prætor monumenta antiquissima partim regū locupletissimorum, quę illi ornamento vrbibus esse voluerūt, partim etiā nostrorum imperatorum, quæ victoribus ciuitatibus Siculis aut dederunt, aut reddiderūt, spoliauit, nudauitque omnia. De his monumentis lib. IV. DE DVCIBVS *hostium*,} hoc ad maiestatis iudicium pertinet. LIBERAVIT:} hæc tota res lib. V. narratur. PRIORE *actione*} cum testes interrogarētur. PRIVATVM *hominem*,} læditur maiestas publica, cū homo priuatus duces hostium domi suæ tenet. PER ME} qui, vt in publicam custodiā traderentur, effeci. QVO ME *iampridem vocat populus Romanus.*} nam & peculatus, & maiestatis crimina ad prętores pertinent: ius autē libertatis imminutæ populus Romanus, vt ad se pertinens, persequitur. VI SVA} vi pecuniæ suæ. CONSILIA *senatoria*} iudices, qui sedent, aut sedebunt in eum, de repetundis, peculatu, maiestate. QVAESTIONES} de publicis criminibus. EVOLET} translatis verbis, eodem spectantibus, vtitur, Confringat, Vi, Perrumpat, Euolet, Tenebitur. QVI COGNITORES *homines honestos daret,*} qui testimonio probaret hominū honestorū, se ciuē Romanū esse. lib. V. OMNES V & XXX *tribus*} quæ de reo Verre suffragium ferent. Populus Romanus de vno perduellionis crimine, centuriatis comitijs iudicabat, de ceteris autē tributis. M. ANNIO} hoc, & quæ sequuntur, cognosce ex lib. V. BENEFICIO *populi Romani*} qui me ędilē creauit. DE LOCO *superiore*,} de Rostris. VLLVM *munus ædilitatis*} munera ædilium cur. erant ludi: & Cicero ipse trinos ludos dedit: vt in oratione pro Murena. IN PRAETERITIS *rebus*} quæ statim exponentur. Prima est: Ego meum studium in remp. iam illo tempore ostendi. Altera. In Siciliam sum inquirendi caussa profectus. Tertia: Ita reieci iudices. MEA *quidem ratio*} id, quod ad me attinet. Huius vocabuli vis intelligi magis, quam exprimi potest. intelligitur autē obseruatione multorum exemplorum, vt in ep. ad Lentulum: Mea ratio fuit alia, quod, neque desipiente populo, neque

lo, neque integra re mihi ad consulendum, capessérem nerempub. implicatus tenebar. Ad Appium: Quo mea ratio facilior, & solutior esse posset. Ad eundem: Mea ratio in tota amicitia nostra cōstans & grauis reperietur. EXPLORATA,} certa. PROVISA} munita consilio, & fide. VETEREM} vt homines idonei, atq; integri ad accusandum descenderent. QVO IN NVMERO *è vobis complures fuere,* } mutatio consilij, vt arbitror, facta non erat: sed post reiectionem nō omnes, qui de accusatore legendo iudicauerant, ijdem in iudicando Verre sederunt. reiectio autem, postquā è Sicilia Cicero redijt, non ante contentionē de accusatore constituendo, facta est: vt paullo post exponitur.

ORATIO.

IN Siciliam sum inquirendi caussa profectus. quo in negotio industriam meam celeritas reditionis, diligētiam multitudo literarum & testium declarauit. pudorem vero, ac religionem, quod, cùm venissem senator ad socios populi R. qui in ea prouincia quæstor fuissem, ad hospites meos, ac necessarios caussæ communis defensor diuerti potius, quam ad eos, qui à me auxilium petiuissent. nemini meus aduentus labori, aut sumptui neque publice, neque priuatim fuit. vim in inquirendo tantam habui, quantam mihi lex dabat, non quantam habere poteram istorum studio, quos iste vexarat. Romam vt ex Sicilia redij, cum iste, atque istius amici, homines lauti & vrbani, sermones huiuscemodi dißipassent, quo animos testium retardarent, me magna pecunia à vera accusatione esse deductū: tametsi probabatur nemini, quod ex Sicilia testes erant ij, qui quæstorē me in prouincia cognouerant, & hinc homines maxime illustres, qui vt ipsi noti sunt, sic nostrum vnumquemq; optime norūt; tamē vsq; eo timui, ne quis de mea fide, atq; integritate dubitaret, donec ad reijciendos indices venimus: sciebam, in reijciendis iudicibus non nullos memoria nostra pactionis suspicionē non vitasse, cū in ipsa accusatione eorū industria, ac diligentia probaretur. ita reieci iudices, vt hoc cōstet, post hunc statū reip. quo nunc vtimur, simili splendore & dignitate consiliū nullū fuisse. quā iste laudē cōmunem ait sibi esse mecū: qui cū P. Galbam iudicem reiecisset, M. Lucretiū retinuit: et, cū eius patronus ex eo quæreret, cur suos familiarißimos, Sex. Peducæum, Q. Considium,

Q. Iunium

Q. Iunium reijci passus esset, respondit, quod eos in iudicando nimium sui iuris, sententiæque cognosceret. itaq; iudicibus reiectis, sperabam iam onus meum vobiscum esse commune: putabam, non solum notis, sed etiam ignotis probatam meam fidem esse, & diligentiam. quod me non fefellit. nam comitijs meis, cum iste infinita largitione contra me vteretur, populus R. iudicauit, istius pecuniam, quæ apud me contra fidem meam nihil potuisset, apud se contra honorem meum nihil posse debere. quo quidem die primum iudices citati in hunc reum consedistis, quis tam inimicus huic ordini fuit, quis tam nouarum rerum, iudiciorum, iudicumque cupidus, qui non conspectu, consessuque vestro commoueretur? cum in eo vestra mihi dignitas fructum diligentiæ referret, id sum assecutus, vt vna hora, qua cœpi dicere, reo audaci, pecunioso, profuso, perdito spem iudicij corrumpendi præciderem: vt primo die testium tanto numero citato populus R. iudicaret, ipso absoluto remp. stare non posse: vt alter dies amicis istius, & defensoribus non modo spem victoriæ, sed etiam voluntatem defensionis auferret: vt tertius dies sic hominem prosterneret, vt, morbo simulato, non quid responderet, sed quemadmodum non responderet, deliberaret, deinde reliquis diebus, his criminibus, his testibus, & vrbanis, & prouincialibus, sic obrutus, atque oppressus est, vt, his ludorum diebus interpositis nemo istum comperendinatum, sed condemnatum iudicaret.

EXPLANATIO.

VIM *in inquirendo*} curam & diligentiam. QVANTAM *mihi lex dabat,*} dabat, vt ea tantum collegerem, quæ ad repetundarum crimem pertinent. LAVTI *et vrbani,*} ironia: quasi turpiter & inurbane se gesserint, cum eiusmodi sermones de se immerente dissiparent. QVI CVM P. GALBAM} virum integerrimũ. M. LVCRETIVM} cum Galba non conferendum. quẽ Cicero postea reiecit. Hæc subiunguntur, vt refellatur illud: Quam iste laudem communem ait sibi esse mecum. EIVS *patronus*} Hortensius. REIICI *passus esset:*} Asconius reiectionem fieri primum à reo, deinde ab accusatore putat: quod verisimile videtur: itaque, Reijci passus esset, interpretatur, reiecisset ipse. nam, ne reijcerentur ab accusatore, qui poterat obsistere? VOBISCVM *esse commune.*} vt ego diligenter accusarem, vos seuere iudicaretis. infra:

tis.infra: Ego, quod ad me attinet, vici. Et post: Vos, quod ad vestram famam, existimationem, salutemque communem pertinet, iudices, prospicite, atq; consulite. NON SOLVM *notis, sed etiam ignotis*} & qui me norunt, & qui ignorant. sic in ep. ad Lucceium: Simulacra corporis ignotis nota faciebant. pro, ijs, qui non nouerant. FIDEM, & *diligentiam.*} quæ duæ res ab accusatore postulantur. Hoc est, quod in Diuinatione dixit: Cum hoc vnum his tot incommodis remedium esse arbitrarer, vt homines idonei, atque integri caussam reip. legumque susciperēt. COMITIIS *meis*} ædilicijs. LARGITIONE} qua vsus iā erat cōsularibus, prætorijsq; comitijs, vt Q. Metellus cōsul, M. Metellꝰ prætor designaretur. NIHIL *potuisset,*} se quoque tentatum Verris pecunia significat, vt actione prima, cum dixit: Istius insidiæ nefariæ, quas vno tēpore mihi, vobis, M'. Glabrioni prætori, socijs, exteris nationibus, ordini, nomini denique senatorio facere conatur. Et ibidem apertius: Fecit animo libentissimo populus Romanus, vt, cuius diuitiæ me de fide deducere nō potuissent, ne eiusdē pecunijs de honore deijcerer. DILIGENTIAE} qua vsus essem in reijciendis iudicib. HIS LVDORVM *diebus*} fingit respōdisse Verrem post binos ludos.

ORATIO.

QVAPROPTER ego, quod ad me attinet, iudices, vici. non enim spolia C. Verris, sed existimationem populi R. cōcupiui. meum fuit, cum caussa accedere ad accusandum: quæ caussa fuit iustior, quam à tam illustri prouincia defensorem constitui, & deligi? reip. consulere: quid iam reip. honestius, quam in tanta inuidia iudiciorum adducere hominem, cuius damnatione totus ordo cum populo R. & in laude, & in gratia possit esse? ostendere, ac persuadere, hominem nocentem adductum esse: quis est in populo R. qui hoc non ex priore actione abstulerit, omnium ante damnatorum scelera, furta, flagitia, si in vnum locum conferantur, vix cum huius parua parte æquari, conferriq; posse? Vos, quod ad vestram famam, existimationem, salutemque cōmunem pertinet, iudices, prospicite, atque consulite. splendor vester facit, vt peccare sine summo reip. detrimento, ac periculo non possitis. nō enim potest sperare populus R. esse alios in senatu, qui recte pos-

V sint

sint indicare, vos si non potueritis. necesse est, cum de toto ordine desperarit, aliud genus hominum, atque aliam rationem iudiciorum requirat. hoc si vobis ideo leuius videtur, quod putatis onus esse graue, & incommodũ, iudicare: intelligere debetis, primum interesse, vtrum id onus vosmetipsi reieceritis, an, quod probare populo R. fidem vestram, & religionẽ potueritis, eo vobis iudicãdi potestas erepta sit. deinde etiam illud cogitate, quanto periculo venturi simus ad eos indices, quos, propter odium vestri, populus R. de vobis voluerit iudicare. verum vobis dicam id, quod intellexi, iudices, homines scitote esse quosdam, quos tantum odium vestri ordinis teneat, vt hoc palam iam dictitent, se istum, quem sciant esse hominem improbissimum, hoc vno nomine absolui velle, vt ab senatu iudicia per ignominiam, turpitudinemque auferantur. Hæc me, iudices, pluribus verbis vobiscum agere coegit non timor meus de vestra fide, sed spes illorũ noua: quæ cũ Verrẽ à porta subito ad iudicium retraxisset, nonnulli suspicati sunt, non sine caussa illius consilium tam repente esse mutatum. nunc ne nouo querimoniæ genere vti possit Hortensius, & ea dicere, opprimi reum, de quo nihil dicat accusator; nihil esse tam periculosum fortunis innocentium, quam tacere aduersarios; & ne aliter, quam ego velim, meum laudet ingenium, cum dicat, me, si multa dixissem, subleuaturum fuisse eum, quem contra dicerem; quia non dixerim, perdidisse: morem illi geram: vtar oratione perpetua; non quoniam hoc sit necesse; verum vt experiar, vtrum ille ferat molestius, me tunc tacuisse, an nunc dicere.

EXPLANATIO.

NON ENIM *spolia C. Verris,* } tamquam de hoste deuicto. quæ autem spolia? vt, eo condemnato, litem ei æstimatam viderem. EXISTIMATIONEM *populi Romani* } vt bene de me populus Romanus existimaret, quem videret cum caussa accessisse ad accusandum, id est, reum nocentissimum in iudicium adduxisse, eumq; ita accusasse priore actione, vt neque fidem meam neque diligentiã desiderare quisquam posset. TOTVS *ordo* } senatorius. ET IN *laude, & in gratia* } dixit idẽ Act. 1. Suscipe caussam senatus, vt is hoc iudicio probatus, cũ populo Romano & in laude, & in gratia esse possit. VOS, *quod ad vestram famam, existimationem, salutemque pertinet,*

tinet, iudices, prospicite, atque consulite.} nam ego, quod ad me attinet, vici. Quod supra dictum est. SPLENDOR *vester*} vestra dignitas: vt paullo ante: Cum in eo vestra mihi dignitas fructum diligentiæ referret. FACIT, } similiter locutus in ep. ad Matium: Tua dignitas facit, vt animaduertatur quidquid facias. ALIVD *genus hominũ,*} equites Romanos. Act. I. Constat inter omnes, post hæc constituta iudicia, quibus nunc vtimur, nullum hoc splẽdore, atque hac dignitate consilium fuisse. hic si quid erit offensum, omnes homines non iam ex eodem ordine alios magis idoneos, quod fieri non potest, sed alium omnino ordinem ad res iudicandas quærendum arbitrabuntur. NOVO *querimoniæ genere* } quis enim in vllo vmquam iudicio questus est, quod accusator contra reũ pauca diceret. Notat hic quoque insidias Hortensij, qui caussam producere ad annum sequentem omni arte ac ratione conaretur. NE ALITER, *quam ego velim, meum laudet ingenium;*} non enim ex eo laudari cupio, quod reum prodiderim, quia pauca dixerim. in quo me laudaret Hortensius, siquidem diceret, id quod ab eo dici non patiar, (vtar enim oratione perpetua: morem illi gerã) me; si multa dixissem, reum subleuaturum fuisse. nã, etsi reum agente me condemnari cupio: non tamen ex breuitate orationis, sed ex copia potius, & accurata singulorũ criminũ explicatione ingenij laudem peto. NON *quoniam sit necesse;*} cum ex priore actione satis constet reum absolui non posse. ORATIO.

HIC tu fortasse eris diligens, ne quã ego horã de meis legitimis horis remittã: nisi omni tẽpore, quod mihi lege concessũ est, abusus ero, querere, deũ atq; hominũ fidẽ implorabis, circumueniri C. Verrẽ, quod accusator nolit tamdiu, quãdiu liceat, dicere. quod mihi lex mea caussa dedit. eo mihi nõ vti nõ licebit? nã accusandi mihi tẽpus mea caussa datũ est, vt possẽ oratiõe mea crimina caussãq; explicare. hoc si nõ vtor, nõ tibi iniuriã facio, sed de meo iure aliquid, & cõmodo detraho. Caussã. n. inquit, cognosci oportet. Ea re quidẽ, quod aliter cõdemnari re⁹, quãuis sit nocẽs, nõ põt. id igitur tu moleste tulisti, à me aliquid factũ esse, quo min⁹ iste cõdemnari posset: nã, caussa cognita, possũt multi absolui, incognita

 quidem,

quidem, condemnari nemo potest. adimo enim comperendinatum: quod habet lex in se molestissimum, bis vt caussa dicatur. quod aut mea caussa potius est constitutum, quam tua, aut nihilo tua potius, quam mea. nam si, bis dicere, est commodum: certe vtriusque commune est. sin eum, qui posterius dixit, opus est redargui: accusatoris caussa, vt bis ageretur, constitutum est. Verum, vt opinor, Glaucia primus tulit, vt comperendinaretur reus. antea vel iudicari primo poterat, vel, Amplius, pronunciari. vtram igitur putas legem molliorem? opinor, illam veterem; qua vel cito absolui, vel tarde condemnari licebat. ego tibi illam Aciliam legem restituo: qua lege multi semel accusati, semel dicta caussa, semel auditis testibus condemnati sunt, nequaquam tam manifestis, neque tantis criminibus, quantis tu conuinceris. puta te non hac tam atroci, sed illa lege mitissima caussam dicere. accusabo: respondebis. testibus editis, ita mittam in consilium, vt, etiamsi lex ampliandi faciat potestatem, tamen isti turpe sibi existiment, non primo iudicare. Verum, si caussam cognosci opus est, parum ne cognita est? dissimulamus, Hortensi: quod saepe in dicendo experti sumus. quis nos magnopere attendit vmquam, in hoc quidem genere caussarum, vbi aliquid ereptum, aut ablatum à quopiam dicitur? nonne aut in tabulis, aut in testibus omnis exspectatio iudicum est? dixi prima actione, me planum esse facturum, C. Verrem H.S quadringenties contra abstulisse. quid? hoc planius egissem, si ita narrassem. Dio quidam fuit Halesinus: qui, cum eius filio, praetore Sacerdote, hereditas à propinquo permagna venissent, nihil habuit neque negotij, neque controuersiae. Verres, simul ac tetigit prouinciam, statim Messana litteras dedit, Dionem euocauit, calumniatores ex sinu suo apposuit, qui illam hereditatem Veneri Erycinae commissam esse dicerent. hac de re ostendit se ipsum cogniturum. possum deinceps totam rem explicare, deinde ad extremum id, quod accedit, dicere, Dionem H.S decies centena millia numerasse, vt caussam certissimam obtineret; praeterea greges equarum eius istum abigendos curasse; argenti vestisque stragulae quod fuerit, curasse auferendum. haec neque cum ego dicerem, neque cum tu negares, magni momenti nostra esset oratio. quo tempore igitur aures iudex erigeret, animumque attenderet? cum Dio ipse prodiret; cum ceteri, qui tum in Sicilia negotijs Dionis interfuissent; cum per eos ipsos dies, per quos caussam Dio diceret, reperiretur, pecunias sumpsisse

psisse

psisse mutuas, nomina sua exegisse, prædia vendidisse; cum tabulæ virorum bonorum proferrentur; cum, qui pecuniam Dioni dederunt, dicerent, se iam tum audisse, eo nummos sumi, vt Verri darentur; cum amici, hospites, patroni Dionis, homines honestissimi, hæc eadem se audisse dicerent. opinor, cum hæc fierent, tum vos audiretis, sicut audistis, tum caussa agi videretur. sic à me sunt acta omnia priore actione, vt in criminibus omnibus nullum esset, in quo quisquam vestrum perpetuam accusationem requirat. nego esse quidquã à testibus dictum, quod aut vestrũ cuipiam esse obscurum, aut cuiusquã oratoris eloquentiam quæreret. etenim sic me ipsum egisse memoria tenetis, vt in testibus interrogandis omnia crimina proponerem, & explicarem; vt, cũ rem totam in medio posuissem, tum denique testem interrogarem: itaq; non modo vos, quibus est iudicandum, nostra crimina tenetis: sed etiam populus R. totam accusationem caussamque cognouit. Tametsi ita de meo facto loquor, quasi ego illud mea voluntate potius quam vestra iniuria adductus fecerim. interposuistis accusatorem, qui, cum ego mihi C & X dies solos in Siciliam postulassem, C & IIX sibi in Achaiam postularet: menses mihi tres cum eripuissetis, ad agendum maxime appositos, reliquum omne tempus huius anni me vobis remissurum putastis: vt, cum horis nostris nos essemus vsi, tu, binis ludis interpositis, quadragesimo post die responderes; deinde ita tempus duceretur, vt me à M. Glabrione prætore, & à magna parte horum iudicum ad prætorem alium, iudicesque alios veniremus. hæc si ego non vidissem, si me non omnes noti ignotiq; monuissent, id agi, id cogitari, in eo laborari, vt res in illud tẽpus reijceretur: credo, si meis horis in accusando vti voluissem, vererer, ne mihi crimina non suppeterent, ne oratio deesset, ne vox viresq; deficerent, ne, quem nemo prima actione defendere ausus esset, eum ego bis accusare non possem. ego meum consilium tum iudicibus, tum populo R. probaui. nemo est, qui alia ratione istorum iniuriæ, atque impudentiæ potuisse obsisti arbitretur. etenim, qua stultitia fuissem, si, quam diem, qui istum eripiendum redemerunt, in cautione viderunt, cum ita cauerent, si post kal. Ian. in consilium iretur; in eam diem ego, cum potuissem vitare, incidissem? nunc mihi temporis eius, quod mihi ad dicendum datur, quoniam in animo est caussam omnem exponere, habenda ratio

est diligenter. itaque primum illum actum istius vitæ turpißimum, & flagitiosißimum prætermittam: nihil à me de pueritiæ suæ flagitijs, peccatisque audiet: nihil ex illa impura adolescentia sua: quæ qualis fuerit, aut meministis, aut ex isto, quem sui simillimum produxit, recognoscere potestis. omnia præteribo, quæ mihi turpia dictu videbuntur, neque solum, quid istum audire, verum etiam, quid me deceat dicere, considerabo. vos, quæso, date hoc, & concedite pudori meo, vt aliquam partem de istius impudentia reticere poßim. omne illud tempus, quod fuit, ante quam iste ad magistratus, remque publicam accessit, habeat per me solutum, ac liberum. sileatur de nocturnis eius bacchationibus, ac vigilijs: lenonum, aleatorum, perductorum nulla mentio fiat: damna, dedecora, quæ res patris eius, ætas ipsius pertulit, prætereantur: luctetur indicia veteris infamiæ: patiatur eius vita reliqua me hanc tantam iacturam criminum facere.

EXPLANATIO.

ADIMO *enim comperendinatum:* } quod ad me attinet, priore contentus actione sum: nec video, cur tu id queri debeas, Hortensi. adimo enim tibi cōperendinatum, id est, caussæ iterum agendæ molestiā. LEX } de repetundis, Cornelia, quam L. Sulla tulit. nā ceteræ vetustiores, Seruilia, Acilia, Calpurnia. ACCVSATORIS *caussa*, } qui cum vltimo loco in comperendinatione dicat, defensorem redarguit. ita melior eius, quam defensoris, condicio est. GLAVCIA } C. Seruilius Glaucia, is, qui cum Saturnino tribuno pl. in populari seditione prætor est interfectus. PRIMVS } ergo idem postea latum est, hac videlicet lege, qua caussa Verris agebatur. TVLIT, } aut prætor, aut tribunus pl. VEL *iudicari primo poterat*, } putat Asconius, Iudicari, esse Absolui: cum sequatur: Vel cito absolui, vel tarde condemnari: sed ampliationem credit esse necessariam, quæ tamen ex voluntate iudicum pendebat, & ex caussæ obscuritate nascebatur. ILLAM *veterem*, } quæ fuerat ante legem Seruilij Glauciæ. nam, etsi comperendinationē non habebat, in eo tamē erat mollior, quā Seruilia, quia iudicibus vel cito absoluendi, vel tarde condemnandi potestatē dabat. Ea fuit Acilia lex, quā tulit pater M'. Acilij Gla-

lij Glabrionis, qui prętor erat in caussa Verris. Act. 1. Fac tibi paternæ legis Aciliæ veniat in mentē. ILLAM *Aciliam legem*} Seruilia molliorem. SEMEL *dicta caussa*,} ergo, sine ampliatione, condemnari reus Acilia lege poterat. Cur igitur dixit: Qua vel cito absolui, vel tarde condemnari licebat? Vt ostendat, nō necessariam, sed in potestate iudicum ampliationem fuisse. nam, Licebat, nō est, necesse erat, aut, oportebat, sed poterat: si modo caussa postularet. itaque multi sine ampliatione condemnati: quod infra dicitur: alij cum ampliatione absoluti, vt, accusante Africano minore, L. Cottā: cuius caussam septies ampliatam, postremo absolutum, scripsit Valerius lib. IIX. cap. 1. Nec moueor, qđ hic de Acilia lege sermo est, iudicium autē Cottæ non Acilia, sed Calpurnia, quā de repetundis primus omnium L. Piso frugi tribunus pl. Marcio & Manilio cos. tulit, esse factum, historiæ peritis facile est intelligere. cōstat enim, vtriusque legis ampliationem fuisse: cum alijs tamen rebus Acilia differret à Calpurnia, vt recentiores oēs leges à superioribus. HAC TAM *atroci*} Cornelia L. Sullæ, qua tunc vtebantur. Atrocem vocat, quia posteriores quæque leges duriores, cū omnes, temporibus admoniti, auctis quotidie vitijs, aliquid adderent. ILLA} Acilia, molliore nō solum, quam Cornelia, omnium postrema, sed etiam quam Seruilia, ante Corneliam proxime. ITA *mittam in consilium*, } iudices, ad sententiam ferendam. Dicit autem, Ita mittam, pro, ita cognita ex testibus caussa, mittam. AMPLIANDI *faciat potestatem*, } hic quoque locus, licuisse iudicibus Acilia lege non ampliare, demonstrat. COMMISSAM *esse*} debitam. Comitti dicitur hereditas, cum ab eo herede, qui testamentum non obseruauit, ad alium deuoluitur. infra: Petant hereditatem quod eam palestræ commissam esse dicant. Sic in ep. ad Thermum: Commissæ hypothecæ, alieni iuris factæ, debitore ad diē non soluente. H.S DECIES *centena millia*} triginta scutatorum millia. CERTISSIMAM} quam perdere nullo iure posset. NOMINA *sua*} quod ei debebatur. SICVT *audistis*} ex testibus priore Actione. VESTRA

iniuria} in Verrem,& Hortensium. MENSES *tres*} qui sunt ante nonas Sext.quo die agi caussa cœpta est. ERIPVISSETIS, }accusatore interposito.cuius ex Achaia reditum oportebat exspectari: quod eius prior erat accusandi locus, quia biduo breuiorem, quam ego, diem inquirendi postulasset.sed ille tantum abest vt in Achaiam iuerit, vt ne Brundisium quidem peruenerit: vt ex eo facile paterent insidiæ Verris, qui Achaicum istum inquisitorem induxisset, non vt quemquam accusaret, sed vt mihi, exspectatione reditus eius ex Achaia, tres menses eriperētur, sicuti erepti sūt.nā accusatio cœpta est nonis Sext. Hac de re sic ait act.1. Ille Achaicus inquisitor ne Brundisium quidem peruēit: ego Siciliam totam quinquaginta diebus sic obij, vt omnium populorum, priuatorumque litteras, iniuriasq; cognoscerem: vt perspicuū cuiuis esse possit, hominem ab isto quæsitum esse, nō qui reum suum adduceret, sed qui meum tempus obsideret. ME VOBIS *remissurum*} me vobis esse donaturum, hoc modo, vt ego meis legitimis horis in dicendo vterer, tu autem, Hortensi, binis ludis interpositis, post XL dies responderes: tum ita tempus duceretur, vt in annum sequētem integra res ad Metellum prætorem, aliosq; iudices veniret. quę vos fefellit opinio. nam priore actione meis horis non sum vsus: testibus, tabulis, litteris, auctoritatibus, quod ad me attinet, caussam peregi. QVEM *nemo prima actione defendere ausus esset* } quia Cicero, omissa perpetua oratione, Verrem accusauit testibus, tabulis, litteris, auctoritatibus; ita materiam respōdendi Hortensio nullā dedit. MEVM *consilium*} perpetuæ orationis omittendæ. QVI ISTVM *eripiendum redemerunt*, } accepta à Verre pecunia, promiserūt iudicij corruptionem, si post Kal. Ian. de eo iudicaretur. EX EO, } ex eius filio. PRODVXIT, } in iudiciū. RECOGNOSCERE} qualem enim filiū videtis, talem fuisse patrem, intellgere vobis licet. PERDVCTORVM , } qui varijs artibus ad stuprū pducūt. DAMNA, *dedecora*} damna, q̄ res patris eius; dedecora, quæ ætas ipsius, cū esset adolescens, pertulit. LVCRETVR} me largiente, id est non commemorante. INDI-

DICIA} quæ per me occulta erunt, quæ si proferrem, veterem infamiam cerneretis.

ORATIO.

QVAESTOR *Cn. Papirio consul. fuisti abhinc annos* XIV. *ex ea die ad hanc diem, quæ fecisti, in iudiciũ voco. hora nulla vacua à furto, à scelere, crudelitate, flagitio reperietur. hi sunt anni consumpti in quæstura, & legatione Asiatica, & prætura vrbana, & prætura Siciliensi. quare hæc eadem erit quadripartita distributio totius accusationis meæ. Quæstor ex S.C. prouinciã sortitus es: obtigit tibi cõsularis: vt cum consule Cn. Carbone esses, eamq; prouinciã obtineres. erat tum dissensio ciuiũ: de qua nihil sum dicturus, quid sentire debueris: vnũ hoc dico, in eiusmodi tempore ac sorte statuere te debuisse, vtrum malles sentire, atque defendere. Carbo grauiter ferebat sibi quæstorem obtigisse hominem singulari luxuria, atque inertia: verumtamen ornabat eum beneficijs, officijsq; omnibus. ne diutius tenẽã, pecunia attributa numerata est: profectus est quæstor in prouinciam: venit in Galliam exspectatus ad exercitum consularem cum pecunia: simul ac primũ ei occasio visa est, (cognoscite hominis principiũ magistratuum gerendorum, & reip. administrandæ) auersa pecunia publica quæstor consulem, exercitum, prouinciamq; deseruit. video, quid egerim: erigit se: sperat sibi auram posse aliquam afflari in hoc crimine voluntatis, assensionisque eorum, quibus Cn. Carbonis mortui nomen odio sit: quibus illam relictionem, proditionemq; consulis sui gratam sperat fore. quasi vero id cupiditate defendendæ nobilitatis, aut studio partium fecerit, ac non apertissime consulem, exercitum, prouinciamque compilarit, & propter impudentissimum furtum aufugerit. est enim obscurum, aut eiusmodi factum eius, vt posit aliquis suspicari, C. Verrem, quod ferre nouos homines non potuerit, ad nobilitatem, hoc est, ad suos, transisse, nihil fecisse propter pecuniam. videamus, rationes quemadmodum retulerit: iam se ipse ostendet, quam obrem Cn. Carbonem reliquerit: iam se ipse indicabit. primum breuitatem cognoscite.* ACCEPI, *inquit*, VICIES. DVCENTA. TRIGINTAQVINQVE. MILLIA. QVADRINGENTOS. XVII. NVMMOS. DEDI. STIPENDIO. FRVMENTO. LEGATIS. PROQVAESTORI. COHORTI. PRAETORIAE. H-S. MILLE. SEXCENTA. TRIGINTA. QVINQVE. MILLIA. QVADRINGENTOS.

TOS. XVII. NVMMOS. RELIQVI. ARIMINI. H. S. SEXCENTA. MILLIA. *hoc est rationes referre? hoc modo aut ego, aut tu, Hortensi, aut quisquam hominum retulit? quid hoc est? quæ impudentia? quæ audacia? quod exemplum ex tot hominum rationibus relatis huiusmodi est? illa tamen* H.S *sexcenta millia, quæ ne falso quidem potuit, quibus data essent, describere, quæ se Arimini scribit reliquisse, quæ ipsa* H.S *sexcenta millia reliqua facta sunt, neque Carbo attigit, neque Sulla vidit, neque in ærarium relata sunt. opidum sibi elegit Ariminum, quod tum, cum iste rationes referebat, oppressum, direptumq́, erat nō suspicabatur id, quod nūc sentiet. satis multos ex illa calamitate Ariminensium testes nobis in hanc rem reliquos esse. recita denuo.* P. LENTVLO. L. TRIARIO. QVAESTORIBVS. VRBANIS. RATIONVM. RELATARVM. *recita,* EX S. C. *vt hoc pacto rationes referre liceret, eo Sullanus repente factus est, non vt honos, & dignitas nobilitati restitueretur. quod si illinc inanis profugisses; tamen ista tua fuga, nefaria proditio consulis tui, scelerata iudicaretur. malus ciuis, improbus consul, seditiosus homo Cn. Carbo fuit fuerit alijs: tibi quando esse cœpit? postea quam tibi pecuniam, rem frumentariam, rationes omnes suas, exercitumque commisit. nam, si tibi antea displicuisset, idem fecisses, quod anno post M. Piso quæstor, cum L. Scipioni consuli obtigisset: non attigit pecuniam: non ad exercitum profectus est: quod de rep. sensit, ita sensit, vt nec fidem suam, nec morem maiorum, nec necessitudinem sortis læderet. etenim, si hæc perturbare omnia, & permiscere volumus, totam vitam periculosam, infestamque reddemus, si nullam religionem sors habebit, nullam societatem coniunctio secundæ, dubiæque fortunæ, nullam auctoritatem mores, atque instituta maiorum. omnium est communis inimicus, qui fuit hostis suorum. nemo vmquam sapiens proditori credendum putauit. ipse Sulla, cui aduentus istius gratissimus esse debuit, ab se hominem, atq; ab exercitu suo, remouit, Beneuenti esse iussit apud eos, quos suis partibus amicissimos esse intelligebat, vbi iste summæ rei, caussæq; nocere nihil posset. ei postea præmia tamen liberaliter tribuit: bona quædam proscriptorum in agro Beneuentano diripienda cōcessit: habuit honorem vt proditori, non vt amico fidem. nunc, quamuis sint homines, qui mortuum Cn. Carbonem oderint: tamen hi debent, non quid illi*

acci-

accidere voluerint, sed quid ipsis in tali re metuendum sit, cogitare. commune est hoc malum, communis metus, commune periculum: nullæ sunt occultiores insidiæ, quam eæ, quæ latent in simulatione officij, aut in aliquo necessitudinis nomine. nam eum, qui palam est aduersarius, facile cauendo vitare possis: hoc vero occultum, intestinum, ac domesticum malum non modo non exsistit, verum etiam opprimit ante quam perspicere, atque explorare potueris.

EXPLANATIO.

CONSVLE} iterum consule. QVAESTVRA,} cum Carbonis cõsulis quæstor fuit. LEGATIONE} cum legatus Dolabellæ. ASIATICA,} Ciliciensi. nam Dolabellæ prouincia fuit Cilicia cum Pamphylia, vtraque minoris Asiæ pars. Et initio actionis primæ Asiam pro Cilicia posuit, in eo, Vexatorem Asiæ atque Pamphyliæ. Et hæc infra: Verrem ex Asia decedentem: id est, è Cilicia. CONSVLARIS} Gallia, quã sortitus est Carbo consul, Cinnæ collega. CIVIVM:} ciuili bello, quod Sulla gessit cum Mario primum, eo deinde mortuo, cum Mariana factione, Cinna, Carbone, Scipione, alijs. A SORTE} cum sorte tibi Gallia, Carbonis consulis prouincia, obtigisset, violare sortem non debuisti, nec, prodito cõsule tuo, relicta prouincia, auersa pecunia, ad Sullanas partes transfugere. Hoc Cicero tacite significat: perspicue rem narrare non audet, quia hoc tempore Sullana factio dominabatur, & ipsa iudicia senatoria à Sulla erant cõstituta. itaque, Verrẽ aperte reprehendere, hac quidem de re, sine iudicum offensione non poterat. ORNABAT *eum*} vt quæstorem, cuius opera, fore videbat, vt maximis in rebus vti cogeretur. PECVNIA *attributa, numerata est.*} attributa q̃storibus vrbanis à tribunis ærarijs, deinde Verri à quæstoribus, vt eam militibus pro stipendio solueret. PRINCIPVM *magistratuum gerendorum.*} nam quæstura primus gradus honoris est. AVRAM *posse aliquam afflari*} opem aliquam afferri posse. hæc enim trãslatio studiũ significat: & refici solemus, ac recreari, cũ auręquędã afflatur.

ODIO

ODIOSIT.} nã Carbo Marianus fuerat: ciuitas autẽ nũc à Sullanis & magistratib⁹, & ordinibus regebatur. NOBILITATIS,} quæ ciuili bello Sullam sequebatur. *ESTenim obscurum, & eiusmodi*} vbi sententiã nullis explicari posse verbis intelligit, hoc solet addere, Et eiusmodi. vt lib. II. Accipite nũc aliud ei⁹ facin⁹ nobile, & multis locis sæpecõmemoratũ, & eiusmodi, vt in vno omnia malefi cia inesse videantur. Et ad Crassum: Non enim fuit aut mediocre, aut obscurum, aut eiusmodi, quod silentio posset præteriri. NOVOS *homines*} Marianos. nam & Marius, &, eo mortuo, duces illarum partium, nobilitatem oderant, nouos homines, infimique ordinis, ad honores extollebant. AD NOBILITATEM, *hoc est ad suos.*} an eos, quos amabat: cum ipse nouus homo non esset, verum antiquæ gentis Corneliæ. RATIONES *quẽadmodum retulerit:*} quæstores acceptæ ab ærario pecuniæ rationem referre cogebantur. VICIES *ducenta triginta quinque millia*} sexaginta septem millia & quinquaginta scutatos. QVADRINGENTOS XVII. *nummos:*} scutatos, duodecim, & vnius prope dimidium. COHORTI *prætoriæ*} cohors prætoria dicebantur domestici conuictores cõsulis, aut proconsulis. H-S SEXCENTA *millia.*} hæc, & quæ proxime numerata sunt, conficiũnt acceptæ pecuniæ summam vicies ducenta triginta, quinque millia, XVI nummos. AVT EGO, *aut tu*} qui quæstores fuimus. RELIQVA *facta sunt*,} superfuerunt, post ea, quæ se dedisse dixit. NEQVE *in ærarium relata sunt.*} qua ratione igitur probabis, ea te Arimini reliquisse? OPPRESVM. *diremptumque erat.*} ne quis exigere posset eius pecuniæ rationem, quæ in eiusmodi opido relicta esset. IN HANC *rem*} qui se de illa pecunia, quã à te Arimini relictam in rationes retulisti, nihil scire dicent. QVAESTORIBVS *vrbanis,*} ad quos Verres rationes retulit. RATIONVM *res relatarum*} locum mendosum esse omnes intelligunt. Rationes relatæ, placeret, vt infra, Rationes relatæ P. Seruilij. SVLLANVS *repente factus est*,} vt, cum arma valerent, nihil iure, nihil more fieret. RESTITVERETVR.} adempta à Marianis,

nis,dum Sulla Mithridatico bello distineretur. ILLINC} à Marianis. INANIS }sine pecunia. sed cum pecunia profugisse: quo licet intelligere, proditũ à te consulem pecuniæ caussa, nõ studio partiũ. IDEM *fecisses,* } mod⁹ loquẽdi, pro idẽ facere debebas. Infra: Voconia lex te videlicet delectabat: imitatus esses illum C. ipsum Voconium, qui lege sua hereditatem ademit nulli neque virgini, neque mulieri. L. SCIPIONI} Velleius lib. II. Felici deinde circa Capuam euentu Scipionem, Norbanumq; consules superat. quorum Norbanus acie victus, Scipio ab exercitu desertus, ac prodit⁹, inuiolatus à Sulla dimissus est. Hic Scipio P. Sextij, pro quo exstat Ciceronis oratio, socer, fuit, & Massiliæ exsulauit: vt ea docet oratio. CONIVNCTIO}quæstoris cum prætore, vel coniunctio secundæ, dubiæq; fortunæ. NON VT *amico fidem.*} Vsus enim eo non est. confirmat, quod proxime dixit: Nemo vmquam sapiens proditori credendum putauit. OPPRIMIT, *ante quam perspicere, atq; explorare potueris.*} sententia similis in epistola Planci: Non possum nõ exhorrescere, si quid intra cutem subest vulneris: quod prius nocere potest, quam sciri, curarique possit.

ORATIO.

ITA ne vero? tu, cum quæstor ad exercitum missus sis, custos non solum pecuniæ, sed etiam consulis, particeps omnium rerũ, consiliorumq; fueris, habitus sis in liberum loco, sicut mos maiorũ ferebat: repente relinquas? deseras? ad aduersarios transeas? o scelus, o portentum in vltimas terras exportandum. non enim potest ea natura, quæ tantum facinus commiserit, hoc vno scelere esse contenta: necesse est, semper aliquid eiusmodi moliatur: necesse est, in simili audacia, perfidiaque versetur. itaque idem iste, quem Cn. Dolabella postea, C. Malleolo occiso, pro quæstore habuit, (haud scio, an maior etiam hæc necessitudo fuerit, quam illa Carbonis, ac plus iudicium voluntatis valere, quam fortis, debeat) idem in Cn. Dolabellam, qui in Cn. Carbonem, fuit. nã, quæ in ipsum valebant crimina, contulit in illum, caussamque illius omnem ad inimicos, accusatoresque detulit: ipse in eum, cui legatus, cui pro quæstore fuerat, inimicissimum, atque improbissimum, testimonium dixit. ille miser cum esset, tum proditione istius nefarias

nefaria, tum improbo, & falso eiusdem testimonio, tum multo ex maxima parte istius furtorum, ac flagitiorum inuidia conflagrauit. Quid hoc homine faciatis? aut ad quam spem tam perfidiosum, tā importunum animal reseruetis? qui in Cn. Carbone sortem, in Cn. Dolabella voluntatem neglexerit, ac violarit, eosque ambos non solum deseruerit, sed etiam prodiderit, atque oppugnarit. Nolite, quæso, iudices, breuitate orationis meæ potius, quam rerū ipsarum magnitudine crimina ponderare. mihi enim properandum necessario est, vt omnia vobis, quæ mihi constituta sunt, possim exponere. quamobrem, quæstura istius demonstrata, primique magistratus & furto, & scelere perspecto, reliqua attendite. in quibus illud tempus Sullanarum proscriptionum, ac rapinarum prætermittam: neque ego istum sibi vllam ex communi calamitate defensionem sinam sumere: suis eum certis proprijsque criminibus accusabo. quamobrem, hoc omni tempore Sullano ex accusatione circumscripto, legationem eius præclaram cognoscite. Postea quam Cn. Dolabellæ prouincia Cilicia constituta est, o dij immortales, quanta iste cupiditate, quibus allegationibus illam sibi legationem expugnauit? id quod Cn. Dolabellæ principium maxime calamitatis fuit. nā, vt iste profectus, est quacumque iter fecit, eiusmodi fuit, non vt legatus populi R. sed vt quædam calamitas peruadere videretur. In Achaia (prætermittam minora omnia, quorum simile forsitan alius quoque aliquando fecerit: nihil dicam, nisi singulare, nisi quod, si in alium reum diceretur, incredibile videretur) magistratum Sicyonium nummos poposcit. ne sit hoc crimen in Verrem: fecerunt alij. cum ille non daret, animaduertit. improbum, sed non inauditum, genus animaduersionis videte: quæretis, ex quo genere hominum istum iudicetis. ignem ex lignis viridibus, atque humidis in loco angusto fieri iussit: ibi hominem ingenuum, domi nobilem, populi R. socium, atque amicum, fumo excruciatum, semiuiuum reliquit. Iam, quæ iste signa, quas tabulas pictas ex Achaia sustulerit, non dicam hoc loco: est alius mihi locus ad hanc cupiditatem demonstrandam seruatus. Athenis, audistis, ex æde Mineruæ grande auri pondus ablatum. dictum hoc est in Cn. Dolabellæ iudicio: dictum? etiam æstimatum. huius consilij non modo participem C. Verrem, sed principem fuisse reperietis. Delum venit: ibi ex fano Apollinis reli-

religiosissimo noctu clam sustulit signa pulcherrima, atque antiquissima, eaque in onerariam nauem suam conijcienda curauit. postridie, cum spoliatum fanum viderent ij, qui Delum incolebant, grauiter ferebant. est enim tanta apud eos eius fani religio, atque antiquitas, vt in eo loci ipsum Apollinem natum esse arbitrentur. verbum tamen facere non audebant; ne forte ea res ad Dolabellam ipsum pertineret. tum subito tempestates coortæ sunt maximæ, iudices, vt non modo proficisci, cum cuperet, Dolabella, non posset, sed vix in opido consisteret: ita magni fluctus eijciebantur. hic nauis illa prædonis istius, onusta signis religiosis, expulsa, atque eiecta fluctu, frangitur: in litore signa illa Apollinis reperiuntur: iussu Dolabellæ reponuntur: tempestas sedatur: Dolabella Delo proficiscitur. Non dubito, quin, tametsi nullus in te sensus humanitatis, nulla ratio vmquam fuit religionis, nunc tamen, in metu periculoque, tuorum tibi scelerum veniat in mentem. Potest ne tibi vlla spes salutis commoda ostendi, cum recordaris in deos immortales quam impius, quam sceleratus, quam nefarius fueris? Apollinem ne tu Delium spoliare ausus es? illi ne tu templo, tam antiquo, tam sancto, tam religioso, manus impias, ac sacrilegas afferre conatus es? si in pueritia non ijs artibus, & disciplinis institutus eras, vt ea, quæ litteris mandata sunt, disceres, atque cognosceres: ne postea quidem, cum in ea ipsa loca venisti, potuisti accipere id, quod est proditum memoriæ, ac litteris? Latonam ex longo errore, & fuga, grauidam, & iam ad pariendum vicinum, temporibus exactis fugisse Delum, atque ibi Apollinem Dianamque peperisse. qua ex opinione hominum illa insula eorum deorum sacra putatur: tantaque eius auctoritas religionis & est, & semper fuit, vt ne Persæ quidem, cum bellum toti Græciæ, dijs, hominibusque indixissent, & mille numero nauium classem ad Delum appulissent, quidquam conarentur aut violare, aut attingere. hoc tu fanum depopulari, homo improbissime, atque amentissime, audebas? fuit vlla cupiditas tanta, quæ tantum exstingueret religionem? & si tum hæc non cogitabas, ne nunc quidem recordaris, nullum esse tantum malum, quod non tibi pro sceleribus tuis iamdiu debeatur?

EXPLANATIO.

ITA *ne vero?*} modus obiurgandi, de quo diximus in ea pro Quinctio. HOC *vno scelere contenta:*} est igitur, ne quid simile possit committere, in vltimas terras, vt portentum aliquod, exportandus. MALLEOLO} quæstore Dolabellæ. OCCISO,} suspiciosum verbum: nam, mortuo, dicere debuit. sic infra de eodem locut⁹ est. AD INIMICOS, *accusatoresq;*} ad M. Scaurum. in quo turpiter Asconius errauit, qui ait: Cæsarem dicit: nã Scaurus alium Dolabellam accusauit, nec damnare potuit. Non enim, vt supra docuimus, hunc Dolabellam Cæsar, sed Scaur⁹ accusauit: vt hoc ipso in libro infra narratur. ILLE *miser cum esset;*} neq; hic mihi placet Asconius. accipit enim, Miser, pro innocente. cum sit, Miser idest afflictus, & calamitosus, quia reus. ad quam miseriam accessit proditio Verris, testimoniũ, furta, & flagitia, quorum inuidia multo magis, quam suorum conflagrauit. Locus autem in Catilinam, cuius Vtitur testimonio, aduersatur opinioni. Et de Philodamo infra: Ille miser defensorem reperire neminem poterat. QVID *hoc homine faciatis?*} antique: pro, de hoc homine. Infra: Dicẽt, quid illo myoparone factum sit. Et lib. II. Quid te futurũ est? Similiter Plautus in Mil Quid illa faciemus concubina, quæ domi est? In Merc. Quid illa nũc fiet? In Truc. Quid me futurum est, quando miles venerit? Et infra: Quid eo fecisti puero? Terentius quoque in Andr. Nec, quid me nunc faciam, scio. Infra: Quid me fiet? Ibidem: Nunc primum audio, quid illo sit factũ. Et in Heaut. Cedo, quid hic faciet sua? Interdum etiam dãdi casu, vt lib. II. Quid huic homini faciatis? Et lib. V. Quid Cleomeni fiet? Pro Cæcina: Quid huic tu homini facias? FVRTO, *& scelere*} furto, in auertenda pecunia: scelere, in consule prodendo, cui quæstor esset. PROSCRIPTIONVM, *ac rapinarum*} supra: Bona quædam proscriptorum in agro Beneuentano diripienda concessit. EX COMMVNI *calamitate*} culpam enim in tempora, belliq́ue ciuilis victoriam, conferre posset. CIRCVMSCRIPTO,} sublato, excepto. CILICIA} minoris Asiæ pars. ideo dixit

xit supra, Legatione Asiatica, id est Ciliciensi. & Act. I. Vexatorẽ Asiæ, id est Ciliciæ. ALLEGATIONIBVS} intercessionibus & precibus communium amicorum. Infra: Cum sibi omnes ad istum allegationes difficiles, omnes aditus arduos, ac potius interclusos viderent. Et in ep. ad Catonem. Extremum illud est, vt, quasi diffidens rogationi meæ, philosophiam ad te allegem. PROFECTVS *est,*} cum Dolabella. IN ACHAIA} quæ tamen Dolabellæ prouincia nõ erat. EX QVO *genere*} nam improbum vocare satis nõ est. EST ALIVS *mihi locus*} in iudicio de peculatu, nõ, vt putauit Asconius, in libro de signis, in quo de signis, tabulisue ex Achaia sublatis verbũ nõ fit. IN DOLABELLAE *iudicio:*} cũ accusaretur repetũdarum. DICTVM? *etiam æstimatum:*} locus amplificandi, qualis ille pro Plancio: Nihil est, mihi crede, Laterensis, de te detractum, detractum: dico? si mehercules vere, quod accidit, interpretari velis, est aliquid etiam de virtute significatum tua. ETIAM *æstimatum,*} quod Verres abstulit, id Dolabellæ damnato æstimatum, quasi abstulisset ipse. AD DOLABELLAM *ipsum*} qui aderat. SIGNA *illa Apollinis*} quæ fuerant in Apollinis templo, infra: Apollinem ne tu Delium spoliare ausus es?

ORATIO.

IN Asiam vero postquam venit, quid ego aduentu istius prandia, cenas, equos, muneraque commemorem? nihil cum Verre de quotidianis criminibus acturus sum. Chio per vim signa pulcherrima dico abstulisse, item Erythris, & Halicarnasso. Tenedo (prætereo pecuniam, quam eripuit) Tenem ipsum, qui apud Tenedios sanctissimus deus habetur, qui vrbem illam dicitur condidisse, cuius etiã nomine Tenedus nominatur, hunc ipsum, inquam, Tenem, pulcherrime factum, quem quondam in Comitio vidistis, abstulit magno cum gemitu ciuitatis. Illa vero expugnatio fani antiquissimi, & nobilissimi Iunonis Samiæ quam luctuosa Samijs fuit? quam acerba toti Asiæ? quam clara apud omnes? quam nemini vestrum inaudita? de qua expugnatione cum legati ad C. Neronem in Asiam Samo venissent, responsum tulerunt, eiusmodi querimonias, quæ ad legatum populi R. pertinerent, non ad prætorem, sed Romã deferri oportere. Quas iste tabulas illinc, quæ signa sustu

lis? quæ cognoui egomet apud istum in ædibus nuper, cum obsignãdi gratia venissem. quæ signa nunc, Verres, vbi sunt? illa quæro, quæ apud te nuper ad omnes columnas, omnibus etiam intercolumnijs, in silua deniq; disposita sub dio vidimus. cur ea, quã diu alium prætorem cum ijs iudicibus, quos in horum locum subsortitus es, de te in consilium iturum putasti, tam diu domi fuerunt: postea quam nostris testibus nos, quam horis tuis, vti malle vidisti, nullum signum domi reliquisti, præter duo, quæ in medijs ædibus sunt, quæ ipsa Samo sublata sunt? nõ putasti me tuis familiarissimis in hanc rẽ testimonia denunciaturũ? qui tuæ domi sæpe fuissent, ex quibus quærerem, signa scirent ne fuisse, quæ non essent. quid tum hos de te iudicaturos arbitratus es, cũ viderent, te iam non contra accusatorem tuum, sed contra quæstorẽ, sectoremq; pugnare? qua de re Charidemum Chium testimoniũ priore actione dicere audistis: sese, cũ esset trierarchus, & Verrẽ ex Asia decedentẽ prosequeretur, iussu Dolabellæ fuisse vna cum isto Sami, seseq; tum scire spoliatum esse fanũ Iunonis, & opidũ Samũ, posteaq; se caussam apud Chios, ciues suos, Samijs accusantibus, publice dixisse, eoq; se esse absolutũ, quod planũ fecisset, ea, quæ legati Samiorũ dicerent, ad Verrem, non ad se, pertinere. Aspendum, vetus opidũ, & nobile in Pamphylia, scitis esse plenissimũ signorum optimorum. non dicam, illinc hoc signũ ablatum esse, & illud: hoc dico, nullum te Aspendi signum, Verres, reliquisse, omnia ex fanis, ex locis publicis, palam, spectantibus omnibus plostris euecta, asportataq; esse. atq; etiam illũ Aspendium citharistam, de quo sæpe audistis id, quod est Græcis hominibus in prouerbio, quẽ omnia intus canere dicebant, sustulit, & in intimis suis ædibus posuit; vt etiam illum ipsum artificio suo superasse videatur. Pergæ fanum antiquissimum, & sanctissimum Dianæ scimus esse. id quoq; à te nudatum, & spoliatum esse, ex ipsa Diana, quod habebat auri, detractũ, atq; ablatum esse dico. Quæ, malum, est ista tanta audacia, atq; amentia? quas enim sociorum, atq; amicorum vrbes adisti legationis iure, & nomine, si in eas vi cum exercitu, imperioq; inuasisses, tamen, opinor, quæ signa, atq; ornamenta ex his vrbibus sustulisses, hæc non in tuam domum, neq; in suburbana amicorum, sed Romam in publicum deportasses.

EXPLANATIO.

IN ASIAM] non Ciliciam, sed eam Asiæ partem, cui C. Nero præerat. CHIO *per vim signa pulcherrima dico abstu-*

abstulisse,} signum Apollinis: de quo in peroratione: Etiam te, Apollo, quem iste Chio sustulit. IN COMITIO} ab ædilibus cur. ornato. is enim mos erat. nā & lib. IV: C. Claudius, inquit, cuius ædilitatem magnificentissimam scimus fuisse, vsus est hoc Cupidine tamdiu, dum forum dijs immortalibus, populoq; Romano habuit ornatum: &, cum esset hospes Heiorum, Mamertini autem populi patronus, vt illis benignis vsus est ad commodandum, sic ipse diligens fuit ad reportandum. Congruit cum hoc loco locus ille pro domo: Tanagræa quædam meretrix fuisse dicitur. eius non longe à Tanagris simulacrum è marmore in sepulcro positum fuit. hoc quidam homo nobilis ad ornatum ædilitatis suæ deportauit. EXPVGNATIO} vt ab hoste deorum. leniore verbo, Direptio, vti noluit. NON AD *prætorem,*} vere. nam in publicam personam animaduertere, prætoris non est, sed populi Romani. OBSIGNANDI *gratia*} quæ potestas erat accusatoris. IN SILVA} ædibus adiuncta. ALIVM *prætorem*} sequentis anni, amicissimum tuum. supra. SVBSORTITVS *es,*} quod re ipsa fieri nondum poterat, fecisti tamen animo, vt in horum iudicum locum, quasi caussa in annum sequentem reiecta, subsortireris. Ita loquitur de futura, vel potius de cogitata re; quo maior in Verrem, ob eius audaciam, inuidia concitetur. HORIS *tuis,*} quæ te delectabant, quibus nos vti, quo tempus duceretur, optabas. verum testibus vti, quam horis ad dicendum lege concessis, maluimus. Placuit autem hæc Ciceroni quasi contrariorum similitudo, Nostris testibus, Horis tuis: cum tamen de suis horis, ac suo lgitime dicendi tempore, loqueretur. HOS} iudices. QVAESTOREM,} ad quem ex damnati bonis referri pecuniā oportet, vt ea deinde socijs redderetur. SECTOREMQVE} qui emeret in auctiōe post litem æstimatam. emebat aūt cum aliqua spe lucri, eoq; maiore, quo plura bona venderentur. ideo contra eū quoque, subtractis signis, Verres pugnabat. Infra: Quæ sectorē exspectāt, relicta ac destituta à ceteris signis. EX ASIA} è Cilicia: vt supra docuimus. OPIDVM *Samū,*} nam, præter expugnatū

Samiæ Iunonis fanum, multas ex opido tabulas, multa signa sustulit.supra. LEGATI *Samiorum*} Chium ea de re profecti. ASPENDVM} transit ab Asia, Neronis prouincia, ad Asiam, prouinciã Dolabellæ. INTVS *canere*} sinistra manu tantum neruos carpentem : cum alij plectro quoq; dextra vterentur. INTIMIS} iocatur in duobus verbis, Intus, & Intimis. Ille intus proprio quodam artificio, canebat, iste eum in intimis suis ædibus posuit. ergo illum iste artificio suo superauit.

ORATIO.

QVID ego de M. Marcello loquar, qui Syracusas, vrbem ornatissimam, cepit? quid de L. Scipione, qui bellum in Asia gessit, Antiochumq; regem potentissimũ vicit? quid de Flaminino, qui regem Philippum, & Macedoniam subegit? quid de L. Paullo, qui regẽ Persen vi, ac virtute superauit? quid de L. Mummio, qui vrbem pulcherrimam, atque ornatissimã Corinthum, plenissimam rerum omnium, sustulit, vrbesq; Achaiæ, Bœotiæq; multas sub imperium populi R. ditionemque subiunxit? quorum domus cum honore, & virtute florerent, signis, & tabulis pictis erant vacuæ. at vero vrbem totam, templa deorum, omnesque Italiæ partes illorũ donis, ac monumẽtis exornatas videmus. Vereor ne hæc forte cuiquam nimis antiqua, & iam obsoleta videantur: ita enim tum æquabiliter omnes erant huiusmodi, vt hæc laus eximiæ virtutis, & innocentiæ non solum hominum, verum etiam temporum illorum esse videatur. P. Seruilius, vir clarissimus, maximis rebus gestis, adest, de te sententiam laturus est: Olympum vi, copijs, cõsilio, virtute cepit, vrbem antiquam, & omnibus rebus auctam, & ornatam. recẽs exemplum fortissimi viri profero: nam, postea Seruilius imperator populi R. Olympum, vrbem hostium, cepit, quam tu in iisdem illis locis legatus quæstorius opida pacata sociorum, atq; amicorum diripienda, ac vexanda curasti. tu quæ ex fanis religiosissimis per scelus, & per latrocinium abstulisti, ea nos videre, nisi in tuis, amicorumque tuorum tectis non possumus: P. Seruilius, quæ signa, atq; ornamenta ex vrbe hostium, & virtute capta, belli lege, atq; imperatorio iure sustulit, ea populo R. apportauit. per triumphum vexit, in tabulas publicas ad ærarium perscribenda curauit. Cognoscite ex litteris publicis hominis amplissimi diligentiam. recita. RATIONES. RELATAE P. SERVILII. *Non solum*

lum numerum signorum, sed etiã vniuscuiusq; magnitudinem, figuram, statum litteris definiri vides. certe maior est virtutis, victoriæq; iucũditas, quam ista voluptas, quæ percipitur ex libidine, & cupiditate. multo diligentius habere dico Seruilium prædã populi R. quam te tua furta notata, atque descripta. dices, tua quoq; signa, & tabulas pictas ornamento vrbi, foroq; populi R. fuisse. Memini: vidi simul cum populo R. forum, Comitiumq; adornatum ad speciem magnifico ornatu, ad sensum, cogitationemque, acerbo, & lugubri: vidi collucere omnia furtis tuis, præda prouinciarum, spolijs sociorum, atq; amicorũ. quo quidem tempore, iudices, iste spem maximã reliquorum quoq; peccatorum nactus est. vidit enim eos, qui indiciorum dominos se dici volebant, harum cupiditatum esse seruos. socij vero, nationesque exteræ spem omnium tum primum abiecere rerum, ac fortunarũ suarum: propterea quod casu legati ex Asia, atque Achaia plurimi Romæ tunc fuerunt, qui deorum simulacra ex suis fanis sublata in foro venerabantur: itemq; cetera signa, et ornamenta cũ cognoscerent, alia alio in loco lacrymãtes intuebantur. quorum omnium hunc sermonem tum esse audiebamus: nihil esse, quod quisquam dubitaret de exitio sociorum, atq; amicorũ, cum quidem viderent in foro populi R. quo in loco antea, qui socijs iniurias fecerant, accusari, & condemnari solebant, ibi esse palam posita ea, quæ ab socijs per scelus ablata, ereptaq; essent. Hic ego non arbitror illum negaturum, signa se se plurima, tabulas pictas innumerabiles habere. sed, vt opinor, solet hæc, quæ rapuit, & furatus est, nõ numquam dicere, se emisse, quoniam quidem in Achaiam, Asiam, Pamphyliam sumptu publico, & legationis nomine, cum imperio, & securibus mercator signorum tabularumq; pictarum missus est. Habeo & istius & patris eius accepti tabulas omnes, quas diligentissime legi, atque digessi, patris, quoad vixit, tuas, quoad ais te confecisse. nam in isto, iudices, hoc nouum reperietis. audimus aliquem tabulas numquam confecisse: quæ est opinio hominũ de Antonio, falsa: nam fecit diligentissime. verum sit hoc genus aliquod, minime probandum. audimus alium non ab initio fecisse, sed ex tempore aliquo confecisse. est aliqua etiã huiusce rei ratio. hoc vero nouum, & ridiculum est, quod hic nobis respondit, cum ab eo tabulas postularemus; vsque ad M. Terentium, & C. Cassium consules cõfecisse, postea destitisse. alio loco, hoc cuiusmodi sit, considerabimus. nunc nihil ad me attinet. horũ enim temporum,

 in qui-

in quibus nunc versor, habeo tabulas, et tuas, & patris. plurima signa pulcherrima, plurimas tabulas deportasse te, negare non potes: atque vtinam neges. vnum, ostende in tabulis aut tuis, aut patris tui, emptum esse: vicisti. ne hæc quidem duo signa pulcherrima, quæ nunc ad impluuium tuum stant, quæ multos annos ad valuas Iunonis Samiæ steterunt, habes quo modo emeris; hæc, inquam, duo, quæ in ædibus tuis sola iam sunt, quæ sectorem exspectant, relicta, ac destituta à ceteris signis.

EXPLANATIO.

L. SCIPIONE,} Africani maioris fratre. FLAMININO,} T. Quinctio. P. SERVILIVS} Isauricus, ab Isauro, Ciliciæ arce, capta. IVDICIORVM *dominos*} manifeste in Hortẽsium: à quo ædile ornatũ signis, tabulisq; pictis, à Verre sumptis, forum, Comitiumq; significat. QVONIAM *quidem*} ironia ex indignatione orta. Quasi vero, inquit, legatus in prouinciam cum imperio, ac securib⁹ ideo sit missus, vt signa tabulasq; pictas emeret. sed emisse nego. sic lib. IV: O dij immortales, præclarã defensionem. mercatorem cum imperio, ac securibus in prouinciam misimus, qui omnia signa, tabulas pictas, argentũ, aurum, ebur omne, gẽmas, coemeret, nihil cuiquã relinqueret. ACHAIAM} non quia Verris prouincia fuerit, sed quia Verres ex ea quoq; signa, ac tabulas pictas abstulerit. CVM IMPERIO, *& securibus*} imperiũ igitur & legatus habebat, & lictoribus vtebatur. id & ex ep. ad Cornificium, vltima lib. XII. cognoscitur. ANTONIO} oratore summo, eius Antonij patre, cui totius oræ maritimæ in finitimum imperium esse commissum, & Cicero ipse lib. II. & alij prodiderũt. FALSA:} Ipso teste Antonio lib. II. de Orat. Redarguit enim opinionem eorũ, qui ab se tabulas non fieri credebant. SIT HOC *genus aliquod,*} hic subdistinguo: vt, hoc ipsum genus reperiri posse nõ neget, minime tamen probandũ. M. TERENTIVM,} hic est M. Lucullus, L. frater, adoptatus, vt apparet, à M. Terentio Varrone: vnde nomen, cognomenque sumpsit, vetere tamen cognomine de more conseruato. quod ostendũt fasti Capitolini. Horum consulum lex Terentia, & Cassia nominatur lib. V.

ORA-

ORATIO.

AT redo in hisce solis rebus indomitas cupiditates, atq; effrenatas habebat: ceteræ libidines eius, ratione aliqua, aut modo, continebãtur. quã multis istum ingenuis, quã multis matribusfamilias in illa tetra atq; impura legatione vim attulisse existimatis? ecquo in opido pedem posuit, vbi non plura stuprorum, flagitiorumq; suorum, quam aduentus sui, vestigia reliquerit? sed ego omnia, quæ negari poterunt, prætermittã: etiam hæc, quæ certissima sunt, & clarissima, relinquam: vnum aliquod de nefarijs istius factis eligã, quo facilius ad Siciliã possim aliquãdo, quæ mihi hoc oneris, negotijq; imposuit, peruenire. Opidum est in Hellesponto Lampsacum, iudices, in primis Asiæ prouinciæ clarum, & nobile: homines autem ipsi Lampsaceni tum summe in omnes ciues Romanos officiosi, tum præterea maxime sedati, & quieti, prope præter ceteros ad summum Græcorum otium potius, quam ad vllã vim, aut tumultum accommodati. accidit, cum iste à Cn. Dolabello efflagitasset, vt se ad regem Nicomedem, regemque Sadalam mitteret; cumque iter hoc sibi magis ad quæstum suum, quam ad reip. tempus accommodatum depoposcisset; vt illo itinere veniret Lampsacum, cum magna calamitate, & prope pernicie ciuitatis. deducitur iste ad Ianitorem quendã, hospitem: comitesq; eius item apud ceteros hospites collocantur. vt mos erat istius, atque vt eum suæ libidines flagitiosæ facere admonuerant, statim negotium dat illis suis comitibus, nequissimis, turpissimisque hominibus, vt videant, & inuestigent, ecquæ virgo sit, aut mulier, digna, quamobrem iste Lampsaci diutius cõmoraretur. erat comes eius Rubrius quidam, homo factus ad istius libidines: qui miro artificio, quocũque venerat, hæc inuestigare omnia solebat. is ad eum rem istam defert: Philodamum esse quendam, genere, honore, copijs, existimatione facile principem Lampsacenorum: eius esse filiam, quæ cum patre habitaret, propterea quod virũ non haberet, mulierem eximia pulchritudine, sed eam summa integritate pudicitiaq; existimari. homo, vt hæc audiuit, sic exarsit ad id, quod non modo ipse numquam viderat, sed ne audierat quidem ab eo, qui ipse vidisset; vt statim ad Philodamum migrare se diceret velle. hospes Ianitor, qui nihil suspicaretur, veritus ne quid in ipso se offenderit, hominem summa vi retinere cœpit. iste, qui hospitis relinquendi caussam reperire non posset, alia sibi ratione viam munire ad stuprum

 cœpit:

cœpit: Rubrium, delicias suas in omnibus eiusmodi rebus adiutorem suum, & conscium, parum laute diuersari dicit, ad Philodamum deduci iubet. quod vbi est Philodamo nunciatum; tametsi erat ignarus, quantum sibi ac liberis suis iam tum mali constitueretur, tamen ad istum venit, ostendit munus illud suum non esse: se, cum suæ partes essent hospitum recipiendorum, tamen ipsos tantum prætores, & consules, non legatorum asseclas, recipere solere. iste, qui vna cupiditate raperetur, totum illius postulatū caussamque neglexit: per vim ad eum, qui recipere nō debebat, Rubrium deduci imperauit. hic Philodamus, postea quam ius suum obtinere non potuit; vt humanitatem, consuetudinemque suam retineret, laborabat. homo, qui semper hospitalissimus amicissimusq; nostrorum hominum existimatus esset, noluit videri ipsum illum Rubriū inuitus in domum suam recepisse: magnifice, & ornate, vt erat in primis inter suos copiosus, conuiuium comparat; rogat Rubrium, vt, quos ei commmodum sit, inuitet; locum sibi soli, si videatur, relinquat: vt etiam filium suum, lectissimum adolescentem, foras ad propinquum suum quendam mitteret ad cenam. Tum Rubrius istius comites inuitat, eos omnes Verres certiores facit, quid opus esset. mature veniunt: discumbitur: fit sermo inter eos, & inuitatio, vt græco more biberetur. hospes hortatur: poscunt maioribus poculis: celebratur omnium sermone lætitiaque conuiuium. postea quam satis calere res Rubrio visa est; quæso, inquit, Philodame, cur ad nos filiam tuam non intro vocari iubes? homo, qui & summa grauitate, & iam id ætatis, & parēs esset, obstupuit hominis improbi dicto. instare Rubrius. tum ille, vt aliquid responderet, negauit, moris esse Græcorū, vt in conuiuio virorum accumberent mulieres. hic tum alius ex alia parte: enimuero ferendum hoc non est: vocetur mulier. & simul seruis suis Rubrius, vt ianuam clauderent, & ipsi ad fores assisterēt, imperat. quod vbi ille intellexit, id agi, atque id parari, vt filiæ suæ vis afferretur; seruos suos ad se vocat; his imperat, vt se ipsum negligant, filiam defendant; excurrat aliquis, qui hoc tantum domestici mali filio suo nunciet. clamor interea fit tota domo: pugna inter seruos Rubrij, atque hospitis: iactatur domi suæ vir optimus, & homo honestissimus. pro se quisq; manus affert: aqua denique feruenti à Rubrio ipso Philodamus perfunditur. hæc vbi filio nunciata sunt, statim exanimatus ad ædes contēdit, vt et vitæ patris, et pudicitiæ sororis succurreret.

reret. omnes eodem animo Lampsaceni, simul vt hoc audiuerunt, quod eos tum Philodami dignitas, tum iniuriæ magnitudo mouebat, ad ædes, noctu conuenerunt. hic lictor istius Cornelius, qui cũ eius seruis erat à Rubrio, quasi in præsidio, ad auferendam mulierem collocatus, occiditur: serui non nulli vulnerãtur: ipse Rubrius in turba sauciatur. iste, qui, sua cupiditate tantos tumultus concitatos videret, cupere aliqua euolare, si posset. postridie mane homines in concionem veniunt: quærunt, quid optimum factu sit: pro se quisque, vt in quoq; erat auctoritatis plurimum, ad populũ loquebatur: inuẽtus est nemo, cuius non hæc & sententia esset, & oratio: non esse metuendum, si istius nefarium scelus Lampsaceni vlti vi, manuque essent, ne senatus populusque R. in eam ciuitatem animaduertendum putaret: quod si hoc iure legati populi R. in socios, nationesque exteras vterentur, vt pudicitiam liberorum seruare ab eorum libidine tutam non liceret, quiduis esse perpeti satius, quam in tanta vi, atque acerbitate versari. hæc cum omnes sentirent, & cum in eam rationem pro suo quisque sensu, ac dolore loqueretur, omnes ad eam domum, in qua iste diuersabatur, profecti sunt. cædere ianuam saxis, instare ferro, ligna & sarmenta circumdare, ignem subijcere cœperunt. tum ciues R. qui Lampsaci negotiabantur, concurrunt, orant Lampsacenos, vt grauius apud eos nomen legationis, quam iniuria legati putaretur: se se intelligere, hominem illum esse impurum, ac nefarium, sed quoniam nec perfecisset, quod conatus esset, neq; futurus esset Lampsaci postea, leuius eorũ peccatum fore, si homini scelerato pepercissent, quam si legato non pepercissent. sic iste, multo sceleratior, & nequior, quã ille Hadrianus, aliquanto etiam felicior fuit. ille, quod eius auaritiam ciues R. ferre nõ potuerant, Vticæ domi suæ viuus exustus est; idque ita illi merito accidisse existimatum est, vt lætarentur omnes, neque vlla animaduersio constitueretur: hic, sociorum ambustus incendio, tamen ex illa flamma, periculoque euolauit: neq; adhuc caussam vllã excogitare potuit, quamobrem euenerit, aut, quid commiserit, vt in tantum periculum veniret. nõ enim potest dicere: cum seditionem sedare vellem, cum frumẽtum imperarem, cum stipendium cogerem, cum aliquid denique reip. caussa gererem, quod acrius imperaui, quod animaduerti, quod minatus sum. quæ si diceret, tamen ignosci non oporteret, si nimis atrociter imperando socijs, in tantum adductus periculum videretur. nunc, cum

ipse caussam illius tumultus neque verã dicere, neque falsam confingere audeat; homo autem ordinis sui frugalissimus, qui tum accensus C. Neroni fuit, P. Tettius hæc eadem se Lampsaci cognosset dixerit; vir omnibus rebus ornatissimus C. Varro, qui tum in Asia tribunus militum fuit, hæc eadem ipsa se ex Philodamo audisse dicat: potestis dubitare, quin istum fortuna non tam ex illo periculo eripere voluerit, quam ad vestrum iudicium reseruare? nisi vero illud dicet, quod et in testimonio Tettij priore actione interpellauit Hortẽsius: quo tempore quidem signi satis dedit, si quid esset, quod posset dicere, se tacere nõ posse: vt, quã diu in ceteris rebus tacuerit, scire omnes possemus, nihil habuisse quod diceret. hoc tum dixit, Philodamum, & eius filium à C. Nerone esse damnatos. de quo, ne multa disseram, tantũ dico, secutum id esse Neronem et eius consilium; quod Cornelium lictorem occisum esse constaret, putasse non oportere esse cuiquam, ne in vlciscenda quidem iniuria, hominis occidendi potestatem. in quo video, Neronis iudicio non te absolutum esse improbitatis, sed illos damnatos esse cædis. Verũ ista damnatio tamen cuiusmodi fuit? audite, quæso, indices, & aliquando miseremini sociorũ, & ostendite aliquid his in vestra fide præsidij esse oportere. Quod toti Asiæ iure occisus videbatur istius ille verbo lictor, reuera minister improbissimæ cupiditatis pertimuit iste, ne Philodamus Neronis iudicio liberaretur. rogat, & orat Dolabellam, vt de sua prouincia decedat, ad Neronẽ proficiscatur: se demonstrat incolumem esse non posse, si Philodamo viuere, atque aliquando Romam venire licuisset. commotus est Dolabella: fecit id, quod multi reprehenderũt, vt exercitum, prouinciam, bellũ relinqueret, & in Asiam hominis nequissimi caussa, in alienam prouinciam, proficisceretur. postea quã ad Neronem venit, contendit ab eo, vt Philodami caussam cognosceret. venerat ipse, qui esset in cõsilio, & primus sententiam diceret: adduxerat etiã præfectos, & tribunos militares suos; quos Nero omnes in consiliũ vocauit: erat in consilio etiam, æquissimus iudex, ipse Verres: erant nonnulli togati, creditores Græcorũ; quibus ad exigendas pecunias improbissimi cuiusq; legati plurimũ prodest gratia, ille miser defensorẽ reperire neminẽ poterat. quis enim esset aut togatus, qui Dolabellæ gratia, aut Græcus, qui eiusdẽ vi, et imperio non moueretur? accusator autem apponitur ciuis Romanus, de creditoribus Lampsacenorum; qui, si dixisset quod iste iussisset, per eiusdem istius lictores à populo

pecu-

pecuniā posset exigere.cū hæc omnia tanta cōtentione, tantis copijs agerentur, cum illum miserum multi accusarent, nemo defenderet, cumq; Dolabella cum suis præfectis pugnaret in consilio, Verres fortunas agi suas diceret, idem testimonium diceret, idem esset in consilio, idem accusatorem parasset, hæc cum omnia fierent, & cū hominem constaret occisum, tamen tanta vis istius iniuriæ, tanta in isto improbitas putabatur, vt de Philodamo, Amplius, pronunciaretur. Quid ego nunc in altera actione Cn. Dolabellæ spiritus, quid huius lacrymas, & concursationes proferam? quid C. Neronis, viri optimi, atq; innocentissimi, non nullis in rebus animum nimis timidum, atq; demissū? qui, in illa re, quid facere potuerit, non habebat: nisi forte id, quod omnes tum desiderabant, vt ageret eam rem sine Verre, & Dolabella. quidquid esset sine his actum, omnes probarent. tum vero quod pronunciatum est, non per Neronem iudicatum, sed per Dolabellam ereptum, existimabatur. condemnatur enim perpaucis sententijs Philodamus, & eius filius. adest, instat, vrget Dolabella, vt quamprimū securi feriantur, quo quam minime multi ex illis de istius nefario scelere audire possent. constituitur in foro Laodiceæ spectaculū acerbū, et miserū, et graue toti Asiæ prouinciæ, grandis natu parens adductus ad suppliciū, ex altera parte filius, ille, quod pudicitiā liberorū, hic, quod vitam patris, famamq; sororis defenderat. flebat vterq;, non de suo supplicio, sed pater de filij morte, de patris filius. quid lacrymarū ipsum Neronē putatis profudisse? quē fletū totius Asiæ fuisse? quem luctū, et gemitū Lampsacenorū? securi esse percussos homines innocentes, nobiles, socios populi R. atque amicos, propter hominis flagitiosissimi singularem nequitiam atque improbissimam cupiditatem.

EXPLANATIO.

QVAM *aduentus sui,* pedum vestigia fiunt in aduentu, eoque plura, quo plures veniunt. at ea pauciora legatus Verres aduenients reliquit, quam furtorū, & flagitiorū suorum. Vestigia, proprie subiunxit Cicero, quia dixerit, Ecquo in opido pedē posuit. ETIAM *hæc,* pro, Hæc, malim, Ea: vel, Hæc, abundare crediderim. cur enim dicat, Hæc, cum nulla nominentur? LAMPSACENI glossema puto SEDATI, *& quieti,* hoc, & quod sequitur, ideo dicit, vt culpa tumultus in Verrem cōcitati non in eos cōferatur, homines natura, cōsuetudine, disciplina

disciplina lenissimos,(sic enim appellantur infra) sed in ipsum Verrem,vim ac stuprum liberis eorum inferre conantem. PRAETER *ceteros*} otiosi enim,ac desides tum Græci omnes habebantur. REGEM *Nicomedem, regemq́; Sadalam*} Nicomedem Bithyniæ, Sadalam Thraciæ. NE QVID *in ipso iure offenderit*, } ne quid Verres in se offensus sit. Hoc verbum patiendi significationem interdum habet, vt in Cæsare lib. II. bel. ci. Si quid in me offendistis: pro, offensi estis. Et in ep. Lucceij: Cum duæ res istæ contrariæ me conturbent: ex quibus aut in altera, mihi velim, si potes, obtemperes, aut in altera nō offendas. SVMMAVI} quacumq; ratione potuit, quantum in ipso fuit, pro virili. PARVM *laute*} non satis commode. CVM SVAE *partes essent hospitum recipiendorū*, } cum accideret, vt hospites recipiendi sibi essent: cum id sui muneris esset, quod nunc non esset. quid enim sibi cū Rubrio? quid cum ipso Verre? RETINERET,} venustatem quæsiuit in similibus verbis, Obtineret, Retineret. HOMO,} sic sæpe sententiam exorditur paullo ante: Homo, vt hæc audiuit, sic exarsit ad id. Et paullo post: Homo qui & summa grauitate, & iam id ætatis esset. Et infra: Homo, qui semper ita dictitasset. Lib. II. Homo, quamquam erat & Siculus, & reus. QVOS EI *commodum sit*,} quos ei libeat: vt supra: De capite quantum cōmodum fuerit, frumenti decumani detraxerit. GRAECO *more*} ad singulas potiones dijs, & amicis, quos quisq; vellet, nominatis. quod Tibullus elegia prima lib. II. ostendit his versibus:

Sed bene Messallam sua quisque ad pocula dicat,
Nomen & absentis singula verba sonent.

Quem fortasse morem & Plautus retulit in Stic. dicente Sangarino seruo: Bene vos, (phanium
Bene nos, bene te, bene me, bene nostram etiam Ste-
Bibe, si bibis.

SATIS *calere res*} vbi vino satis conuiuarum commotæ mentes visæ sunt. LICTOR *istius Cornelius*.} lictores erāt liberti. hunc igitur à Verre liberatum transisse in eius gentem existimo, vt medicum quoque & pictorem: de quibus lib. III. Iampridē improbi, repente Cornelij. Quo

sum

ſum admonitus, gentis Corneliæ fuiſſe Verrem. cuius comites, Græci homines, & improbi, repente fierent Cornelij: à quo enim, præterquam ab ipſo, repente fieri poſſent? IGNEM *ſubijcere*} omiſſa copula, vis orationis maior eſt HADRIANVS} Fabiæ gentis, prætor Africæ, vt ait Cicero lib. V. Pedianus addit, Cinnanis temporibus. Lib. V. Neque quidquam propius eſt factum, quam vt illud Vticenſe exemplum de Hadriano transferretur Syracuſas. ANIMADVERSIO} in Africanos. FRVGALISSIMOS,} apta, & propria laude libertum ornauit. ſignificatur enim in frugalitate probitas. itaque in ep. ad Sextium de liberto Decio dixit: Quamquam illum hominem frugi, & tibi amicum exiſtimabam. Accenſos autem libertos fuiſſe, cum alijs locis, tum eo declaratur in ep. ad Appium: A. Pauſania, Lentuli liberto, accenſo meo, audiui. INTERPELLAVIT} pro, Interpellans, dixit. A C. NERONE *eſſe damnatos.*} ex quo ſequi videretur, nocentes fuiſſe. DE SVA *prouincia decedat*: } lex Cornelia maieſtatis, Iulia de repetundis vetabat. in Piſonem. PROVINCIAM,} Ciliciam. BELLVM} fortaſſe cum iis, qui Amanum montem incolebant, cum quibus & Cicero, Ciliciæ proconſul, poſtea bellum geſſit. PRAEFECTOS,} turmarum equeſtrium, quos & Cicero habuit in eadem prouincia: & quibuſdam præfecturã ab eo petijt M. Brutus: vt in ep. ad Att. AMPLIVS, *pronunciaretur,*} ex quo iterũ agi cauſſam oportebat. QVID *ego nunc in altera actione Cn. Dolabellæ ſpiritus, quid huius lacrymas, & concurſiones proferam?*} locus amplificandi. vt lib. I. Quid ego nunc hic Sex. Pompeij Chlori teſtimonium recitem? SPIRITVS?} contentiones: cum ita laboraret, vt in eam rem vires, opesq; ſuás conferret omnes. CONCVRSIONES} quod eorũ eſt, qui de maxima re multos rogant: vt modo ad hunc, modo ad illum concurrere ſit neceſſe. ad Lentulum: Libonis, & Hypſæi non obſcura cõcurſatio & contentio. NISI *forte*,} hic affirmantis eſt: vt ſi dixiſſet: potuit quod omnes optabant, eam rem agere ſine Verre, & Dolabella. Alibi negantis eſt. vt lib. II. Niſi forte exiſtimatis, ei quadruplatores ad fretum

præſto

præsto fuisse. LAODICEAE} ciuitas hoc tempore prouinciæ Neronis, postea Ciliciensis prouinciæ pars fuit; Cicerone proconsule.

ORATIO.

NEMO iam, *Dolabella, neq; tui, neque tuorum liberum; quos tu miseros in egestate, atq; in solitudine reliquisti, misereri potest. Verres ne tibi tanti fuit, vt eius libidinẽ hominum innocentum sanguine lui velles? iccirco ne exercitum; atq; hostem relinquebas, vt tua vi, & crudelitate istius hominis improbissimi pericula sublevares? quod enim eum tibi quæstoris in locum constitueras, iccirco tibi amicum in perpetuum fore putasti? nesciebas, ab eo Cn. Carbonem consulem, cuius re vera quæstor fuit, non modo relictum, sed etiam spoliatũ auxilijs, nefarie oppugnatum, & proditum? expertus igitur es istius perfidiam tum, cum se ad inimicos tuos contulit, cum in te homo ipse nocens acerrimum testimonium dixit, cum rationes ad ærarium, nisi damnato te, referre noluit. Tantæ ne tuæ, Verres, libidines erunt, vt eas capere, ac sustinere non prouinciæ populi R. non nationes exteræ possint? tu ne quod videris, quod audieris, quod concupieris, quod cogitaris, nisi id ad nutum tuum præsto fuerit, nisi libidini tuæ cupiditatiq; paruerit, immittentur homines? expugnabuntur domus? ciuitates nõ modo pacatæ, verum etiam sociorum, atque amicorum, ad vim, atq; ad arma confugient, vt ab se, atq; ab liberis suis legati populi R. scelus, atque libidinem propulsare possent? nam quæro abs te, circumsessus ne sis Lampsaci? cœperit ne domum, in qua diuersabare, illa multitudo incendere? voluerint ne legatum populi R. comburere viuum Lampsaceni? negare non potes: habeo enim testimoniũ tuum, quod apud Neronem dixisti: habeo quas ad eundem litteras misisti. Recita hunc ipsum locum de testimonio:* TESTIMONIVM. C. VERRIS. IN. ARTEMIDORVM. *Recita de litteris ad Neronem missis:* LITTERAE. C. VERRIS. AD. NERONEM. NON. MVLTO. POST. IN. DOMVM. *Bellum ne populo Romano Lampsaceni ciues facere conabantur? deficere ab imperio ac nomine nostro volebant? video enim, & ex ijs quæ legi, & audiui, intelligo, in qua ciuitate non modo legatus populi R. circumsessus, non modo igni, ferro, manu, copijs, oppugnatus, sed aliqua ex parte violatus sit, nisi publice satis factum sit, ei ciuitati bellum indici, atque inferri solere. quæ*

fuit

fuit igitur caussa, cur cuncta ciuitas Lampsacenorum de concione, quemadmodũ tute scribis, domum tuã concurreret? tu enim neq; in litteris, quas Neroni mittis, neq; in testimonio caussam tanti tumultus ostendis vllã. obsessum te dicis: ignẽ allatum, sarmenta circumdata, lictorem tuũ occisum esse dicis: prodeundi tibi in publicũ potestatem factã negas: caussam huius tanti terroris occultas. nam, si quam Rubrius iniuriã suo nomine, ac non impulsu tuo, et tua cupiditate, fecisset, de tui comitis iniuria questũ ad te potius, quã te oppugnatũ venirent. cum igitur, quæ caussa illius tumultus fuerit, testes à nobis producti dixerint, ipse celarit, nõ ne caussam hanc, quã nos proposuimus, tum illorũ testimonia, tum istius taciturnitas perpetua cõfirmat? Huic homini parcetis igitur, iudices? cuius tanta peccata sunt, vt ij, quibus iniurias fecerit, neq; legitimũ tempus expectare ad vlciscendũ, neq; vim tantã doloris in posterũ differre potuerint. Circumsessus es. à quibus? à Lampsacenis: barbaris hominibus, credo. aut ijs, qui populi R. nomẽ contemnerẽt: immo vero ab hominibus & natura, & cõsuetudine, & disciplina lenissimis; porro autẽ populi R. condicione socijs, fortuna seruis, volũtate supplicibus: vt perspicuũ sit omnibus, nisi tãta acerbitas iniuriæ, tanta vis sceleris fuisset, vt Lampsaceni moriendũ sibi potius, quam perpetiendũ putarent, numquã illos in eum locũ progressuros fuisse, vt vehementius odio libidinis tuæ, quã metu legationis mouerentur. Nolite, per deos immortales, cogere socios, atq; exteras natiões hoc vti perfugio: quo, nisi vos vindicatis, vtentur necessario. Lampsacenos in istũ numquã vlla res mitigasset, nisi eũ pœnas Romæ daturum credidissent. etsi talẽ acceperant iniuriã, quam nulla lege satis digne persequi poterant: tamen incõmoda sua vestris cõmittere legibus, & iudicijs, quã dolori suo permittere, maluerũt. Tu mihi, cum circũsessus à tam illustri ciuitate sis propter tuũ scelus atq; flagitiũ, cum coegeris homines miseros, et calamitosos, quasi desperatis nostris legibus, & iudicijs, ad vim, ad manus, ad arma cõfugere; cũ te in opidis, ciuitatibus amicorũ, nõ legatũ populi R. sed tyrãnum libidinosum, crudelẽq; præbueris; cum apud exteras nationes imperij, nominisq; nostri famã tuis probris, flagitijsq; violaris, cum te ex ferro amicorũ populi R. eripueris, atq; è flãma sociorũ euolaris: hic tibi perfugiũ speras futurũ? erras. vt huc incideres, non vt hic conquiesceres, illi te viuum exire passi sunt. Et ais iudiciũ essẽ factũ, te iniuria circumsessum esse Lampsaci, quod Philodamus cũ

filio

filio condemnatus sit. quid si doceo, si planum facio, teste homine nequam, verum ad hanc rem tamen idoneo, te ipso, inquam, teste, docebo, te huius circumsessionis tuæ caussam, & culpam in alios transtulisse, neque in eos, quos tu insimularis, esse animaduersum? iam nihil te iudicium Neronis adiuuat. Recita, quas ad Neronem literas misit. EPISTOLA. C. VERRIS. AD. NERONEM. THEMISTAGORAS. ET. THESSALVS. *Themistagoram, & Thessalum scribit populum concitasse: quem populum? qui te circumsedit, qui te viuum comburere conatus est. vbi hos persequeris? vbi accusas? vbi defendis ius, nomenque legati? in Philodami iudicio dices id actum. cedo mihi ipsius Verris testimonium. videamus, quid idem iste iuratus dixerit. Recita:* AB. ACCVSATORE. INTERROGATVS. RESPONDIT. IN. HOC. IVDICIO. NON. PERSEQVI; SIBI. IN. ANIMO. ESSE. ALIO. TEMPORE. PERSEQVI. *Quid igitur te iuuat Neronis iudicium? quid Philodami damnatio? legatus cum esses circumsessus, cumque quemadmodum tute ad Neronem scripsisti, populo R. communique caussæ legatorum facta esset iniuria insignis, non es persecutus? dicis tibi in animo esse alio tempore persequi. quod fuit id tempus? quando es persecutus? cur imminuisti ius legationis? cur caussam populi R. deseruisti, ac prodidisti? cur iniurias tuas, coniunctas cum publicis, reliquisti? non ne te ad senatum caussam deferre, non de tam atrocibus iniurijs conqueri, non eos homines, qui populum concitarant, consulum litteris euocandos curare oportuit? nuper, M. Aurelio Scauro postulante, quod is Ephesi se quæstorem vi prohibitum esse dicebat, quo minus è fano Dianæ seruum suum, qui in illud asylum confugisset, abduceret; Pericles Ephesius, homo nobilissimus, Romam euocatus est, quod auctor iniuriæ illius fuisse argueretur. tu, si, te legatum ita Lampsaci tractatum esse, senatum docuisses, vt tui comites vulnerarentur, lictor occideretur, ipse circumsessus pæne incenderere, eius autem rei duces & auctores, & principes fuisse, quos scribis, Themistagoram, & Thessalum; quis non commoueretur? quis non ex iniuria, quæ tibi esset facta, sibi prouideret? quis non in ea re caussam tuam, periculum commune agi arbitraretur? etenim nomen Legati eiusmodi esse debet, quod non modo inter sociorum iura, sed etiam inter hostium tela incolume versetur. Magnum hoc Lampsacenum crimen est libidinis, atque improbissimæ cupiditatis: accipite nunc a-*

uaritiæ propemodum in suo genere non leuius. Milesios nauem poposcit: quæ eum præsidij caussa Myndum prosequeretur. illi statim myoparonem egregium de sua classe, ornatum, atque armatum, dederunt. hoc præsidio Myndum profectus est. Nam, quid Milesijs lanæ publicæ abstulerit, item de sumptu in aduentum, de contumelijs, & iniurijs in magistratum Milesium, tametsi dici tum vere, tum grauiter, & vehementer potest, tamen dicere prætermittam, eaque omnia testibus integra reseruabo. illud, quod neque taceri vllo modo potest, neque dici pro dignitate, cognoscite. milites remigesq; Miletum Myndo pedibus reuerti iubet: ipse myoparonẽ pulcherrimũ, de decẽ Milesiorum nauibus electum, L. Magio, et L. Fannio, qui Myndi habitabant, vendidit. Hi sunt homines, quos nuper senatus in hostium numero censuit habendos. hoc illi nauigio ad omnes populi R. hostes vsque ab Dianio, quod in Hispania est, ad Sinopem, quæ in Ponto est, nauigauerunt. O dij immortales, incredibilem auaritiam, singularemq; audaciam. nauem tu de classe populi R. quã tibi Milesia ciuitas, vt te prosequeretur, dedisset, ausus es vendere? si te magnitudo maleficij, si te hominum existimatio non mouebat, ne illud quidẽ cogitabas, huius improbissimi furti, huius adeo nefariæ prædæ tam illustrem ac tam nobilem ciuitatẽ testem futuram? an, quia tum Cn. Dolabella in eum, qui ei myoparoni præfuerat, Milesiisque rem gestam renunciarat, animaduertere tuo rogatu conatus est, renunciationemq; eius, quæ erat in publicas litteras relata illorum legibus, tolli iusserat, iccirco te ex hoc crimine elapsum esse arbitrabare? multum te ista fefellit opinio, & quidem multis in locis: semper enim existimasti, & maxime in Sicilia, satis tantum tibi ad defensionem fore, si aut referri aliquid in litteras publicas vetuisses, aut, quod relatũ esset, tolli coegisses. hoc quam nihil sit, tametsi ex multis Siciliæ ciuitatibus priore actione didicisti, tamen etiam in hac ipsa ciuitate cognosce. sunt illi quidẽ dicto audientes, quam diu adsunt ij, qui imperant: simul ac discesserunt, non solum illud perscribunt, quod tum prohibiti sunt, sed etiam caussam adscribunt, cur non tum in litteras relatum sit. manẽt istæ litteræ Mileti: manent, &, dum erit illa ciuitas, manebunt. decẽ enim naues iussu L. Murenæ populus Milesius ex pecunia vectigali populi R. fecerat, sicut pro sua quæque parte Asiæ ceteræ ciuitates. quamobrem vnam ex decem non prædonum repentino aduentu, sed legati latrocinio: non vi tempestatis, sed hac horribili

tempestate sociorum amissam, in litteras publicas retulerunt. sunt Romæ legati Milesij, homines nobilissimi, ac principes ciuitatis: qui tametsi mensem Februarium exspectant, & consulum designatorum nomẽ extimescũt, tamẽ hoc tantum facinus nõ modo negare interrogati, sed ne producti quidem reticere poterũt. dicent, inquã, & religione adducti, & legum domesticarũ metu, quid illo myoparone factum sit. ostendent, C. Verrem in ea classe, quæ contra piratas ædificata sit, piratam ipsum consceleratum fuisse.

EXPLANATIO.

NEMO IAM, *Dolabella,*} artis oratoriæ est, post narrationem vti apostrophe, vel ad ad reum, vel ad iudices, vel ad quemuis: ad reum, vt supra, cum scelus Verris in Carbonem consulem, cui quæstor fuerat, exposuisset, ad Verrem cõuersus, tamquam eius scelere commotus, hæc dixit: Ita ne vero? tu, cum quæstor ad exercitum missus sis, custos non solum pecuniæ, sed etiam consulis, particeps omnium rerum, cõsiliorumq; fueris; habitus sis in liberum loco, sicut mos maiorum ferebat; repente relinquas? deseras? ad aduersarios transeas? o scelus, o portentum in vltimas terras exportandum. Et absoluta narratione furti, quod Verres Deli commiserat, ad ipsum oratione traducta: Non dubito, inquit, quin tametsi nullus in te sensus humanitatis, nulla ratio vnquam fuit religionis, nunc tamen, in metu, periculoque, tuorum tibi scelerum veniat in mentem. potest ne tibi vlla spes salutis cõmoda ostendi, cum recordaris, in deos immortales quam impius, quam sceleratus, quam nefarius fueris? Et alio loco, cum ab eo fanum Dianæ spoliatum dixisset, subiunxit statim: Quæ, malum, est ista tanta audacia, atque amentia? Apostrophe ad iudices illa præclara: Quid hoc homine faciatis? aut ad quam spem tam perfidiosum, tam importunum animal reseruetis? qui in Cn. Carbone sortem, in Cn. Dolabella voluntatem neglexerit, ac violarit, eosq; ambos non solum deseruerit, sed etiam prodiderit, atque oppugnarit. Hac ad Dolabellam, cuius in Philodamum & filium insignis fuerat iniuria, nihil oportunius. Illa vero, quæ communem spectat vtilitatem, atque ad omnium fortu-

fortunas porrigitur, nulla præstantior: vt de Verre pupilli bona, cui tutor erat, eripiente: En cui tuos liberos committas: en memoria mortui sodalis. Sunt aliæ prope innumerabiles, vnde vim, & acrimoniam nō mediocrem sumit oratio: quæ suis locis attente legentibus occurrent. nobis hoc genus ornamenti, quo mirabiliter Cicero excellit, indicasse satis est. EGESTATE,} bonis tibi ademptis, repetundarum damnato. Lib. IV. Ne nunc quidem in tanto tuo, liberorumq; tuorum periculo perhorrescis? QVAESTORIS *in locum.*} Malleolo quæstore mortuo. AVXILIIS,} pecunia. AD INIMICOS *tuos,*} ad eum, qui te accusauit, M. Scaurum. NISI *damnato te,*} verebatur enim, ne tu eas præsens refelleres: cum ille in eas falsa multa retulisset. TANTAE *ne tuæ, Verres, libidines erunt,*} hæc apostrophe familiā ducit. NON MODO} pro, nedū: vt alibi sæpe Cicero. NISI *publice satis factum sit,*} eius criminis pœna soluta, aut ijs, q. deliquerāt, populo Romano traditis. BELLVM *indici, atq; inferri solere.*} indictum, illatumq; Corinthijs, ac Tarentinis historiæ narrāt. LENISSIMIS} quos tamē iniuriæ tuę magnitudo ad furorē impulit. Hoc & supra Cicero spectauit, in eo: Homines ipsi tum summe in oēs ciues Romanos officiosi, tum præterea sedati, & quieti, prope præter ceteros ad summū Græcorū otium potius, quam ad vllam vim, aut tumultū accōmodati. Eam vero lenitudinem eis natura datā, confirmatam consuetudine, auctā disciplina dicit. hæc enim tria sunt eiusmodi, vt ab ijs omnia, quæ sunt in nobis, siue bona, siue mala, nascantur. Duo nominauit in ep. ad Catonē, naturam, &, pro disciplina rationē, atq; doctrinā. Si quisquā, inquit, fuit vmquam remotus & natura, & magis etiam, vt mihi quidem sentire videor, ratione, atque doctrina, ab inani laude, & sermonib. vulgi: ego profecto is sum. VOLVNTATE *supplicibus:*} ad fortunam voluntatem adiunxit, quia multi fortunæ necessitatē iniquo animo ferūt. graue .n. illud erat, Fortuna seruis: secuta correctio est, Voluntate supplicib. IN EVM *locū*} eo furoris, & iracūdię. HOC VTI *perfugio:*} vt vi, & armis iniurias vlciscantur

 suas

ſuas. ERRAS: *vt huc incideres, non vt hic conquieſceres, illi te viuũ exire paſſi ſunt.*} locũ de Clodio, ex epiſtola quadã ad Atticum, ad notandum ſimilitudinem confer. Erras, inquit, Clodi: non te iudices vrbi, ſed carceri reſeruarunt, neque retinere in ciuitate, ſed exſilio priuare voluerunt. M. AVRELIO *Scauro*} eo fortaſſe, qui Cn. Dollabellam accuſauit. POSTVLANTE,} accuſante Epheſios. PROPEMODVM *in ſuo genere non leuius.*} prope ita ſummũ hoc in auaritia; vt illud in libidine, crimẽ fuit. MYOPARONEM} piraticæ nauis genꝰ. AD OMNES *populi Romani hoſtes*} Dianium ad Sertorium, Sinopẽ ad Mithridatẽ. inter quos legati fuere, de ſocietate cõtra populum Romanum coeũda. DECEM *naues*} quibus L. Murena bello Mithridatico vteretur. De Mithridate, Murena, eius, quem Cicero defendit, pater, triumphauit. MENSEM *Februarium*} hi legati Myleſiorum erant: legationibus autem audiendis Februarium mẽſem dari ſolitum, Cicero docet ep. 4. lib. I. fam. & ep. 3. lib. II. ad Q. fr. CONSVLVM *deſignatorũ*} Hortẽſij, & Metelli, Verris amiciſſimorum. EXSPECTANT,} vnde ſibi impedimenta, & damna, ſi Verrem ſuo teſtimonio læſerint, exſpectãt. Non video, cur hic Extimeſcunt, pro Exſpectant, reponere ſit neceſſe: quod alij opinantur. nam in verbo, Exſpectant, metus ineſt. Exſpectant enim, vt aduerſarios ſuos, & vnde timere aliquid poſſint. RELIGIONE} iuriſiurandi. teſtimonium enim à iuratis dicebatur. LEGVM *domeſticarum*} quibus in eas animaduerteretur, niſi de illo myoparone verũ teſtimonium dicerẽt. QVID ILLO *myoparone factum ſit,*} venditum ſcilicet à Verre. ſupra ſic locutus: Quid hoc homine faciatis? AEDIFICATA *ſit,*} iuſſu L. Murenæ. PIRATAM *ipſum*} quia, piratarum more, myoparonem abſtulerit, &, vt ſuum, vendiderit.

ORATIO.

C. MALLEOLO, *quæſtore Cn. Dolabellæ, occiſo, duas ſibi hereditates veniſſe arbitratus eſt, vnam quæſtoriæ procurationis, (nam à Dolobella ſtatim pro quæſtore iuſſus eſt eſſe) alterã tutelæ. nam cũ pupilli Malleoli tutor eſſet, in bona eius impetum*

impetum fecit. nam Malleolus in prouinciam sic copiose profectus erat, vt domi prorsus nihil relinqueret. præterea pecunias occuparat apud populos, & syngraphas fecerat: argenti optime cælati grande pondus secum tulerat: (uam ille quoque sodalis istius erat in hoc morbo, & cupiditate) grande pondus argenti, familiã magnã, multos artifices, multos formosos homines reliquit. iste, quod argenti placuit, inuasit: q̃ mancipia voluit, abduxit: vina, ceteraque, quæ in Asia facillime comparantur, quæ ille reliquerat, asportauit: reliqua vendidit, pecuniam exegit. cum ad H-S *vicies quinquies redegisse constaret: vt Romam rediit, nullam litteram pupillo, nullam matri eius, nullam tutoribus reddidit; seruos artifices pupilli cum haberet domi, circumpedes autem homines formosos, & litteratos, suos esse dicebat, se emisse. cum sæpius mater, et auia pueri postularent, vti, si non redderet pecuniam, nec rationẽ daret, diceret saltem, quantum pecuniæ Malleoli deportasset: multis efflagitatus aliquando dixit,* H-S *decies: deinde in codicis extrema cera nomen infimum flagitiosa litura fecit: expensa Chrysogono seruo* H-S *sexcenta millia, accepta pupillo Malleolo retulit. quo modo ex decies* H-S D C *sint facta, quomodo* D C *eodem modo quadrarint, (vt illa de Cn. Carbonis pecunia reliqua* H. S *sexcenta facta) quo modo Chrysogono expensa lata sint, cur id nomen infimum, in lituraq; sit, vos existimabitis. tamen* H-S *sexcenta millia cum accepta retulisset,* H-S *quadringenta millia soluta non sunt. homines, postea quam reus factus est, alii redditi, alii etiam nunc retinentur: peculia omnium, vicariique retinentur. Hæc est istius præclara tutela. en cui tuos liberos committas, en memoria mortui sodalis. en metus viuorũ existimationis. Cũ tibi se tota Asia spoliandam, ac vexandam tradidisset, cum tibi exposita esset omnis ad prædandum Pamphylia; contentus his tam opimis rebus non fuisti? manus à tutela, manus à pupillo, manus à sodalis filio abstinere non potuisti? iam te non Siculi, non aratores, vt dictitas, circumueniunt, non ij, qui decretis, edictisque tuis in te concitati, infestique sunt: Malleolus, à me productus, & mater eius, atque auia: quæ miseræ, flẽtes, euersum à te puerum patriis bonis esse dixerũt. quid exspectas? an, dum ab inferis ille Malleolus exsistat, atque abs te officia tutelæ, sodalitatis, familiaritatisque flagitet? ipsum putato adesse, homo auarissime & spurcissime, redde bona sodalis filio, si nõ quæ abstulisti, at quæ confessus es. cur cogis sodalis filium*

hanc primam in foro vocem cum dolore, & querimonia emitteret? cur sodalis vxorem, sodalis socrum, domum denique totam sodalis mortui contra te testimonium dicere? cur pudentissimas, lectissimasq; feminas in tantum virorum conuentum insolitas, inuitasq; prodire cogis? Recita omnium testimonia. TESTIMONIA. MATRIS. ET. AVIAE. *Pro quaestore vero, quo modo iste commune Miliadũ vexarit; quo modo Lyciam, Pamphyliã, Pisidiam, Phrygiamq; totã, frumento imperando, aestimando hac sua, quam tum primum excogitauit, Siciliensi aestimatione, afflixerit; non est necesse demonstrare verbis. hoc scitote, his nominibus, quae res per eũ gestae sunt, cum iste ciuitatibus frumentum, coria, cilicia, saccos imperaret, neque ea sumeret, pro his rebus pecuniam exigeret, his nominibus solis Cn. Dolabellae H.S ad tricies litem esse aestimatam. quae omnia, etiam si voluntate Dolabellae fiebant; per istum tamen omnia gerebantur. consistam in vno nomine: multa sunt ex eodem genere. Recita.* DE. LITIBVS. AESTIMATIS. CN. DOLABELLAE. PR. POPVLO. R. PECVNIAE. REDACTAE. QVOD. A. COMMVNI. MILIADVM. *Te haec coegisse, te aestimasse, tibi pecuniam numeratam esse dico: eademque vi, & iniuria cum pecunias maximas cogeres, per omnes partes prouinciae te, tamquam aliquam calamitosam tempestatem, pestemque peruasisse demonstro. itaque M. Scaurus, qui Cn. Dolabellam accusauit, istum in sua potestate, ac ditione tenuit. homo adolescens, cum istius in inquirendo multa furta, ac flagitia cognosceret, fecit perite, & callide: volumen eius rerum gestarum maximum isti ostendit: ab homine, quae voluit, in Dolabellam abstulit: istum testem produxit: dixit iste, quae velle accusatorem putauit. quo ex genere mihi testium, qui cũ isto furati sunt, si vti voluissem, magna copia fuisset; qui, vt se periculo litium, coniunctione criminum, liberarent, quo ego vellem, descensuros pollicebantur. eorum ego voluntatem omnium repudiaui: non modo proditori, sed ne perfugae quidem locus in meis castris cuiquam fuit. forsitan meliores illi accusatores habendi sunt, qui haec omnia fecerunt. sed ego defensorem in mea persona, non accusatorem, maxime laudari volo. Rationes ad aerarium, ante quam Dolabella condemnatus est, nõ audet referre. impetrat à senatu, vt dies sibi prorogaretur, quod tabulas suas ab accusatoribus Dolabellae obsignatas diceret: perinde quasi exscribendi potestatem non haberet. solus est hic, qui numquam*

rationes

rationes ad ærarium referat. audistis quæstoriam rationem tribus versiculis relatam: legationis, non nisi condemnato, & eiecto eo, qui posset reprehendere: nunc denique prætura, quam ex S. C. statim referre debuit, vsq; ad hoc tēpus non retulit, quæstorē se in senatu exspectare dixit. perinde quasi non, vt quæstor sine pretore posset referre, vt tu Hortensi, vt omnes, eodem modo sine quæstore prætor. Dixit, idem Dolabellam impetrasse. omen magis patribus conscriptis, quam caussa placuit. probauerunt. Verum quæstores quoque iampridem venerunt: cur non retulisti? illarum rationum ex ea fæce legationis, quæstoriæque tuæ procurationis illa sunt nomina, quæ Dolabellæ necessario sunt æstimata. EX. LITIBVS AESTIMATIS. DOLABELLAE. PR. ET. PROPR. quod minus Dolabella Verri acceptum retulit, quam Verres illi expensum tulerit, H-S quingenta triginta quinque millia: quod plus fecit Dolabella Verrem accepisse, quam iste in suis tabulis habuit, H-S ducenta triginta duo millia: quod plus frumenti fecit accepisse istū, H-S decies & octingenta millia, quod tu, homo castissimus, aliud in tabulis habebas. hinc illæ extraordinariæ pecuniæ, quas, nullo duce, tamen aliqua ex particula inuestigamus, redundarunt. hinc ratio cum Q. & Cn. Postumijs, Curtijs, multis nominibus, quorum in tabulis iste habet nullum. hinc H-S quaterdecies P. Tadio numerata Athenis, testibus planum faciam. hinc empta apertissime prætura. nisi forte id etiam dubium est, quo modo iste prætor factus sit. homo scilicet aut industria, aut opera probata, aut frugalitatis existimatione preclara, aut denique, id quod leuissimum est, assiduitate, qui ante quæsturam cum meretricibus lenonibusque vixisset, quæsturam ita gessisset, quemadmodum cognouistis, Romæ post quæsturam illam nefariam vix triduum constitisset, absens non in obliuione iacuisset, sed in assidua commemoratione omnibus omnium flagitiorum fuisset; is repente, vt Romam venit, gratis prætor factus est. alia porro pecunia, ne accusaretur, data. cui sit data, nihil ad me, nihil ad rem pertinere arbitror: datam quidem esse, tum inter omnes, recenti negotio, facile constabat. Homo stultissime, & amentissime, tabulas cum conficeres, & cum extraordinaria pecunia crimen subterfugere velles, satis te elapsurum omni suspicione arbitrabare, si, quibus pecuniam credebas, ijs expensum non ferres, neque in tuas tabulas vllum nomen referres, cum tot tibi nominibus acceptum Curtij referrent?

cœpit: Rubrium, delicias suas in omnibus eiusmodi rebus adiutorem suum, & conscium, parum laute diuersari dicit, ad Philodamum deduci iubet. quod vbi est Philodamo nunciatum, tametsi erat ignarus, quantum sibi ac liberis suis iam tum mali constitueretur, tamen ad istum venit, ostendit munus illud suum non esse: se, cum suæ partes essent hospitum recipiendorum, tamen ipsos tantum prætores, & consules, non legatorum asseclas, recipere solere. iste, qui vna cupiditate raperetur, totum illius postulatū caussamque neglexit: per vim ad eum, qui recipere nō debebat, Rubrium deduci imperauit. hic Philodamus, postea quam ius suum obtinere non potuit, vt humanitatem, consuetudinemque suam retineret, laborabat. homo, qui semper hospitalissimus amicissimusq; nostrorum hominum existimatus esset, noluit videri ipsum illum Rubriū inuitus in domum suam recepisse: magnifice, & ornate, vt erat in primis inter suos copiosus, conuiuium comparat; rogat Rubrium, vt, quos ei commmodum sit, inuitet, locum sibi soli, si videatur, relinquat: vt etiam filium suum, lectissimum adolescentem, foras ad propinquum suum quendam mitteret ad cenam. Tum Rubrius istius comites inuitat, eos omnes Verres certiores facit, quid opus esset. mature veniunt: discumbitur: fit sermo inter eos, & inuitatio, vt græco more biberetur. hospes hortatur: poscunt maioribus poculis: celebratur omnium sermone lætitiaque conuiuium. postea quam satis calere res Rubrio visa est; quæso, inquit, Philodame, cur ad nos filiam tuam non intro vocari iubes? homo, qui & summa grauitate, & iam id ætatis, & parēs esset, obstupuit hominis improbi dicto. instare Rubrius. tum ille, vt aliquid responderet, negauit, moris esse Græcorū, vt in conuiuio virorum accumberent mulieres. hic tum alius ex alia parte: enimuero ferendum hoc non est: vocetur mulier. & simul seruis suis Rubrius, vt ianuam clauderent, & ipsi ad fores asisterēt, imperat. quod vbi ille intellexit, id agi, atque id parari, vt filiæ suæ vis afferretur; seruos suos ad se vocat, his imperat, vt se ipsum negligant, filiam defendant, excurrat aliquis, qui hoc tantum domestici mali filio suo nunciet. clamor interea fit tota domo: pugna inter seruos Rubrij, atque hospitis: iactatur domi suæ vir optimus, & homo honestissimus. pro se quisq; manus affert: aqua denique feruenti à Rubrio ipso Philodamus perfunditur. hæc vbi filio nunciata sunt, statim exanimatus ad ædes contēdit, vt et vitæ patris, et pudicitiæ sororis succurreret.

reret. omnes eodem animo Lampsaceni, simul vt hoc audiuerunt, quod eos tum Philodami dignitas, tum iniuriæ magnitudo mouebat, ad ædes, noctu conuenerunt. hic lictor istius Cornelius, qui cũ eius seruis erat à Rubrio, quasi in præsidio, ad auferendam mulierem collocatus, occiditur: serui non nulli vulnerãtur: ipse Rubrius in turba sauciatur. iste, qui, sua cupiditate tantos tumultus concitatos videret, cupere aliqua euolare, si posset. postridie mane homines in concionem veniunt: quærunt, quid optimum factu sit: pro se quisque, vt in quoq; erat auctoritatis plurimum, ad populũ loquebatur: inuẽtus est nemo, cuius non hæc & sententia esset, & oratio: non esse metuendum, si istius nefarium scelus Lampsaceni vlti vi, manuque essent, ne senatus populusque R. in eam ciuitatem animaduertendum putaret:, quod si hoc iure legati populi R. in socios, nationesque exteras vterentur, vt pudicitiam liberorum seruare ab eorum libidine tutam non liceret, quiduis esse perpeti satius, quam in tanta vi, atque acerbitate versari. hæc cum omnes sentirent, & cum in eam rationem pro suo quisque sensu, ac dolore loqueretur, omnes ad eam domum, in qua iste diuersabatur, profecti sunt. cædere ianuam saxis, instare ferro, ligna & sarmenta circumdare, ignem subijcere cœperunt. tum ciues R. qui Lampsaci negotiabantur, concurrunt, orant Lampsacenos, vt grauius apud eos nomen legationis, quam iniuria legati putaretur: se se intelligere, hominem illum esse impurum, ac nefarium, sed quoniam nec perfecisset, quod conatus esset, neq; futurus esset Lampsaci postea, leuius eorũ peccatum fore, si homini scelerato pepercissent, quam si legato non pepercissent. sic iste, multo sceleratior, & nequior, quã ille Hadrianus, aliquanto etiam felicior fuit. ille, quod eius auaritiam ciues R. ferre nõ potuerant, Vticæ domi suæ viuus exustus est; idque ita illi merito accidisse existimatum est, vt lætarentur omnes, neque vlla animaduersio constitueretur: hic, sociorum ambustus incendio, tamen ex illa flamma, periculoque euolauit: neq; adhuc caussam vllã excogitare potuit, quamobrem euenerit, aut, quid commiserit, vt in tantum periculum veniret. nõ enim potest dicere: cum seditionem sedare vellem, cum frumẽtum imperarem, cum stipendium cogerem, cum aliquid denique reip. caussa gererem, quod acrius imperaui, quod animaduerti, quod minatus sum. quæ si diceret, tamen ignosci non oporteret, si nimis atrociter imperando socijs, in tantum adductus periculum videretur. nunc, cum

ipse caussam illius tumultus neque verã dicere, neque falsam confingere audeat; homo autem ordinis sui frugalissimus, qui tum accensus C. Neroni fuit, P. Tettius hæc eadem se Lampsaci cognosset dixerit; vir omnibus rebus ornatissimus C. Varro, qui tum in Asia tribunus militum fuit, hæc eadem ipsa se ex Philodamo audisse dicat: potestis dubitare, quin istum fortuna non tam ex illo periculo eripere voluerit, quam ad vestrum iudicium reseruare? nisi vero illud dicet, quod et in testimonio Tettij priore actione interpellauit Hortẽsius: quo tempore quidem signi satis dedit, si quid esset, quod posset dicere, se tacere nõ posse: vt, quã diu in ceteris rebus tacuerit, scire omnes possemus, nihil habuisse quod diceret. hoc tum dixit, Philodamum, & eius filium à C. Nerone esse damnatos. de quo, ne multa differam, tantũ dico, secutum id esse Neronem et eius consilium; quod Cornelium lictorem occisum esse constaret, putasse non oportere esse cuiquam, ne in vlciscenda quidem iniuria, hominis occidendi potestatem. in quo video, Neronis iudicio non te absolutum esse improbitatis, sed illos damnatos esse cædis. Verũ ista damnatio tamen cuiusmodi fuit? audite, quæso, indices, & aliquando miseremini sociorũ, & ostendite aliquid his in vestra fide præsidij esse oportere. Quod toti Asiæ iure occisus videbatur istius ille verbo lictor, reuera minister improbissimæ cupiditatis pertimuit iste, ne Philodamus Neronis iudicio liberaretur. rogat, & orat Dolabellam, vt de sua prouincia decedat, ad Neronẽ proficiscatur: se demonstrat incolumem esse non posse, si Philodamo viuere, atque aliquando Romam venire licuisset. commotus est Dolabella: fecit id, quod multi reprehenderũt, vt exercitum, prouinciam, bellũ relinqueret, & in Asiam hominis nequissimi caussa, in alienam prouinciam, proficisceretur. postea quã ad Neronem venit, contendit ab eo, vt Philodami caussam cognosceret. venerat ipse, qui esset in cõsilio, & primus sententiam diceret: adduxerat etiã præfectos, & tribunos militares suos; quos Nero omnes in consiliũ vocauit: erat in consilio etiam, æquissimus iudex, ipse Verres: erant nonnulli togati, creditores Græcorũ; quibus ad exigendas pecunias improbissimi cuiusq; legati plurimũ prodest gratia, ille miser defensorẽ reperire neminẽ poterat. quis enim esset aut togatus, qui Dolabellæ gratia, aut Græcus, qui eiusdẽ vi, et imperio non moueretur? accusator autem apponitur ciuis Romanus, de creditoribus Lampsacenorum; qui, si dixisset quod iste iussisset, per eiusdem istius lictores à populo

pecu-

pecuniã posset exigere. cũ hæc omnia tanta cõtentione, tantis copijs agerentur, cum illum miserum multi accusarent, nemo defenderet, cumq́; Dolabella cum suis præfectis pugnaret in consilio, Verres fortunas agi suas diceret, idem testimonium diceret, idem esset in consilio, idem accusatorem parasset, hæc cum omnia fierent; & cũ hominem constaret occisum, tamen tanta vis istius iniuriæ; tanta in isto improbitas putabatur, vt de Philodamo, Amplius, pronunciaretur. Quid ego nunc in altera actione Cn. Dolabellæ spiritus, quid huius lacrymas, & concursationes proferam? quid C. Neronis, viri optimi, atq; innocentißimi, non nullis in rebus animum nimis timidum, atq; demißũ? qui, in illa re, quid facere potuerit, non habebat: nisi forte id, quod omnes tum desiderabant, vt ageret eam rem sine Verre, & Dolabella. quidquid esset sine his actum, omnes probarent. tum vero quod pronunciatum est, non per Neronem iudicatum, sed per Dolabellam ereptum, existimabatur. condemnatur enim perpaucis sententijs Philodamus, & eius filius. adest, instat, vrget Dolabella, vt quamprimũ securi feriantur, quo quam minime multi ex illis de istius nefario scelere audire possent. constituitur in foro Laodiceæ spectaculũ acerbũ, et miserũ, et graue toti Asiæ prouinciæ, grandis natu parens adductus ad suppliciũ, ex altera parte filius, ille, quod pudicitiã liberorũ, hic, quod vitam patris, famamq́. sororis defenderat. flebat vterq;, non de suo supplicio, sed pater de filij morte, de patris filius. quid lacrymarũ ipsum Neronẽ putatis profudisse? quẽ fletũ totius Asiæ fuisse? quem luctũ, et gemitũ Lampsacenorũ? securi esse percussos homines innocentes, nobiles, socios populi R. atque amicos, propter hominis flagitiosißimi singularem nequitiam atque improbißimam cupiditatem.

EXPLANATIO.

QVAM *aduentus sui,* } pedum vestigia fiunt in aduentu, eoque plura, quo plures veniunt. at ea pauciora legatus Verres adueniens reliquit, quam furtorũ, & flagitiorũ suorum. Vestigia, proprie subiunxit Cicero, quia dixerit, Ecquo in opido pedẽ posuit. ETIAM *hæc,* } pro, Hæc, malim, Ea: vel, Hæc, abundare crediderim. cur enim dicat, Hæc, cum nulla nominentur? LAMPSACENI } glossema puto SEDATI, & *quieti,* } hoc, & quod sequitur, ideo dicit, vt culpa tumultus in Verrem cõcitati non in eos cõferatur, homines natura, cõsuetudine,

disciplina,

disciplina lenissimos,(sic enim appellantur infra) sed in ipsum Verrem,vim ac stuprum liberis eorum inferre conantem. PRAETER *ceteros*} otiosi enim,ac desides tum Græci omnes habebantur. REGEM *Nicomedem, regemq́; Sadalam*} Nicomedem Bithyniæ, Sadalam Thraciæ. NE QVID *in ipso iure offenderit*, } ne quid Verres in se offensus sit. Hoc verbum patiendi significationem interdum habet,vt in Cæsare lib.II.bel.ci. Si quid in me offendistis: pro,offensi estis. Et in ep.Lucceij: Cum duæ res istæ contrariæ me conturbent: ex quibus aut in altera, mihi velim,si potes,obtemperes,aut in altera nō offendas. SVMMA VI} quacumq; ratione potuit,quantum in ipso fuit, pro virili. PARVM *laute*} non satis commode. CVM SVAE *partes essent hospitum recipiendorū*,} cum acciderct, vt hospites recipiendi sibi essent: cum id sui muneris esset,quod nunc non esset. quid enim sibi cū Rubrio? quid cum ipso Verre? RETINERET,} venustatem quæsiuit in similibus verbis,Obtineret,Retineret. HOMO,} sic sæpe sententiam exorditur paullo ante: Homo, vt hæc audiuit,sic exarsit ad id. Et paullo post: Homo qui & summa grauitate,& iam id ætatis esset. Et infra: Homo, qui semper ita dictitasset. Lib.II. Homo, quamquam erat & Siculus,& reus. QVOS EI *commodum sit*,} quos ei libeat: vt supra: De capite quantum cōmodum fuerit, frumenti decumani detraxerit. GRAECO *more*} ad singulas potiones dijs,& amicis,quos quisq; vellet, nominatis. quod Tibullus elegia prima lib.II. ostendit his versibus:

Sed bene Messallam sua quisque ad pocula dicat,
Nomen & absentis singula verba sonent.

Quem fortasse morem & Plautus retulit in Stic. dicente Sangarino seruo: Bene vos, (phanium
Bene nos, bene te, bene me, bene nostram etiam Ste-
Bibe, si bibis.

SATIS *calere res*} vbi vino satis conuiuarum commotæ mentes visæ sunt. LICTOR *istius Cornelius*.} lictores erāt liberti. hunc igitur à Verre liberatum transisse in eius gentem existimo, vt medicum quoque & pictorem: de quibus lib.III. Iampridē improbi, repente Cornelij. Quo sum

ſum admonitus, gentis Corneliæ fuiſſe Verrem, cuius comites, Græci homines, & improbi, repente fierent Cornelij: à quo enim, præterquam ab ipſo, repente fieri poſſent? IGNEM *ſubijcere*} omiſſa copula, vis orationis maior eſt. HADRIANVS} Fabiæ gentis, prætor Africæ, vt ait Cicero lib. V. Pedianus addit, Cinnanis temporibus. Lib. V. Neque quidquam propius eſt factum, quam vt illud Vticenſe exemplum de Hadriano transferretur Syracuſas. ANIMADVERSIO} in Africanos. FRVGALISSIMOS,} apta, & propria laude libertum ornauit. ſignificatur enim in frugalitate probitas. itaque in ep. ad Sextium de liberto Decio dixit: Quamquam illum hominem frugi, & tibi amicum exiſtimabam. Accenſos autem libertos fuiſſe, cum alijs locis, tum eo declaratur in ep. ad Appium: A. Pauſania, Lentuli liberto, accenſo meo, audiui. INTERPELLAVIT} pro, Interpellans, dixit. A C. NERONE *eſſe damnatos.*} ex quo ſequi videretur, nocentes fuiſſe. DE SVA *prouincia decedat*: } lex Cornelia maieſtatis, Iulia de repetundis vetabat. in Piſonem. PROVINCIAM,} Ciliciam. BELLVM} fortaſſe cum ijs, qui Amanum montem incolebant, cum quibus & Cicero, Ciliciæ proconſul, poſtea bellum geſſit. PRAEFECTOS,} turmarum equeſtrium, quos & Cicero habuit in eadem prouincia: & quibuſdam præfecturã ab eo petijt M. Brutus: vt in ep. ad Att. AMPLIVS, *pronunciaretur,*} ex quo iterũ agi cauſſam oportebat. QVID *ego nunc in altera actione Cn. Dolabellæ ſpiritus, quid huius lacrymas, & concurſiones proferam?*} locus amplificandi. vt lib. I. Quid ego nunc hic Sex. Pompei j Chlori teſtimonium recitem? SPIRITVS?} contentiones: cum ita laboraret, vt in eam rem vires, opesq; ſuas conferret omnes. CONCVRSIONES} quod eorũ eſt, qui de maxima re multos rogant: vt modo ad hunc, modo ad illum concurrere ſit neceſſe. ad Lentulum: Libonis, & Hypſæi non obſcura cõcurſatio & contentio. NISI *forte*,} hic affirmantis eſt: vt ſi dixiſſet: potuit quod omnes optabant, eam rem agere ſine Verre, & Dolabella. Alibi negantis eſt. vt lib. II. Niſi forte exiſtimatis, ei quadruplatores ad fretum

præſto

præsto fuisse. LAODICEAE} ciuitas hoc tempore prouinciæ Neronis, postea Ciliciensis prouinciæ pars fuit; Cicerone proconsule.

ORATIO.

NEMO *iam, Dolabella, neq; tui, neque tuorum liberum, quos tu miseros in egestate, atq; in solitudine reliquisti, misereri potest. Verres ne tibi tanti fuit, vt eius libidinē hominum innocentum sanguine lui velles? iccirco ne exercitum, atq; hostem relinquebas, vt tua vi, & crudelitate istius hominis improbissimi pericula subleuares? quod enim eum tibi quæstoris in locum constitueras, iccirco tibi amicum in perpetuum fore putasti? nesciebas, ab eo Cn. Carbonem consulem, cuius re vera quæstor fuit, non modo relictum, sed etiam spoliatū auxilijs, nefarie oppugnatum, & proditum? expertus igitur es istius perfidiam tum, cum se ad inimicos tuos contulit, cum in te homo ipse nocens acerrimum testimonium dixit, cum rationes ad ærarium, nisi damnato te, referre noluit. Tantæ ne tuæ, Verres, libidines erunt, vt eas capere, ac sustinere non prouinciæ populi R. non nationes exteræ possint? tu ne quod videris, quod audieris, quod concupieris, quod cogitaris, nisi id ad nutum tuum præsto fuerit, nisi libidini tuæ cupiditatiq; paruerit, immittentur homines? expugnabuntur domus? ciuitates nō modo pacatæ, verum etiam sociorum, atque amicorum, ad vim, atq; ad arma confugient, vt ab se, atq; ab liberis suis legati populi R. scelus, atque libidinem propulsare possent? nam quæro abs te, circumsessus ne sis Lampsaci? cœperit ne domum, in qua diuersabare, illa multitudo incendere? voluerint ne legatum populi R. comburere viuum Lampsaceni? negare non potes: habeo enim testimoniū tuum, quod apud Neronem dixisti: habeo quas ad eundem litteras misisti. Recita hunc ipsum locum de testimonio:* TESTIMONIVM. C. VERRIS. IN. ARTEMIDORVM. *Recita de litteris ad Neronem missis:* LITTERAE. C. VERRIS. AD. NERONEM. NON. MVLTO. POST. IN. DOMVM. *Bellum ne populo Romano Lampsaceni ciues facere conabantur? deficere ab imperio ac nomine nostro volebant? video enim, & ex ijs quæ legi, & audiui, intelligo, in qua ciuitate non modo legatus populi R. circumsessus, non modo igni, ferro, manu, copijs, oppugnatus, sed aliqua ex parte violatus sit, nisi publice satis factum sit, ei ciuitati bellum indici, atque inferri solere. quæ*

fuit

fuit igitur caussa, cur cuncta ciuitas Lampsacenorum de concione, quemadmodũ tute scribis, domum tuã concurreret? tu enim neq; in litteris, quas Neroni mittis, neq; in testimonio caussam tanti tumultus ostendis vllã. obsessum te dicis: ignẽ allatum, sarmenta circumdata, lictorem tuũ occisum esse dicis: prodeundi tibi in publicũ potestatem factã negas: caussam huius tanti terroris occultas. nam, si quam Rubrius iniuriã suo nomine, ac non impulsu tuo, et tua cupiditate, fecisset, de tui comitis iniuria questũ ad te potius, quã te oppugnatũ venirent. cum igitur, quæ caussa illius tumultus fuerit, testes à nobis producti dixerint, ipse celarit, nõ ne caussam hanc, quã nos proposuimus, tum illorũ testimonia, tum istius taciturnitas perpetua cõfirmat? Huic homini parcetis igitur, iudices? cuius tanta peccata sunt, vt ij, quibus iniurias fecerit, neq; legitimũ tempus exspectare ad vlciscendũ, neq; vim tantã doloris in posterũ differre potuerint. Circumsessus es. à quibus? à Lampsacenis: barbaris hominibus, credo. aut ijs, qui populi R. nomẽ contemnerẽt: immo vero ab hominibus & natura, & cõsuetudine, & disciplina lenissimis; porro autẽ populi R. condicione socijs, fortuna seruis, volũtate supplicibus: vt perspicuũ sit omnibus, nisi tãta acerbitas iniuriæ, tanta vis sceleris fuisset, vt Lampsaceni moriendũ sibi potius, quam perpetiendũ putarent, numquã illos in eum locũ progressuros fuisse, vt vehementius odio libidinis tuæ, quã metu legationis mouerentur. Nolite, per deos immortales, cogere socios, atq; exteras natiões hoc vti perfugio: quo, nisi vos vindicatis, vtentur necessario. Lampsacenos in istũ numquã vlla res mitigasset, nisi eũ pœnas Romæ daturum credidissent. etsi talẽ acceperant iniuriã, quam nulla lege satis digne persequi poterant: tamen incõmoda sua vestris cõmmittere legibus, & iudicijs, quã dolori suo permittere, maluerũt. Tu mihi, cum circũsessus à tam illustri ciuitate sis propter tuũ scelus atq; flagitiũ, cum coegeris homines miseros, et calamitosos, quasi desperatis nostris legibus, & iudicijs, ad vim, ad manus, ad arma cõfugere, cũ te in opidis, ciuitatibus amicorũ, nõ legatũ populi R. sed tyrãnum libidinosum, crudelẽq; præbueris, cum apud exteras nationes imperij, nominisq; nostri famã tuis probris, flagitijsq; violaris, cum te ex ferro amicorũ populi R. eripueris, atq; è flãma sociorũ euolaris: hic tibi perfugiũ speras futurũ? erras. vt huc incideres, non vt hic conquiesceres, illi te viuum exire passi sunt. Et ais iudiciũ esse factũ, te iniuria circumsessum esse Lampsaci, quod Philodamus cũ

filio

filio condemnatus sit. quid si doceo, si planum facio, teste homine nequam, verum ad hanc rem tamen idoneo, te ipso, inquam, teste, docebo, te huius circumsessionis tuæ caussam, & culpam in alios transtulisse, neque in eos, quos tu insimularis, esse animaduersum? iam nihil te iudicium Neronis adiuuat. Recita, quas ad Neronem literas misit. EPISTOLA. C. VERRIS. AD. NERONEM. THEMISTAGORAS. ET. THESSALVS. *Themistagoram, & Thessalum scribit populum concitasse: quem populum? qui te circumsedit, qui te viuum comburere conatus est. vbi hos persequeris? vbi accusas? vbi defendis ius, nomenque legati? in Philodami iudicio dices id actum. cedo mihi ipsius Verris testimonium. videamus, quid idem iste iuratus dixerit. Recita:* AB. ACCVSATORE. INTERROGATVS. RESPONDIT. IN. HOC. IVDICIO. NON. PERSEQVI; SIBI. IN. ANIMO. ESSE. ALIO. TEMPORE. PERSEQVI. *Quid igitur te iuuat Neronis iudicium? quid Philodami damnatio? legatus cũ esses circumsessus, cumque quemadmodum tute ad Neronem scripsisti, populo R. communique caussæ legatorum facta esset iniuria insignis, non es persecutus? dicis tibi in animo esse alio tempore persequi. quod fuit id tempus? quando es persecutus? cur imminuisti ius legationis? cur caussam populi R. deseruisti, ac prodidisti? cur iniurias tuas, coniunctas cum publicis, reliquisti? non ne te ad senatum caussam deferre, non de tam atrocibus iniurijs conqueri, non eos homines, qui populum concitarant, consulum litteris euocandos curare oportuit? nuper, M. Aurelio Scauro postulante, quod is Ephesi se quæstorem vi prohibitum esse dicebat, quo minus è fano Dianæ seruum suum, qui in illud asylum confugisset, abduceret, Pericles Ephesius, homo nobilissimus, Romam euocatus est, quod auctor iniuriæ illius fuisse argueretur. tu, si, te legatũ ita Lampsaci tractatum esse, senatum docuisses, vt tui comites vulnerarẽtur, lictor occideretur, ipse circumsessus pæne incenderere, eius autem rei duces & auctores, & principes fuisse, quos scribis, Themistagoram, & Thessalum, quis nõ commoueretur? quis non ex iniuria, quæ tibi esset facta, sibi prouideret? quis nõ in ea re caussam tuam, periculum commune agi arbitraretur? etenim nomen Legati eiusmodi esse debet, quod nõ modo inter sociorum iura, sed etiam inter hostium tela incolume versetur. Magnum hoc Lampsacenum crimen est libidinis, atque improbissimæ cupiditatis: accipite nunc auaritiæ*

uaritiæ propemodum in suo genere non leuius. Milesios nauem poposcit: quæ eum præsidij caussa Myndum prosequeretur. illi statim myoparonem egregium de sua classe, ornatum, atque armatum, dederunt. hoc præsidio Myndum profectus est. Nam, quid Milesijs lanæ publicæ abstulerit, item de sumptu in aduentum, de contumelijs, & iniurijs in magistratum Milesium, tametsi dici tum vere, tum grauiter, & vehementer potest, tamen dicere prætermittam, eaque omnia testibus integra reseruabo. illud, quod neque taceri vllo modo potest, neque dici pro dignitate, cognoscite. milites remigesq; Miletum Myndo pedibus reuerti iubet: ipse myoparonẽ pulcherrimũ, de decẽ Milesiorum nauibus electum, L. Magio, et L. Fannio, qui Myndi habitabant, vendidit. Hi sunt homines, quos nuper senatus in hostium numero censuit habendos. hoc illi nauigio ad omnes populi R. hostes vsque ab Dianio, quod in Hispania est, ad Sinopem, quæ in Ponto est, nauigauerunt. O dij immortales, incredibilem auaritiam, singularemq; audaciam. nauem tu de classe populi R. quã tibi Milesia ciuitas, vt te prosequeretur, dedisset, ausus es vendere? si te magnitudo maleficij, si te hominum existimatio non mouebat, ne illud quidẽ cogitabas, huius improbissimi furti, huius adeo nefariæ prædæ tam illustrem ac tam nobilem ciuitatẽ testem futuram? an, quia tum Cn. Dolabella in eum, qui ei myoparoni præfuerat, Milesiisque rem gestam renunciarat, animaduertere tuo rogatu conatus est, renunciationemq; eius, quæ erat in publicas litteras relata illorum legibus, tolli iusserat, iccirco te ex hoc crimine elapsum esse arbitrabare? multum te ista fefellit opinio, &, quidem multis in locis: semper enim existimasti, & maxime in Sicilia, satis tautum tibi ad defensionem fore, si aut referri aliquid in litteras publicas vetuisses, aut, quod relatũ esset, tolli coegisses. hoc quam nihil sit, tametsi ex multis Siciliæ ciuitatibus priore actione didicisti, tamen etiam in hac ipsa ciuitate cognosce. sunt illi quidẽ dicto audientes, quam diu adsunt ij, qui imperant: simul ac discesserunt, non solum illud perscribunt, quod tum prohibiti sunt, sed etiam caussam adscribunt, cur non tum in litteras relatum sit. manẽt istæ litteræ Mileti: manent, &, dum erit illa ciuitas, manebunt. decẽ enim naues iussu L. Murenæ populus Milesius ex pecunia vectigali populi R. fecerat, sicut pro sua quæque parte Asiæ ceteræ ciuitates. quamobrem vnam ex decem non prædonum repentino aduentu, sed legati latrocinio: non vi tempestatis, sed hac horribili

tempestate sociorum amissam, in litteras publicas retulerunt. sunt Romæ legati Milesij, homines nobilißimi, ac principes ciuitatis: qui tametsi mensem Februarium exspectant, & consulum designatorum nomẽ extimescũt, tamẽ hoc tantum facinus nõ modo negare interrogati, sed ne producti quidem reticere poterũt. dicent, inquã, & religione adducti, & legum domesticarũ metu, quid illo myoparone factum sit. ostendent, C. Verrem in ea classe, quæ contra piratas ædificata sit, piratam ipsum consceleratum fuisse.

EXPLANATIO.

NEMO IAM, *Dolabella,*} artis oratoriæ est, post narrationem vti apostrophe, vel ad ad reum, vel ad iudices, vel ad quemuis: ad reum, vt supra, cum scelus Verris in Carbonem consulem, cui quæstor fuerat, exposuisset, ad Verrem cõuersus, tamquam eius scelere commotus, hæc dixit: Ita ne vero? tu, cum quæstor ad exercitum missus sis, custos non solum pecuniæ, sed etiam consulis, particeps omnium rerum, cõsiliorumq; fueris; habitus sis in liberum loco, sicut mos maiorum ferebat; repente relinquas? deseras? ad aduersarios transeas? o scelus, o portentum in vltimas terras exportandum. Et absoluta narratione furti, quod Verres Deli commiserat, ad ipsum oratione traducta: Non dubito, inquit, quin tametsi nullus in te sensus humanitatis, nulla ratio vmquam fuit religionis, nunc tamen, in metu, periculoque, tuorum tibi scelerum veniat in mentem. potest ne tibi vlla spes salutis cõmoda ostendi, cum recordaris, in deos immortales quam impius, quam sceleratus, quam nefarius fueris? Et alio loco, cum ab eo fanum Dianæ spoliatum dixisset, subiunxit statim: Quæ, malum, est ista tanta audacia, atque amentia? Apostrophe ad iudices illa præclara: Quid hoc homine faciatis? aut ad quam spem tam perfidiosum, tam importunum animal reseruetis? qui in Cn. Carbone sortem, in Cn. Dolabella voluntatem neglexerit, ac violarit, eosq; ambos non solum deseruerit, sed etiam prodiderit, atque oppugnarit. Hac ad Dolabellam, cuius in Philodamum & filium insignis fuerat iniuria, nihil oportunius. Illa vero, quæ communem spectat vtilitatem, atque ad omnium

fortu-

fortunas porrigitur, nulla præstantior: vt de Verre pupilli bona, cui tutor erat, eripiente: En cui tuos liberos committas: en memoria mortui sodalis. Sunt aliæ prope innumerabiles, vnde vim, & acrimoniam nō mediocrem sumit oratio: quæ suis locis attente legentibus occurrent. nobis hoc genus ornamenti, quo mirabiliter Cicero excellit, indicasse satis est. EGESTATE,} bonis tibi ademptis, repetundarum damnato. Lib. IV. Ne nunc quidem in tanto tuo, liberorumq; tuorum periculo perhorrescis? QVAESTORIS *in locum.*} Malleolo quæstore mortuo. AVXILIIS,} pecunia. AD INIMICOS *tuos,*} ad eum, qui te accusauit, M. Scaurum. NISI *damnato te,*} verebatur enim, ne tu eas præsens refelleres: cum ille in eas falsa multa retulisset. TANTAE *ne tuæ, Verres, libidines erunt,*} hæc apostrophe familiā ducit. NON MODO} pro, nedū: vt alibi sæpe Cicero. NISI *publice satis factum sit,*} eius criminis pœna soluta, aut ijs, q. deliquerāt, populo Romano traditis. BELLVM *indici, atq; inferri solere.*} indictum, illatumq; Corinthijs, ac Tarentinis historiæ narrāt. LENISSIMIS} quos tamē iniuriæ tuę magnitudo ad furorē impulit. Hoc & supra Cicero spectauit, in eo: Homines ipsi tum summe in oēs ciues Romanos officiosi, tum præterea sedati, & quieti, prope præter ceteros ad summū Græcorū otium potius, quam ad vllam vim, aut tumultū accōmodati. Eam vero lenitudinem eis natura datā, confirmatam consuetudine, auctā disciplina dicit. hæc enim tria sunt eiusmodi, vt ab ijs omnia, quæ sunt in nobis, siue bona, siue mala, nascantur. Duo nominauit in ep. ad Catonē, naturam, &, pro disciplina rationē, atq; doctrinā. Si quisquā, inquit, fuit vmquam remotus & natura, & magis etiam, vt mihi quidem sentire videor, ratione, atque doctrina, ab inani laude, & sermonib. vulgi: ego profecto is sum. VOLVNTATE *supplicibus:*} ad fortunam voluntatem adiunxit, quia multi fortunæ necessitatē iniquo animo ferūt. graue .n. illud erat, Fortuna seruis: secuta correctio est, Voluntate supplicib. IN EVM *locū*} eo furoris, & iracūdię. HOC VTI *perfugio:*} vt vi, & armis iniurias vlciscantur

impetum fecit. nam Malleolus in prouinciam sic copiose profectus erat, vt domi prorsus nihil relinqueret. præterea pecunias occuparat apud populos, & syngraphas fecerat: argenti optime cælati grande pondus secum tulerat: (nam ille quoque sodalis istius erat in hoc morbo, & cupiditate) grande pondus argenti, familiã magnã, multos artifices, multos formosos homines reliquit. iste, quod argenti placuit, inuasit: q̃ mancipia voluit, abduxit: vina, ceteraque, quæ in Asia facillime comparantur, quæ ille reliquerat, asportauit: reliqua vendidit, pecuniam exegit. cum ad H-S *vicies quinquies redegisse constaret: vt Romam rediit, nullam litteram pupillo, nullam matri eius, nullam tutoribus reddidit; seruos artifices pupilli cum haberet domi, circumpedes autem homines formosos, & litteratos, suos esse dicebat, se emisse. cum sæpius mater, et auia pueri postularent, vti, si non redderet pecuniam, nec rationẽ daret, diceret saltem, quantum pecuniæ Malleoli deportasset: multis efflagitatus aliquando dixit,* H-S *decies: deinde in codicis extrema cera nomen infimum flagitiosa litura fecit: expensa Chrysogono seruo* H-S *sexcenta millia, accepta pupillo Malleolo retulit. quo modo ex decies* H-S D C *sint facta, quomodo* D C *eodem modo quadrarint, (vt illa de Cn. Carbonis pecunia reliqua* H-S *sexcenta facta) quo modo Chrysogono expensa lata sint, cur id nomen infimum, in lituraq; sit, vos existimabitis. tamen* H-S *sexcenta millia cum accepta retulisset,* H-S *quadringenta millia soluta non sunt. homines, postea quam reus factus est, alij redditi, alij etiam nunc retinentur: peculia omnium, vicarijque retinentur. Hæc est istius præclara tutela. en cui tuos liberos committas, en memoria mortui sodalis. en metus viuorũ existimationis. Cũ tibi se tota Asia spoliandam, ac vexandam tradidisset; cum tibi exposita esset omnis ad prædandum Pamphylia; contentus his tam opimis rebus non fuisti? manus à tutela, manus à pupillo, manus à sodalis filio abstinere non potuisti? iam te non Siculi, non aratores, vt dictitas, circumueniunt, non ij, qui decretis, edictisque tuis in te concitati, infestique sunt: Malleolus, à me productus, & mater eius, atque auia: quæ miseræ, flẽtes, euersum à te puerum patrijs bonis esse dixerũt. quid exspectas? an, dum ab inferis ille Malleolus exsistat, atque abs te officia tutelæ, sodalitatis, familiaritatisque flagitet? ipsum putato adesse, homo auarissime & spurcissime, redde bona sodalis filio, si nõ quæ abstulisti, at quæ confessus es. cur cogis sodalis filium*

hanc primam in foro vocem cum dolore, & querimonia emittere? cur sodalis vxorem, sodalis socrum, domum denique totam sodalis mortui contra te testimonium dicere? cur pudentißimas, lectißimasq; feminas in tantum virorum conuentum insolitas, inuitasq; prodire cogis? Recita omnium testimonia. TESTIMONIA. MATRIS. ET. AVIAE. *Pro quæstore vero, quo modo iste commune Miliadũ vexarit; quo modo Lyciam, Pamphyliã, Pisidiam, Phrygiamq; totã, frumento imperando, æstimando hac sua, quam tum primum excogitauit, Siciliensi æstimatione, afflixerit; non est necesse demonstrare verbis. hoc scitote, his nominibus, quæ res per eũ gestæ sunt, cum iste ciuitatibus frumentum, coria, cilicia, saccos imperaret, neque ea sumeret, pro his rebus pecuniam exigeret, his nominibus solis Cn. Dolabellæ H.S ad tricies litem esse æstimatam. quæ omnia, etiamsi voluntate Dolabellæ fiebant, per istum tamen omnia gerebantur. consistam in vno nomine: multa sunt ex eodem genere. Recita.* DE. LITIBVS. AESTIMATIS. CN. DOLABELLAE. PR. POPVLO. R. PECVNIAE. REDACTAE. QVOD. A. COMMVNI. MILIADVM. *Te hæc coegisse, te æstimasse, tibi pecuniam numeratam esse dico: eademque vi, & iniuria cum pecunias maximas cogeres, per omnes partes prouinciæ te, tamquam aliquam calamitosam tempestatem, pestemque peruasisse demonstro. itaque M. Scaurus, qui Cn. Dolabellam accusauit, istum in sua potestate, ac ditione tenuit. homo adolescens, cum istius in inquirendo multa furta, ac flagitia cognosceret, fecit perite, & callide: volumen eius rerum gestarum maximum isti ostendit: ab homine, quæ voluit, in Dolabellam abstulit: istum testem produxit. dixit iste, quæ velle accusatorem putauit. quo ex genere mihi testium, qui cũ isto furati sunt, si vti voluissem, magna copia fuisset; qui, vt se periculo litium, coniunctione criminum, liberarent, quo ego vellem, descensuros pollicebantur. eorum ego voluntatem omnium repudiaui: non modo proditori, sed ne perfugæ quidem locus in meis castris cuiquam fuit. forsitan meliores illi accusatores habendi sunt, qui hæc omnia fecerunt. sed ego defensorem in mea persona, non accusatorem, maxime laudari volo. Rationes ad ærarium, ante quam Dolabella condemnatus est, nõ audet referre. impetrat à senatu, vt dies sibi prorogaretur, quod tabulas suas ab accusatoribus Dolabellæ obsignatas diceret: perinde quasi exscribendi potestatem non haberet. solus est hic, qui numquam rationes*

rationes ad ærarium referat. audiſtis quæſtoriam rationem tribus verſiculis relatam: legationis, non niſi condemnato, & eiecto eo, qui poſſet reprehendere: nunc denique præturæ, quam ex S.C. ſtatim referre debuit, vſq; ad hoc tẽpus non retulit, quæſtorẽ ſe in ſenatu exſpectare dixit. perinde quaſi non, vt quæſtor ſine prætore poſſet referre, vt tu Hortenſi, vt omnes, eodem modo ſine quæſtore prætor. Dixit, idem Dolabellam impetraſſe. omen magis patribus conſcriptis, quam cauſſa placuit, probauerunt. Verum quæſtores quoque iam pridem venerunt: cur non retuliſti? illarum rationum ex ea fæce legationis, quæſtoriæque tuæ procurationis illa ſunt nomina, quæ Dolabellæ neceſſario ſunt æſtimata. EX. LITIBVS AESTIMATIS. DOLABELLAE. PR. ET. PROPR. *quod minus Dolabella Verri acceptum retulit, quam Verres illi expenſum tulerit,* H-S *quingenta triginta quinque millia: quod plus fecit Dolabella Verrem accepiſſe, quam iſte in ſuis tabulis habuit,* H-S *ducenta triginta duo millia: quod plus frumenti fecit accepiſſe iſtũ,* H-S *decies & octingenta millia, quod tu, homo caſtiſſimus, aliud in tabulis habebas. hinc illæ extraordinariæ pecuniæ, quas, nullo duce, tamen aliqua ex particula inueſtigamus, redundarunt. hinc ratio cum Q. & Cn. Poſtumijs, Curtijs, multis nominibus, quorum in tabulis iſte habet nullum. hinc* H-S *quaterdecies P. Tadio numerata Athenis, teſtibus planum faciam. hinc empta apertiſſime prætura. niſi forte id etiam dubium eſt, quo modo iſte prætor factus ſit. homo ſcilicet aut induſtria, aut opera probata, aut frugalitatis exiſtimatione præclara, aut denique, id quod leuiſſimum eſt, aſſiduitate, qui ante quæſturam cum meretricibus lenonibusque vixiſſet, quæſturam ita geſſiſſet, quemadmodum cognouiſtis, Romæ poſt quæſturam illam nefariam vix triduum conſtitiſſet, abſens non in obliuione iacuiſſet, ſed in aſſidua commemoratione omnibus omnium flagitiorum fuiſſet; is repente, vt Romam venit, gratis prætor factus eſt. alia porro pecunia, ne accuſaretur, data. cui ſit data, nihil ad me, nihil ad rem pertinere arbitror: datam quidem eſſe, tum inter omnes, recenti negotio, facile conſtabat. Homo ſtultiſſime, & amentiſſime, tabulas cum conficeres, & cum extraordinaria pecunia crimen ſubterfugere velles; ſatis te elapſurum omni ſuſpicione arbitrabare, ſi, quibus pecuniam credebas, ijs expenſum non ferres, neque in tuas tabulas vllum nomen referres, cum tot tibi nominibus acceptum Curtij referrent?*

quam syngrapham ad imperatorem, non epistolam, attulisses, sic, pecunia ablata, domum redire properabas. Est igitur syngrapha, ex qua creditor agendi cum debitore potestatem habet. NAM ILLE *quoque, sodalis istius, erat in hoc morbo,*} sic distinguo, non, vt alij, Sodalis istius erat in hoc morbo. Laborabat, inquit, hoc morbo ille quoque, sodalis istius. Infra: En memoria mortui sodalis. Et: Manus à sodalis filio abstinere non potuisti? FAMILIAM *magnā,*} seruos quāplurimos, & in ijs multos artifices, multos formosos homines. Nepos in Attici vita: Vsus est familia, si vtiliate iudicandū est, optima; si forma, vix mediocri. nāq; in ea erant pueri litteratissimi, anagnostæ optimi, & plurimi librarij: pari modo artifices ceteri, quos cultus domesticus desiderat, apprime boni. H-S X X *quinquies*} vicies quinquies. scutatorū septuaginta quinque millia. CIRCVMPEDES} qui numquam à domino discedant, parati ad omnia, quæ imperentur. H-S DECIES} scutatorum triginta millia. EXTREMA *cera*} extrema parte. LITVRA} corrupti codicis duo signa, & quod in extrema cera, & quod in litura nomen illud factum est: quod autem nomen? id, quod sequitur: Expensa Chrysogono seruo H-S sexcenta millia. quæ sunt, scutatorū decem & octo millia. ACCEPTA *pupillo Malleolo retulit.*} creditorem scribit in codice pupillum eius pecuniæ, debitorem, eundem, quia Chrysogono data sit. QVADRARINT,} vt neq; plura, neq; pauciora essent. DE CN. CARBONIS *pecunia*} retulit enim in rationes, Arimini à se relicta H-S sexcenta millia. supra. QVOMODO} cui⁹ iussu, qua caussa. INFIMVM,} in extrema cera. CVM ACCEPTA *retulisset,*} hic locus, vt mihi videtur, ostendit, hanc sententiam esse debere superiorum verborum, accepta Malleolo retulit; ita expensa Chrysogono, quasi ea Malleolus accepisset. ita se Verres H-S sexcentorum millium solutione liberabit: cum tamen ea non Chrysogono dedisset, sed sibi retineret. Aut igitur sic explanandum, aut hic legendum, Cum expensa retulisse. H-S QVINQVE *millia soluta non sunt.*} si H-S sexcenta millia perierant, saltem, quod ex decies

Y 5 reli-

reliquum erat, id est quadringenta millia, (sic enim, vt ratio quadret, legendum videtur) solui oportuit. at ne id quidem reliquum solutũ est. Hæc est omnino huius loci sententia: quid alij senserint, omitto. HOMINES} artifices, & circumpedes illi, ex familia Malleoli, quos suos esse, à seq; emptos dixerat. PECVLIA *omnium vicarijque retinentur.*} quod eorum seruorum labore, & industria lucri fit, (id esse Peculiũ, ostendit Festus) ab eo retinentur. retinentur & vicarij, id est, eorum seruorum serui: quæ pars eorum peculij fuit. EN, CVI *tuos liberos committas: en memoria mortui sodalis: en metus viuorum existimationis.*} post narrationem indignatio. vt lib. V: En, quod Tyndaritani libenter prædicent. Et pro Sextio: En, cur ceteri reges stabilem esse suam fortunam arbitrentur: cum, hoc illius funesti anni perdito exemplo videant, per tribunum aliquem, & sexcentas operas se fortunis spoliari, & regno omni posse nudari. ASIA} Cilicia: vt supra docui. MILYADVM} ciuitas Pamphyliæ Milyas fuit. LYCIAM, *Pamphyliam, Pisidiam, Phrygiamque totam*} Ciliciensis prouinciæ partes. IMPERANDO, *æstimando*} primum frumentum imperabat, deinde frumento pecuniam exigebat, æstimatione iniquissima, eadem, qua postea vsus est in Sicilia. TRICIES} scutatorũ nonaginta millia. PER ISTVM *tamen omnia gerebantur.*} ergo non sine istius lucro. IN VNO *nomine*:} in rebus imperatis, neque sumptis, sed æstimatis. HOMO *adolescens*} qui, cupiditate adductus, nihil prætermitteret, quod valere ad reum cõdemnandũ existimaret. IN *inquirendo*} dum in Dolabellam inquirit. EIVS *rerum gestarum*} rerum à Verre com missarum. Res gestas appellat, per ironiam extollens. ISTI *ostendit;*} vt eum, metu pœnæ deterritum, haberet, sicut habuit, in potestate ac ditione sua. NON AVDET *referre.*} ne quid à Dolabella præsente reprehenderetur. supra: Rationes ad ærarium, nisi damnato te, referre noluit. QVAESTORIAM *rationem*} pecuniæ tunc administratæ, cum Carbonis quæstor esset. TRIBVS *versiculis*} paucissimis verbis. supra. PRAETVRAE:} Siciliensis. QVAESTOREM} Syracusanum: is enim potius,

tius,quam Lilybætanus, qui longius à quæstore aberat, rationes cum Verre tractauit. quamquã & Lilybætanus administratæ à se pecuniæ rationes referebat.itaque supra dixit Cicero, qui Lilybætanus quæstor fuerat: Hoc est rationes referre?hoc modo aut ego, aut tu, Hortensi, aut quisquã hominũ retulit? Quare,si, Quęstorẽ,legim⁹: quod probant illa verba: Perinde quasi non, vt quæstor sine prætore posset referre, eodem modo sine quæstore prætor: malim,vt dixi,de Syracusano accipere.sin,Quæstores:quamquam neque ex antiquis libris, neq; ex sententia mutationis caussam habeo: de vtroque intelligamus. DOLABELLAM } cum è Cilicia Romam rediisset. OMEN } quasi ominaretur Verres,cum idem peteret, ꝙ Dolabella impetrauerat, fore, vt idẽ quoque sibi, quod illi còntigerat,in iudicio repetundarum,eueniret. damnatus enim erat crimine repetundarum Dolabella. CAVSSA, } quam offerebat Verres,quod serius rationes referret:quia scilicet quæstorem exspectaret: quod Dolabella quoque impetrasset. caussa senatui non placuit,omen placuit:ideo, ꝓpter omen,caussam probauit, id est petenti Verri veniam dedit. QVAESTORIAEQ_ } cum Dolabellæ proquæstor fuisti. NECESSARIO } quia patebant furta: quæ tamen ad sordidissimam potius legationem, quæstoriamque procurationem tuam pertinebant. VERRI *acceptum retulit,* } scripsit in suis tabulis,à Verre se accepisse. ILLI *acceptum tulerit,* } illi se dedisse scripserit. H-S QVINGENTA *triginta quinque millia:* } scutatorum sedecim millia,quinquaginta. H-S DVCENTA *triginta duo millia:* } sex millia, nongentos, sexaginta scutatos. H-S DECIES, *&* *octingenta millia:* } scutatorum quinquaginta quattuor millia. HOMO *castissimus* } purus ab omni scelere:cuius tabulis,ob vitam innocenter actam,habenda fides est. PECVNIAE } tuæ,quarum originem non reperimus: ducem enim, quem sequamur,non habemus:inuestigamus tamen eas,& quęrimus,si non omnes,ex aliqua tamen particula. REDVNDARVNT: } quod enim relatum tibi acceptũ minus est in tabulis Dolabellæ,aut ꝙ plus tibi expensum, q̃ in tuis,id

totum

totum furtum tuum est, inde redundant illæ pecuniæ extraordinariæ:quas vnde habeas,non constat ex tabulis tuis:cum tamen eas tractent Q.& Cn.Postumi Curtij. POSTVMIIS} soli Curtij infra nominantur: itaque lego,Postumi:vt sint duo Curtij,vtroque Postumi cognomine.Infra: Cum tot tibi nominibus acceptū Curtij referrent.MVLTIS *nominibus,*}in tabulis Curtiorū nomina multa sunt,quibus illi pecunias tibi acceptas referunt:at eorum nominum in tuis tabulis nullum est: patere enim noluisti, vnde ea pecunia ad te venerit. H-S QVATER *decies*} scutatorū cētum viginti millia. Hic ego suspicor de mēdo. nā vnico verbo veteres dicebant, vicies,tricies,quadragies,pro,bis decies,ter decies,quater decies.in Asconio legitur, XIV.quod fortasse valet, decies quater centena millia,multo minore summa,quam superiore.sunt enim scutatorum quadraginta duo millia.P.TADIO}ei fortasse,qui legatus eius fuerat.ASSIDVITATE,}officio assectationis.ALIA *porro pecunia,*} aliam dedit, vt prætor fieret,id est H-S octuaginta millia:aliā prætor factus,ne de ambitu accusaretur,H-S trecēta millia.lib. IV. EXTRAORDINARIA *pecunia*} nisi fallor, Etraordinariæ pecuniæ, postulat sententia. SARTORVM *tectorum exigendorum*,}quæ cura pertinuit ad censores:sed cum, Verre prætore, censores nulli essent,neque adeo per aliquot annos fuissent,ei muneri prætor vrbanus Verres extra ordinem præfuit.AVSPICATO}facete.nam auspicia auibus fiebant. Chelidon autem Verris amica fuit: cuius ex nomine iocus nascitur.SVRREXISSET,}è lectulo, vbi cum Chelidone iacuerat. egregium auspicium designati prætoris.ideo sortem nactus est vrbanæ prouinciæ:non vt quæreret de criminibus: quod alijs prætoribus contigit:sed vt esset prætor vrbanus, in qua prouincia furari plurimum posset.ideo subiungit Cicero: Magis ex sua, & Chelidonis, quam ex populi Romani voluntate.NACTVS *est*} ex animi sui sententia,cum vrbana prouincia quęstuosa in primis esset.

ORA-

ORATIO.

P. ANNIVS *Asellus mortuus est, C. Sacerdote praetore. is cũ haberet vnicam filiam, neque census esset; quod eum natura hortabatur, lex nulla prohibebat, fecit, vt filiam bonis suis heredem institueret. heres erat filia: faciebant omnia cum pupilla, legis aequitas, volũtas patris, edicta praetorum, consuetudo iuris eius, quod erat tum, cum Asellus est mortuus. iste, praetor designatus, (vtrum admonitus, an tentatus, an, qua est iste sagacitate in his rebus, sine duce vllo, sine indice peruenerit ad hanc improbitatem, ne scio: vos tantum hominis audaciam, amentiamque cognoscite) appellat heredem L. Annium, qui erat institutus secundum filiam. non enim mihi persuadetur, istum ab illo prius appellatum. dicit, se posse ei condonare edicto hereditatem: docet hominem, quid poßit fieri. illi bona res, huic vẽdibilis videbatur. iste tametsi singulari est audacia, tamen ad pupillae matrem summittebat; malebat pecuniã accipere, ne quid noui ediceret, quam vt hoc edictum tam improbum, & inhumanum interponeret. tutores, pecuniam praetori si pupillae nomine dedissent, grandem praesertim, quemadmodum in rationem inducerent, quemadmodum sine periculo suo dare possent, non videbant: simul & istum fore tam improbum non arbitrabantur. saepe appellati, pernegauerunt. iste ad arbitrium eius, cui condonarat hereditatem ereptam liberis, quam aequum edictum scripserit, quaeso, cognoscite.* CVM. INTELLIGAM. LEGEM. VOCONIAM. *quis vmquã crederet Verrẽ mulierũ aduersariũ futurum? an ideo aliquid contra mulieres fecit, ne totũ edictum ad Chelidonis arbitrium scriptum videretur? Cupiditati hominum ait se obuiam ire. quid potius non modo his temporibus, sed etiam apud maiores nostros? quis tam remotus fuit à cupiditate? Dic, quaeso, cetera: delectat enim me hominis grauitas, sciẽtia iuris, auctoritas.* QVI. AB A. POSTVMIO. Q. FVLVIO. CENSORIBVS. POSTVE. EA. FECIT. FECERIT. *Fecit, fecerit? quis vmquam edixit isto modo? quis vmquam eius rei fraudem, aut periculum proposuit edicto, quae neque post edictum, neque ante edictum prouiderĩ potuit? iure, legibus, auctoritate omnium, qui consulebantur, testamentum P. Annius fecerat, non inofficiosum, non inhumanũ. quod si ita fecisset, tamen post illius mortem nihil de testamento illius noui iuris constitui oporteret. Voconia lex te videlicet delectabat. imitatus esses illum ipsum C. Voconium, qui lege sua hereditatem*

ademit

ademit nulli neque virgini, neque mulieri: sanxit in posterū; qui post eos censores census esset, ne quis heredem virginem, ne ve mulierem faceret. in lege Voconia non est, Fecit. fecerit: neque in vlla præteritum tempus reprehenditur, nisi eius rei quæ sua sponte scelerata, ac nefaria est; vt, etiamsi lex non esset, magnopere vitanda fuerit. atque in his rebus multa videmus ita sancta esse legibus, vt ante facta in iudiciū nō vocentur. Cornelia, testamentaria, nummaria, ceteræ cōplures, in quibus non ius aliquod nouū populo cōstituitur, sed sancitur, vt, quod semper malū facinus fuerit, eius quæstio ad populū pertineat ex certo tempore. de iure vero si quis noui quid instituit, omnia, quæ ante acta sunt, rata esse patitur? cedo mihi leges Atinias, Furias, ipsam, vt dixi, Voconiam, omnes præterea de iure ciuili: hoc reperies in omnibus statui ius, quo post eam legem populus vtatur. qui plurimum tribuunt edicto, prætoris edictum legem annuam dicunt esse. tu edicto plus complecteris, quam lege. si finem edicto prætoris afferunt kalendæ Ianuarij, cur nō initiū quoque edicti nascitur à kalendis Ianuarij.? an in eū annum progredi nemo poterit edicto, quo prætor alius futurus est: in illum, quo alius prætor fuit, regredietur? ac si hoc iuris non vnius caussa hominis edixisses, cautius composuisses. scribis, Si quis heredem fecit, fecerit. quid, si plus legarit, quam ad heredem, heredes ve perueniat, quod per legem Voconiam ei, qui census sit, licet? cur hoc, cum in eodem genere sit, non caues? quia non generis, sed hominis caussam verbis amplecteris: vt facile appareat, te pretio esse commotum. atque hoc si in posterum edixisses, minus esset nefarium, tamen esset improbum: sed tum vituperari posset, in dubium venire non posset: nemo enim committeret: nunc est eiusmodi dictum, vt quiuis intelligat, non populo esse scriptum. sed P. Annij secundis heredibus. itaque, cum à te caput illud tam multis verbis mercenario proœmio esset ornatum, ecquis est inuentus postea prætor, qui illud idem ediceret? non modo nemo edixit, sed ne metuit quidem quisquam, ne quis ediceret. nam post te prætorem multi testamenta eodē modo fecerunt: in his nuper Annia. ea de multorum propinquorum sententia, pecuniosa mulier, quod censa non erat, testamento fecit heredem filiam. itaque hoc magnum iudicium hominum de istius singulari improbitate, quod Verres sua sponte instituisset, id neminem metuisse, ne quis reperiretur, qui istius institutum sequi vellet. solus enim tu inuentus es, cui non satis fue-

tis fuerit corrigere voluntates viuorum, nisi etiã rescinderes mortuorum. tu ipse ex Siciliensi edicto hoc sustulisti: voluisti, ex improuisosi quæ res natæ essent, ex vrbano edicto decernere. quã postea tu tibi defensionem relinquebas, in ea maxime offendisti, cum tuã auctoritatem tute ipse edicto prouinciali repudiabas. atque ego nõ dubito, quin vt mihi, cui filia maxime cordi est, res hæc acerba videatur, atque indigna, sic vnicuique vestrum, qui simili sensu, atque indulgentia filiarum cõmouemini. quid enim natura nobis iucundius, quid carius esse voluit? quid est dignius, in quo omnis nostra diligentia, indulgentiaque consumatur? homo importunissime cur tantam iniuriam P. Annio mortuo fecisti? cur hunc dolorem cineri eius, atque ossibus inussisti, vt liberis eius bona patria, voluntate patris, iure, legibus tradita, eriperes, & , cui tibi esset commodum, condonares? quibuscum viui bona nostra partimur, ijs prætor adimere nobis mortuis bona, fortunasq́; poterit? Nec petitionem, inquit, nec possessionem dabo. Eripies igitur pupillæ togam prætextam? detrahes ornamenta non solum fortunæ, sed etiam ingenuitatis? miramur, ad arma contra istũ hominẽ Lampsacenos isse? miramur, istũ, de prouincia decedentẽ, clam Syracusis profugisse? nos si alienã vicẽ pro nostra iniuria doleremus, vestigiũ istius in foro esset relictũ? Pater dat filiæ: prohibes. leges sinunt: tamen te interponis. de suis bonis ita dat, vt ab iure non abeat: quid habes, quod reprehendas? nihil, opinor. at ego concedo: prohibe, si potes; si habes, qui te audiat, si potest tibi dicto audiens esse quisquã. eripias tu voluntatẽ mortuis? bona viuis? ius omnibus? hoc populus R. non manu vindicasset, nisi te huic tẽpori, atq; huic iudicio reseruasset? postea quã ius prætoriũ constitutum est, semper hoc iure vsi sumus, si tabulæ testamenti non proferrentur, tũ, vti proximũ quemque potissimum heredẽ esse oporteret, ita secundũ eũ possessio daretur. quare hoc sit æquissimum, facile est docere: sed in re tam vsitata, satis est ostendere, omnes antea ius ita dixisse, & hoc vetus edictum, translaticiumq́; esse. cognoscite aliud hominis in re vetere edictũ nouũ: & simul, dum est vnde ius ciuile discatur, adolescentes ei in disciplinam tradite. mirum est hominis ingenium, mira prudentia.

EXPLANATIO.

IN EDICTO *constituendo*.} prætor vrbanus initio magistratus edictũ, ꝙ in annua iurisdictiõe seruaret, cõponere solebat, ideoq́; C. Corneli⁹ tribun⁹ pl. legẽ tulit vt præ

vt prætores ex edictis suis perpetuis ius dicerent, & decernerent. C. SACERDOTE } qui prætor fuerat vrbanus ante Verrem. Liciniæ gentis fuit, vt ex oratione pro Cluentio cognoscitur. NEQVE *census esset*, } vel quia, cũ censores, qui ante aliquot annos fuerant, ciuitatẽ censerẽt, rem non habuisset; vel quia tum Romæ non fuisset. quã ob caussam heredem instituere filiam potuit. nam, si cẽsus esset, per legem Voconiam non potuisset. ADMONITVS, } ab improbo homine, qui Verris ingenium nosset. TENTATVS, } lucri caussa, ab aliquo, qui sibi hoc initio aditum ad alia lucra vellet patefacere. APPELLAT } alloquitur hac de re. EDICTO } quod nondum de sua iurisdictione composuerat, cũ adhuc designatus prætor esset. IMPROBVM, *& inhumanum* } improbum, contra leges; inhumanum, cõtra parentum voluntatem, ipsamque naturam, quæ liberos nobis ita cõmendat, vt carius esse nihil velit. IN RATIONEM *inducerent*, } in tabulis rationum scriberent. Eodem verbo vsus est ad Appiũ: In eo me non perseuerasse, testes sunt rationes ciuitatũ: in quibus quantum quæq; voluit legatis tuis datum, induxit. AD ARBITRIVM *eius*, } P. Annij, secundi heredis. LEGEM *Voconiam*. } subaudi, heredem ab eo filiã institui nolle, qui consul non sit. hæc enim legis Voconię sentẽtia fuit. qua ratione ad excludẽdã Anniã paterna hereditate vsus est Verres. Hanc legem, & Furiam, quæ nõ permittebant ciuib⁹ legare quidq̃d vellent, abrogauit Falcidia lex tribunicia, auctore in Dione Augusto. Voconia nominatur & lib II. de Fin. in Catone, pro Balbo. CVPIDITATI *hominum ait se obuiam ire*. } ita Verres in edicto scripserat. CENSORIBVS } censuram gesserant ante annos centũ. Voconius legem tulit quinquennio post, Philippo, & Cæpione cos. vt in Catone. POSTVE *eą*, } antique, pro, Postea ve dicebant etiam, Post illa. FECIT, *fecerit* } heredem filiam. sic enim scripsisse Verrem puto. idq́, confirmatur infra, in eo: Scribis, si quis heredẽ fecit, fecerit. QVAE *neq; post edictũ*, } quo modo. n. ꝙ factum est ante edictum id post edictum prouideri potuit? quo modo autem ante edictum: cum edicti, nõdum fa-

cti,occulta sententia esset? CORNELIA,} L. Sullæ. TESTAMENTARIA,} de ratione condendi testamenti. NVMMARIA,} de nummis adulterinis. vtraque Cornelia est. FVRIAS,} Furiam, dixi iam, Voconię similem fuisse. DE IVRE *vero ciuili*} de eo, quod antea sancitum, ad ciues pertinet, diuersum à iure prætorio, quod à prætoris voluntate pendet. RATA *esse non patietur?*} ita legisse videtur Asconius, & recte. SI PLVS *legarit*, } si, quod alijs legetur, plus sit, quam ad heredem, heredesve perueniat. QVI CENSVS *sit*,} qui census non est, filiam heredem potest instituere: qui est, non potest, nisi si plus legarit, quam heredi relinquat. HOMINIS} L. Annij, secundi heredis. Hoc, quod in vrbano scripseras de mulierum hereditatibus. QVAM *postea tu tibi defensionem relinquebas*,} vt opinor, hoc dicit. Si quid in Sicilia de mulierũ hereditatibus decreuisses, eius decreti defensionẽ hanc tibi reliqueras, quod in edicto tuo vrbano ita scriptum esset. in quo non animaduertebas, edicti vrbani auctoritatem imminutam à te esse prouinciali edicto, in quod transferre caput illud noluisti, quia tibi ipsi iniquum esse videretur. *Relinquebas:* quasi aliam non haberes. quod enim iure, & æquitate defendere non posses, id vrbani tamen edicti auctoritate tueri cogitabas. QVI *simili sensu, atque indulgentia filiarum commouemini.*} vsus est infra eodẽ commiserationis loco. Habemus, inquit, liberos paruos, incertum est, quam longa nostrorum cuiusq; vita futura sit. consulere viui ac prospicere debemus, vt illorum solitudo, & pueritia quam firmissimo præsidio munita sit. CVI TIBI *esset commodum*,} cui tu velles. de hoc loquendi genere supra diximus. PARTIMVR,} re enim nostra nobiscum simul liberi fruuntur: multo magis debẽt, cum mortui sumus. at id per Verrem non licuit. PETITIONEM,} petendi facultatẽ. DABO.} in edicto Verris ita scriptum erat: Si quis heredem fecit, fecerit filiam: nec petitionem, nec possessionem dabo. TOGAM *prætextam*?} feminæ ante quam nuberent, mares ante annũ XVII. toga prætexta vtebantur. ORNAMENTA} quid, si hoc ad bullam referatur? quæ appendebatur in collo

infantibus, ingenuis aurea, libertinis scortea. de bulla vt accipiam, facit illud infrà: Neque te tam commouebat, quod ille cum toga prętexta, quam quod sine bulla venerat. vestitus enim neminem commouebat is, quem illi mos, & ius ingenuitatis dabat. quod ornamentum pueritiæ pater dederat, indicium, atque insigne fortunę, hoc ab isto prædone ereptũ esse, grauiter & acerbe homines ferebant. A T EG O *concedo:*} sed alij non concedunt. nemo est enim, qui te audiat: nemo, qui tibi dicto audiens esse velit. I T A S E C V N D V M *eum possessio daretur.*} æque ei possessio daretur, si tabulæ testamenti non proferentur, ac si is intestato mortuus esset. T R A N S L A T I C I V M Q V E} quod in alia, quæ deinceps fiunt, edicta transfertur.

O R A T I O.

M INVCIVS *quidam mortuus est, ante istum prætorem. eius testamentum erat nullum: lege hereditas ad gentem Minuciam veniebat. si habuisset iste edictum, quod ante istum, & postea omnes habuerunt, possessio Minuciæ genti esset data. si quis testamento se hæredem esse arbitraretur, quod tum non exstaret, lege ageret in hereditatem, aut, pro præde vindiciarum cum satis accepisset, sponsionem faceret. ita de hereditate certaret. hoc opinor iure & maiores nostri, & nos semper vsi sumus. videte, vt hoc iste correxerit. componit edictum ijs verbis, vt quiuis intelligere possit, vnius hominis caussa conscriptum esse: tantum quod hominem non nominat: caussam quidem totam perscribit: ius, consuetudinem, æquitatem, edictum omnium negligit.* EX. EDICTO. VRBANO. SI. DE. HEREDITATE. AMBIGITVR. SI. POSSESSOR. SPONSIONEM. NON. FACIET. *iam quid id ad prætorem, vter possessor sit? non ne id quæri oportet, vtrum possessorem esse oporteat? ergo, quia possessor est, non moues possessione: si possessor non esset, non dares: nusquam enim scribis, neq; tu aliud quidquã edicto amplecteris, nisi tam caussam, pro qua pecuniam acceperas. Iam hoc ridiculum est.* SI. DE. HEREDITATE. AMBIGITVR. ET. TABVLAE. TESTAMENTI. OBSIGNATAE. NON. MINVS. MVLTIS. SIGNIS. QVAM. E. LEGE. OPORTEAT. AD. ME. PRO-

PROFERENTVR. SECVNDVM. TABVLAS. TESTAMENTI. POTISSIMVM. HEREDITATEM. DABO. *Hoc translaticium est. sequi illud oportet: si tabulæ testamenti non proferētur. quid ait? se ei daturum, qui se dicat heredem esse. quid ergo interest, proferantur, nec ne? si protulerit, uno signo ut sit minus, quam ex lege oportet: non des possessionem: si omnino tabulas non proferet, dabis. quid nunc dicam? neminem umquam postea alium edixisse? valde sit mirum, neminem fuisse, qui istius se similem dici vellet. ipse in Siciliensi edicto hoc nō habet: exegerat enim iam mercedē. Item, ut illo edicto, de quo ante dixi, in Sicilia de hereditatū possessionibus dandis, edixit idē, quod omnes Romæ præter istum.* EX. EDICTO. SICILIENSI. SI. DE. HEREDITATE. AMBIGITVR. *At, per deos immortales, quid est, quod de hoc dici possit? iterū enim iam quæro abs te, sicut modo in illo capite Anniano, de mulierū hereditatibus, nunc in hoc de hereditatū possessionibus, cur ea capita in edictū prouinciale transferre nolueris? utrū digniores homines existimasti eos, qui habitabant in prouincia, quā nos, qui æquo iure uterentur: an aliud Romæ æquum est, aliud in Sicilia? non enim hoc potest hoc loco dici, multa esse in prouincijs aliter edicēda: non de hereditatū quidē possessionibus, non de mulierū hereditatibus: nam utroq; genere video non modo ceteros, sed te ipsū totidē verbis edixisse, quot verbis edici Romæ solet. q̄ Romæ magna cū infamia, pretio accepto, edixeras, ea sola te, ne gratis in prouincia male audires, ex edicto Siciliensi sustulisse video. Et cū edictū totum eorū arbitratu, quā diu fuit designatus, cōponeret, qui ab isto ius ad utilitatem suam nundinarentur: tū vero in magistratu cōtra illud edictū suum sine ulla religione decernebat. itaq; L. Piso multos codices impleuit earū rerum, in quibus ita intercessit, quod iste aliter, atq; ut edixerat, decreuisset. quod vos oblitos esse nō arbitror, quæ multitudo, qui ordo ad Pisonis sellā isto prætore solitus sit conuenire. quem iste collegā, nisi habuisset, lapidibus coopertus esset in foro. sed eo leuiores istius iniuriæ videbantur, quod erat in æquitate, prudentiaq; Pisonis paratissimum perfugiū, quo sine labore, sine molestia, sine impensa, etiā sine patrono homines uterētur. nam, quæso, redite in mememoriam, iudices, quæ libido istius in iure dicēdo fuerit, quæ varietas decretorum, quæ nundinatio, quam inanes domus eorum omnium, qui de iure ciuili consuli solent, quam plena, atque referta Chelidonis?*

à qua muliere cum erat ad eum ventum, et in aurem eius insusurratum, alias reuocabat eos, inter quos iam decreuerat, decretumq́; mutabat; alias inter alios contrarium, sine vlla religione, decernebat, ac proximis paullo ante decreuerat. hinc illi homines erant, qui etiam ridiculi inueniebantur ex dolore. quorum alij, vt audistis, negabant mirandum esse, ius tam nequam esse Verrinum: alij etiam frigidiores erant; sed, quia stomacchabantur, ridiculi videbantur esse, cum Sacerdotem execrabantur, qui Verrem tam nequam reliquisset. quæ ego non commemorarem, (neque enim perfacete dicta, neque porro hac seueritate digna sunt) nisi vos illud vellem recordari, istius nequitiam, & iniquitatem tum in ore vulgi, atq; in communibus prouerbijs esse versatam.

EXPLANATIO.

LEGE *ageret in hereditatem,* } bonorum possessionem à prætore peteret: aut, si non impetraret, sponsione facta, litigaret: sic tamẽ, vt possessor prius ei satisdaret, nihilo se deteriorem possessionem facturũ, dum litigaretur. Sponsionem facere dicebatur, qui certam pecuniã deponebat, quam, si caussa caderet, amitteret. Quod autem legitur, Pro præde, malim, Per prædes: vt legisse Pedianus etiam videtur: quia, Prædes qui sint, interpretatur. Dixit igitur, Per prædes litis vindiciarum, id est, per eos, qui pro lite vindiciarum satisdant. Lis autem vindiciarum, lis possessionis est. SI POSSESSOR, *sponsionem non faciet.* } si possessor est, non litigabit. quod sponsione fieri solebat. PRO QVA *pecuniam acceperas,* } contra Minuciam gentem: vt possideret is, qui occupauerat hereditatem, cum ad eum lege non veniret. TRANSLATICIVM *est.* } sumptum ex alijs edictis. ILLO *edicto,* } de mulierum hereditatibus. QVI AEQVO *iure vteremur:* } docti homines, & ingeniosi, Vterentur. placet. CONTRA *illud edictum* } inde lata lex à C. Cornelio tribuno pl. vt prætores ex edictis suis perpetuis ius dicerent. L. PISO } alter prætor, qui ius dicebat inter peregrinos. INTERCESSIT, } obstitit, eius decreta rescidit. QVOD VOS *oblitos esse non arbitror,* } pro, Sed vos oblitos non arbitror. non enim est, Quod, pro, quam rem. Eiusdem generis est illud libr. II: Quod ego nisi meo aduentu il-

lius

lius conatus aliquantulum repressissem; tam mulos huc euocare non potuissem. Et lib. IV: Quod vbi intellexi, multum apud illũ recentes nuncios, multũ tabulas non commẽdaticias, sed tributarias valuisse, admonitu ipsorum Syracusanorum, impetum in eas tabulas facio, in quibus singula præscripta erant. sic in ep. ad Terentiam: Quod vtinam minus vitæ cupidi fuissemus. Et pro Cœlio: Quod cum huius adolescentiam proposueritis; constituitote vobis ante oculos huius etiã miseri senectutẽ. A QVA *muliere*} non ab ipsa, sed eius nomine, ab ijs, quos illa mittebat. IVS TAM *nequam esse Verrinum*} ius enim ex Verrina carne non probatur. Iocatur in ambiguo & iuris, & Verris nomine. Miror hoc, vt frigide dictum, à Tacito condemnatum: quasi vero, vt salse dictum, à Cicerone referatur: cum subijciat: neque enim perfacre dicta. SACERDOTEM} cui Verres in Sicilia successerat. hic quoque iocus in Sacerdotis, & Verris nomine. nam à Sacerdote mactari sus solebat.

ORATIO.

IN plebem vero Romanam vtrum superbiam prius memorem, an crudelitatem? sine dubio crudelitas grauior est, atque atrocior. oblitos ne igitur hos putatis esse, quemadmodum sit iste solitus virgis plebem Romanam concidere? quam rem etiam tribunus pl. in concione egit, cum eum, quem virgis iste ceciderat, in prospectum populi R. produxit. cuius rei cognoscendæ faciam vobis suo tempore potestatem. Superbia vero qua fuerit, quis ignorat? quemadmodum is tenuissimum quemque contempserit, despexerit, liberum esse numquam duxerit. P. Trebonius viros bonos, & honestos complures fecit hæredes: in his fecit suum libertum. is A. Trebonium fratrem habuerat proscriptõ. ei cũ cautum vellet, scripsit, vt hæredes iurarent, se curaturos, vt ex sua cuiusque parte ne minus dimidium ad A. Trebonium fratrem illum proscriptum perueniret. libertus iurat: ceteri heredes adeunt ad Verrem: docent, non oportere se iurare facturos esse quod contra legem Corneliam esset, quæ proscriptum iuuari vetat: impetrant, vt ne iurent. dat his possessionem. id ego non reprehendo. etenim erat iniquum, homini proscripto, egenti, de fraternis bonis quidquam dari: & ille libertus, nisi ex testamento patroni iurasset, scelus se facturum ar-

bitrabatur. itaque ei Verres possessionem hereditatis negat se daturum, ne posset patronum suum proscriptum iuuare: simul, vt esset pœna, quod alterius patroni testamento obtemperasset. Das possessionem ei, qui non iurauit. concedo: prætorium est. adimis tu ei, qui iurauit? quo exemplo? proscriptum iuuat: lex est: pœna est. quid ad eum, qui ius dicit? vtrum reprehendis, quod patronum iuuabat eum, qui tum in miserijs erat: an, quod alterius patroni mortui voluntatem conseruabat, à quo summum beneficiũ acceperat? vtrum horum reprehendis? & hoc tum de sella vir optimus dixit, equiti R. tam locupleti libertinus sit homo heres? o modestum ordinem, quod illinc viuus surrexit. Possũ sexcenta decreta proferre, in quibus, vt ego pecuniam nõ dicam intercessisse, ipsa decretorum nouitas iniquitasq; declarat. verum, vt ex vno de ceteris coniecturam facere possitis, id quod priore actione cognostis, audite.

EXPLANATIO.

HOS} populum, qui aderat. VIRGIS *plebem Romanam conciderer*} contra veteres leges. CVIVS *rei*,} cuius in plebem Romanã crudelitatis. SVO *tempore*} cum de supplicijs agam. CONTEMPSERIT, *despexerit*,} plus est despicere, quam contemnere. sic enim auget hic Cicero superbiam Verris, vt Act. I. infamiam auget ordinis senatorij: quo loco dixit: Contemnimur, despicimur, graui, diuturnaque iam flagramus infamia. LIBERVM *esse numquam duxerit.*} cum tenuissimis numquam egit, vt cum liberis hominibus agi solet: seruorũ eos loco duxit. Infra: Quo denique ore, quos numquam liberos putauit, libertinos solitus sit appellare. Hinc illud ad Att. Agamemnonem liberum non putauit. BONOS} communi opinione: nam re vera nõ boni, qui iurare noluerint ex mortui voluntate, lucrum officio anteponentes. CORNELIAM} à Sulla latam, in eos, quos ipse victor proscripsit. ETENIM *erat iniquum*,} ironia. nam æquum in primis erat. ET ILLE *libertus*,} ex comparatione libertini hominis fit maior eorum vituperatio, quos viros bonos, & honestos appellauit. PATRONVM *suum proscriptum*} cum duobus fratribus, P. & A. Trebonijs seruisset, ab vtroque manumissus erat. QVID *ad eum, qui ius dicit?*} quod æquum est, id prætor debet

decer-

decernere, non de Cornelia lege cogitare: quæ pœnam irrogat nō ei, qui ius dicit, sed ei, qui proscriptum iuuat. SVMMVM *beneficium*} libertatem, & hereditatem. O MODESTVM *ordinem*,} libertinorum.

ORATIO.

C.SVLPICIVS *Olympius fuit. is mortuus est, C. Sacerdote prætore, nescio, an ante, quam Verres præturam petere cœperit, fecit heredem M. Octauiū Ligurem. Ligur hereditatē adijt, possedit, Sacerdote prætore sine vlla controuersia. postea quam Verres magistratum inijt, ex edicto istius, quod edictum Sacerdos non habuerat, Sulpicij patroni filia sextam partem hereditatis ab Ligure petere cœpit. Ligur non aderat. Lucius frater eius caussam agebat: aderant amici, propinqui. dicebat iste, nisi cū muliere decideretur, in possessionē se ire iussurum. L. Gellius caussam Liguris defendebat: docebat edictum eius non oportere, ad eas hereditates valere, quæ ante eum prætorē venissent: si hoc tum fuisset edictum, fortasse Ligurem hereditatem aditurum non fuisse. æqua postulatio, summa hominū auctoritas pretio superabatur. venit Romam Ligur: nō dubitabat, quin, si ipse Verrē conuenisset, æquitate caussæ, & auctoritate sua commouere hominē posset: domum ad eum venit: rem demōstrat: quam pridē sibi hereditas venisset, docet: quod facile in caussa æquissima homini ingenioso fuit: multa, quæ quemuis mouere possent, dixit: ad extremum petere cœpit, ne vsq; eo suam auctoritatem despiceret, gratiamq; contemneret, vt se tanta iniuria afficeret. homo Ligurem accusare cœpit, qui in re aduenticia, atque hereditaria tam diligens, tam attentus esset: debere eum aiebat suam quoque rationem ducere: multa sibi opus esse, multa canibus suis, quos circa se haberet. non possum illa planius cōmemorare, quam ipsum Ligurem pro testimonio dicere audistis. quid enim, Verres? vtrum ne his quidē testibus credetur, an hæc ad rem non pertinent? Nō M. Octauio? nō L. Liguri? quis nobis credet? cui nos? quid est, Verres, quod planum fieri testibus posit, si hoc non fit? an id, quod dicunt, leue est? nihil leuius, quam prætorem vrbanum hoc iuris in suo magistratu constituere, omnibus ijs, quibus hereditas venerit, coheredē prætorē esse oportere. An vero dubitamus, quo ore iste ceteros homines inferiore loco, auctoritate, ordine, quo ore hōes rusticanos, ex municipijs, quo deniq; ore, quos*

 num-

numquam liberos putauit, libertinos homines solitus sit appellare, qui, ob ius dicendũ M. Octauiũ Igurẽ, hominem ornatißimũ loco, ordine, nomine, virtute, ingenio, copijs, poscere pecuniam non dubitarit? In sartis tectis vero quemadmodum sese gesserit, quid ego dicam? dixerunt, qui senserunt, sunt alij, qui dicant. notæ res ac manifestæ prolatæ sunt, & proferuntur. dixit C. Fannius, eques R. frater germanus Q. Titinij, iudicis tui, tibi se pecuniã dedisse. recita testimoniũ C. Fannij. nolite C. Fãnio dicenti credere, noli, inquã, tu Q. Titini C. Fannio, fratri tuo, credere. dicit enim rẽ incredibilẽ: C. Verrem insimulat auaritiæ, & audaciæ: quæ vitia videntur in quemuis potius, quam in istum conuenire. dixit Q. Tadius, homo familiarißimus patris istius, nõ alienus à matris eius genere, et nomine: tabulas protulit, quibus pecuniam se dedisse ostendit. Recita nomina Q. Tadij. recita testimonium Q. Tadij. ne tabulis quidem Q. Tadij, nec testimonio credetur. quid igitur in iudicijs sequemur? quid est aliud, omnibus omnia peccata, & maleficia concedere, nisi hoc, hominum honestißimorum testimonijs, & virorum bonorum tabulis non credere? Nam, quid ego de quotidiano sermone, queremoniaque populi R. loquar? de istius impudentißimo furto, seu potius nouo, ac singulari latrocinio? ausum esse in æde Castoris, celeberrimo, clarißimoque monumento, quod templum in oculis, quotidianoque adspectu populi R. est positum, quo sæpenumero senatus conuocatur, quo maximarum rerum frequẽtißimæ quotidie aduocationes fiunt, in eo loco, in sermone hominum audaciæ suæ monumentum æternum relinquere.

EXPLANATIO.

C. SVLPICIVS *Olympius fuit.*} sic locutus in Diuin. Agonis est quædam Lilybætana. & sæpe in his libris. M. OCTAVIVM *Ligurem,*} senatorem. vt lib. II. QVOD *edictum*} quo edicti caput in edicto suo sacerdos non habuerat. PATRONI} eius, qui Olympum liberauerat. IRE *iussurum.*} Sulpicij patroni filiam. L. GELLIVS} qui biennio ante consul fuerat, & hoc anno censuram gessit. ADVENTICIA,} non exspectata, quæ non veniret à propinquo. HEREDITARIA} nullo labore parta. SVAM *quoque rationem ducere:*} de se quoque cogitare, cui multa opus essent. CANIBVS} quos ali oporteret, quandoquidem eorum opera multis in re-

bus

bus vteretur. Canes vocauit, quia circa se, vt canes circa dominum, essent assidue, & quia, tamquam canes, vbi præda prætoris esset, odorarentur. lib. III: Ista cohors quorum hominũ est? Volusij haruspicis, & Cornelij medici, & horum canum, quos meum tribunal lambere videtis. Et lib. IV: Mirandum in modum (canes venaticos diceres) vbi quidquid esset, aliqua ratione inuenirent. Lib. V: Non enim Charibdin tam infestam, neque Scyllam nautis, quam istum in eodem freto fuisse arbitror. hoc etiam iste infestior, quod multo se pluribus & maioribus canibus succinxerat. L. LIGVRI} M. Octauij fratri. NIHIL *leuius,*} ironia. nihil enim est, quod minus ferri possit. LOCO} dignitate. Act. 1 Cogita, qui sis, quo loco sis. ORDINE,} quod senator. NOMINE,} in ipso ordine clari nominis POSCERE *pecuniam*} cum dixit: Debere eum suam quoque rationem ducere: multa sibi opus esse, multa canibus suis, quos circa se haberet. QVI *senserunt:*} quorum interfuit: à quibus Verres contra omnia iura pecuniam expressit. FRATER *germanus Q. Titinij,*} quo modo? cum sint ex diuersa gente. adoptatũ necesse videtur credere in Titiniam gentem, qui frater germanus C. Fabij fuerat. QVID *est aliud,*} sic in Catone: Quid est aliud, gigantum more bellare cum dijs, nisi naturæ repugnare? IN OCVLIS,} erat enim in foro templum Castoris.

ORATIO.

AEDEM *Castoris, iudices, P. Iunius habuit tuendam, L. Sulla, Q. Metello cos. is mortuus est: reliquit pupillum paruum filium. cum L. Octauius, C. Aurelius cos. ædes a sacras locauissent, neque potuissent omnia sarta tecta exigere, neq; ij prætores, quibus erat negotium datum, C. Sacerdos, & M. Cæsius: factum est S. C. quibus de sartis tectis cognitum, & iudicatum non esset, vti C. Verres, P. Cœlius prætores cognoscerent, et iudicarent. qua potestate isti permissa, vt ex C. Fãnio, & ex Q. Tadio cognouistis, verumtamen, cum esset omnibus in rebus apertißime impudentißimeq; prædatus, hoc voluit clarißimum relinquere indiciũ latrociniorum suorum, de quo non audire aliquando, sed videre quotidie possemus: quæsiuit, quis ædem Castoris sartãtectam de-*

 beret

beret tradere. Iunium ipsum mortuũ esse sciebat: scire volebat, ad quem illa res pertineret. audit pupillum esse filium. homo, qui semper ita palam dictitasset, pupillos, & pupillas certissimam prædam esse prætoribus, optatum negotium sibi in sinum delatum esse dicebat. monumentum illa amplitudine, illo opere, quamuis sartum tectum, integrumq́; esset, tamen aliquid se inuẽturum, in quo moliri, prædariq́; posset, arbitrabatur. L. Rabonio ædẽ Castoris tradi oportebat. is casu pupilli Iunij tutor erat testamento patris, cum eo sine vllo intertrimẽto conuenerat iam, quemadmodum traderetur. iste ad se Raboniũ vocat: quærit, ecquid sit, quod à pupillo traditum nõ sit, quod exigi debeat. cum ille id, quod erat, diceret, facilem pupillo traditionẽ esse, signa, & dona; comparere omnia, ipsum templum omni opere esse integrum: indignum isti videri cœpit, ex tanta æde, tantoq́; opere se non opimũ præda, præsertim à pupillo, discedere. venit ipse in ædem Castoris: considerat templũ: videt vndiq; tectum, pulcherrime laqueatum, præterea cetera noua, atque integra: versat se: quærit, quid agat. dicit ei quidam ex illis canibus, quos iste Liguri dixerat esse circa se multos: Tu, Verres, hic quod molliare, nihil habes: nisi forte vis ad perpẽdiculum columnas exigere. homo omnium rerum imperitus quærit, quid sit, ad perpendiculum. dicunt ei, fere nullam esse columnam, quæ ad perpendiculum esse possit. iam mehercule, inquit, sic agamus: columnæ ad perpendiculum exigantur. Rabonius, qui legem nosset, qua in lege numerus tantum columnarum traditur, perpendiculi mentio fit nulla, & qui non putaret sibi expedire, ita accipere, eodem modo reddendum esset, negat, id sibi deberi, negat, oportere exigi. iste Rabonium quiescere iubet: & simul ei non nullam spem societatis ostendit. hominem modestum, & minimè pertinacem facile coercet: columnas ita se exacturũ esse confirmat. noua res, atque improuisa, pupilli calamitas nunciatur statim C. Mustio, vitrico pupilli, qui nuper est mortuus, M. Iunio, patruo, P. Potitio, tutori, homini frugalissimo. hi rem ad virum primariũ, summo officio, ac virtute præditum, M. Marcellum, qui erat pupilli tutor, deferunt. venit ad Verrẽ M. Marcellus: petit ab eo pro sua fide, ac diligentia pluribus verbis, ne per summam iniuriam pupillum Iunium fortunis patrijs conetur euertere. iste, qui iam spe, & opinione prædam illam deuorasset, neque vlla æquitate orationis, neque auctoritate M. Marcelli commotus est: itaque, quemadmodum ostendisset. se id exactu-

exacturum esse respondit. cum sibi omnes ad istum allegationes difficiles, omnes aditus arduos, ac potius interclusos viderent; apud quem non ius, non æquitas, non misericordia, non propinqui oratio, non amici voluntas, non cuiusquam auctoritas pro pretio, non gratia valeret: statuunt id sibi optimum esse factu, quod cuiuis venisset in mentem, petere auxilium à Chelidone: quæ, isto prætore, non modo in iure ciuili, priuatorumque omnium controuersijs populo R. præfuit, verum etiã in his sartis tectis dominata est. venit ad Chelidonem C. Mustius, eques R. publicanus, homo cum primis honestus: venit M. Iunius, patruus pueri, frugalissimus homo, & castissimus: venit homo summo honore, pudore, & summo officio, spectatissimus ordinis sui, P. Potitius tutor. O multis acerbam, o miseram, atq; indignam præturam tuam. vt mittam cetera, qua tandem pudore tales viros, quo dolore meretricis domum venisse arbitramini? qui nulla condictione istã turpitudinẽ subissent, nisi officij, necessitudinisq; ratio coegisset. Veniunt, vt dico, ad Chelidonem. domus erat plena: noua iura, noua decreta, noua iudicia petebantur: Mihi det possessionẽ, mihi ne adimat: in me iudiciũ ne det: mihi bona addicat: alij nũmos numerabãt: alij tabulas obsignabãt. domus erat nõ meretricio conuentu, sed prætoria turba referta. Simul ac potestas primũ data est, adeunt hi, quos dixi: loquitur Mustius: rem demonstrat: petit auxiliũ: pecuniã pollicetur. respõdet illa, vt meretrix, nõ inhumane: libenter, ait, se esse facturã, & se cũ isto diligenter sermocinaturã: reuerti iubet. tum discedunt postridie reuertuntur: negat illa posse hominẽ exorari, permagnã, eum dicere, ex ista re pecuniã cõfici posse. Vereor, ne quis forte de populo, qui priore actione non affuit, hæc, quia propter insignem turpitudinẽ sunt incredibilia, fingi à me arbitretur. ea vos antea, iudices, cognouistis, dixit iuratus P. Potitius, tutor pupilli Iunij: dixit M. Iunius, tutor, & patruus. Mustius dixisset, si viueret: sed pro Mustio, recenti re, de Mustio auditũ dixit L. Domitius: qui cũ sciret me ex Mustio viuo audisse, quod eo sum vsus plurimum, (etenim id iudicium, quod prope omniũ fortunarum suarum C. Mustius habuit, me vno defendente vicit) cum hoc, vt dico, sciret L. Domitius me scire, ad eum res omnes Mustium solitũ esse deferre; tamen de Chelidone reticuit, quoad potuit, alio responsionẽ suam deriuauit. tãtus in adolescente clarissimo, ac principe iuuentutis pudor fuit, vt aliquandiu, cũ à me premeretur, omnia responderet, quam Chelidonem nominaret.

primo

primo necessarios istius ad eum allegatos esse dicebat: deinde aliquando coactus Chelidonem nominauit. Non te pudet, Verres, eius mulieris arbitratu gessisse praeturam, quam L. Domitius, ab se nominari vix sibi honestum esse, arbitrabatur? Reiecti à Chelidone, capiunt consilium necessarium, vt suscipiant ipsi negocium. cum Rabonio tutore, quod erat vix H-S quadraginta millium, transigunt H-S ducentis millibus. refert ad istum rem Rabonius; vt sibi videbatur, satis grandem pecuniam, & satis impudentem esse. iste, qui aliquanto plus cogitasset, male accipit verbis Rabonium, negat eũ sibi illa decisione satisfacere posse. ne mult, alocaturum se esse confirmat. Tutores hæc nesciunt: quod actum erat cum Rabonio, putant id esse certissimum, nullam maiorem pupillo metuunt calamitatem. Iste vero non procrastinat: locare incipit, nõ proscripta, atq; edicta die, alienissimo tempore, ludis ipsis Romanis. foro ornato. itaque renunciat Rabonius illam decisionem tutoribus: accurrunt tamen ad tempus tutores: digitum tollit Iunius patruus. isti color immutatus est; vultus, oratio, mens denique excidit. quid ageret, cœpit cogitare: si opus pupillo redimeretur, si res abiret ab eo mancipe, quem ipse apposuisset, sibi nullam prædam esse. itaque excogitat: quid? nihil ingeniose, nihil quod quisquam possit dicere improbe, vel callide: nihil ab isto tectum, nihil veteratorium exspectaueritis: omnia aperta, omnia perspicua reperientur, impudentia, amẽtia, audacia. Si pupillo opus redimitur, mihi præda de manibus eripitur. quod est igitur remedium? quod? ne liceat pupillo redimere. Vbi illa consuetudo in bonis, prædibus, prædijsq; vendũdis, omnium consulum, censorum, prætorum, quæstorum deniq;? vt optima condicione sit is, cuia res sit, cuium periculum? excludit eum solũ, cui prope dicam soli potestatem factam esse oportebat. quid enim quisquam ad meam pecuniam me inuito adspirat? quid accedit? locatur opus id, quod ex mea pecunia reficiatur. ego me refecturum esse dico. probatio futura est tua, qui locas: prædibus, & prædijs populo cautum est. et, si non putas cautum, scilicet tu prætor in mea bona, quod voles, immittes? me ad meas fortunas defendendas accedere non sinas? operæpretium est ipsam legem cognoscere. dicetis eundẽ conscripsisse, qui illũd edictum de hereditate. EX OPERE. FACIVNDO. QVAE. P VPILLI. IVNII. *dic, dic, quæso clarius;* C. VERRES. PRAET. VRB. ADDIDIT. *corrigũtur leges censoriæ. quod enim video in multis veteribus legibus, Cn. Domitius,*

tius,L.Metellus,L.Caßius,Cn.Seruilius,censores addiderunt,vult aliquid eiusmodi C.Verres,dic,quid addidit. QVI. DE.L.MARCIO. M. PERPERNA. CENSORIBVS. REDEMERIT. EVM. SOCIVM. NE. ADMITTITO. NE. VE. EI. PARTEM. DATO. NE. VE. EI. REDIMITO. *Quid ita?ne vitiosum opus fieret? at erat probatio tua ne parum locuples esset? at erat, & esset amplius, si velles, populo cautum prædibus, & prædijs.hic te si res ipsa,si indignitas iniuriæ tuæ non commouebat,si pupilli calamitas, propinquorũ lacrymæ, D.Bruti,cuius prædia subierant periculũ, M. Marcelli tutoris auctoritas,apud te ponderis nihil habebat: ne illud quidem animaduertebas,eiusmodi fore hoc peccatum tuum,quod tu neque negare posses,(in tabulas enim retulisti)nec cum defensione aliqua confiteri? Addicitur id opus H-S DLX millibus,cum tutores H-S LXXX millibus id opus ad istius, hominis iniquißimi arbitrium, se effecturos esse,clamarent.etenim, quid erat operis?id,quod vos vidistis.omnes illæ columnæ,quas dealbatas videtis, machina apposita,nulla impensa deiectæ,eisdemq; lapidibus repositæ sunt.hoc tu H-S DLX millibus locauisti. atqui in illis columnis dico esse, quæ à tuo redemptore commotæ non sint:dico esse ex qua tantum tectorium vetus delitum sit,& nouum inductum.quod si tanta pecunia columnas dealbari putassem,certe numquam ædilitatem petiuissem. At vt videatur tamen res agi,& non eripi pupillo.* SI QVID. OPERIS. CAVSSA. RESCIDERIS. REFICIO. *Quid erat,quod rescinderet, cum suo quemque loco lapidem reponeret?* QVI. REDEMERIT. SATISDET. DAMNI. INFECTI. EI. QVI. A. VETERE. REDEMPTORE. ACCEPERIT. *Deridet, cum sibi ipsum iubet satisdare Raboniũ.* PECVNIA. PRAESENS. SOLVATVR. *Quibus de bonis? eius,qui quod tu H-S DLX millibus locasti,H-S LXXX. millibus effecturum esse clamauit. quibus de bonis? pupilli.cuius ætatem, & solitudinem, etiamsi tutores non essent, defendere prætor debuit: tutoribus defendentibus non modo patrias eius fortunas,sed etiam bona tutorum ademisti.* HOC. OPVS. BONO. SVO. QVOQVE. FACITO. *lapis aliquis credendus,& apportandus fuit machina sua? an, illo non saxum,non materies aduecta est: tantum operis sed in ista locatione fuit,quantum paucæ operæ fabrorum mercedis tulerunt,*

& ma-

& manupretij machinæ? vtrum existimatis, minus operis esse, vnam columnam efficere ab integro nouam, nullo lapide rediuiuo, an quattuor illas reponere? nemo dubitat, quin multo maius sit, nouam facere. ostendam, in ædibus priuatis, longa difficilique vectura, columnas singulas ad impluuium H-S XL millibus non minus magnas locatas. Sed ineptum est de tam perspicua istius impudentia pluribus verbis disputare, præsertim, cum iste aperte tota lege omnium sermonem, atque existimationem contempserit, qui etiam ad extremum conscripserit. REDIVIVA. SIBI. HABETO. *quasi quidquam rediuiui ex opere illo tolleretur, ac non totum opus ex rediuiuis constitueretur. At enim pupillo redimi non licebat, non necesse erat rem ad ipsum peruenire: poterat aliquis ad id negotiū de populo accedere. Omnes exclusi sunt, non minus aperte, quam pupillus. diem præstituit operi faciundo Kal. Dec. locat circiter Idus Sept. angustijs temporis excluduntur omnes. Quid ergo? Rabonius istam diem quomodo assequitur? nemo Rabonio molestus est, neque Kal. Dec. neque Nonis, neque Idibus. denique aliquanto in prouinciam iste proficiscitur prius, quam opus effectum est. postea quam reus factus est, primo negabat opus in acceptum referre posse. cum instaret Rabonius, in me caussam conferebat, quod tum codicem obsignassem. petit à me Rabonius, & amicos allegat: facile impetrat. iste, quid ageret, nesciebat. si in acceptum non retulisset, putabat se aliquid defensionis habiturum: Rabonium porro intelligebat rem totam esse patefacturum. tametsi quid poterat esse apertius, quam nunc est, vt vno minus teste haberet Rabonio? opus in acceptum retulit quadriennio post, quam diem operi dixerat. hac conditione, si quis de populo redemptor accessisset, cum die ceteros redemptores exclusisset, tum in eius arbitrium ac potestatem venire nolebat, qui sibi ereptam prædam arbitraretur. nam quid argumentamur, quo ista pecunia peruenerit? fecit iste iudicium primum cum vehementius cum eo D. Brutus contenderet, qui de sua pecunia H-S DLX millia numerauit; quod iam iste ferre non poterat, opere addicto, prædibus acceptis, de H-S DLX millibus remisit D. Bruto H-S CX millia. hoc, si aliena res esset, certe facere non potuisset. deinde nummi numerati sunt Cornificio: quem scribam suum fuisse, negare non potest. postremo ipsius Rabonij tabulæ, prædam illam istius fuisse clamant. Recita nomina Rabonij.*

EXPLA-

EXPLANATIO.

LOCAVISSENT,} tuendas, ac reficiendas, vt deinde, quibus essent locatæ, ab ijs sartæ tectæ exigerentur. VERVMTAMEN,} verumtamen dicā: quamquam ex Fannio, & Tadio cognouistis. sic locutus est lib. II: Africani est hoc, hominis liberalissimi, verumtamen: Ea liberalitas est probanda, &c. HOMO, *qui semper ita palam dictitasset,*} sic supra: Homo, vt hæc audiuit. Et Homo, qui semper hospitalissimus, amicissimusque nostrorum hominum existimatus esset. Et: Homo, qui & summa grauitate, & iam id ætatis esset. SINE VLLO *intertrimento*} sine vllo alterutrius partis damno. NAM *mehercule,*} sic ex antiquo libro, non, Iam hercule. idque probat consuetudo Latini sermonis. sic enim hic, Nam, vim habet affirmandi, non rationis reddendæ, vt lib. II: Nam hercule, inquit Minucius, me quoque Petillius, vt sibi in consilio adessem, rogauit. Et lib. III: Nam sperauerā, inquit arator, me ad denarios peruenturū. Terētius in Ad.

Leno sum, fateor, pernicies cōmunis adolescentium,
Periurus, pestis: tamen tibi à me nulla est orta iniuria.
AE. Nam hercule etiam id restat.

LEGEM} de sartis tectis. legem autem, id est pactionem censoriam. Lib. III: Eundemq; te memini censorias quoque leges in sartis tectis exigēdis tollere, commutare. lib. V: Qui agros publicos arant, certum est, quod ex lege censoria dare debeant. Hic autem infra lex appellatur, quam in locāda Castoris æde Verres prætor conscripsit. MODESTVM, *& minime pertinacem*} Raboniū carpit, vt auarum, & qui lucri cupiditate victus ab officio desciuerit. M. MARCELLVM,} iudicem in oratione pro Quinctio, C. Marcelli Aesernini, qui lib. IV. nominatur: vt in Bruto. PRO *sua fide,*} quia pupilli tutor erat. EXACTVRVM *esse*} ad perpendiculum. ALLEGATIONES} amicorum, aut hominum auctoritate præstantiū. supra: Quibus allegationibus illam sibi legationē expugnauit? infra: Primo necessarios isti⁹ ad eū allegatos esse dicebat. M. IVNIVS, *patruus pueri, frugalissimus homo,*} de plebe: vt infra: P. Iunij erat, hominis de plebe Romana fili⁹.

Fruga-

Frugalitas autem plebeiorum hominum propria laus: tametsi ad equestrem quoq; ordinem transfertur. nam de Potitio, quod sequitur, Homo summo honore, spectatissimus ordinis sui: certe dictum videtur de equite Romano potius, quam de homine, qui de plebe esset: quem tamen paucis ante versibus frugalissimũ hominem vocauit. PRAEFVIT} tamquam prætor vrbanus. Vsus est eo verbo, vnde prætor dictus est. CASTISSIMVS:} integerrimus. L. DOMITIVS:} Ahenobarbus: qui postea consul fuit cum Ap. Pulchro. PRINCIPE *iuuentutis*} laus, quæ tribui solet adolescentibus. sic M. Brutum principem iuuentutis appellat in ep. ad Appium. AD EVM} ad ipsum Verrem, qui agerent cũ eo de re transigenda. ALLEGATOS *esse dicebat*:} quod falsum erat: sed ita pudebat eum meretricem nominare, vt mentiri mallet. QVOD *erat vix* H.S XL *millium*,} hoc puto dici: totã impensam, in ædẽ Castoris à redemptore factã. vix H.S XL millium fuisse, id est, scutatorum MCC. H.S CC *millibus*.} scutatorum sex millibus. LOCATVRVM} alicui, qui redimeret ædem illam tuendã multo maiore pecunia, non modo quam H.S XL millium, sed etiam, quam ducentorum millium: vt impensam deinde illam pupillus, qui ædem tradere sartam tectam debebat, soluere cogeretur. Locauit autem, vt infra patet, H.S DLX millibus. RENVNCIAT} quod ipse cum tutoribus transegerat, id prætori non placere, ipsis tutoribus significat: ideoq; decisionem renunciat, id est, recusat, infectam esse vult. Act. I. Renunciata est tota conductio. DIGITVM *tollit*} sublato digito, vt mos erat, redimere se pupilli nomine significat. SI RES *abiret ab eo mancipe*,} nisi redemissetis, quem ipse apposuerat Lib. III. Et ei potestatem emendi non esse factam, ne res abiret ab Apronio. APPOSVISSET,} verbum callide agentis: vt supra: Calumniatores ex sinu suo apposuit, qui illam hereditatem Veneri Erycinæ commissam esse dicerent. Infra: Apponit, qui petat Veneri Erycinæ illam hereditatem. Et lib. V. Apponitur his tamen accusator. In ep. ad Marium: Licitatorem potius apponam, quam illud minoris veneat. IN BONIS

prædibus,

prædibus, prædijsque vendundis,} Hic ego nec Asconij sententiam probare, nec rursus ijs assentiri possum, qui, Bonis vendundis, operibus locandis accipiunt. nam bona pro operibus, vendere pro locare, vt accipi debeat, ratio nulla persuadet: nec vero, quæ sequuntur, ad eam significationem detorqueri possunt: nec illud, Cuia res sit, ad redemptorem pertinet. cur enim, vbi opus aliquod publicum locatur, optima condicione sit is, qui redimit? cũ is, qui locat, id tantum spectet, vt quamminimo locet, id est, vt quamminima pecunia possit, in operis refectionẽ de publico erogetur. quod si maiorẽ impensam redemptor fecerit, de suo fecit. Eam igitur hic esse mentem Ciceronis dicam, quam communis & vsitata verborũ significatio ostendit. Si cuius, inquit, bona vẽduntur, id est prædes, aut, prædia, pro eo, quod publice debeat: solet is in recuperatione suorum bonorum optima condicione esse: vt nemo minoris emat, quam ipse, qui suo periculo redemit, & cuius res est. Prædes autem, id est mancipia, aut aliquid, quod moueri loco posset, ita vendebantur vt prædia. itaque Phil. II. timere dicitur Antonius, ne L. Plancus prędes suos venderet. Non enim homines liberi vendebantur. Prædes igitur, & prædia bona sunt, quæ & satisdationibus obligatur, &, nisi promissum præstetur, à creditore vendũtur. CONSVLVM, *censorũ, prætorũ, quæstorum*} nominat eos magistratus, qui locare publica opera, & redemptorum bona, nisi sarta tecta opera reddidissent, vendere solebant. qua comparatione demonstrat, quam iniq; pupillus redemptione excludatur. CVIA RES *sit*} cuius res agitur, cuius bona vẽduntur. CVIVM *periculum?*} in redimendo. æquum est enim, cuius periculum fuit, maiorem eius, quam cuiusquam præterea, rationem haberi. EVM *solum,*} pupillum redemptione solum excludit. AD MEAM *pecuniam*} ex persona pupilli. nam, nisi redemptor alius, id est manceps à Verre appositus, ædem Castoris sartam tectam tradiderit, tantum soluere cogetur, quãti locatio fuerit. soluet autẽ à pupillo, qui opus absolutum nõ reddidit. IN MEA *bona, quos voles, immittes?*} cum enim locas, cui tu vis: ad meã pecu-

niam adſpiras,& in mea bona,quę tu vis, immittis.nam ſi quid operi deerit,ex mea pecunia reficiendũ erit. ACCEDERE *non ſinas?*} nam, ſi me redemptione excludis, defendi à me fortunas meas non ſinis: defenderẽ enim, ſi ipſe redimerẽ. DE HEREDITATE} mulierum. nã duo conſcripſerat edicta,vnum de hereditatibus mulierum,contra P. Annij filiam,alterum de hereditatũ poſſeſſionibus,contra gentem Minuciam. ADDIDIT}ad eam legem,qua locata fuerat P.Iunio ædes Caſtoris. Cn. DOMITIVS, *L. Metellus*, } cenſores anno vrbis DC XXXIIX. DE L.MARCIO,*M.Perperna cenſoribus*}hęc ſcribebat Verres contra pupillum Iunium:ne ſcilicet ad redemptionis ſocietatem admitteretur, ne pars ei daretur,ne ei opus ab alio redimeretur. Pupillũ non nominabat,ne correxiſſe legem eius cauſſa videretur: ſed generatim excludebat redemptionis ſocietate, & redemptione ipſa,quicumque poſt L.Marcium,& M.Perpernã redemiſſet.Accipio enim,De,pro,Poſt. nam ſi, De cenſoribus, accipias, pro, A cenſoribus: aduerſabitur hiſtoria. dictũ enim ſupra, P.Iunium ædẽ Caſtoris à Sulla & Metello cos. non à Marcio,Philippo cenſoribus, qui ante aliquot annos fuerant,tuẽdam accepiſſe. H-S LXXX *millibus*}duplo eius impenſæ,quam ſupra dixit in opere reficiundo requiri. DELITVM}pro, deletum. vt alibi. SATISDET *damni infecti*}ſatiſdatione caueat,nihil damni in opere futurum, nulla re deterius opus fore, quam vt acceperit. QVI *A vetere redemptore acceperit.*}vetus redẽptor quis eſt? pupillus. quis.ab eo qui acceperit? Rabonius:de quo dictum eſt ſupra: L.Rabonio ædem Caſtoris tradi oportebat. ergo tres perſonæ videntur eſſe,cum tamẽ duæ ſint,vetus redemptor pupillus, Rabonius, qui ab eo accipere, nouoq; redemptori tradere ædem Caſtoris debebat,nouus redemptor, manceps videlicet ille ab ipſo Verre appoſitus: quem Rabonium fuiſſe, ſatis plane Cicero demonſtrat, ſubijciens: Deridet; cum ſibi ipſum iubet ſatiſdare Rabonium. Et paullo poſt: Rabonius iſtam diem quo modo aſſequitur? Ergo, Qui redemerit,Rabonius eſt: Qui à vetere redẽptore acceperit, idem Rabonius.

Rabonius. CLAMAVIT.} plus est, quam, dixit: vt contendisse pupilli tutores, pro fide, officioque suo, constaret. Supra quoq;: Cum tutores H.S LXXX millibus id op⁹ ad istius, hominis nequissimi, arbitriũ, effecturos esse clamarent. BONO SVO *quoque*} bona quaque re, quæ ad opus attineat. MACHINA *sua?*} magis placeret sine interrogatione, vt cum ironia pronunciatũ, hoc modo: Lapis videlicet aliquis cædendus, & apportãdus fuit machina sua: an vero contra neq; saxũ, neque materies illo aduecta est, sed tantũ operis in ista tua locatiõe fuit, quãta merces fabrorũ ꝑ paucis operis: q̃ cũ fuerit exigua, multũ operis esse non potuit. merces. n. operi respondet. ET MANVPRETII *machinæ.*} subaudi, quantũ: vt sit: & quantũ manupretij machinæ tulerunt. COLVMNAS *singulas*} probat quod proposuit, multo maius esse, vnã columnã ab integro nouã facere, quã quattuor reponere. Et tamen, inquit, ostendam, singulas columnas, non minores, quã illas quattuor à tuo mancipe repositas, longa, difficiliq; vectura, locatas esse tantũ H.S XL millibus, at tu opus illud, in quo quattuor repositæ sunt, locasti H.S DLX millibus. TOTA *lege*} tota correctiõe legis. supra: Corriguntur leges censoriæ. REM *ad ipsum peruenire*} locationis vtilitatẽ ad Verrẽ peruenire: cur? quia poterat aliquis de populo ad redimẽdũ op⁹ accedere. Hęc ad Verris defensionẽ dicta fingũtur: q̃ refellit seq̃ntib⁹ verbis, Oẽs exclusi sũt. FACIVNDO} absoluẽdo. RABONIVS} mãceps à Verre apposit⁹. QVO MODO *assequitur?*} quo modo op⁹ absoluit ante Kal. Dec. ? q͂ asseq. ceteris nõ licebat. IN ACCEPTVM *referre posse.*} negauit se posse nomẽ illud, & pecuniã à Rabonio pro opere acceptã, in suas tabulas referre: ne suum furtum patefaceret. RABONIVS,} qui sibi cautum vellet de pecunia à pupillo accepta, Verrique numerata. ALIQVID *defensionum*} parum, sed aliquid tamen, in negando scilicet. QVADRIENNIO *post,*} cum reus esset. nam integrum quadriennium fuerat in Sicilia. HAC *condicione*} vt Kalendis Dec. opus absolutum redderetur. CVM DIE *ceteros exclusisset,*} præter Rabonium, qui sibi neminem illo die fore mo-

lectum sciebat . duabus caussis excluduntur omnes, vna, temporis angustijs, altera, quod in Verris arbitrium ac potestatem, qui, si quis de populo redemisset, ereptã sibi prædam arbitraretur, venire quisquã de populo nolebat. D. BRVTVS} cuius prædijs cautum erat populo. CONTENDERET,} de summa minuenda. DE SVA *pecunia* H-S DXL *millia numerauit*;} mendosus numerus. nam, si locatum opus est H-S DLX millibus, vt supra constat, remittuntur, autem Bruto H-S CX millia: relinquuntur, quæ Verri Brutus numeret, H-S CDL millia. nec dubitare licet, quin ita sit legendum: aut pro DLX millia, quibus locatũ est op⁹, reponendũ, DCXL. ita quadrabunt omnia. FERRE *non poterat*} interpretationem ab ipso Cicerone sumemus. dixit enim in re simili lib. II: Inuidiam se sustinere non posse tantam arbitrabatur. Propterea D. Bruto, ne rem sermonibus dissiparet, H-S CX millia remisit: cum opus tamen iam locasset Rabonio H-S DLX millibus, & à pupillo prædes accepisset. SCRIBAM *suũ*} scribæ, postremi ordinis, id est de plebe homines erant. inde ad equestrem ordinem, si à censoribus legerentur, aut in prouincia ab imperatore suo, tamquam bene de rep. meriti, anulo aureo donarentur, adscendebant. id ex ijs verbis, quæ sunt in Cluentiana, licet conijcere: Persuasi, vt scribam iurati legerent eum, quem ijdem isti censores ærarium reliquissent. Nã inter ærarios nec senatores, nec equites Romani, sed homines de plebe referebantur: vt Asconius, alijq́. docent.

ORATIO.

HIC etiam priore *actione Q. Hortensius pupillum Iunium venisse prætextatum in vestrum cõspectum, & testes secum, patruo testimonium dicente, questus est: & me populariter agere, atque inuidiam commouere, quod puerum producerem, clamitauit. Quid erat, Hortensi, tandem in illo puero populare? quid inuidiosum? Gracchi, credo, aut Saturnini, aut alicuius hominis eiusmodi produxeram filium, vt nomine ipso, & memoria patris animos imperitæ multitudinis concitarem. P. Iunij erat, hominis de plebe Romana, filius: quem pater moriens tum tutoribus, et propinquis, tũ legibus, tum æquitati magistratuũ, tum iudi-*

cijs

eijs vestris commendandum putauit. hic istius scelerata locatione nefarioque latrocinio, bonis patrijs fortunisque omnibus spoliatus, venit in iudicium, si nihil aliud, saltē vt eum, cuius opera ipse multos annos est in sordibus, paullo tamē obsoletius vestitum videret. itaque tibi, Hortensi, non illius ætas, sed caussa, nō vestitus, sed fortuna, popularis videbatur. neq; te tam commouebat, quod ille cum toga prætexta, quā quod sine bulla venerat: vestitus enim neminē commouebat is, quem illi mos, & ius ingenuitatis dabat: quod ornamentum pueritiæ pater dederat, indicium, atque insigne fortunæ, hoc ab isto prædone ereptum esse, grauiter & acerbe homines ferebant. neque erant hæ lacrymæ populares magis, quam nostræ, quam tuæ, Q. Hortensi, quam horum, qui sententiam laturi sunt. ideo, quod cōmuni præsidio talis improbitas, tamquam aliquod incendium, restinguenda est. habemus enim liberos paruos: incertū est, quam longa nostrum cuiusque vita futura sit: consulere viui ac prospicere debemus, vt illorum solitudo, & pueritia quamfirmißimo præsidio munita sit. quis est enim, qui tueri poßit liberū nostrorum pueritiam cōtra improbitatem magistratuum? mater, credo. scilicet, magno præsidio fuit Anniæ pupillæ mater, femina primaria: minus, illa deos hominesque implorante, iste infanti pupillæ fortunas patrias ademit? tutores ne defenderent? perfacile vero apud istiusmodi prætorem, à quo M. Marcelli tutoris in caussa pupilli Iunij & oratio, & voluntas, & auctoritas repudiata est. Quæremus etiam, quid iste in vltima Phrygia, quid in extremis Pamphyliæ partibus fecerit: qualis in bello prædonum prædo ipse fuerit; qui in foro populi R. pirata nefarius reperiatur? Dubitamus, quid iste in hostium præda molitus sit. qui manubias sibi tantas ex L. Metelli manubijs fecerit, qui maiore pecunia quattuor columnas dealbandas, quam ille omnes ædificandas, locauerit? Exspectemus, quid dicant ex Sicilia testes? quis vmquam templum illud adspexit, quin auaritiæ tuæ, quin iniuriæ, quin audaciæ testis esset? quis à signo Vertumni in Circum maximum venit, quin is in vnoquoque gradu de auaritia tua commoneretur? quam tu viam tensarum, atque pompæ eiusmodi exegisti, vt tu ipse illa ire non audeas. Te putet quisquam, cum ab Italia freto disiunctus esses, socijs temperasse, qui ædem Castoris testem furtorum tuorum esse volueris, quam populus R. quotidie, iudices etiam tum, cum de te sententiam ferrēt, viderent?

EXPLANATIO.

OBSOLETIVS} quam ipse est, qui multos annos est in sordibus. VESTITVM} reorum more. POPVLARIS} apta ad commouendam populi misericordiam. QVAM *quod sine bulla venerat.*} id tibi molestũ erat ob eam caussam, quia iudices, & populum, perspecta pueri inopia, contra Verrem incẽdi putabas. Bullam auream, dixi iã, à pueris ingenuis ante pectus, ornamenti gratia geri solitam. HAE *lacrymae?*} pupilli. MAGISTRATVVM?} Verres indicatur. IN VLTIMA *Phrygia,*} eius prouinciæ parte, in qua legatus Dolabellæ fuerat Verres. BELLO *praedonum*} quod in Sicilia gessit. MANVBIAS *sibi tantas*} prædam sibi tantam. DVBITAMVS, *quid iste in hostium praeda molitus sit,* } figura indignationis. qualis illa, quæ proxime antecedit: Quæremus etiam, quid iste in vltima Phrygia, quid in extremis Pamphyliæ partibus fecerit; qualis in bello prædonum prædo ipse fuerit; qui in foro populi Romani pirata nefarius reperiatur? Et ea, quæ sequitur paullo post: Te putet quisquã, cũ ab Italia freto disiunctus esses, socijs tẽperasse, qui ædem Castoris testem furtorum tuorum esse volueris. *Hostium*: piratarum naui capta. EX *L. Metelli manubijs*} ex æde Castoris; quam L. Metellus Dalmaticus, Macedonici filius, de manubijs refecit. QVIS *à signo Vertumni*} diuersum ab æde Castoris crimen. nam Verres ex ipsis tensarum orbitis, quæ sacra pompam à signo Vertumni ad Circum Maximum ludorum diebus ferebant, prædatus est. id adducor vt credam ex ijs verbis lib. III: Qui religiones deorum immortalium retinere, vult, ei, qui fana spoliarit omnia, qui ex tensarum orbitis prædari sit ausus, inimicus non esse qui potest? Quamquam non dubito, quin, Ex ipsis tẽsarum orbitis, nihil aliud significet, quam, ex ea via, qua tensarum orbitæ pompam ferunt à signo Vertumni ad Circum Maximum, vbi ludi fiunt, Circenses à loco dicti. sequitur enim: Quam tu viam tensarum atque pompæ eiusmodi exegisti, vt tu ipse illa ire non audeas. Planius etiam hoc fit in peroratione, in qua sunt hæc: Omnesque dij, qui vehiculis tensarum sollemnes

nes cœtus ludorum initis, quorum iter iste ad suum quæstum, non dignitate faciendum, exigendumque curauit. Eiusmodi *exegisti*,} sic exegisti à vicinis, qui eam tuo iussu muniuerant, vt tu ipse, auctor operis, per eam transire non audeas: ne vicinis de te loquendi locum des, recordantibus, quos tu quæstus feceris in ea via ab ipsis exigenda, quæ pro religionũ dignitate munita videbatur. In oratione pro Fonteio similiter ei obiectum esse constat, quæstum ab eo factũ esse ex munitione viarum. Animaduertendum, Eiusmodi, aduerbialiter esse positum pro, sic: quod & Asconiũ sensisse video. & in ea pro Cœlio perspicuum exstat huius generis exemplum, Est, inquit, eiusmodi cupidus, vt magis insectari alterius innocentiam, quam de se timide cogitare, videatur.

ORATIO.

Atque etiam iudicium in prætura publicum exercuit. non enim prætereundum est ne id quidem. petita multa est apud istum prætorem à Q. Opimio: qui adductus est in iudicium, verbo, quod, cum esset tribunus pl. intercessisset contra legem Corneliã; re, quod in tribunatu dixisset contra alicuius hominis nobilis voluntatẽ. de quo iudicio si velim dicere omnia, multi appellãdi, lædendique sunt: quod mihi non est necesse. tantum dicam, paucos homines, vt leuissime dicam, arrogantes hoc adiutore Q. Opimiũ per ludum & iocum fortunis omnibus euertisse. is mihi etiam queritur, quod à nobis IX *solis diebus prima actio sui iudicij transacta sit, cũ apud ipsum tribus horis Q. Opimius senator populi R. bona, fortunas, ornamenta omnia amiserit. cuius propter indignitatẽ iudicij, sæpissime est actũ in senatu, vt genus hoc totum multarum, ac iudiciorum eiusmodi tolleretur. Iam vero in bonis Q. Opimij vẽdendis quas iste prædas, quã aperte, quã improbe fecerit, longũ est dicere. hoc dico: nisi vobis id hominũ honestissimorũ tabulis planũ fecero, fingi à me hoc totũ tẽporis caussa putatote. Iam, qui ex calamitate senatoris populi R. cũ prætor iudicio ei⁹ præfuisset, spolia domũ suã referre, & manubias detrahere conatus sit; is vllã ab sese calamitatẽ poterit deprecari?*

EXPLANATIO.

Atque etiã} rei nouitatẽ hæc duo verba initio sẽtẽtiæ significãt. publica .n. iudicia ad p̃torem vrbanũ nõ attinebant: sed ei⁹ erat in priuatis caussis

iurisdictio. itaque iudicium illud extra ordinem Verres, iussu senatus, vt opinor, exercuit. VERBO,} alia igitur caussa fuit, cur accusaretur Opimius, atque hæc fortasse, quod hominem nobilem Q. Catulum in tribunatu læsisset. vt ad illud, Quod in tribunatu, subaudiatur, re vera. INTERCESSISSET *contra legem Corneliã*} non, ne ferretur, quæ lata iã erat ab ipso Sulla, sed, vt lex C. Cottæ tribuni pl. de restituenda tribunis pl. aliorum quoque capessendorum magistratuum potestate, quam Cornelia lex ademerat, ferretur. est igitur, Intercessisset contra legem Corneliam, opposuisset se legi Corneliæ, vt, ea abrogata, Aurelia C. Cottæ ferretur. HOMINIS *nobilis*} Q. Catuli. SI VELIM *dicere omnia,*} Q. Opimium iniuste damnatum à Verre significat, Sullanorum hominum gratia, & auctoritate. sequitur enim: Multi appellandi, lædendique sunt. PAVCOS *homines,*} Catulum, Curionem, Hortensium, Sullanis partibus. FORTVNIS *omnibus euertisse.*} ergo, petere multa, bonorũ omnium amissionem significat in iudicijs publicis, quod exẽplo quoq; C. Iunij cõdemnati in Cluentiana cognoscitur. ORNAMENTA} senatoria. amisso enim ex illa damnatione senatorio censu, ordinem retinere non poterat: vt nec eques Romanus esse quisquam sine equestri censu. EX CALAMITATE *senatoris populi Romani*} cuius misereri potius prætor debuit, ordinis coniunctione cõmotus.

ORATIO.

NAM de subsortitione illa Iuniana iudicũ nihil dico. quid enim? contra tabulas, quas tu protulisti, audeam dicere: difficile est: non enim me tua solum, & iudicum auctoritas, sed etiam anulus aureus scribæ tui deterret. nõ dicam id, quod probare difficile est: hoc dicam, quod ostendam; multos ex te viros primarios audisse, cum diceres, ignosci tibi oportere, quod falsum codicem protuleris: nam, qua inuidia C. Iunius conflagrarat, ea, nisi prouidisses, tibi ipsi tum pereundum fuisse. Hoc modo iste sibi, & saluti suæ prospicere didicit, referrendo in tabulas & priuatas, & publicas, quod gestum non esset, tollendo quod esset, & semper aliquid demendo, mutando, curando ne litura appareat, interpolando. eq enim vsque progreditur, vt ne defensionem quidem

dem maleficiorum suorum sine alijs maleficijs reperire posit. eiusdem modi subsortitionem homo amentissimus suorum quoque iudicum fore putauit per sodalem suum Q. Curtium, iudicem quæstionis: cui nisi ego, vi populi, & hominum clamore, atque conuicio restitissem, ex hac decuria nostra, cuius mihi copiam quamlargissime factam oportebat, erepta esset facultas bonorum, cum is annuerat: in suum consilium sine caussa subsortiebatur.

*

Desideratur quippiam.

EXPLANATIO.

NAM DE *subsortitione illa Iuniana iudicū nihil dico.*} Iudices, malo, quam, Iudicum. Iunius autem in caussa Oppianici, à Cluētio accusati, iudex quæstionis fuit: & cum Verres prætor iudices de more sortitus esset, facta reiectione, Iunius ipse, non, vt ait Asconius, Verres subsortitus est. nam & hic subsortitio Iuniana nominatur: & cum hoc loco congruit ille pro Cluentio: Multa à C. Iunio petita est, quod C. Verres, prætor vrbanus, homo sanctus, & diligens, subsortitionem eius in eo codice non haberet, qui tum interlitus proferebatur. Vt omittam, quod hic quoque subsortitio Q. Curtij, iudicis quæstionis, appellatur. Hic igitur Cicero significat, Verrem corrupisse tabulas suas, & sustulisse iudicum nomina, quæ scripserat antea è subsortitione Iuniana, alios autem iudices reposuisse: vt omnis ad Iunium pertinere culpa videretur: qui propterea, tamquam auctor corrupti iudicij, damnatus. DIFFICILE *est.*} ironia. IVDICVM} quos reposuerat. ANVLVS} quo tabulas corruptas obsignauerat. lib. III: Hinc ille anulus aureus, quo scribam tuum in concione donasti. Ibidem: Scriba tuus anulo aureo suo, quem ex his rebus inuenit, ista te ratione vti non sinet, Idem significat lib. II. cum ait: Et eos in concione anulis aureis donabas. QVOD *probare difficile est.*} tecum Iunio in illa corruptione consensisse. NISI *prouidisses,*} si subsortitionem eius in tuo codice reliquisses. INTERPOLANDO,} nouam formam, vetere sublata, reponendo. trāslatum

à fullonibus. EIVSDEM MODI} *ut* Q. Curtius in locum eorum iudicum, quos subsortitus erat, alios ex Verris voluntate supponeret, quemadmodũ suppositi fuerant in Oppianici iudicio. SVORVM *quoque iudicum*} qui de ipso sententiam laturi essent. IVDICEM *quæstionis*:} quæsitorem, id est prætorem, hunc non esse, qui Glabrionem quærere in Verris caussa recordabitur, facile intelliget. &, cum eum à se reiectum Cicero significat, nimirum de iudice loquitur, qui reijci poterat, non de quæsitore, qui non poterat. Etiam illud adiungo, quæsitorem iurare solitum non esse: at C. Iunium, iudicem quæstionis, ideo damnatum esse, quod in legem non iurasset, ostendit oratio, pro Cluentio. Similiter in oratione, pro Roscio Amerino, prætor est M. Fannius, & de parricidio quærit, qui antea iudex eidem quæstioni præfuerat. aliud igitur est, iudicem esse quæstionis; aliud, quæsitorem esse. nam quæsitor prætor est; iudex autem quæstionis modo non est prætor, vt hic, & pro Amerino, modo non est, vt in Cluentiana Q. Voconius. DECVRIA} iudicum. NOSTRA} senatorum, qui tum solii udicabant. postea, communicatis inter tres ordines Aurelia lege iudicijs, tres decuriæ iudicum fuerunt, Phil. I. EREPTA *esset facultas bonorum*,} bonorum iudicum: improbos enim supposuisset Q. Curtius. CVM IS *annuerat*:} siue sic, siue, vt alijs placet, Cum ijs, quos iste annuerat, legatur; imperfecta sententia videtur. atque etiam quem oratio finem desiderat, prorsus eum non agnosco.

IN.

IN. LIBRVM. II. ACTIONIS. II. CICERONIS. IN. VERREM.

QVI. DE. IVRISDICTIONE. INSCRIBITVR.

PAVLLI. MANVTII. COMMENTARIVS.

ARGVMENTVM.

TOTA *pratura Siciliēsis accusatio quattuor criminum genera complectitur: de iurisdictione: de frumento: de signis: de supplicijs: qua quattuor sequentibus distributa libris, argumento non indigent: nisi si quis singulas cuiusque partes, qua permulta sunt, eiusdem tamē generis omnes, hic velit exponere. quod hominis & otio, & litteris abutentis esse videretur. itaque explanationem aggrediemur, & eo quidem consilio, vt, in locis tantum difficilioribus immorantes, breuitatem, quantum licebit, more veterum interpretum sequamur.*

M. TVL.

M. TVLLII. CICERONIS. ACTIONIS. II. IN VERREM.

LIBER. II.

ORATIO. VII.

MVLTA mihi necessario, iudices, prætermittenda sunt, vt poßim aliquando de ijs rebus, quæ meæ fidei commissæ sunt, dicere. recepi enim caussam Siciliæ. ea me ad hoc negotium prouincia attraxit. ego tamen, hoc onere suscepto, & recepta caussa Siciliensi, amplexus animo sum aliquanto amplius. suscepi enim caussam totius ordinis: suscepi caußam populi R. quod putabam tum denique recte iudicari posse, si non modo reus improbus adduceretur, sed etiam diligens, & firmus accusator ad iudicium veniret. Quo mihi maturius ad Siciliæ caussam veniẽdum est, relictis ceteris eius furtis, ac flagitijs, vt & viribus quam integerrimis agere, & ad dicendũ temporis satis habere poßim. atque adeo, ante quã de incommodis Siciliæ dico, pauca mihi videntur esse de prouinciæ dignitate, vetustate, vtilitate dicenda. nam, cum omnium sociorũ prouinciarũq; rationẽ diligenter habere debetis: tum præcipue Siciliæ, iudices, plurimis, iustißimisque de caußis. primum: quod omnium nationum exterarum princeps Sicilia se ad amicitiam, fidemque populi R. applicuit: prima omnium, id quod ornamentum imperij est, prouincia est appellata: prima docuit maiores nostros, quã præclarum esset exteris gentibus imperare: sola fuit ea fide, beneuolentiaque erga populum R. vt ciuitates eius insulæ, quæ semel in amicitiam nostram venissent, numquam postea deficerent, pleræque autem, & maxime illustres in amicitia perpetuo manerent. itaque maioribus nostris in Africam ex hac prouincia gradus imperij factus est. neque enim tam facile opes Carthaginis tantæ concidissent, nisi illud & rei frumẽtariæ subsidium, & receptaculum claßibus nostris pateret. quare P. Africanus, Carthagine deleta, Siculorum vrbes signis, monumentisque pulcherrimis exornauit, vt, quos victoria populi R. maxime lætari arbitrabatur, apud eos monumenta victoriæ plurima collocaret. denique ille ipse M. Marcel-

cellus, cuius in Sicilia virtutem hostes, misericordiam victi, fidem ceteri Siculi perspexerunt, non solum socijs in eo bello consuluit, verum etiam superatis hostibus temperauit, vrbem pulcherrimã Syracusas, quæ cum manu munitissima esset, tum loci natura terra, ac mari claudebatur, cum vi consilioque cepisset, non solum incolumem passus est esse, sed ita reliquit ornatam, vt esset idem monumentum victoriæ, mansuetudinis, continentiæ, cum homines viderent, & quid expugnasset, & quibus pepercisset, & quæ reliquisset. tantum ille hominem Siciliæ habendum putauit, vt ne hostium quidem vrbem ex sociorum insula tollendam arbitraretur. itaque ad omnes res Sicilia prouincia semper vsi sumus: vt: quidquid ex sese posset efferre, id non apud eos nasci, sed domi nostræ conditum putaremus. Quando illa frumentum, quod deberet, non ad diem dedit? quando id, quod opus esse putaret, non vltro pollicita est? quando id, quod imperaretur, recusauit? itaque ille M. Cato sapiens cellam penariam reip. nostræ, nutricem plebis Romanæ Siciliam nominauit. nos vero experti sumus Italico maximo difficillimoque bello, Siciliam nobis non pro penaria cella, sed pro ærario illo maiorum vetere, ac referto fuisse. nam sine vllo sumptu nostro, corijs, tunicis, frumentoque suppeditato, maximos exercitus nostros vestiuit, aluit, armauit. Quid illa, quæ forsitan ne sentimus quidem, iudices, quanta sunt? quod multis locupletioribus ciuibus vtimur: quod habent propinquã, fidelẽ, fructuosamque, prouinciã, quo facile excurrant, vbi libenter negotiũ gerant: quos illa partim mercibus suppeditandis cum quæstu, compendioque dimittit, partim retinet, vt arare, vt pascere, vt negotiari libeat, vt denique sedes, ac domicilium collocare quod commodum non mediocre populi R. est, tantum ciuium R. numerum tam prope ab domo, tam bonis fructuosisque rebus detineri. Et, quoniam quasi quædam prædia populi R. sunt vectigalia nostra, atque prouinciæ, quẽadmodũ propinquis vos vestris prædijs maxime delectamini, sic populo R. iucunda suburbanitas est huiusce prouinciæ. Iam vero hominum ipsorum, iudices, ea patientia, virtus, frugalitasque est, vt proxime ad nostram disciplinam, illam veterem, non hanc, quæ nunc increbuit, videantur accedere. nihil ceterorum simile Græcorum, nulla desidia, nulla luxuria: contra summus labor in publicis, priuatisque rebus, summa parcimonia, summa diligentia. Sic porro nostros homines diligunt, vt his solis, neque publicanus, neque ne-

gotia

gotiator odio sit. Magistratuum autem nostrorum iniurias ita multorum tulerunt, vt numquam ante hoc tempus ad aram legum præsidiumq; vestrũ publico cõsilio confugerint. tametsi & illũ annum pertulerant, qui sic eos afflixerat, vt salui esse non possent, nisi C. Marcellus, quasi aliquo fato, venisset; vt bis ex eadem familia salus Siciliæ constitueretur. postquam M. Antonij infinitum imperium senserant. sic à maioribus suis acceperant, tanta populi R. in Siculos esse beneficia, vt etiam iniurias nostrorum hominum perferẽdas putarent. in neminem ciuitates ante hunc testimonium publice dixerunt. hunc denique ipsum pertulissent, si humano modo, si vsitato more, si denique vno aliquo in genere peccasset sed; cum perferre non possent luxuriem, crudelitatem, auaritiam, superbiam; cum omnia sua commoda, iura, beneficia senatus populusque R. vnius scelere, ac libidine perdidissent: hoc statuerunt, aut istius iniurias per vos vlcisci, & persequi, aut, si vobis indigni essent visi, quibus opem auxiliumque ferretis, vrbes, ac sedes suas relinquere, quandoquidem iam ante istius iniurijs exagitati reliquissent. hoc consilio à L. Metello legationes vniuersæ petiuerunt, vt quamprimũ isti succederet: hoc animo toties apud patronos de suis miserijs deplorarunt: hoc commoti dolore postulata consulibus quæ non postulata, sed in istum crimina viderentur esse, ediderũt: fecerunt etiam, vt me, cuius fidem, continentiamq; cognouerant, prope de vitæ statu dolore, ac lacrymis suis deducerent, vt ego istũ accusarem; à quo mea longißime ratio voluntasq; abhorrebat. quãquam in hac caussa multo plures partes mihi defensionis, quam accusationis, suscepisse videor. postremo homines ex tota prouincia nobilißimi, primiq́ue publice priuatimq́ue venerunt: grauißima, atque honestißima quæque ciuitas, vehementißime suas iniurias persecuta est. at quemadmodum, iudices, venerunt? videor enim mihi liberius apud vos iam pro Siculis loqui debere, quam forsitan ipsi velint. saluti enim eorum potius consulam, quam voluntati. Ecquem existimatis vmquam vlla in prouincia reum absentem, contra inquisitionem accusatoris, tantis opibus, tanta cupiditate esse defensum? quæstores vtriusque prouinciæ, qui isto prætore fuerant, cum fascibus mihi præsto fuerunt. hi porro, qui successerunt; vehementer istius cupidi, liberaliter ex istius cibarijs tractati, nõ minus acres contra me fuerunt. videte, quid potuerit, qui quattuor in prouincia quæstores studiosißimos defensores, propugnatoresq́ue habu-

habuerit, prætorem vero cohortemque totam sic studiosam, vt facile appareret. non tam illis Siciliam, quam inanem offenderant, quã Verrem ipsum, qui plenus decesserat, prouinciam fuisse. minari Siculis, si decressent legationem, quæ contra istum diceret: minari, si qui essent profecti: alijs, si laudarent, benignißime promittere: grauißimos priuatarum rerum testes, quibus nos præsentibus denunciauimus, eos vi custodijsq; retinere. quæ cum omnia facta sint, tamen vnam solam scitote esse ciuitatem Mamertinam, quæ publice legatos, qui istum laudarent, miserit. eius autem legationis principem ciuitatis nobilißimum C. Helum iuratũ dicere audistis, isti nauem onerariam maximam Messanæ esse publice coactis operis ædificatam. idemq; Mamertinorum legatus, istius laudator, non solum istum bona sua, verum etiam sacra, deosq; penates, à maioribus traditos, ex ædibus suis eripuisse dixit. Præclara laudatio, cum duabus in rebus legatorum vna opera consumitur, in laudando, atque repetendo, atque ea ipsa ciuitas, qua ratione illi amica sit, dicetur certo loco. reperietis enim, quæ caussæ beneuolẽtiæ sint Mamertinis erga istum, eas ipsas caussas satis iustas esse damnationis. alia ciuitas nulla, iudices, publico consilio laudat. vis illa summi imperij tantum potuit apud perpaucos homines, non ciuitates, vt aut leuißimi quidam ex miserrimis, desertißimisque opidis inuenirentur, qui iniussu populi, ac senatus proficiscerentur: aut ij, qui contra istum legatos decreuerant, & testimonium publicum, mandataque acceperant, vi ac metu retinerentur. quod ego in paucis tamen vsu venisse moleste fero. quo reliquæ tot, & tantæ, & tam graues ciuitates, tota denique Sicilia plus auctoritatis apud vos haberet, cum videretis nulla vi retineri, nullo periculo prohiberi posse, quo minus experirẽtur, ecquid apud vos querimoniæ valerent antiquißimorum, fidelißimorumque sociorum. nam, quod fortasse non nemo vestrum audierit, istum à Syracusanis publice laudari; id tametsi priore actione ex Heraclij Syracusani testimonio, cuiusmodi esset, cognouistis; tamen vobis alio loco, vt se tota res habet, quod ad eam ciuitatem attinet, demonstrabitur. intelligetis enim, nullis hominibus quemquam tanto odio, quanto istum Syracusanis, esse, & fuisse.

EXPLANATIO.

QVAE *meæ fidei commissæ sunt,*} quæ pertinent ad crimen repetundarum. TOTIVS *ordinis,*} senatorij, infamia laborãtis, propter iudicia. SVSCEPI *caussam populi Romani:*} in Diuin. Ego in hoc iudicio mihi Siculorum caussam receptam, populi Romani susceptam esse arbitror. TVM *denique*} quasi factum antea non esset, vt & reus improbus adduceretur, & diligens ac firmus accusator ad iudicium veniret. defuit enim improbo reo diligens, & firmus accusator. ideo recte iudicatum non est. DILIGENS,} qui caussam diligenter ageret, crimina quæque pro sua fide ita persequeretur, ne reum elabi nocentem sineret. FIRMVS} non ab initio, sed aliquanto post: quæ autẽ ab initio, in amicitia perpetuo manserunt. EXORNAVIT:} restituens ea, quæ victores Pœni abstulerant. CETERI *Siculi*} socij eius in bello. HOSTIBVS} Siculis. ORNATAM,} signis, monumentisque pulcherrimis. HOSTIVM} eorum, qui hostes fuerant populi Romani. PRO *ærario illo maiorum vetere, ac referto*} non pro hoc inani, quod nunc habemus. Aeraria tria Romæ fuisse, scripsimus ante multos annos, vnum ex tributis, vectigalibus, præda bellica, vnde pecunia, poscentibus reip. rationibus, quotidie promebatur: quo cũ intulisset L. Paullus, deuicta Macedonia, ter millies, id est scutatorum tricies centena millia, magna tamen, hæc dicente Cicerone, eius ærarij fuit inopia, credo propter maximos Italici belli, magis etiam propter ciuilis Mariani sumptus. de quo ærario sunt illa lib. III: Si potest ista pecunia sine aratorum iniuria detrahi: populus Romanus habeat, præsertim in tantis ærarij angustijs. Et in orat. de prou. Quibus quidem vos, in his angustijs ærarij, tamen subuenîatis necesse est. Alterum ex vicesima, quod sanctius vocabatur, quia non aperiretur, nisi difficillimis reip. temporibus. Tertium, in quo pecunia in Gallicum bellum eroganda custodiretur: quam attingi, nisi Gallicum bellum vrgeret, exsecrationibus publicis vetitum est. Ex his tribus ærarijs, quæri potest, quodnam illud fuerit, cuius

inopiam

inopiam sæpe queritur Cicero. Sanctius esse non potuit, in quo cum aurum vicesimarium ad vltimos casus, auctore Liuio, seruaretur, ad inopiam redigi non potuit. An Gallicum? multo minus. id enim primus Cæsar, vt Appianus lib. II. narrat, pulso Italia Pompeio, aperuit, quasi, debellatis à se Gallis, execrationes illę publicæ locum iam non haberent. Necesse igitur est, inopiam eius ærarij à Cicerone significari, quo, vt diximus, ex vectigalibus, tributis, præda bellica, pecunia conferebatur. quod si ita est: errauit Lucanus, cum illa de Cæsare scripsit:

Tunc aditus imo
Eruitur templo, multis intactus ab annis,
Romani census populi, quem Punica bella,
Quem dederat Perses, quem victi præda Philippi.

Quæ enim non solum ex deuictis hostibus, quam nominat Lucanus, verum etiam ex vectigalibus, tributisq; collecta pecunia fuerat, eam vniuersam ante ciuile Pompeianum bellum consumptam fuisse, quis ex eo non intelligit, quod Pompeius initio belli sanctius ærarium, in quo vicesimarium tantum erat aurum, seruatum ad vltimos casus, aperire coactus est? TAM *prope ab domo*,} tam prope domum. QVAE *nunc increbuit*,} quæ cœpit esse, vtere sublata. Phil. 14. Si quis Hispanorum, aut Gallorum, aut Thracum mille, aut duo millia occidisset: nō eum hac consuetudine, quæ increbuit, imperatorem appellaret senatus? AD ARAM *legum*,} pro, ad sanctissimas leges. PRAESIDIVMQVE *vestrum*} vestra enim æquitas præsidium socijs est. à vestris magistratibus, iniuriose tractatis. PVBLICO *consilio*} quæstum enim de suis iniurijs contra M. Lepidū, qui prætor in Sicilia fuerat, sed nō publico consilio venerāt. in Diuin. Cuncti ad me sæpe publice venerunt. M. ANTONII} cui maritima omnis ora, infinito cum imperio, tuenda tradita est. supra. LVXVRIEM, *crudelitatem, auaritiam, superbiā*,} in Diuin. Quas res luxuries in flagitijs, crudelitas in supplicijs, auaritia in rapinis, superbia in contumelijs efficere potuisset. Lib. I: Hora nulla vacua à furto, à scelere, crudelitate, flagitio reperietur. APVD *patronos*} Marcellos. CON-

SVLIBVS} Pompeio, & Crasso. FECERVNT *etiam, vt me prope de vitæ meæ statu deducerent,*} modus loquēdi, Fecerunt vt. sic Act. I. Fecit animo libentissimo populus Romanus, vt, cuius diuitijs me de fide deducere non potuissent, ne eiusdem pecunijs de honore deijcerer. COGNOVERANT, } cum apud eos quæstor essem. PROPE} non omnino, sed prope deducerent. nam etsi istum accuso, mea tamen vetere defendendi consuetudine multo magis delector: & nunc quidem vnum accuso, defendo Siciliam totam. QVAMQVAM *in hac caussa multo plures partes mihi defensionis, quam accusationis, suscepisse videor.*} caussam exposuit in Diuin. his verbis: defendo enim multos mortales, multas ciuitates, prouinciam Siciliam totam, QVAESTORES *vtriusque prouinciæ,*} Syracusanus, & Lilybætanus. CVM *fascibus*} quæstores in prouincijs fascibus vsos esse, diximus in orat. pro Quinctio. MIHI *præsto fuerunt.*} non dicit eos ad se venisse, verum, vbi inquirere in Verrem cœpit, statim omnia sua studia, omnemque potestatem ad eum defendendum contulisse. II. PORRO,} alij duo, L. Metelli, prætoris qui Verri successit. QVI *successerunt,*} quæstoribus Verris. MESSANAE} vrbs ipsa Messana, ciuitas Mamertina vocabatur. Messanæ enim Mamertini, natio Campana, habitabant. sic infra, cum Messanā nominasset, ciues vocauit Mamertinos. Quid vero, inquit, Messana, quem iste sibi locum maxime tutum arbitrabatur, vbi animo semper soluto, liberoque erat, quod sibi iste Mamertinos delegerat, ad quos omnia, quæ aut diligentius seruāda, aut occultius exportanda erant, deportaret? PVBLICE *coactis operis*} Mamertinorum sumptu publico. SVMMI *imperij*} prætoris Siciliensis L. Metelli. INIVSSV *populi, ac senatus*} propterea solam ciuitatem Mamertinam publice legatos, qui laudarent, misisse dixit. LEGATOS *decreuerant,*} sententia postulat, Legati decreti erant. aut, ne quid mutetur, præsertim contra veteres libros, existimandum, ex ijs ipsis, qui contra Verrem legatos decreuerāt, aliquos testimonium publicum mandataq; accepisse, vt legati Romam proficiscerentur.

TOT,

TOT, ET *tantæ, & tam graues ciuitates,*} augent singula, vt lib. I: Tot, tantis, tam nefarijs criminibus. ALIO *loco,*} libr. IV.

ORATIO.

AT enim istum soli Siculi persequuntur, ciues R. qui in Sicilia negotiantur, defendunt, diligunt, saluum esse cupiũt. Primum, si ita esset, tamen vos in quæstione de pecunijs repetundis, quæ sociorum caussa constituta est, lege iudicioque sociali, sociorum querimonias audire oporteret. sed intelligere potuistis priore actione, ciues R. ex Sicilia plurimos, honestissimos, maximis de rebus, & quas ipsi accepissent iniurias, & quas scirent alijs esse factas, pro testimonio dicere. ego hoc, quod intelligo, indices, sic confirmo. videor mihi gratum fecisse Siculis, quod eorum iniurias meo labore, inimicitias periculo sim persecutus. non minus hoc gratum me nostris ciuibus intelligo fecisse, qui hoc existimant, iuris, libertatis, rerum fortunarumq; suarum salutem in istius damnatione consistere. Quapropter de istius prætura Siciliensi, non recuso, quin ita me audiatis, vt, si cuiquam generi hominum, siue Siculorum, siue nostrum ciuium, siue cuiquam ordini, siue aratorum, siue pecuariorum, siue mercatorum probatus sit; si nõ horum omnium communis hostis, prædoque fuerit; si cuiquam denique vlla in re vmquam temperauit; ei vos quoque temperetis. Qui, simul atque ei forte prouincia Sicilia obuenit, statim Romæ, & ad Vrbem, ante quam proficisceretur, quærere ipse secum, & cogitare cum suis cœpit. quibusnam rebus in ea prouincia maximam vno anno pecuniam facere posset. nolebat in agendo discere, (tametsi non prouinciæ rudis erat, et tyro) sed in Siciliã paratus ad prædam, meditatusque venire cupiebat. O præcare coniectum à vulgo in illam prouinciam omen communis famæ, atque sermonis; cum ex nomine istius, quid in prouincia acturus esset, perridiculi homines augurabantur. etenim quis dubitare posset, cum istius in quæstura fugam, & furtum recognosceret, cum in legatione opidorum fanorumque spoliationes cogitaret, cum videret in foro latrocinia præturæ, qualis iste in quarto actu improbitatis futurus esset? atque vt intelligatis eum Romæ quæsisse non modo genera furandi, sed etiam nomina: certissimum accipite argumentum, quo facilius de singulari eius impudentia existimare possitis.

EXPLANATIO.

MEO *labore,*} accuſandi onere ſuſcepto. PERICVLO} quod mihi ab eorum inimiciſſimo homine, eiuſq; amicis impendet. STATIM *Romæ,*} cum adhuc prætor vrbanus eſſet. AD VRBEM} cum, abſoluta in vrbe prætura, extra pomerium eſſet cum imperio, in prouinciam iturus. notum loquendi genus, nota res. NON *prouinciæ rudis erat,*} fuerat enim in Cilicia legatus, & proquæſtor Dolabellæ, omnesq; iam furandi vias, artesq; didicerat. EX NOMINE *iſtius,*} fore dicebat, vt Verres prouinciam euerteret. FVGAM,} auerſa pecunia publica, prodito Carbone conſule. IN FORO} in æde Caſtoris.

ORATIO.

QVO die Siciliam tetigit, (videte, ſatis ne paratus ex illo omine vrbano ad euertendā prouinciā venerit) ſtatim Meſſana litteras Haleſā mittit: quas ego iſtum in Italia ſcripſiſſe arbitror: nam ſimul atq; è naui egreſſus eſt, dedit operam, vt Haleſinus ad ſe Dio cōtinuo veniret: ſe de hereditate velle cognoſcere, quæ eius filio à propinquo homine Apollodoro Laphirone veniſſet. ea erat, iudices, pergrandis pecunia. hic eſt Dio, iudices, nunc beneficio Q. Metelli ciuis R. factus: de quo multis viris primarijs teſtibus multorumq; tabulis vobis priore actione ſatisfactum eſt. H-S *vndecies numeratum eſſe, vt eam cauſſam, in qua ne tenuiſſima quidem dubitatio poſſet eſſe, iſto cognoſcēte obtineret: præterea greges nobiliſſimarū equarū abactos: argenti, veſtisq; ſtragulæ, domi quod fuerit, eſſe direptum: ita* H-S *vndecies Q. Dionē, quod hereditas ei obueniſſet, nullam aliam ob cauſſam, perdidiſſe. Quid? hæc hereditas quo prætore Dionis filio venerat? eodē, quo P. Annij ſenatoris filiæ, eodem quo M. Liguri ſenatori, C. Sacerdote prætore. quid? tum nemo moleſtus Dioni fuerat? non plus, quam Liguri Sacerdote prætore. quid? ad Verrem quis detulit? nemo: niſi forte exiſtimatis ei quadruplatores ad fretum præſto fuiſſe. ad vrbem cum eſſet, audiuit, Dioni cuidam Siculo permagnam veniſſe hereditatem, heredem ſtatuas iuſſum eſſe in foro ponere; niſi poſuiſſet, Veneri Erycinæ eſſe multatum. tametſi poſitæ eſſent ex teſtamento, putabat tamen, quoniam Veneris nomen eſſet, cauſſam pecuniæ ſe reperturum. itaq; apponit, qui petat Veneri Erycinæ illam hereditatem.*

tem.non enim quæstor petit, vt est consuetudo, is, qui Erycinũ montem obtinebat. petit Næuius Turpio, quidã istius excursor, et emissarius, homo omniũ ex illo conuentu quadruplatorum deterrimus, C. Sacerdote prætore condẽnatus iniuriarum. etenim erat eiusmodi caussa, vt ipse prætor cum quæreret calumniatorem, paullo tamen consideratiorem reperire non posset. hic hominem Veneri absoluit, sibi condẽnat. maluit videlicet homines peccare, quam deos; se potius à Dione, quod non licebat, quam Venerem, quod non debatur, auferre. Quid ego nunc hic Sex. Pompeij Chlori testimonium recitẽ? qui caussam egit Dionis, qui omnibus rebus interfuit, hominis honestissimi, tametsi ciuis R. virtutis caussa iam diu est, tamen omnium Siculorum primi, ac nobilissimi. quid ipsius Q. Cæcilij Dionis, hominis probatissimi, ac pudentissimi? quid L. Vetecilij Liguris, T. Manlij, L. Caleni? quorum omnium testimonijs de hac Dionis pecunia confirmatum est. dixit hoc idem M. Lucullus, se de his Dionis incommodis pro hospitio, quod sibi cum eo esset, iam ante cognosse. quid? Lucullus, qui tum in Macedonia fuit, melius hæc cognouit, quam tu, Hortensi, qui Romæ fuisti? ad quem Dio confugit: qui de Dionis iniurijs grauissime per litteras cum Verre questus es. noua tibi hæc sunt, & inopinata? nunc primum hoc aures tuæ crimen accipiunt? nihil de Dione, nihil de socru tua, femina primaria, Seruilia, vetere Dionis hospita, audisti? non ne multa mei testes, quæ tu scis, nesciunt? non te mihi testem in hoc crimine eripuit, non istius innocentia, sed legis exceptio? Recita testimonia.

TESTIMONIA. M. LVCVLLI. CHLORI. DIONIS.

Satis ne vobis magnam pecuniam Venerius homo, qui è Chelidonis sinu in prouinciam profectus esset, Veneris nomine quæsisse videtur? accipite aliam in minore pecunia non minus impudentem calumniam.

EXPLANATIO.

BENEFICIO *Q. Metelli*) ideo Q. Cæcilius Dio vocabatur. Et infra: Cn. Pompeius Theodorus, Cn. Pompeij beneficio ciuis Romanus. Et lib. IV: Diodorus, qui appellabatur, Q. Lutatius Diodorus dicitur. quia Q. Lutatij Catuli beneficio ciuis Romanus à L. Sulla factus erat. Hi autem omnes Romana cognomina non sumebant, sed tãtum prænomina, & nomina, cognominis autem loco vetus nomen retinebant, vt Dio, Theodorus,

Diodorus. H-S VNDECIES} scutatorum triginta tria millia VESTIS QVE *stragulæ*} nomine vestis aulæa, tapetia, & omnino quidquid sterni posset, comprehendebatur. NISI *forte*} dixi iam, sæpe hoc ad negandum pertinere. neque hic significat, quadruplatores ad fretũ venisse, vt cum Verre de Dionis hereditate loquerentur, sed ab ijs Verrem, cum ad vrbem esset, audiuisse. C. SACERDOTE *prætore.*} Siciliensi. QVADRVPLATORES} qui accusarent spe lucri, quæ bonorum damnati quarta pars erat. AD FRETVM} qui præsto ei fuerunt non ad fretum, sed ab vrbem cum esset. VENERI *Erycinæ esse multatum.*} deberi Erycinæ Veneri hereditatem illam. APPONI} malitiose, vt lib. III: Apponitur Venuleius quidam. lib. V: Apponitur his tamen accusator. QVI *Erycinũ montem obtinebat*} is erat Q. Cęcilius Niger, qui propterea, vt in Duin. legitur, Agonidis, libertæ Veneris Erycinæ, bona vendidit; quasi Veneris essent. HVNC *hominem*} Dionis filium. NAEVIVS *Turpio,*} lib. V: Apponitur his tamen Næuius Turpio quidam, qui C. Sacerdote prætore iniuriarum damnatus est, homo bene appositus ad istius audaciam: quem iste in decumis, in rebus capitalibus, in omni calumnia præcursorem habere solebat, & emissarium. VENERI} ad quam, nisi statuas in foro posuisset, hereditas illa pertinebat. ABSOLVIT,} argute. condemnat Verres Dionem: sed hereditatem illam ad se transfert, Veneri nihil tribuit: vt cum Veneri absoluisse, sibi condemnasse videretur. QVID *ego nunc hic Sex. Pompeij Chlori testimonium recitem?*} modus amplificandi, vt infra: Quid ego istius in iure dicendo libidinem demonstrem? Lib. I: Quid ego nunc in altera actione Dolabellæ spiritus, quid huius lacrymas, & concursiones proferam? QVI *caussam egit Dionis,*} apud Verrem in Sicilia. VIRTVTIS *caussa*} & beneficio Sex. Pompeij: à quo prænomen, & nomen accepit: cum ipse Chlorus esset. L. CALENI?} Fusiæ gentis. QVI TVM *in Macedonia fuit,*} M. Terentius Lucullus, L. Luculli frater, Macedoniæ præfuit, & ex ea triumphauit. in Pisonem, Appianus, Florus, Eutropius, Orosius. DE DIONE} à Dione. LEGIS

exceptio.}

exceptio.} quæ patronos reorum testimonio liberat.

ORATIO.

SOSIPVS, *& Epicrates fratres sunt Agyrinenses. horum pater ab hinc duos & XX annos est mortuus. in cuius testamẽto quodam loco, si commissum quid esset, multa erat Veneri. ipsos XX annos, cũ tot interea prætores, tot quæstores, tot calumniatores in prouincia fuissent, hereditas ab his Veneris nomine petita non est. caussam Verres cognoscit: per Volcatium pecuniã accepit, fere ad H-S CCCC millia ab duobus fratribus. multorũ testimonium audistis antea: vicerunt Agyrinenses fratres, ita, vt egentes inanesque discederent. At enim ad Verrem pecunia ista non peruenit. q̃ est ista defensio? vtrum, asseueratur in hoc, an tentatur? mihi enim noua res est. Verres calumniatores apponebat: Verres adesse iubebat: Verres cognoscebat; Verres iudicabat: pecuniæ maximæ dabantur: qui dabant, caussas obtinebant: tu mihi ita defendas. Non est ista Verri numerata pecunia? adiuuo te: mei quoque testes idem dicunt: Volcatio dicunt sese dedisse. quæ vis erat Volcatio tãta, vt H-S CCCC millia duobus hominibus auferret? ecquis Volcatio, si sua sponte venisset, vnam libellam dedisset? veniat nunc, experiatur: tecto recipiet nemo. at ego amplius dico. H-S quadringenties accepisse te arguo contra leges: nego, tibi ipsi vllum nummũ esse numeratum: sed cum ob tua decreta, ob imperata, ob iudicata pecuniæ dabantur, non erat quærendum cuius in manu numerarentur, sed cuius iniuria cogerentur. comites illi tui delecti, manus erant tuæ: præfecti, scribæ, medici, accensi, haruspices, præcones, manus erant tuæ: vt quisque te maxime cognitione, affinitate, necessitudine aliqua attingebat, ita maxime manus tua putabatur. cohors tota illa tua, quæ plus mali Siciliæ dedit, quam si centum cohortes fugitiuorum fuissent, tua manus sine controuersia fuit. quidquid ab horum quopiam captum est, id non modo tibi datum, sed in tua manu numeratum iudicari necesse est. nam, si hanc defensionem probabitis. Non accepit ipse: licet omnia de pecunijs repetundis iudicia tollatis: nemo vmquã tam reus, tam nocens adducetur, qui ista defensione non possit vti. etenim cũ Verres vtatur, quis erit vmquã posthac reus tam perditus, qui non ad Q. Mucij innocentiam referatur, si cum isto conferatur? neq; nunc tam mihi isti Verrem defendere videntur, quam in Verre defensionis tentare rationẽ. qua de re, iudices, vobis magnopere prouidendum*

est. pertinet hoc ad summam reip. & ad existimationem ordinis, salutemque sociorum. si enim innocentes existimari volumus, non solũ nos abstinentes, sed etiam nostros comites præstare debemus. primũ omnium opera danda est, vt eos nobiscũ ducamus, qui nostræ famæ, capitiq; consulant: deinde, si in hominibus eligendis nos spes amicitiæ fefellerit, vt vindicemus, missos faciamus; semper ita viuamus, vt rationem reddendam nobis arbitremur. Africani est hoc, hominis liberalissimi, verũtamen ea liberalitas est probanda, quæ sine periculo existimationis est: vt in illo fuit. cum ab eo quidam vetus assectator ex numero amicorum non impetraret, vt se præfectum in Africam duceret, & id ferret moleste: Noli, inquit, mirari, si tu à me hoc non impetras: ego iampridem ab eo, cui meam existimationem caram fore arbitror, peto, vt mecum præfectus proficiscatur, & adhuc impetrare non possum. Etenim re vera multo magis est petendum ab hominibus, si salui esse volumus, vt eant nobiscum in prouinciam, quam hoc illis in beneficij loco deferendum. sed tu, cum & tuos amicos in prouinciã, quasi in prædam, inuitabas, ac cum illis, ac per eos prædabare, & eos in concione anulis aureis donabas: non statuebas, tibi non solum de te, sed etiam de illorum factis rationem esse reddendam? Cum hos sibi quæstus constituisset magnos, atque vberes ex ijs caussis, quas ipse instituerat in consilio, hoc est cum sua cohorte, cognoscere; tum infinitum genus inuenerat ad innumerabilem pecuniam corripiendam.

EXPLANATIO.

VENERIVS *homo,*} qui amoribus delectaretur. iocatur & in sententia, & iterato Veneris nomine. sic infra, & lib. V. SI COMMISSVM *quid esset,*} si quid heredes, contra quam scriptum esset in testamento, commisissent. IPSOS XX *annos*} integros XX annos: vt in ep. ad Cœlium: Ego, cum Athenis decem ipsos dies fuissem, proficiscebar inde pr. nõ. Quinct. CCCC MILLIA} scutatorum duodecim millia. VICERVNT} caussam obtinuerunt, absoluti sunt. QVAE *vis*} quæ potestas. VENISSET,} in Siciliam. VENIAT *nunc*: pro, eat nũc. VNAM *libellam*} vnum assem. nam libella, & as idem valebant, id est sestertij nummi quartam partem: sed libella ex argẽto, as ex ære cudebatur. Similiter in ea pro.

Quinctio, Assem sese negat daturum. CENTVM *cohortes*} vocatur in cohorte militari, & cohorte prætoria. FVGITIVORVM} vtitur hoc exemplo, quia fugitiui, Athenione duce, multis Siciliam malis affecerant: de quibus M'. Aquillius triumphauit. Cicero, Appianus, alij. Q. MVCII} qui Asiam innocentissime rexit. in Diuin. DEFENSIONIS} quę ad omnes reos pertineat. nam, si hæc defensio probatur in Verre, omnes absoluentur. NON SOLVM *nos abstinentes, sed etiam nostros comites præstare debemus.*} Idem pręcipit Q. fratri: Circumspiciendum diligenter, vt in hac custodia prouinciæ non te vnum, sed omnes ministros imperij tui socijs, ciuibus, & reip. præstare videare. OPERA *tanta danda est,*} similitudo, quæ est inter, Tanta, &, Danda, fortasse Tanta huc induxit, verbum minime necessarium. CAPITIQVE} saluti, & incolumitati. AFRICANI cum nihil additur, de minore semper intelligendum. LIBERALISSIMI:} maxime ad gratificandum, commodandumque propensi. nam Liberalitas generale vocabulum est, nec ad largitionem tantum pertinet. VERVMTAMEN,} notam hic appono subdistinctionis, hoc sensu: Dicebat Africanus, propensus ille quidem vel maxime ad liberalitatem, verumtamen, (subaudi, dicebat) Ea liberalitas, est probanda, quæ sine periculo existimationis est. nam Africani sententia incipit in, Ea liberalitas, non in, Verumtamen. Est autem vsitatus loquendi modus, vt lib. I: Qua potestate isti permissa, vt ex C. Fannio, & ex Q. Tadio cognouistis, verumtamen cum esset omnibus in rebus. PRAEFECTVM} equestrium turmarum. PETENDVM} beneficij loco. SI SALVI *esse volumus,*} si nostræ famæ, capitique consultum volumus. ANVLIS *aureis*} scribam Verris significat, de quo lib. I.

ORATIO.

DVBIVM nemini est, quin omnes omnium pecuniæ positæ sint in eorum potestate, qui iudicia dant, & eorum, qui iudicant; quin nemo nostrum possit ædes suas, nemo fundum, nemo bona patria obtinere, si, cum hæc à quopiam vestrum petita sunt, prætor improbus, cui nemo intercedere possit, det quem velit

iudicem, index nequam, & leuis, quod prætor iusserit, iudicet. si vero illud quoque accedet, vt prætor in ea verba iudicium det, vt vel Octauius Balbus iudex, homo & iuris, & officij peritißimus, non poßit aliter iudicare: sit eiusmodi: L. OCTAVIVS. IVDEX. ESTO. SI. PARET. FVNDVM. CAPENATEM. QVO. DE. AGITVR. EX. IVRE. EVM. P. SERVILII. ESSE. NEQVE. IS. FVNDVS. Q. CATVLO. RESTITVETVR. *non necesse erit L. Octauio iudici, cogere P. Seruilium, Catulo fundum restituere, aut condemnare eum, quē non oporteat? eiusdem modi totū ius prætoriū, eiusdē modi omnis res iudiciaria fuit in Sicilia per triennium Verre prætore. Decreta eiusmodi.* SI. NON. ACCIPIT. QVOD. TE. DEBERE. DICIS. ACCVSES. SI. PETIT. DVCAS. *C. Fuficium duci iussit petitorem, L. Suetium, L. Racilium. Iudicia huiusmodi.* QVI. CIVES. R. ERANT. SICVLI. ESSENT. TVM. SI. EORVM. LEGIBVS. DARI. OPORTERE. QVI. SICVLI. SI. CIVES. R. ESSENT. *Verum, vt totum genus complectamini iudiciorum, prius iura Siculorum, deinde istius instituta cognoscite. Siculi hoc iure sunt, vt, quod ciuis cum ciue agat, domi certet suis legibus; quod Siculus cum Siculo, non eiusdem ciuitatis, vt de eo prætor iudicet ex P. Rupilij decreto, quod is de decem legatorum sententia statuit, quam legē Siculi Rupiliam vocant, sortiatur. quod priuatus à populo petit, aut populus à priuato, senatus ex aliqua ciuitate. qui iudicet, datur, cum alternæ ciuitates reiectæ sunt. quod ciuis Romanus à Siculo petit, Siculus iudex datur. quod Siculus à ciue Romano, ciuis R. datur. ceterarum rerum selecti iudices ex ciuium R. conuentu proponi solent. inter aratores, & decumanos lege frumentaria, quam Hieronicā appellant, iudicia fiunt. hæc omnia isto prætore non modo perturbata, sed plane & Siculis, & ciuibus R. erepta sunt. primū suæ leges. quod ciuis cum ciue ageret, aut eum iudicem, quem commodum erat, præconem haruspicem, medicum suum dabat: aut, si legibus erat iudicium constitutum, & ad ciuem suum iudicem venerant, libere ciui iudicare licebat. edictum enim hominis cognoscite: quo edicto omnia iudicia redegerat in suam potestatem: Si quis perperā iudicasset, se cogniturum: cum cognosset, animaduersurum, idque cum faciebat, nemo dubitat, quin, cum iudex*

alium

alium de suo iudicio putet iudicaturum, seque in eo capitis periculum aditurum, voluntatem spectet eius, quem statim de capite suo putet iudicaturum. selecti è conuentu, aut propositi ex negotiatoribus iudices, nulli. hæc copia, quam dico, iudicum, cohors nō Q. Scæuolæ, qui tamen de cohorte sua dare non solebat, sed C. Verris. cuiusmodi cohortem putatis hoc principe fuisse? sicuti videtis edictum. SI. QVID. PERPERAM. IVDICARIT. SENATVS. *eum quoque ostendam, si quando sit datus, coactu istius, quod non senserit, iudicasse. ex lege Rupilia sortitio nulla, nisi cum nihil interesset istius. lege Hieronica iudicia constituta plurimarum controuersiarum, sublato vno nomine omnia. de conuentu, ac negotiatoribus nulli iudices. quantam potestatem habuerit, videtis: quas res gesserit, cognoscite.*

EXPLANATIO.

QVI *iudicia dant*,} ij prætores erant, qui iudices, iurisq; formulam dabant: iudicabant vero iudices. qua de re supra diximus. INTERCEDERE} solus enim erat prætor in Sicilia. nam Romæ, præter tribunos pl. alter prætor, cuius iurisdictio erat inter peregrinos, poterat intercedere: intercessit L. Piso, de quo lib. I: L. Piso multos codices impleuit earum rerum, in quibus ita intercessit, quod iste aliter, atque vt edixerat, decreuisset. SIT *eiusmodi*:} verbi gratia: iudicij formula sit eiusmodi. SI PARET,} pro, Si apparet. sic enim, vt ait Festus, loquebātur in formulis. de quo supra. RESTITVETVR:} subauditur: Octaui Seruilium condemna. nam hoc Theophilus addit huiusmodi formulis. NON *necesse erit*} hoc pendet ex eo: Si vero illud quoque accedet. alij, deesse aliquid sine caussa existimarunt. COGERE} id enim verba formulæ prætoris iubent. AVT *condemnare eum quem non oporteat?*} Q. Catulum, quem condemnare non oporteat ex formula prætoris, id iubentis, non vt Catulus, verum vt Seruilius condemnaretur. Alterutrū igitur necessario peccabit Octauius iudex. Aut Seruiliū iniuste condemnabit, quia formulā sequetur: aut Catulum contra quā oporteat, quia discedet à formula. Bipartita sentētia: quā qui nō animaduerterūt, Et, pro, Aut, legendum putauerūt. EVM} Seruiliū. cur enim condemnetur, si fun-

si fundus ille iure eius est, non Q. Catuli? Vtitur exemplis iudicum præsentium. nam & P. Seruilius Isauricus, & Q. Lutatius Catulus, vterque consularis, in Verris causa iudicabant. lib. I. & IV. SI NON *accipit*, } iubet à debitore tantum accipere creditorem, non quantum sibi deberi probet, sed quantum debitor ipse dicat: si non accipit, accusari à debitore. ACCVSES } ipsum creditorem. SI PETIT, } plus, quam te debere fatearis. DVCAS. } in vincula. Eodem sensu infra: Quisquis erat ductus senator Syracusanus ab Heraclio, duci iubebat: itaque permulti ducti sunt. Retulit hoc verbum è XII. tabulis Gellius lib. XX. cap. I. Cicero autem pro Flacco: Vtrum in clarissimis est ciuibus is, quem iudicatum hic, duxit Hermippus? Et paullo post: Cum iudicatum non faceret, addictus Hermippo, & ab hoc ductus est. Idem lib. II. de Orat. Apud Næuium videtur esse misericors ille, qui iudicatum duci videt, percunctatur ita: Quanti addictus? mille nummum. Nihil addo: ducas, licet. Terentius in Phorm. Mihi sciunt nihil esse. Dices: ducent damnatum domum. Alere nolunt hominem edacem. Liuius lib. II. Ductum se ab creditore nō in seruitiū, sed in ergastulum, & carnificinā esse. Idem: Centurionem, nobilem militaribus factis, iudicatum pecuniæ, cum duci vidisset, medio foro, cum caterua sua accurrit? Et paullo post: Si ciuem, commilitonemque meum in seruitutem, aut vincula duci videam. Et aliquanto post: An placeret, fenore circumuentā plebem, ni potius, quam sortem, creditum soluat, corpus in neruum, ac supplicia dare? & gregatim quotidie de foro addictos duci? & repleri vinctis nobiles domos? & , vbicumq; patricius habitet, ibi carcerem priuatum esse? QVI CIVES *Romani erant*, } subaudi, iudices dabantur: cum dari Siculos oporteret, vt meliore condicione reus esset. id paullo post planius ostenditur. nam hic sententiam breuitas obscurat. SI SICVLI *essent*, } rei. EORVM *legibus* } Siculorum. DARI } iudicia. QVI *Siculi*, } similiter hic subaudiendum, i iudices dabantur: cum Romanos dari oporteret. SI CIVES *Romani essent*. } rei. DECEM *legatorum* } quos senatus miserat ad Siciliam in prouinciæ

formam

formam redigendam, id eſt, qui iura eis, legeſq; darent. REIECTAI} vna à petitore, altera ab eo, vnde petitur. QVAM *Hieronicam appellãt,*} tulerat eam Hiero rex æquiſſimus, Rupilius prætor poſtea confirmauit, de decumis frumenti, deq́, controuerſijs, quæ inter aratores, & decumanos orirentur. SVAE *leges.*} Verri ſua libido pro lege erat. QVOD *ciuis*} pro, in eo, quod ciũis cum ciue ageret. QVEM *commodum erat,*} quem ei placebat. Eodem ſenſu paullo poſt: Quinque iudices, quos ei cõmodum fuit, dedit. Dictum ſupra hoc de genere loquendi. PRAECONEM *haruſpicem, medicum ſuum*} præconem Valerium, haruſpicem Voluſianum, medicum Artemidorum, lib. III. ALIVM} ipſum Verrem. CIVIS *cum ciue*} Siculus cum Siculo. LEGIBVS} refertur ad illud, Domi certet ſuis legibus. E CONVENTV,} ciuium Romanorum. PROPOSITI *ex negotiatoribus iudices,*} inter aratores, & decumanos. infra: De conuentu, ac negotiatoribus nulli iudices. HAEC *copia, quam dico, iudicum,*} iudices à prætore dati, cum iudicium legibus non erat conſtitutum. nam ſi legibus: non dabantur à prætore de cohorte, ſed ijs tamen libere iudicare non licebat, propter edictum, in quo erat: Si quis perperam iudicarit, cognoſcam: cum cognouero, animaduertam. NON *Q. Scæuolæ,*} ſæpe Q. Mucium Scæuolam opponit Verri: quod ille prætor Aſiam, hic Siciliam ita rexerit, vt nihil diſſimilius. DE COHORTE *ſua*} quæ erat optima. SENATVS} ex aliqua ciuitate, vt lex Rupilia iubebat. Integra ſententia eſt: Si quid perperam iudicarit ſenatus, cognoſcam: cum cognouero, animaduertam. Id enim ſupra dixit. infra vero: Tu, qui inſtitueras in eos animaduertere, qui perperam iudicaſſent. SORTITIO *nulla,*} dabat enim ipſe iudices de ſua cohorte. NISI CVM *nihil intereſſet iſtius:*} niſi cũ lucri nihil ſperabat. tunc enim, Rupiliam legem obſeruans, rem ſorti committebat. VNO *nomine omnia*} ſingula non perpendit Verres, neque aliud ab alio, vt iuſtum à minus iuſto, diſtinxit, ſed vno omnia nomine nullo diſcrimine reſcidit.

ORATIO.

ORATIO.

HERACLIVS est, Hieronis filius, Syracusanus, homo in primis domi suæ nobilis, & ante hunc prætorem vel pecuniosißimus Syracusanorum, nunc nulla alia calamitate, nisi istius auaritia, atque iniuria, pauperrimus. huic hereditas facile ad H. S tricies venit testamēto propinqui sui Heracli: plena domus cælati argenti optimi, multæq; stragulæ vestis pretiosißimorumq́; mancipiorum. quibus in rebus istius cupiditates, & insanias quis ignorat? erat in sermone res, magnam Heraclio pecuniam venisse, non solum Heraclium diuitem, sed ornatum supellectili, argento, veste, mancipijs futurum. audit hæc etiam Verres: & primo, illo suo leuiore artificio Heraclium aggredi conatur, vt eum roget inspicienda, quæ non reddat: deinde à quibusdam Syracusanis admonetur. hi autem quidam erant affines istius, quorum vxores iste numquam alienas existimauit, Cleomenes, et Aeschrio: qui quantum apud istum, et quam turpi de caussa potuerint, ex reliquis criminibus intelligetis. hi, vt dico, hominem admonent, rem esse præclaram, refertam omnibus rebus: ipsum autem Heraclium hominem esse maiorem natu, non promptißimum, & eum, præter Marcellos, patronum, quem iure suo adire, aut appellare posset, habere neminem: esse in eo testamento, quo ille heres esset, scriptum, vt statuas in palæstra deberet ponere. faciemus, vt palæstritæ negent, ex testamento esse positas: petant hereditatem, quod eam palæstræ cōmissam esse dicant. placuit ratio Verri: nam hoc animo prouidebat, cum tanta hereditas in controuersiam venisset, iudicioq́; peteretur, fieri non posse, vt sine præda ipse discederet. approbat consilium: auctor est, vt quamprimum agere incipiant, hominemq́; id ætatis minime litigiosum quam tumultuosißime adoriantur. Scribitur Heraclio dica. primo mirantur omnes improbitatem calumniæ: deinde, qui istum nossent, partim suspicabantur, partim plane videbāt adiectum esse oculum hereditati. interea dies aduenit, quo die sese ex instituto, ac lege Rupilia dicas sortituram Syracusis iste edixerat. paratus ad hanc dicam sortiendam venerat. tum cum docet Heraclius non posse eo die sortiri, quod lex Rupilia vetaret diebus XXX sortiri dicam, quibus scripta esset. dies XXX nondum fuerant. sperabat Heraclius, si illum diem effugisset, ante alterām sortitionē Q. Arrium, quem prouincia tum maxime exspectabat, successurum. iste omnibus iudicijs diem distulit, & eam diem constituit,

stituit, vt hanc Heraclij dicam sortiri post dies XXX ex lege posset. postea quam ea dies venit, iste incipit simulare, se velle sortiri. Heraclius cum aduocatis adit, & postulat, vt sibi cum palæstritis, hoc est, cum populo Syracusano, æquo iure disceptare liceat. aduersarij postulāt, vt in eam rem iudices dentur ex ijs ciuitatibus, quæ in id forum conuenirent, electi qui Verri viderentur: Heraclius contra, vt iudices è lege Rupilia dentur, vt ab institutis superiorū, ab auctoritate senatus, ab iure omnium Siculorum ne recedatur. Quid ego istius in iure dicendo libidinem demonstrem? quis vestrū non ex vrbana iurisdictione cognouit? quis vmquam isto prætore, Chelidone inuita, lege agere potuit? non istum, vt non neminem, prouinciam corrupit: idem fuit, qui Romæ. Cum id, quod omnes intelligebant, diceret Heraclius, ius esse certum Siculis, inter se quo iure certarent; legem esse Rupiliam, quam prætor Rupilius ex S.C. de decem legatorum sententia dedisset; hoc omnes semper in Sicilia consules prætoresque seruasse: negauit se iudices è lege Rupilia sortiturum: quinque iudices, quos commodum ipsi fuit, dedit. Quid huic homini facias? quod supplicium dignum libidini eius inuenies? Præscriptum tibi cum esset homo deterrime, & impudentissime, quemadmodum inter Siculos iudices dares; cum imperatoris populi Romani auctoritas, legatorum decem, summorum hominum, dignitas S.C. intercederet; cuius consulto P. Rupilius prætor ex legatorum sententia leges in Sicilia constituerat; cum omnes ante prætores Rupilias leges in ceteris rebus, & in iudicijs maxime obseruassent: tu ausus es pro nihilo præ tua præda tot res sanctissimas ducere? tibi nulla lex fuit? nulla religio? nullus existimationis pudor? nullus iudicij metus, nullius apud te grauis auctoritas? nullum exemplum, quod sequi velles? Verum, vt institui dicere, quinq; iudicibus nulla lege, nullo instituto, nulla religione, nulla sorte, ex libidine istius datis, nō qui caussam cognoscerent, sed qui, quod imperatum esset, iudicarent, eo die nihil actum est; adesse iubentur postridie. Heraclius interea, cum omnes insidias à prætore fortunis suis fieri videret, capit consilium de amicorum, & propinquorum sententia, non adesse ad iudicium: itaq; Syracusis illa nocte profugit. iste postero die mane, cum multo maturius, quam vmquam antea, surrexisset, iudices citari iubet: vbi comperit Heraclium non adesse, cogere incipit eos, vt absentē Heracliū condemnarent. illi eum cōmonefaciūt, vt, si ei videatur, vtatur instituto suo,

nec

nec cogat ante horā decimā de absente secundū præsentē iudicare impetrāt. interea sane perturbatus & ipse, & eius amici, & consiliarij, moleste ferre cœperunt, Heraclium profugisse. putabant absentis damnationem, præsertim tantæ pecuniæ, multo inuidiosiorem fore, quam si præsens damnatus esset: eo accedebat: quod indices è lege Rupilia dati non erant, multo etiam rem turpiorem, & iniquiorem visum iri intelligebant. itaq;, hoc dum corrigere vult, apertior eius cupiditas, improbitasque facta est. nam illis quinq; iudicibus vti sese negat: iubet id, quod initio è lege Rupilia fieri oportuerat, citari Heraclium, & eos, qui dicam scripserant: aitq; iudices è lege Rupilia velle sortiri. quod ab eo pridie, cum multis lacrymis eum oraret, atque obsecraret Heraclius, impetrare non potuerat, id ei postera die venit in mentē, lege Rupilia sortiri dicas oportere. educit ex vrna tres. ijs, vt absentem Heraclium condemnēt, imperat: itaque condemnant.

EXPLANATIO.

ANTE *hunc prætorem vel pecuniosissimus Syracusanorum,*} desijt autem Verre prætore pecuniosissimus esse. sic in Diuin. Quæ mulier ante hunc quæstorem cōpiosā plane, & locuples fuit. INSANIAM} insanire, est vehementer cupere. infra: Hæc iste ad insaniam concupierat. Et lib. IV: Venio nunc ad istius, quemadmodum ipse appellat, studium; vt amici eius, morbum; & insaniam; vt Siculi, latrocinium. Ibidem: Omnium auarissimorum insanias expleret. TRICIES} scutatorū nongenta millia. AFFINES} Verri propter vxores coniuncti. infra. NVMQVAM *alienas*} vsus est tamquam suis NON *promptissimum,*} satis hebetem, quem circumueniri, pro rudi eius ingenio, magni negotij non esset. Hic loquendi modus minuere vituperationem videtur; nec tamen parum vituperat: sic laudationem, nec tamen parū laudat: vt in Diuin. Sociorum querimoniæ delatæ ad hominem non inertissimum. COMMISSAM ESSE} commissa dicitur hereditas, quæ ad alium heredem ex testamenti cōdicione deuoluitur. de quo lib. I. diximus. RATIO} consilium, & modus agendi cum Heraclio. SCRIBITVR *Heraclio dica,*} defertur Heraclij nomen: vocatur Heraclius in iudicium. Terent. in Phorm. Ego

te cognatum dicam, & tibi scribam dicam. Ibidem: En vmquã iniuriarum audisti mihi scriptam dicam? Et infra: Sexcẽtas perinde potius scribito iam mihi dicas. Sic, Impingere dicam, idem dixit ibidem. DICAS *sortiturũ*} dicas, pro iudices, hic accipio. nam infra: Negauit se iudices è lege Rupilia sortiturũ. OMNIBVS *iudicijs*} ne de vno Heraclio cogitare videretur. HOC EST *cum populo Syracusano*,} palæstra enim populi est. & hoc addit, vt excludat Verrẽ iudicãdi potestate. dictũ. n. supra: Siculi hoc iure sunt, vt, quciuis cũ ciue agat, domi certet, suis legib⁹ AEQVO *iure*} suis legibus. IN ID *forũ*} Syracusanũ. VT IVDICES *è lege Rupilia dentur*:} nõ Verris arbitratu. QVID *ego istius in iure dicendo libidinem demonstrem?*} amplificandi locus cum indignatione, quem sæpe vsurpat Cicero in transitu sententiæ, vt paullò ante: Quid ego nunc hic Sex. Pompeij Chlori testimoniũ recitem? Et lib. I: Quid ego nunc in altera actione Cn. Dolabellæ spiritus, quid huius lacrymas, & cõcursiones proferam? LEGE *agere*} suũ ius lege persequi, iudicio experiri. PRAETOR *Rupilius*} P. Rupilius consul anno vrbis DCXXI fugitiuos, quorum dux Eun⁹ erat, deuicit: deinde ex S. C. de decem legatorũ sententia leges in Sicilia constituit. Prætor igitur accipe p, procõsul: nec desunt exẽpla. CONSVLES, *prætoresque*} qui post consulatum, præturamque Siciliæ præfuerãt. NEGAVIT *se iudices è lege Rupilia sortiturũ*:} nolle se dixit iudices sortiri, sed facturum id, quod fecit. dedit enim, quos voluit. QVOS *commodum ipsi fuit*.} quos ei libuit. IMPERATORIS *populi Romani*} P. Rupilij. infra: Qui habet imperium à populo Romano, auctoritatem legem dandarum à senatu. S. C. *intercederet*,} nõ est, impediret, sed, in re esset: vt ad Lentulum: De his rebus pridie, quam hæc scripsi, senatus auctoritas grauissima intercesserat: cui cum Cato, & Canonius intercessissent, tamen est perscripta. Et ad Senatum: Cum vestra auctoritas intercessisset, vt ego regem tuerer. Intercedit igitur senatus, cum significationem dat suæ volũtatis. ANTE *horam decimam*} ex horis duodecim singuli dies constabant, longioribus æstiui, breuioribus hyemales. noctium

similis ratio. duodenæ singularum horæ, breuiores æstiuarum, longiores hiemalium. Gellius, & alij.

ORATIO.

QVAE, *malum, ista fuita mentia? ecquando te rationem factorum tuorum redditurum putasti? ecquando his de rebus tales viros audituros existimasti? petatur hereditas ea, quæ nulla debetur, in prædam prætoris? interponatur nomen ciuitatis? imponatur honestæ ciuitati turpißima persona calumniæ? neq; hoc solum, sed ita res agatur, vt ne simulatio quidẽ æquitatis vlla adhibeatur? nam, per deos immortales, quid interest, vtrum prætor imperet, vique cogat aliquem de suis bonis omnibus decedere, an huiusmodi iudicium det, quo iudicio, indicta caussa, fortunis omnibus euerti necesse sit? profecto enim negare non potes, te ex lege Rupilia sortiri iudicium debuisse, cum præsertim Heraclius id postularet. sin illud dices, te Heraclij voluntate ab lege recessisse: ipse te impedies: ipse tu tua defensione implicabere. quare. n. primũ ille ipse adesse noluit, cum ex eo numero iudices haberet, quos postularat? deinde tu cur post illius fugam iudices alios sortitus es, si eos, qui erant antea dati, vtriusque dederas voluntate? deinde ceteras dicas omnes illo foro M. Postumius quæstor sortitus est: hanc solam tu illo conuentu reperiere sortitus. Ergo, inquiet aliquis, donauit populo Syracusano illam hereditatem. Primum, si id confiteri velim, tamen istum condemnetis necesse est. neque enim permissum est, vt impune nobis liceat, quod alicui eripuerimus, id alteri tradere. verum ex ista reperietis hereditate ita istum prædatum, vt perpauca occulte fecerit; populum quidem Syracusanum in maximam inuidiam sua infamia, alieno præmio peruenisse; paucos Syracusanos, eos, qui se nunc publice laudationis caussa venisse dicunt, & tunc participes prædæ fuisse, & nunc, non ad istius laudationem, sed ad communem litium æstimationem venisse. Postea quam damnatus est absens, non solum illius hereditatis, de qua ambigebatur, quæ erat H. S tricies, sed omnium bonorum paternorum ipsius Heraclij, quæ non minor erat pecunia, palæstræ Syracusanorum. hoc est Syracusanis, possessio traditur. Quæ est ista prætura? eripis hereditatem, quæ venerat à propinquo, venerat testamento, venerat legibus: quæ bona is, qui testamentum fecit, huic Heraclio ante aliquando, quam est mortuus, omnia vtenda, ac poßidenda tradiderat: cuius hereditatis, cum ille aliquanto ante te prætorem, es-*

seo

set mortuus, controuersia fuerat nulla, mentionem fecerat nemo. Verum esto, eripe hereditatem propinquis, da palæstritis: prædare in bonis alienis nomine ciuitatis: euerte leges, testamenta, voluntates mortuorum, iura viuorum: num etiam patrijs Heraclium bonis exturbare oportuit? qui simul ac profugit, quam imputenter, quam palam, quam acerbe, dij immortales, illa bona direpta sunt? quam illa res calamitosa Heraclio, quæstuosa Verri, turpis Syracusanis, miseranda omnibus videbatur? nam illud quidem statim curatur, vt, quidquid cælati argenti fuit in illis bonis, ad istũ deferatur, quidquid Corinthiorũ vasorum, stragulæ vestis. hæc, nemo dubitabat, quin non modo ex illa domo capta, & oppressa, verũ ex tota prouincia ad istũ comportari necesse esset. mancipia, quæ voluit, abduxit: alia diuisit: auctio facta est. in qua cohors istius inuicta dominata est. Verum illud est præclarum. Syracusani, qui præfuerãt his Heraclij bonis verbo redigendis, re dispertiendis, reddebant eorum negotiorum rationem in senatu: dicebant, scyphorum paria complurã, hydrias argenteas, pretiosam vestem stragulam, multa mancipia pretiosa Verri data esse dicebant, quantum cuique eius iussu nummorum esset datum. gemebant Syracusani, sed tamen patiebantur. repente recitatur, vno nomine H. S C C L *millia iussu prætoris data. at maxime clamor omnium, non modo optimi cuiusque, neque eorum, quibus indignum, semper visum erat, bona priuati, populi nomine, per summam iniuriam erepta: verum etiam ipsi illi auctores iniuriæ, & ex aliqua particula socij prædæ, ac rapinarum, clamare cœperunt, sibi vt haberet hereditatem. tantus in curia clamor factus est, vt populus concurreret. res ab omni conuẽtu cognita, celeriter domum nunciatur, homo inimicus ijs, qui recitassent, hostis omnibus, qui acclamassent, exarsit iracundia, ac stomacho: verumtamen fuit tum sui dissimilis. nostis os hominis: nostis audaciam: tamẽ tum rumore populi, & clamore, & furto manifesto grandis pecuniæ perturbatus est. vbi se collegit, vocat ad se Syracusanos: quia non posset negare, ab illis pecuniã datã, nõ quæsiuit procul alicunde, (neque enim probaret) sed proximum pæne alterum filium, quem illam pecuniam diceret abstulisse, ostendit se reddere coacturum. qui postea quam id audiuit, habuit dignitatis, et ætatis, & nobilitatis suæ rationem: verba apud senatũ fecit: docuit, ad se nihil pertinere: de isto id, quod videbant, neque ille quidem obscure, locutus est; itaque illi Syracusani statuam postea*

ſtatuerunt: & is, vbi primum potuit, iſtum reliquit, de prouinciaque diſceſsit. & tamen aiunt eum queri ſolere non numquam, ſe miſerum, quod non ſuis, ſed ſuorum comitum peccatis, & criminibus prematur. triennium prouinciam obtinuiſti: gener electus adoleſcens vnum annum tecum fuit: ſodales, viri fortes, legati tui primo anno te reliquerunt: vnus legatus P. Tadius, qui erat reliquus, non ita multum tecum fuit; qui ſi ſemper vna fuiſſet, tamen ſumma cura tum tuæ, tum multo etiam magis ſuæ famæ pepercisſet. quid eſt, quod tu alios accuſes? quid eſt, quamobrem putes te tuam culpam non modo deriuare in aliquem ſed communicare cũ aliquo poſſe? Numerantur illa H-S ducenta quinquaginta Syracuſanis. ea quemadmodũ ad iſtum poſtea per pſeudotyron reuertantur, tabulis vobis, & teſtibus, iudices, planum faciam.

EXPLANATIO.

QVAE, *malum, iſta fuit amentia?* } apoſtrophe ad reũ poſt narrationẽ, nota exemplis. CIVITATIS? } Syracuſanæ. induxit enim Verres, vt palæſtritæ hereditatem illam, tamquam palæſtræ commiſſam, peterent. Infra: Prædare in bonis alienis, nomine ciuitatis. AB LEGE *receßiſſe*: } non ſortitum eſſe iudices ex lege Rupilia. QVOS *poſtularat?* } vt tu fortaſſe finges. nam, ſi poſtulauit, cur adeſſe noluit? DICVNT, } quod falſum eſt. ILLO *foro* } Syracuſano, cui quæſtor vnus præerat, alter Lilybætano. COMMVNEM } inter eos, & ceteros Siculos. nam de omnibus prædatus erat Verres. LITIVM } quæ, damnato Verre, æſtimabuntur. TVRPIS *Syracuſanis*, } quorum nomine prædatus eſt Verres. DOMINATA *eſt*. } emit quæ voluit, & quanti voluit, nemine contra licitante. CCL *millia* } ſcutatorum ſeptem millia, quingẽtos. PECVNIAM *datam*; } cohorti ſuæ. (NEQVE *enim probaret*) } quia non alienis, ſed ſuis pecuniam illam à Syracuſanis dari iuſſerat. PROXIMVM } qui aſſiduus apud eũ erat. hoc opponitur ad, procul. PAENE *alterum filium*, } generum, de quo infra. PECCATIS, & *criminibus* } grauiora ſunt crimina, quam peccata. PER *pſeudotyron* } aperte domo Verris exierunt, occulte in eãdem domum, quaſi per auerſas fores, reuerterunt.

ORATIO.

EX hac iniquitate istius, & improbitate, iudices, quod præda ex illis bonis ad multos Syracusanos, inuito populo senatuq́; Syracusano, venerat, etiam illa sunt, quæ per Theomnastum & Aeschrionē, & Dionysodorum, & Cleomenem, inuitissima ciuitate, facta sunt: primum, vt vrbs tota spoliaretur: qua de re alius mihi locus ad dicendum est constitutus: vt omnia signa iste per eos homines, quos nominaui, omne ebur ex ædibus sacris, omnes vndiqui tabulas pictas, deorū denique simulacra, quæ vellet, auferret: deinde, vt in curia Syracusis, quem locum illi Buleuterium vocāt, honestissimo loco, & apud illos clarissimo, sub illius ipsius M. Marcelli, qui cum Syracusanis locum eum eripere belli, ac victoriæ lege posset, conseruauit, & reddidit, statua ex ære facta, ibi inauratam isti, & alteram filio statuam posuerint, vt, dum istius hominis memoria maneret, senatus Syracusanus sine lacrymis, & gemitu in curia esse non posset. Per eosdem istius iniuriarum, furtorum, vxorumque socios, istius imperio, Syracusis Marcellea tolluntur, maximo gemitu, luctuque ciuitatis: quem illi diem festum cum recentibus beneficijs M. Marcelli debitum reddebant, tum generi, nomini, familiæ Marcellorum maxima voluntate tribuebant. Mithridates in Asia, cum eam prouinciam totam occupasset, Mucia non sustulit, hostis, & hostis in ceteris rebus nimis ferus, & immanis, tamen honorem hominis, deorum religione consecratum, violare noluit. tu Syracusanos vnum diem festum Marcellis impertiri vetuisti, per quos illi adepti sunt, vt ceteros dies festos agere possent. at vero præclarum diem reposuisti, Verrea vt agerent, & vt ad eum diem, quæ sacris epulisque opus essent, in complures annos locarentur. Sed iam in tanta istius impudentia remittēdum aliquid videtur, ne omnia contendamus, ne omnia cum dolore agere videamur. nam me dies, vox, latera deficiant, si hoc nunc vociferari velim, quam miserum indignumq́ue sit, istius nomine apud eos diem festum esse, qui sese istius opera funditus exstinctos esse arbitrētur. o Verrea præclara, quoquam si accessisti, quo non attuleris tecū istū diem. etenim quam tu domum, quam vrbem adijsti, quod fanū denique, quod non euersum, atque exterſum reliqueris? quare appellentur sane ista Verrea, quæ non ex nomine, sed ex moribus, naturaque tua constituta esse videantur. Quam facile serpat iniuria, & peccandi consuetudo, quam non facile reprimatur, videte, iudices.

ces. Bidis opidũ est, tenue sane, nõ longe à Syracusis. huius longe primus ciuitatis est Epicrates quidam. huic hereditas H-S *quingentorum milliũ venerat, à muliere quadam propinqua, atque ita propinqua, vt ea, etiãsi intestata esset mortua, Epicratẽ Bidinorũ legibus heredẽ esse oporteret. recens Syracusana erat illa res, quã ante demonstraui, de Heraclio Syracusano; qui bona nõ perdidisset, nisi ei venisset hereditas. huic quoque Epicrati venerat, vt dixi, hereditas. cogitare cœperunt eius inimici, nihilo minus eodem prætore hunc euerti bonis posse, quo Heraclius esset euersus. rem occulte instituunt, ad Verrẽ per eius interpretes deferũt: ita caussa componitur, vt item palæstritæ Bidenses peterent ab Epicrate hereditatẽ: quemadmodũ palæstritæ Syracusani ab Heraclio petissent. numquã vos prætorẽ tã palæstricum vidistis. verũ ita palæstritas defendebat, vt ab illis ipse vnctior discederet. qui statim cũ præsensisset, iubet cuidã suorũ amicorũ numerari* H-S LXXX. *res occultari satis non posse. per quendam eorum, qui interfuerant, fit Epicrates certior. primo negligere, & contemnere cœpit, quod caussa prorsus, quod dubitari posset, nihil habebat. deinde cũ de Heraclio cogitaret, & istius libidinem nosset, cõmodissimum putauit esse, de prouincia clam abire: itaque fecit: profectus est Rhegium. quod vbi auditum est, æstuare illi, qui dederant pecuniam; putare nihil agi posse absente Epicrate, nã Heraclius tamen affuerat, cũ primũ dati sunt iudices: de hoc, qui, ante quã in ius aditũ esset, ante quã denique mentio controuersiæ facta esset, discessisset, putabant nihil agi posse. homines Rhegium proficiscuntur: Epicratẽ conueniunt: demõstrãt id, quod ille sciebat, se* H-S LXXX *dedisse: rogant eũ, vt id, quod ab ipsis abisset pecuniæ, curet; ab sese caueat, quẽadmodũ velit: de illa hereditate cũ Epicrate neminẽ esse acturũ. Epicrates homines multis verbis male à se acceptos dimisit. redeũt illi Rhegio Syracusas: queri cum multis, ita vt fit, incipiunt, sese* H-S LXXX *nummũ frustra dedisse. res percrebuit, in ore, atq; sermone omniũ cœpit esse. Verres refert illã suam Syracusanã: ait sese velle de illis* H-S LXXX *cognoscere: aduocat multos; dicũt Bidini Volcatio se dedisse: illud nõ addũt, iussu istius. Volcatiũ vocat: pecuniã referri imperat. Volcatius animo æquissimo nummos affert, qui nihil amitteret: reddit inspectantibus multis: Bidini nummos auferũt. Dicet aliquis: quid ergo in hoc Verrẽ reprehendis? qui nõ modo ipse fur non est, sed ne aliũ quidẽ passus est esse, attendite: iã intelligetis*

hanc

hunc pecuniam, qua via modo visa est exire ab isto, eadē semita reuertisse. quid enim debuit prætor? cum consilio re cognita, cum comperisset suum comitē, iuris, decreti, iudicij corrūpendi caussa, qua in re ipsius prætoris caput, existimatioq; ageretur, pecuniā accepisse, Bidinos autē cōtra prætoris famam, ac fortunas dedisse, non & in eum, qui accepisset, animaduertisse, & in eos, qui dedissent? tu, qui institueras in eos animaduertere, qui perperam iudicassent, quod sæpe per imprudentiā fit; hos patieris impune discedere, qui ob tuū decretū, ob tuū iudiciū pecuniam aut dandā, aut accipiendā putarant? Volcatius idem apud te postea fuit, eques R. tanta accepta ignominia? nam quid est turpius ingenuo, quid minus libero dignū, quam in conuentu maximo cogi à magistratu furtum reddere? qui si eo animo esset, quo non modo eques R. sed quiuis liber debet esse, adspicere te postea non potuisset: inimicus, hostis esset, tanta cōtumelia accepta; nisi tecum collusisset, & tuæ potius existimationi seruisset, quam suæ. qui quam tibi amicus nō modo tum fuerit, quā diu tecum in prouincia fuit, verum etiam nūc sit, cum iam à ceteris amicis sis relictus, & tu intelligis. & nos existimare possumus. An hoc solum argumentū est, nihil isto imprudente factum, quod Volcatius ei non succensuit? quod iste nec in Volcatiū, nec in Bidinos animaduertit? est magnum argumentum, verum illud maximum, quod illis ipsis Bidinis, quibus iratus esse debuit, vt à quibus comperit, quod iure agere cum Epicrate nihil possent, etiamsi adesset; idcirco suum decretum pecunia esse tentatum; his, inquam, ipsis non modo illam hereditatē, quæ Epicrati venerat, sed, vt in Heraclio Syracusano, item in hoc, paullo etiam atrocius, quod Epicrates appellatus omnino non erat, bona patria, fortunasque eius Bidinis tradidit. ostendit enim nouo modo, si quis quid ab absente peteret, se auditurum. adeunt Bidini: petunt hereditatem: procuratores postulāt, vt se ad leges suas reijciat, aut ex lege Rupilia dicam scribi iubeat. aduersarij non audebant contradicere: exitus nullus reperiebatur. insimulant, hominē fraudandi caussa discessisse: postulāt, vt bona possidere liceat. debebat Epicrates vllum nummum nemini. amici, si quis quid peteret, indicio secum agi passuros, iudicatum solui satisdaturos esse dicebant, cum omnia consilia frigerent, admonitu istius insimulare cœperunt, Epicratē litteras publicas corrupisse: à qua suspicione ille aberat plurimum. actionē eius rei postulant, amici recusare, ne quod nunquam iudicium, ne qua ipsius cognitio

illo absente de existimatione eius constitueretur: & simul idem illud postulare non desistebāt, vt se ad leges suas reijceret. iste, amplam occasionem calumniæ nactus, vbi videt esse aliquid, quod amici absentem Epicratem nollent defendere, asseuerat se eius rei in primis actionem esse daturum. cum omnes perspicerēt ad istum non modo illos nummos, qui per simulationem ab isto exierant, reuertisse, sed multo etiam plures eum postea nummos abstulisse: amici Epicratem defendere destiterunt. iste Epicratis bona Bidinos omnia possidere, & sibi habere iussit. ad illa H. S D *millia hereditaria accessit ipsius antiqua* H. S *quindecies pecunia. Vtrum res ab initio ita ducta est, an ad extremum ita perducta? an ita parua est pecunia? an is homo Verres, vt hæc, quæ dixi gratis facta esse videantur? hic nunc de miseria Siculorum iudices, audite.*

EXPLANATIO.

ALIVS *locus*} lib. IV. de signis. MARCELLEA} dies festus, ad honorem M. Marcelli à Syracusanis institutus. FAMILIAE} plures enim familiæ ex vno Claudio genere, Marcellorum, Pulchrorum, Neronum: vt ex Cornelio, Scipiones, Sullæ, Cinnæ, Dolabellæ, alij: ex Aemilio, Mamercinus, Barbula, Paullus, Lepidus, Papus, Scaurus, alij. MVCIA} festum diem Q. Mucij Scęuolæ, qui Asię, summa innocentiæ laude, præfuerat. VNCTIOR} maiore lucro. Iocatur: quia palæstritæ vngebantur. NVMERARI} à palæstritis, maiorem prædam ex hereditate exspectantibus. CVIDAM} à quo deinde ad Verrem ipsum peruenirent. SYRACVSANAM} malitiam, qua vsus erat in reddenda Syracusanis pecunia, quæ data erat eius iussu quibus ipse voluerat, sicuti data erant Volcatio ex Bidini Epicratis bonis H. S LXXX. millia. quæ Volcatium Bidinis iussit reddere, vt à se ipso infamiam auerteret. INSTITVERAS} decreueras: vt ep. ad Lentulum: Quod instituit referre de religione, & sæpe iā retulit, ab eo deduci non potest. QVI *perperam iudicassent*,} Verris edictū significat, de quo supra: Si quis perperā iudicasset, se cogniturū; cū cognosset, animaduersurum. Et ibidem, proxime: Si quid perperā iudicarit senatus IDEM} qui tuo iussu in conuentu maximo furtum reddere coact⁹ erat. OB TVVM *decretū, ob tuū indicium* } vt secun-

vt ſecundum eos decerneres,& iudicares. DANDAM,} dederunt Bidini, accepit Volcatius. LIBERO} vel ſi ingenuus non eſſet. hominũ enim tria genera, ſerui, liberi, ingenui. TECVM *colluſiſſet*,} ei tecũ conueniſſet de reddenda pecunia, vt infamia tecum ignominia ſua liberaret. A QVIBVS} non, A quibus cõperit, ſed, A quibus decretum ſuum pecunia tentatum comperit. APPELLATVS *omnino non erat*,} quia ſtatim re cognita, fugit: cum Heraclio præſenti ſcripta dica eſſet. PROCVRATORES} abſentis Epicratis. AD LEGES *ſuas* } vt Bidinus cum Bidinis æquo iure diſceptaret. alioqui recuſabãt. PER *ſimulationem*} Volcatij nomine. AB ISTO *exierant*,} nam, etſi Volcatius reddidit, ab iſto tamẽ exierunt. QVINDECIES} ſcutatorũ quadraginta quinq; millia. AN AD *extremum ita perducta eſt?*} vtrum arte & malitia vſus eſt Verres in re ab ipſo initio ducenda, an vero non ab initio arte vſus eſt, ſed ad extremũ ita rem perduxit? Dubitat: vt videatur vtrumq; credere, improbe & callide rem cum ab initio ductam, tum ad extremum eſſe perductam, lucri ſcilicet maioris gratia. Probatur hic ſenſus ea ratione, quę ſequitur, q̃a nec ita parua pecunia ſit, nec is homo Verres, vt hæc ab eo gratis eſſe facta videãtur. ORATIO.

ET Heraclius ille Syracuſanus, & hic Bidinus Epicrates expulſi bonis omnibus Romam venerunt: ſordidati, maxima barba, & capillo Romæ biennium prope fuerunt. cum L. Metellus in prouinciam profectus eſt, tum iſti bene commendati cum Metello vna proficiſcuntur. Metellus, ſimul ac venit Syracuſas, vtrumque reſcindit, & de Epicrate, & de Heraclio in vtriuſque bonis nihil erat, quod reſtitui poſſet, niſi quod moueri loco non poterat. fecerat hæc egregie primo aduentu Metellus, vt omnes iſtius iniurias, quas modo poſſet, reſcinderet, & irritas faceret. Heraclium reſtitui iuſſerat: non reſtituebatur: quiſquis erat ductus ſenator Syracuſanus ab Heraclio, duci iubebat: itaque permulti ducti ſunt. Epicrates quidẽ continuo reſtitutus eſt. alia iudicia Lilybai, alia Agraganti, alia Panhormi reſtituta ſunt. cenſus, qui iſto prætore ſunt habiti, non ſeruaturum ſe Metellus oſtenderat: decumas, quas iſte contra legem Hieronicam vendiderat, ſeſe venditurum

Hieronica lege dixerat. omnia erant Metelli eiusmodi, vt nõ tam suam præturam genere, quam istius præturam retexere videretur. simul atque ego in Siciliam veni, mutatus est. venerat ad eum illo biduo Lætilius quidam, homo non alienus à litteris: itaque eo iste tabellario semper vsus est. is epistolas complures attulerat, in his vnam domo, quæ totũ immutarat hominem. repente cœpit dicere, se omnia Verris caussa velle. sibi cũ eo amicitiã, cognationẽq; esse. mirabãtur oẽs. hoc ei tum deniq; in mentẽ venisse, postea quã tam multis eũ factis, decretisq; iugulasset. erant, qui putarent Lætiliũ legatũ à Verre venisse, qui gratiã, amicitiã, cognationemq; cõmemoraret. ex illo tẽpore à ciuitatib. laudationẽ petere, testes nõ solum deterrere verbis, sed etiã vi retinere cœpit. quod nisi ego meo aduẽtu illius conatus aliquãtulũ repreßissẽ, & apud Siculos nõ Metelli, sed Glabrionis litteris, ac lege pugnassem, tam multos huc euocare nõ potuissem. verũ, quod institui dicere, miserias cognoscite Siculorũ. Heraclius ille, & Epicrates longe mihi obuiã cũ suis omnibus processerũt: veniẽti Syracusas egerunt gratias flentes: Romã decedere mecũ cupierunt. quod erant mihi opida cõplura etiã reliqua, quæ adire vellẽ, cõstitui cum hominibus, quo die mihi Messanæ præsto essẽt. eo mihi nũciũ miserũt, se à prætore retineri. quibus ego testimoniũ denũciaui, quorũ nomina edidi Metello, cupidißimi veniendi, maximis iniurijs affecti, adhuc non venerũt. hoc iure sunt socij, vt ijs ne deplorare quidẽ de suis incõmodis liceat.

EXPLANATIO.

RESTITVI *iusserat:*} in sua bona, decreto senatus Syracusani. infra: Heraclio Syracusano tuos illos palæstritas bono restituere iussit. NON *restituebatur.*} non esse statim in sua bona restitutum Heraclium, verba illa, quæ subiũguntur, satis ostendunt, Epicrates quidem continuo restitutus est. itaque nõ video, cur pro, Non, alij reponendum putauerint, Vi: quod sententiæ, nisi fallor, aduersatur. DVCTVS} in vincula. quod ita interpretor ex huius verbi consuetudine. nam supra est: Si petit, ducas. C. Fuficiũ duci iussit petitorem. RESTITVTA *sunt:*} in integrũ, contra quam Verres decreuerat. NON *alienus à litteris*} ergo litteratus. sed iocus est ex ambiguo: nam tabellarij litteras ferunt. QVOD *nisi ego*} Quod, pro Sed, vt lib. I: Quod vos oblitos esse non

arbitror, quæ multitudo, qui ordo ad Pisonis sellam isto prætore solitus sit conuenire. Et lib. IV: Quod vbi intellexi, multum apud illos recentes nuncios, multum tabulas non commendaticias, sed tributarias valuisse. GLABRIONIS *litteris*,} qui scripserat, vt testimonia denunciare, & euocare Romam, quos vellem, mihi liceret.

ORATIO.

IAM *Heraclij Centuripini, optimi, nobilissimique adolescẽtis, testimonium audistis. à quo* H. S C *millia per calumniam, malitiamque petita sunt. iste, pœnis, compromissisque interpositis,* H. S C C C *extorquenda curauit: quodq. iudicium secundum Heraclium de compromissis factum erat, quod ciuis Centuripinus inter duos ciues iudicasset, id irritum iussit esse, eumque iudicem falsum iudicasse iudicauit: in senatu ne esset: locis, commodisque publicis vti vetuit: si quis eum pulsasset, edixit, sese iudicium iniuriarum non daturum: quidquid ab eo peteretur, iudicem de sua cohorte daturum, ipsi autem nullius actionem rei sese daturum. quæ istius auctoritas tantum valuit, vt neque illum pulsaret quisquam, cum prætor in prouincia sua verbo permitteret, re hortaretur, neque quisquam ab eo quidquam peteret, cum iste calumniæ licentiam sua auctoritate præbuisset. ignominia autem illa grauis tam diu in illo homine fuit, quã diu iste in prouincia mãsit. Hoc iniecto metu iudicibus, nouo more, nullo exemplo, ecquam rem putatis esse in Sicilia, nisi ad nutum istius, iudicatam? vtrum id solum videtur esse actum, quod est tamen actum, vt Heraclio pecunia eriperetur? an etiam illud, in quo præda erat maxima, vt nomine iudiciorum, omnium bona, atque fortunæ in istius vnius essent potestate? Iam vero in rerum capitalium quæstionibus quid ego vnamquamque rem colligam, & caussam? ex multis similibus ea sumam, quæ maxime improbitate excellere videbuntur.*

EXPLANATIO.

CMILLIA} scutatorum tria millia. COMPROMISSIS} pecunia soluenda, nisi iudicis arbitrio staretur. C C C} millia, subaudi. quod erat triplum eius pecunię, q̃ per calumniã ab Heraclio petita erat. IVDICASSET,} ex lege Rupilia. supra: Quod ciuis cũ ciue agat, domi certet suis legib⁹. IN ILLO *homine*} in illo iudice. NOMINE *iudiciorũ*,} quia, metu iudicib⁹ iniecto, nulla res, nisi ad nutũ istius, iudicabatur.

ORATIO.

SOPATER quidam fuit Haliciensis, homo domi suæ cũ primis locuples, atque honestus. is ab inimicis suis apud C. Sacerdotem prætorem rei capitalis cum accusatus esset, facile eo iudicio est liberatus. huic eidem Sopatro ijdem inimici ad C. Verrẽ, cum is Sacerdoti successisset, eiusdẽ rei nomen detulerunt. res Sopatro facilis videbatur, & quod erat innocens, & quod Sacerdotis iudicium improbare istum ausurum nõ arbitrabatur. citatur reus: caussa agitur Syracusis: crimina tractantur ab accusatore, ea, quæ erant antea non solum defensione, verum etiam iudicio dissoluta. caussam Sopatri defendebat Q. Minucius, eques R. in primis splendidus, atq; honestus, vobisque, iudices, non ignotus. nihil erat in caussa, quod metuẽdum, aut omnio quod dubitandũ videretur. interea istius libertus, & accensus idem Timarchides, qui est, id quod ex plurimis testibus priore actione didicistis, rerum huiusmodi omniũ transactor, & administer, ad Sopatrum venit: monet hominem, ne nimis iudicio Sacerdotis, & caussæ confidat: accusatores, inimicosq; eius habere in animo pecuniam prætori dare: prætorem tamen ob salutem malle accipere, & simul malle, si fieri posset, rem iudicatam non rescindere. Sopater, cum hoc illi improuisum, atque inopinatum accidisset, commotus est sane, neque in præsentia, Timarchidi quid responderet, habuit, nisi, se consideraturũ, quid sibi de ea re esset faciendum: & simul ostendit, se in summa difficultate esse nummaria. post ad amicos retulit. qui cum ei fuissent auctores redimendæ salutis, ad Timarchidem venit: expositis suis difficultatibus, hominem ad H-S LXXX. perducit, eamq; ei pecuniã numerat. postea quam ad caussam dicendam ventũ est; tum vero sine metu, sine cura omnes erant, qui Sopatrum defendebant: crimen nullum erat, res iudicata: Verres nummos acceperat. quis posset dubitare, quidnam esset futurum? res illo die non peroratur: dimittitur iudicium. iterum ad Sopatrum Timarchides venit: ait accusatores eius multo maiorem pecuniã prætori polliceri, quã quantam hic dedisset: proinde, si saperet, videret, quid sibi esset faciendum. homo, quamquam erat & Siculus, & reus, hoc est & in re iniquo, & tempore aduerso, ferre tamẽ, atque audire diutius Timarchidem non potuit. facite, inquit, quod vobis libet: daturus nõ sum amplius. idemque hoc amicis eius, & defensoribus videbatur, atque eo etiam magis, quod iste, quoquo modo se in ea quæstione

one præbebat, tamen in consilio habebat homines honestos è conuẽtu Syracusano, qui Sacerdotis quoque in consilio fuerant, tunc, cũ esset idem hic Sopater absolutus. hoc rationis habebant, facere eos nullo modo posse, vt eodem crimine, iisdem testibus Sopatrum condemnarent iidem homines, qui antea absoluissent. itaque hac vna spe ad iudicium venitur. quo postea quam ventum est, cum in consilium frequentes conuenissent iidem, qui solebant; & hac vna spe tota defensio Sopatri niteretur, consilij frequentia, & dignitate; & quod erant, vt dixi, iidem, qui antea Sopatrum eodem illo crimine liberarant: cognoscite hominis apertam, ac non modo non ratione, sed ne dissimulatione quidem tectam improbitatem, & audaciam. M. Petillium, equitem R. quem habet in consilio, iubet operam dare, quod rei priuatæ iudex esset. Petillius recusabat, quod suos amicos, quos sibi in consilio esse vellet, ipse Verres retineret. iste, homo liberalis, negat, se quemquam retinere eorum, qui Petillio vellent adesse: itaque discedunt omnes: nam ceteri quoque impetrant, ne retineantur: qui se velle dicebant alterutri eorum, quũ tum illud iudicium habebant, adesse. itaque iste solus cum sua cohorte nequissima relinquitur. non dubitabat Minucius, qui Sopatrum defendebat, quin iste, quoniam cõsilium dimisisset, illo die rẽ illam quæsiturus non esset, cum repente iubetur dicere. respondet, ad quos? ad me, inquit: si tibi idoneus videor, qui de homine Siculo, ac Græculo iudicem. idoneus es, inquit: sed peruellem adessent ij, qui affuerant antea, caussamque cognorant. dic, inquit: illi adesse non possunt. nam hercule, inquit Minucius, me quoque Petillius, vt sibi in cõsilio adessem, rogauit: & simul à subsellijs abire cœpit. iste iratus hominem verbis vehementioribus prosequitur, atque ei grauius etiam minari cœpit, quod in se tantum crimen inuidiamque conflarit. Minucius, qui Syracusis sic negotiaretur, vt sui iuris dignitatisq; meminisset, & qui sciret, se ita in prouincia rem augere oportere, vt ne quid de libertate deperderet, homini, quæ visa sunt, & quæ tempus illud tulit, & caussa, respondit: caussam sese, dimisso atque ablegato consilio, defensurum negauit: itaque à subsellijs discessit: idemque hoc præter Siculos ceteri Sopatri amici, aduocatique fecerunt. iste, quamquam est incredibili importunitate, & audacia, tamen subito solus destitutus pertimuit, & conturbatus est. quid ageret, quo se verteret, nesciebat. si dimisisset eo tempore quæstionem, post, illis adhibitis, quos ablegarat, absolutum iri Sopatrum

patrum

patrum videbat. sin autem hominē miserum, atque innocentem cō-demnasset, cum ipse prætor sine consilio, reus autem sine patrono, atque aduocatis fuisset, iudiciumque C. Sacerdotis rescidisset: inuidiam se sustinere non posse tantam arbitrabatur: itaque æstuabat dubitatione: versabat se in vtramque partem. non solum mente, verū etiam corpore: vt oēs, qui aderāt, intelligere possent, in animo eius metum, cupiditatemque pugnare. erat hominum cōuentus maximus, summum silentium, summa exspectatio, quonam esset eius cupiditas eruptura. crebro dimittebat se accensus ad aurem Timarchides. tum iste aliquando, age dic, inquit. Sopatrus implorare hominum, atque deum fidem, vt cum consilio cognosceret. tum repente iste testes citari iubet. dicit vnus, & alter breuiter: nihil interrogatur. præco, dixisse, pronunciat. iste, quasi metueret, ne Petillius, priuato illo iudicio transacto, aut dilato, cum ceteris in consilium reuerteretur, ita properans de sella exsiluit; hominē innocentem, à Sacerdote absolutum, indicta caussa, de sententia scribæ, medici, haruspicisque condemnauit.

EXPLANATIO.

OPERAM *dare,*} curare iudicium illud, cui præesset. DIC, *inquit.*} age caussam Sopatri. NAM *hercule*} affirmantis est, Nam, non, vt alibi, probantis. sic lib. I: Nam mehercule, inquit, sic agamus. PRAETER *Siculos*} qui metu Verris discedere non sunt ausi. ceteri Sopatri amici, atque aduocati, Romani videntur fuisse. AGE *dic, inquit.*} Sopatrum appellat. nam patronus eius Minucius discesserat. CVM *consilio*} cum toto consilio: nam Romani iudices, homines honesti è conuentu Syracusano, cum Petillio omnes abierant, præter eos, quos de sua cohorte Verres dederat, scribam, medicum, haruspicem. VNVS, *& alter breuiter:* } non multi dicunt, sed vnus, & alter: neque multis verbis, sed breuiter: neque de more interrogati, sed ipsi sua sponte, tamquam corrupti. DIXISSE} peroratam esse caussam. DE SELLA *exsiluit;* } vt cum sua cohorte Sopatrum condemnaret.

ORATIO.

RETINETE, retinete hominem in ciuitate, iudices: parcite, & conseruate, vt sit qui vobiscum res iudicet, qui in senatu sine vlla cupiditate de bello, & pace sententiā ferat. tametsi minus id quidē nobis, minus populo R. laborandū est, qualis istius in senatu sententia futura sit, quae enim eius auctoritas erit? quādo iste sententiā dicere audebit, aut poterit? quando autē homo tanta luxuria, atque desidia, nisi Februario mense, adspirabit in curiam? verum veniat sane, decernat bellū Cretensibus: liberet Byzantios: regem appellet Ptolemaeum: quae vult Hortensius, omnia dicat, & sentiat. minus haec ad nos, minus ad vitae nostrae discrimē, minus ad fortunarum nostrarum periculum pertinent, illud, illud est capitale, illud est formidolosum, illud optimo cuique metuendū, quod iste, ex hoc iudicio si aliqua vi se eripuerit, in iudicibus sit necesse est, sententiam de capite ciuis R. ferat, sit in eius exercitu signifer, qui imperium iudiciorum tenere vult. hoc populus R. recusat, hoc ferre non potest, clamat: permittitque vobis, vt, si istis hominibus delectemini, si ex hoc genere splendorem ordini, atque ornamentum curiae constituere velitis, habeatis sane vobis istum senatorem, istum de vobis iudicem, si vultis, habeatis. de se homines, si qui extra istum ordinem sunt, quibus ne reijciundi quidem amplius quam trium iudicū, praeclarae leges Corneliae faciunt potestatem, hunc hominem, tam crudelem, tam sceleratum, tam nefarium nolunt iudicare. etenim si illud est tam flagitiosum, quod mihi omnium rerum turpissimum, maximeque nefarium videtur, ob rē iudicādam pecuniam accipere, pretio habere addictam fidem, & religionem: quanto illud flagitiosius, improbius, indignius, eum, à quo pecuniam, ob absoluendum, acceperis, condemnare, vt ne praedonū quidem praetor in fide retinenda consuetudinem conseruaret? scelus est, accipere ab reo: quanto magis, ab accusatore? quanto etiam sceleratius, ab vtroque? fidem cum proposuisses venalem in prouincia, valuit apud te plus is, qui pecuniam maiorem dedit. concedo, forsitan aliquis aliquando eiusmodi quippiam fecerit. cum vero fidem, ac religionem tuam alteri addictam pecunia accepta, habueris, post eandem aduersarijs tradideris maiore pecūia: vtrumque falles? & trades, cui voles? & ei, quem fefelleris, ne pecuniā quidem reddes? Quem mihi tu Bulbum? quem Stalenum? quod vmquā huiusmodi monstrum, aut prodigium audiuimus, aut vidi-

mus, qui cum reo transigat, post cum accusatore decidat; honestos homines, qui caussam norint, ableget, consilioque dimittat; ipse solus reum absolutum, à quo pecuniam acceperit, condemnet, pecuniamque non reddat? Hunc hominem iudicũ numero habebimus? hic alteram decuriam senatoriam iudex obtinebit? hic de capite libero iudicabit? huic iudicialis tabula committetur? quam iste non modo cera, verum etiam sanguine, si visum erit, notabit. quid enim horum se negat fecisse: illud videlicet vnum, quod necesse est, pecuniam accepisse. quid ni iste neget? at eques R. qui Sopatrũ defendit, qui omnibus eius consilijs, rebusque interfuit, Q. Minucius iuratus dicit, pecuniam datam; iuratus dicit Timarchidem dixisse, maiorem ab accusatoribus pecuniam dari. dicẽt hoc Siculi omnes, dicent omnes Halicienses, dicet etiam prætextatus Sopatri filius: qui ab isto, homine crudelissimo, patre innocentissimo, pecuniaque patria priuatus est. Verum, si de pecunia testibus planum facere nõ possem, illud negare posses, aut nunc negabis, te, consilio tuo dimisso, viris primarijs, qui in consilio C. Sacerdotis fuerant, tibique esse solebant, remotis, de re iudicata iudicasse? teque eum, quem C. Sacerdos, adhibito consilio, caussa cognita, absoluisset, eundem, remoto consilio, caussa incognita, condemnasse? cum hæc confessus eris, quæ in foro palam Syracusis, in ore, atq; oculis prouinciæ gesta sunt; negato sane, si voles, pecuniam accepisse: reperies, credo, aliquẽ, qui, cum hæc, quæ palam gesta sunt, videat; quærat quid tu occulte egeris, aut qui dubitet, vtrum malit meis testibus, an tuis defensoribus credere. Dixi iam antea, me non omnia istius, quæ in hoc genere essent, enumeraturum, sed electurum ea, quæ maxime excellerent. Accipite nunc aliud eius facinus nobile, & multis locis sæpe cõmemoratũ, & eiusmodi, vt in vno omnia maleficia inesse videantur. attendite enim diligenter: inuenietis id facinus natum à cupiditate, auctum per stuprum, crudelitate perfectum, atque conclusum.

EXPLANATIO.

NISI *Februario mense,*} cum sententias nec de bello, nec de pace dici necesse est. legationes enim audiuntur. itaque tãtum eo mense homo luxuria, desidiaque perditus in senatum veniet. CRETENSIBVS} male animatis erga populum Romanum, vtpote qui Mithridatem quoque, cum Romanis bellum gerentem, iuuissent.

uiſſent. cum his bellum geſſit, victisque triumphauit, & Cretici cognomē accepit, Q. Metellus, qui hoc anno conſul erat deſignatus. LIBERET *Byzantios*:} vt ſuis legibus vtantur, vectigalesque populo Romano non ſint. hos poſtea P. Clodius tribunus pl. Piſone & Gabinio cos. lege ſua liberauit. in Orat. de prouincijs conſ. Te imperatore infeliciſſimo, & teterrimo, Cæſonine Caluenti, ciuitas libera, & proximis ſuis beneficijs à ſenatu, & à populo Romano liberata, ſic ſpoliata, atque nudata eſt, vt, niſi C. Virgilius legatus interueniſſet, vnum ſignum Byzantij ex maximo numero nullum haberent. REGEM *appellet Ptolemæum*:} Alexandrinum: erat enim & Cyprius rex alter Ptolemæus, huius frater. Videtur hic eſſe Ptolemæus ille, de quo Suetonius his verbis: Conciliato populi fauore; tentauit per partem tribunorum, vt ſibi Aegyptus prouincia plebiſcito daretur, nactus extraordinarij imperij occaſionem, quod Alexandrini regem ſuum, ſocium, atque amicum à ſenatu appellatum, expulerant. Hic igitur Ptolemæus, qui, Cicerone ædile deſignato, nondum à ſenatu rex appellatus erat, honorem ſocietatis & amicitię populi Romani ante Cæſarem ædilem obtinuit, auctore Suetonio. Cum Ptolemæo autem patre Cleopatrę non ante Cęſarem ædilem, ſed poſt aliquot annos, ipſo conſule, ſocietas facta eſt: vt lib. III, bel. ci. ipſe ſcripſit. NECESSE *eſt*,} cum ſenator ſit. QVI *imperium iudiciorum tenere vult*.} Hortenſium deſignat: cuius voluntatem ita ſequetur iudex Verres; vt in ſenatu dictum eſt enim: Quæ vult Hortēſius, omnia dicat, & ſentiat. ISTVM *ordinem*} ſenatorium. DE SE *homines, ſi qui extra ordinem ſunt*,} hoc ſignificat: Populus Romanus permittit vobis, vt iudicem Verrem ſenatorem habeatis, ſi quis ex vobis in iudicium vocabitur: ſed, ſi quis de populo, qui ſenator non ſit, reus fiet; is certe, cum tres tantum iudices ex lege Cornelia liceat reijcere, in ijs ipſis tribus maxime Verrem, vt crudelem, vt ſceleratum, vt nefarium, reijciet. AMPLIVS, *quam trium iudicum*,} in eo ſenatorum exiſtimationi Sulla conſuluit. bene enim de illo ordine ſentire viſus eſt, cum tres tantum

Dd reijciun-

reijciundi potestatem fecit. nam, si permisisset, vt reijci plures possent, multos reperiri senatores improbos, iudicare visus esset. PRAECLARAE *leges Corneliæ*} Præclaræ primum, quia iudicia nobis tradiderunt: (gratiam iudicũ aucupatur) deinde, quia non amplius, quã trium iudicum, reijciundi potestatem fecit. TAM *crudelem, tam sceleratum, tam nefarium* } mira vis oratoris. cum ait, Crudelem, vitium Verris vnum notat: cum, Sceleratum, multa. scelus enim late patet, & in multis criminibus est: cum Nefarium, ita turpia, vt accedere nihil possit. Nefarius est enim, de quo ne fari quidem licet. Quibus in omnibus mediocritatem excludit, addita particula, Tam. ETENIM *si illud est tam flagitiosum*, } hoc ornamenti genere, quod mire valet ad exaggerandum, nusquam copiosius, quam in ea pro Quinctio, vsus est. Miserum est, inquit, exturbari fortunis omnibus: miserius est, iniuria. acerbum est, ab aliquo circumueniri: acerbius, à propinquo. calamitosum est, bonis euerti: calamitosius, cum dedecore. funestum est, à forte atque honesto viro iugulari: funestius, ab eo, cuius vox præconio quæstu præstitit. indignum est, à pari vinci, aut superiore: indignius, ab inferiore, atque humiliore. luctuosum est, tradi alteri cum bonis: luctuosius, inimico. horribile est, caussam capitis dicere: horribilius, priore loco dicere. QVEM *mihi tu Bulbum, quem Stalenum?*} qui cum ab Oppianico, vt absoluerentur, pecuniam accepissent, eum tamẽ postea condemnarunt. vide pro Cluentio. HONESTOS *homines*} Petillium, & reliquos de conuentu Syracusano, qui iudicare debebant. CONDEMNET, } Sopatrum. CERA } vt Hortensius. vide in Diuin.

ORATIO.

STHENIVS *est, is qui nobis assidet, Thermitanus, antea multis, propter summam virtutem, summamque nobilitatem, nunc, propter summã calamitatem, atq; istius insignem iniuriã omnibus notus. huius hospitio Verres cum esset vsus, & cum apud eum non modo Thermis sæpenumero fuisset, sed etiam habitasset,*

domo eius omnia abstulit; quæ paullo magis animum cuiuspiam, aut oculos possent commouere. etenim Sthenius ab adolescentia paullo studiosius hæc comparabat, supellectilē ex ære elegantiorem & Deliacam, & Corinthiam, tabulas pictas, etiam argenti bene facti, prout Thermitani hominis facultates ferebant, satis. quæ, cū esset in Asia adolescens, studiose, vt dixi, comparabat, non tam suæ delectationis caussa, quam ad inuitationes aduentusque nostrorum hominum, suorum amicorum, atque hospitum. quæ posteà quam iste omnia abstulit, alia rogando, alia poscendo, alia sumendo; ferebat Sthenius vt poterat, tangebatur tamen animi dolore necessario; quod domum eius exornatam, atq; instructam fere iam iste reddiderat nudam, atque inanem. veruntamen dolorē suum nemini impertiebat: prætoris iniurias tacite, hospitis placide ferendas arbitrabatur. intereà cupiditate iste illa sua nota, atq; apud omnes peruulgata, cum signa quædam pulcherrima, atque antiquissima Thermis in publico posita vidisset, adamauit: à Sthenio petere cœpit, vt ad ea tollenda operam suam profiteretur, seque adiuuaret. Sthenius vero non solum negauit; sed etiam ostendit, id fieri nullo modo posse, vt signa antiquissima, monumenta P. Africani, ex opido Thermitanorum, incolumi illa ciuitate, imperioque populi R. tollerentur. etenim, vt simul P. Africani quoque humanitatem cognoscatis, opidum Himeram Carthaginenses quondā ceperant, quod fuerat in primis Siciliæ clarum, & ornatum. Scipio, qui hoc dignum populo R. arbitraretur, bello cōfecto, socios sua per nostram victoriam recuperare; Siculis omnibus, Carthagine capta, quæ potuit, restituenda curauit. Himera deleta, quos ciues belli calamitas reliquos fecerat, ii sese Thermis collocarant in eiusdem agri finibus, neque longe ab opido antiquo. hi se patrum fortunam, ac dignitatem recuperare arbitrabantur, cum illa maiorum ornamenta in eorum opido collocabantur. erant signa ex ære complura; in his mira pulchritudine ipsa Himera, in muliebrem figuram, habitumque formata, ex opidi nomine, & fluminis. erat etiam Stesichori poetæ statua, senilis, incurua, cum libro, summo, vt putant, artificio facta ab eo, qui fuit Himeræ, sed est, & fuit tota in Græcia summo propter ingenium honore, & nomine. hæc iste ad insaniam concupierat. etiam, quod pæne præterii, capella quædam, eà quidem mire, vt etiam nos, qui rudes harum rerum sumus, intelligere possumus, scite facta, & venuste. hæc & alia Scipio

non negligenter abiecerat, vt homo intelligens Verres auferre posset, sed Thermitanis restituerat: non quo ipse hortos, aut suburbanum, aut locum omnino, vbi ea poneret, nullum haberet: sed, si domum abstulisset, non diu Scipionis appellarentur, sed eorũ, ad quoscumque ipsius morte venissent: nunc ijs locis posita sunt, vt mihi semper Scipionis fore videantur, itaq; dicantur. hæc cum iste posceret; agereturq; ea res in senatu; Sthenius vehementissime restitit, multaque, vt in primis Siculorum in dicendo copiosus est, commemorauit: vrbem relinquere Thermitanos esse honestius, quam pati tolli ex vrbe monumẽta maiorum, spolia hostium. beneficia clarissimi viri, indicia societatis populi R. atque amicitiæ. commoti animi sunt omnium. repertus est nemo, quin mori diceret satius esse. itaque hoc adhuc opidum Verres inuenit prope solum in orbe terrarum, vnde nihil eiusmodi rerum de publico per vim, nihil occulte, nihil imperio, nihil gratia, nihil precario posset auferre. verumtamen hasce eius cupiditates exponam alio loco: nunc ad Sthenium reuertar. Itaque iste vehementer Sthenio infensus, hospitium ei renunciat, domo emigrat, atque adeo exit: nam iam ante migrarat. eum autem inimicissimi Sthenij domum suam statim inuitant, vt animum eius in Sthenium inflammarent, ementiendo aliquid, & criminando. hi autem erant inimici, Agathinus, homo nobilis, & Dorotheus, qui habebat in matrimonio Callidamam, Agathini eius filiam, de qua iste audierat: itaque ad generum Agathini migrare maluit. vna nox intercesserat, cum iste Dorotheum sic diligebat, vt diceres omnia inter eos esse communia: Agathinum ita obseruabat, vt aliquem affinem ac propinquum. cõtemnere etiam signum illud Himeræ iam videbatur, quod eum multo magis figura, et lineamenta hospitæ delectabant. itaque hortari homines cœpit, vt aliquid Sthenio periculi crearent, criminisque confingerent. dicebant se illi nihil habere, quod dicerent. tũ iste his aperte ostendit, & confirmauit, eos, in Sthenium quidquid vellent dicerent, simul atque ad se detulissent, probaturos. ita illi non procrastinant: Sthenium statim educunt: aiunt ab eo litteras publicas esse corruptas. Sthenius postulat, vt secum sui ciues agant de litteris publicis corruptis, eiusque rei legibus Thermitanorum actio sit: cum senatus populusque R. Thermitanis, quod semper in amicitia, fideque mansissent, vrbes, agros, legesq; suas reddidisset, Publiusque Rupilius postea leges ita Siculis ex S. C. de decem legatorum sententia

dedis-

dedisset, vt ciues inter se legibus suis agerent, idemque hoc habuerit Verres ipse in edicto; vt de his omnibus caussis se ad leges reijceret. iste, homo omnium æquissimus, atque à cupiditate omnium remotissimus, se cogniturum esse confirmat: paratum ad caussam dicendam venire hora octaua iubet. non erat obscurum, quid homo improbus, ac nefarius cogitaret. neque enim ipse satis occultarat, nec mulier tacere poterat. intellectum est, id istum agere, vt, cum Sthenium sine vllo argumēto, ac sine teste damnasset, tum homo nefarius de homine nobili, atque id ætatis, suoq; hospite virgis supplicium crudelissime sumeret. quod cum esset perspicuum, de amicorum hospitumque suorū sententia Thermis Sthenius Romam profugit, hyemi fluctibusq; sese cōmittere maluit, quam non istam communē Siculorum tempestatem, calamitatemq; vitare. iste, homo certus, & diligens, ad horam octauam præsto est. Sthenium citari iubet: quem postea quam videt non adesse, dolore ardere, atq; iracundia furere cœpit, Venerios in domum Sthenij mittere, equites circum agros eius, villasq; dimittere. itaq; cum exspectat quidnam sibi certi afferatur, ante horam tertiam noctis de foro non discessit, postridie mane descendit: Agathinum ad sese vocat: iubet eum de litteris publicis in absentem Sthenium dicere. erat eiusmodi caussa, vt ille ne sine aduersario quidem apud inimicum iudicem reperire posset, quid diceret: itaque tantum verbo posuit, Sacerdote prætore Sthenium litteras publicas corrupisse. vix ille hoc dixerat, cum iste pronunciat, Sthenium litteras publicas corrupisse videri, & hæc præterea addidit homo Venerius nouo modo, nullo exemplo, ob eam rem H-S D Veneri Erycinæ de Sthenij bonis exactum iri: bonaq; eius statim cœpit vendere: & vendidisset, si tantulū moræ fuisset, quo minus ei pecunia illa numeraretur. ea postquā numerata est, contentus hac iniquitate nō fuit: palam de sella, ac tribunali pronunciat; si quis absentem Sthenium rei capitalis reum facere vellet, sese eius nomen recepturum: & simul, vt ad caussam accederet, nomenq; deferret, Agathinū, nouum affinem, atq; hospitem, cœpit hortari. tum ille clare, omnibus audientibus, sese id non esse facturum, neque se vsque eo Sthenio esse inimicum, vt eum rei capitalis affinem esse diceret. hic tum repente Pacilius quidam, homo egens, & leuis, accedit: ait, si liceret, nomen absentis deferre, se velle. iste vero, & licere, & fieri solere, & se recepturum. itaque defertur. edicit statim, vt Kal. Dec. adsit Sthenius

Syracusis. hic, qui Romam venisset, satisque feliciter anni iam aduerso tempore nauigasset, omniaq; habuisset æquiora, & placabiliora, quam animum prætoris, atque hospitis, rem ad amicos suos detulit, quæ, vt erant acerba, atque indigna, sic videbantur omnibus. itaque in senatu continuo Cn. Lentulus, & L. Gellius cos. faciunt mentionem, placere statui, si patribus conscriptis videretur, ne absentes homines in prouincijs rei fierent rerum capitaliũ: caussam Sthenij totam, & istius crudelitatem, & iniquitatem senatum docẽt. aderat in senatu Verres, pater istius: flens vnumquemque senatorem rogabat, vt filio suo parceret: neque tamen multum proficiebat. erat enim summa voluntas senatus: itaq; sententiæ dicebantur: cum Sthenius absens reus factus esset, de absente iudicium nullum fieri, placere, et si quod esset factum, id ratum esse, nõ placere. eo die transigi nihil potuit, quod & id tẽporis erat, & ille pater istius inuenerat homines, qui dicendo tempus consumerent. postea senex Verres defensores, atque hospites omnes Sthenij conuenit: rogat eos, atque orat, ne oppugnent filium suum, de Sthenio ne laborent: confirmat his, curaturum se esse, ne quid ei per filium suum noceretur; se homines certos eius rei caussa in Siciliam & terra, & mari missurum, & erat spatium dierum fere triginta ante Kal. Dec. quo iste, vt Syracusis Sthenius adesset, edixerat. commouentur amici Sthenij: sperant fore, vt patris litteris, nuncijsque ab incepto furore reuocetur, in senatu postea caussa non agitur. veniunt ad istũ domestici nuncij, litterasq; à patre afferunt ante Kal. Dec. cum isti etiam tum de Sthenio integra tota res esset: eodemq; ei tempore de eadem re litteræ complures à multis eius amicis, ac necessarijs afferuntur. hic iste, qui præ cupiditate, neque officij sui, neque periculi, neque pietatis, neque humanitatis rationem habuisset vnquã, neq; in eo, quod monebatur, auctoritatẽ patris, nec in eo, quod rogabatur, amicorũ voluntatẽ anteponẽdam putauit libidini suæ. mane Kal. Dec. vt edixerat, Stheniũ citari iubet. Si abs te istam rem parens tuus alicuius amici rogatu, benignitate, aut ambitione inductus petisset, grauissima tamen apud te voluntas patris esse debuisset. cum vero abs te tui capitis caussa peteret, hominesque certos domo misisset, hiq; eo tempore ad te venissent, cum tibi in integro tota res esset: ne tum quidem te potuit si nõ pietatis, at salutis tuæ ratio ad officium, sanitatemq; reducere? Citat reum: non respondet. citat accusatorem (attendite, quæso: videte, quanto-

pere

pere istius amentiæ fortuna ipsa aduersata sit: & simul videte, quis Sthenij caussam casus adiuuerit) citatus accusator M. Pacilius nescio quo casu non respondit, non affuit. si præsens Sthenius reus esset factus, si manifesto in maleficio teneretur: tamen, cum accusator non adesset, Sthenium condemnari non oporteret. etenim, si posset reus absente accusatore damnari, non ego à Vibone Veliam paruulo nauigio inter fugitiuorum, ac prædonum, ac tua tela venissem: quo tempore omnis illa mea festinatio fuit, cum periculo capitis. ob eam caussam, ne tu ex reis eximerere, si ego nō affuissem ad diem. quod igitur erat in tuo iudicio optatissimum, me, cum citatus essē, non adesse cur Sthenio non putasti prodesse oportere, cum eius accusator non affuisset? itaque fecit, vt exitus principio simillimus reperiretur. quem absentem reum fecerat, eum absente accusatore condemnat.

EXPLANATIO.

ANTEA *multis*} similis illa figura lib. V: Homo, quam diu vixit, domi suæ, post mortem tota Sicilia clarus, & nobilis. DELIACAM, *et Corinthiam*,} vasa significantur ex ære Deliaco, & Corinthio. Pro Roscio Am. Domus referta vasis Corinthijs, & Deliacis. AD *insaniā*} huius verbi vim supra attigimus in eo loco: Quibus in rebus istius cupiditates, & insaniam quis ignorat? EXIT:} cum supellectile direpta. IAM *ante migrarat.*} cū hospitis rem, contra ius hospitij, ad se transtulit, migrare, & ab eo separatim habitare, visus est, quamquam domo non exiret. VNA *nox*,} qua cum eius vxore concubuit. OMNIA *inter eos communia:*} ne vxore quidem excepta. AFFINEM} vt affinis Agathinus Dorothei, generi sui, sic Verris tamquam generi. supra. SINE *vllo argumento*,} nulla ratione, nulla caussa: vt infra: Quid tandem habuit argumenti, aut rationis res. VENERIOS} seruos suos. STHENIVM *litteras publicas corrupisse videri.*} vsitatus loquendi modus, affirmatione remota. ad Att. lib. IV: Drusus, Scaurus non fecisse videntur. HOMO *Venerius:*} cultor Veneris. supra: Satis ne vobis magnam pecuniam Venerius homo Veneris nomine quæsisse videtur? ADERAT *in senatu Verres, pater istius:*} qui diuisor fuerat. nam Act. I: Q. Verrem Romilia, ex opti-

ex optima diuiforũ difciplina, patris iftius difcipulum. QVI *dicendo tempus confumerent.* } licebat enim fenatori, quam diu vellet, dicere. lib. I I I. de leg. Nec eft vmquam longa oratione vtendum, nifi aut exfpectante fenatu, quod fit ambitione fæpiffime, cum, nullo magiftratu adiuuante, tolli diem vtile eft; aut, &c. TVA TELA } Act. I: Cum multæ mihi à C. Verre infidiæ terra marique factæ fint. FVGITIVORVM, } refiduam Spartaci manum fignificat.

ORATIO.

NVNCIABATVR *illi primis illis temporibus id, quod pater quoque ad eum pluribus verbis fcripferat, agitatam rem effe in fenatu, etiam in concione tribunorũ pl. de cauffa Sthenij, M. Palicanum effe queftum, poftremo me ipfum apud collegium hoc tribunorũ pl. cum eorum omnium edicto nõ liceret quem quam Romæ effe, qui rei capitalis condẽnatus effet, egiffe cauffam Sthenij, cum rem ita expofuiffem, quemadmodum nunc apud vos, docuiffemque, hanc damnationẽ duci non oportere, tribunus pl. hoc ftatuiffe, idq; omnium fentẽtia pronunciatum effe, non videri Sthenium impediri edicto, quo minus ei liceret Romæ effe, cum hæc ad iftum afferrentur, timuit aliquando, & cõmotus eft: vertit ftilum in tabulis fuis: quo facto cauffam omnem euertit fuam: nihil enim fibi reliqui fecit, quod defendi aliqua ratione poffet. nam, fi ita defenderet, recipi nomen abfentis licet, hoc fieri in prouincia nulla lex vetat: mala, & improba defenfione, verũ aliqua tamen vti videretur. poftremo illo defperatiffimo perfugio vti poffet, fe imprudentem feciffe, exiftimaffe id licere. quamquam hæc perditiffima defenfio eft, tamen aliquid dici videretur. tollit ex tabulis id quod erat, & facit coram delatum effe. hic videte, in quot laqueos fe induerit, quorum ex nullo fe vmquã expediret. primum ipfe in Sicilia fæpe, et palam de loco fuperiore dixerat, & in fermone multis demonftrarat, licere nomen recipere abfentis, fe exemplo feciffe id quod feciffet. hæc eum dictitaffe priore actione, & Sex. Pompeius Chlorus dixit, de cuius virtute antea cõmemoraui, & Cn. Põpeius Theodorus, homo C. Põpeij, clariffimi viri, iudicio, plurimis maximifq; in rebus probatiffimus, & omnium exiftimatione ornatiffimus; & Pofides Matro Solentinus, homo fumma nobilitate, exiftimatione, virtute; & hæc actione quam voletis multi dicent, et qui*

ex ifto

ex isto ipso audierint, viri primarij nostri ordinis; & alij, qui interfuerint, cum absentis nomen reciperetur, deinde Romæ cum res esset acta in senatu, omnes istius amici, in his etiam pater eius, hoc defendebat licere fieri: sæpe esse factum: istum, quod fecisset, aliorum exemplo, institutoq; fecisse. dicet præterea testimonium tota Sicilia: quæ in cōmunibus postulatis ciuitatum omnium consulibus edidit, rogare, atque orare patres conscriptos, vt statuerent, ne absentium nomina reciperentur. qua de re Cn. Lentulum, patronum Siciliæ, clarissimum adolescentem, dicere audistis: Siculos, cum se caussam, quæ pro his sibi in senatu agenda esset, docerent, de Sthenij calamitate questos esse, propterque hanc iniuriam, quæ Sthenio facta esset, eos statuisse, vt, quod dico, postularetur. Quæ cum ita essent, tantane amentia præditus, atque audacia fuisti, vt in re tam clara, tam testata, tam abs te ipso peruulgata tabulas publicas corrūpere auderes? at quemadmodū corripuisti? nōne ita, vt omnibus nobis tacentibus, ipsæ te tuæ tabulæ condemnare possent? Quæso, codicem circumfer, ostende. videtis ne totum hoc nomen, coram vbi facit delatum, esse in litura? quid fuit istic antea scriptum? quod mendum ista litura correxit? Quid à nobis, iudices exspectatis argumenta huius criminis? nihil dicimus: tabulæ sunt in medio: quæ se corruptas, atque interlitas esse clamant. ex istis etiam tu rebus effugere te posse confidis? cum te nos non opinione dubia, sed tuis vestigijs persequamur, quæ tu in tabulis publicis expressa, ac recentia reliquisti. Is mihi etiam, Stheniū litteras publicas corrupisse, caussa incognita iudicabit, qui defendere non potuerit, se ex ipsius Sthenij nomine litteras publicas non corrupisse. videte porro aliam dementiam: videte, vt, dum expedire sese vult, induat. Cognitorem adscribit Sthenio: quem cognatum aliquem, aut propinquum? non: Thermitanum aliquem, honestum hominem, ac nobilem? ne id quidem: at Siculum, in quo aliquis splendor, dignitasq; esset? minime. quid igitur? ciuem Romanum. cui hoc probari potest? cum Sthenius ciuitatis suæ nobilissimus, amplissima cognatione, plurimis amicitijs, cum præterea tota Sicilia multum auctoritate, & gratia posset; inuenire neminem Siculum potuit, qui pro se cognitor fieret? hoc probabis? an ipse ciuem R. maluit? cedo; cui Siculo, cum is reus fieret, ciuis Romanus cognitor factus vnquam sit. omnium prætorum litteras, qui ante fuerunt, profer, explica: si vnum inueneris, ego hoc tibi, quemadmodum in tabu-

lis scriptum habes, ita gestum esse concedam. at credo Sthenius hoc sibi amplum esse putauit, eligere è ciuiū R. numero, ex amicorum, atque hospitum suorum copia, quem cognitorem daret. quem delegit? quis in tabulis scriptus est? C. Claudius, C. filius, Palatina. non quaero, quis hic sit Claudius, quam splēdidus, quam honestus, quam idoneus, propter cuius auctoritatem & dignitatem Sthenius ab omnium Siculorum consuetudine discederet, & ciuem Romanum cognitorem daret. nihil horum quaero. fortasse enim Sthenius non splendorem hominis, sed familiaritatem secutus est. quid, si omnium mortalium Sthenio nemo inimicior, quam hic C. Claudius tum semper, tum in his ipsis rebus, & temporibus fuit? si de litteris corruptis contrauenit? si contra omni ratione pugnauit? vtrum potius, pro Sthenio inimicum cognitorem esse factum, an te in Sthenij periculum inimici eius nomine abusum esse credemus? ac ne quis forte dubitet, cuiusmodi totum sit negotium: tametsi iam dudum omnibus istius improbitatem perspicuam esse confido, tamen paullulum etiam attendite. Videtis illum subcrispo capillo, nigrum? qui eo vultu nos intuetur, vt sibi ipse peracutus esse videatur? qui tabulas tenet? qui scribit? qui monet? qui proximus est? is est C. Clodius, qui in Sicilia sequester istius, interpres, confector negotiorum, prope collega Timarchidis numerabatur; nunc obtinet eum locum, vt vix Apronio illi de familiaritate concedere videatur; & qui se nō Timarchidis, sed ipsius Verris collegam, & socium esse dicebat. Dubitate etiam, si potestis, quin eum iste potissimum ex omni numero delegerit, cui improbam personam imponeret, quem & huic inimicissimum, et sibi amicum esse arbitraretur. hic vos dubitatis, iudices, tantam istius audaciam, tantam crudelitatem, tantam iniuriam vindicare? dubitatis exemplum iudicū illorum sequi, qui, damnato Cn. Dolabella, damnationem Philodami Opuntij resciderunt, quod is non absens reus factus esset, quae res iniquissima, & acerbissima est, sed cum ei legatio Romam à suis ciuibus esset data? quod illi iudices multo in leuiore caussa statuerunt, aequitatem secuti, vos id statuere in grauissima caussa, praesertim aliorum auctoritate iam confirmatum, dubitabitis?

EXPLANATIO.

PALICANVM} Lollię gentis, ingenio ad accusandū propenso: de quo ad Att. Dignus, qui Palicano, sicut facit, os ad male audiendum praebeat. DE LOCO

supe-

ſuperiore} de tribunali.ep.ad Appium: Illud quidem ſcio, meos multos,& illuſtres,& ex ſuperiore,& ex æquo loco ſermones habitos cum tua ſumma laude, ad te vere potuiſſe deferri. CN. *Lentulum,*} Marcellinum, de quo in Diuin. is enim Siciliæ patronus fuit. erat hoc tempore alter Cn. Lentulus cenſor, ſed non Marcellini cognomine: nõ enim à Marcellis, qui erant omnes Siciliæ patroni, originem ducebat. VT QVOD *dico,poſtularetur:*} ne abſentiũ nomina reciperentur. CORAM *vbi ſacit delatum,*} Sthenium, ſupra: Tollit ex tabulis id, quod erat,& facit, corã delatum eſſe. VESTIGIIS} lituris. C. CLAVDIVS C. F. *Palatina.*} ex Palatina tribu, non ſplendidus homo, non honeſtus, non idoneus, propter cuius auctoritatem & dignitatem Sthenius ab omnium Siculorum conſuetudine diſcederet, & ciuem Romanum cognitorem daret. nam propter eius ignobilitatem tribus nomen eſt additum. qua de re diximus in ea pro Quinctio. CONTRA *venit*} iudiciale verbum, cuius exempla nonnulla ſubijciam. Phil. 2. Contra rem ſuam me neſcio quando veniſſe, queſtus eſt. Phil. 8. Negat ſe illi amicum eſſe debere: cum ſuo magno eſſet beneficio, veniſſe eum contra ſe. Pro Q. Roſcio: Quid tu, Saturi, qui contra hunc venis, exiſtimas aliter? PRO STHENIO} vt Sthenium iuuaret: quod ab inimico nõ exſpectatur. IN STHENII *periculum*} ad Sthenium opprimendum. ABVSVM *eſſe*} aſtute, & dolo malo vſum eſſe. APRONIO *illi*} Verris amoribus,& delicijs: vt lib. III. DAMNATIONEM *Philodami*} damnatus erat à Dolabella. OPVNTII} hoc addidit, vt hunc Philodamum à Lampſaceno diſtingueret, qui & ipſe damnatus quidem erat à Dolabella, ſed in Aſia, Neronis prouincia: vt lib. I. NON *abſens reus factus eſſet,*} vt Sthenius. IN GRAVISSIMA *cauſſa*} abſens enim damnatus eſt, obiecto falſo crimine, q a litteras publicas corrupiſſet.

ORATIO.

AT quem hominem, C. Verres, tanta tam inſigni iniuria affeciſti? cuius abſentis nomen recepiſti? quem abſentem non modo ſine crimine, et ſine teſte, verũ etiam ſine accuſatore dãnaſti? quẽ hominẽ, dij immortales: nõ dicã amicũ tuũ, quod apud homines

homines carißimum est: non hospitem, quod sanctißimum est. nihil enim minus libenter de Sthenio cōmemoro: nihil aliud in eo, quod reprehendi poßit, inuenio, nisi quod homo frugalißimus, atque integerrimus, te hominem plenum stupri, flagitij, sceleris domum suam inuitauit, nisi quod qui C. Marij, & Cn. Pompeij, C. Marcelli, L. Sisennæ, tui defensoris, ceterorumq; fortißimorum hospes fuisset, atque esset, ad eum numerum clarißimorum hominum tuum quoque nomen adscripserit. quare de hospitio violato, & de isto tuo nefario scelere nihil queror: hoc dico, nō ijs, qui Sthenium norunt, hoc est nemini eorum, qui in Sicilia fuerunt: nemo enim ignorat, quo hic in ciuitate sua splendore, qua apud omnes Siculos dignitate, atque existimatione sit: sed vt illi quoque, qui in ea prouincia non fuerunt, intelligere poßint, in quo homine tu statueris exemplum eiusmodi, quod tum propter iniquitatem rei, tum etiam propter hominis dignitatem acerbum omnibus, atque intolerandum videretur. Est ne Sthenius is, qui omnes honores domi suæ facillime cum adeptus esset, amplißime ac magnificentißime geßit? qui opidum non maximum maximis ex pecunia sua locis communibus, monumentisque decorauit? de meritis in remp. Thermitanorum, Siculosque vniuersos fuit ænea tabula fixa Thermis in curia: in qua publice erat de huius beneficijs scriptum, & incisum: (quæ tabula tum imperio tuo reuulsa, nunc à me tamen reportata est) vt omnes huius honores inter suos, & amplitudinem possent cognoscere. Est ne hic, qui, apud Cn. Pompeium, clarißimum virum, cum accusatus esset, quod propter C. Marij familiaritatem, & hospitium contra remp sensisse eum inimici & accusatores eius dicerent, cum magis inuidioso crimine, quam vero accerseretur, ita à Cn. Pompeio absolutus est, vt in eo ipso iudicio Pompeius hunc hospitio suo dignißimum statuerit? ita porro laudatus, defensusq; ab omnibus Siculis, vt idem Pompeius non ab homine solum, sed etiam à prouincia tota se huius absolutione inire gratiam arbitraretur? Postremo, est ne hic, qui & animum in remp. habuit eiusmodi, & tantum auctoritate apud suos ciues potuit, vt perficeret in Sicilia solus te prætore, quod non modo Siculus nemo, sed ne in Sicilia quidem tota potuisset, vt ex opido Thermis nullum signum, nullum ornamentum, nihil ex sacro, nihil de publico attingeres? cum præsertim essent multa præclara, et tu omnia concupisses. Denique nunc vide, quid inter te, cuius nomine apud Siculos dies festi agi-

sti agitantur, & praeclara illa Verrea celebrantur, cui statuae Romae stant inauratae, à communi Siciliae, quemadmodum inscriptum videmus, datae; vide, inquam, quid inter te & hunc Siculum, qui abs te est, patrono Siciliae condemnatus, intersit. hunc ciuitates ex Sicilia permultae testimonio suo, legationibusq; ad eam rem missis, publice laudant: te, omnium Siculorum patronum, vna Mamertina ciuitas, socia furtorum, ac flagitiorum tuorum, publice laudat, ita tamen nouo more, vt legati laedant, legatio laudet. ceterae quidem ciuitates publice litteris, legationibus, testimonijs, accusant, queruntur, arguunt: si tu absolutus sis, funditus euersas se esse arbitrantur.

EXPLANATIO.

QVEM *hominem dij immortales:*} amplificatio, vt infra: Quanta illuc multitudo, quanta vis hominum conuenisse dicebatur tum, cum statuae sunt illius deiectae, atque euersae? at quo loco? celeberrimo ac religiosissimo. Et aliquanto post: Possum ne rem magis iudicatam afferre? magis reum condemnatum in iudicium adducere? at quorũ iudicio condemnatum? nempe eorum, quos ij, qui seueriora iudicia desiderant, arbitrentur res iudicare oportere. Lib. III: Videamus, Herbitensis ciuitas honesta, & antea copiosa, quemadmodum spoliata ab isto, ac vexata sit. at quorum hominum? summorum aratorum. Lib. IV: Mamertina ciuitas improba antea non erat, erat etiã inimica improborum: quae C. Catonis, illius, qui consul fuit, impedimenta retinuit: at cuius hominis? clarissimi, potentissimiq;. Ad Pętum: Habuisses non hospitem, sed contubernalem. at quem virum? quem tu solitus es promulside conficere. Terentius in Phorm. At quem virum? quem ego optimum in vita viderim C. MARII} septies consulis. CN. POMPEII,} qui tum consul erat. C. MARCELLI,} qui Siciliae prędfuerat, vt supra dictum est, & in caussa Verris iudex erat, vt lib. IV. SISENNAE,} Corneliae gentis. nominatur in Bruto inter oratores. ATQVE *esset,*} remanet enim hospitium, semel institutum, vel absentibus hospitibus. DE HOSPITIO *violato*} vsus est verbo de sacris rebus vsurpari solito. & hospitibus pręesse Iupiter, quem propterea Hospitalem vocarũt, existimabatur. Pro Deiotaro: Si palam te

Iam te interemisset, omnium in se gentium non solum odia, sed etiam arma conuertisset: si veneno, Iouis illius quidem Hospitalis numen numquam celare potuisset, homines vero fortasse celauisset. Hic autẽ paullo ante: Non dicam amicum tuum, quod apud homines carissimum est: nõ hospitem, quod sanctissimũ est. HOC *dico,*} quid id quod subiungitur: Est ne Sthenius is, qui omnes honores domi suæ, facillime cum adeptus esset, amplissime, ac magnificentissime gessit? Hęc enim spectant ad illa superiora, Quem hominem, dij immortales? Quasi subiunxerit, eum, qui omnes honores domi suæ, facillime cum adeptus esset, amplissime ac magnificentissime gessit? CN. *Pompeium:*} cum in Sicilia fuit, Carbonem persequens, Marianarum partium ducẽ. CONTRA *remp.*} contra optimates, quorum defensor Sulla fuit: Pompeius autem pro Sulla contra Marium, eiusq; factionẽ pugnauit. INVIDIOSO,} quod odiũ parere posset, ob C. Marij familiaritatẽ & hospitiũ. EIVSMODI, } qualẽ iudicauit Põpeius, cum eũ absoluit. A COMMVNI *Siciliæ,*} male antea, A cõmuni Sicilia. sic alibi, Cõmune Miliadũ. DATAE} vt patrono. VT *legati lædant:*} repetendo quæ tũ ijs abstulisti. supra: Præclara laudatio, cum duabus in rebus legatorum vna opera consumitur, in laudando, atque repetendo. *Lædant:* accusent: vt ad Lentulum: Cum me dicentem, non lacessentem læsisset. Et in epist. Trebonij: Etiam si odio par fuerit in eos, quos læsit.

ORATIO.

HOC *de homine, ac de huius bonis etiam in Eryce monte monumentum tuorum flagitiorum, crudelitatisque posuisti: in quo Sthenij Thermitani nomen adscriptum est. vidi argenteum Cupidinem cum lampade. quid tandem habuit argumenti, aut rationis res, quamobrem in eo potissimum Sthenianum præmium poneretur? vtrum hoc signum cupiditatis tuæ, an tropheum necessitudinis, atque hospitij, an amoris indicium esse voluisti? Faciunt hoc homines, quos in summa nequitia non solum libido, & voluptas, verum etiam ipsius nequitiæ fama delectat, vt multis in locis notas, ac vestigia scelerum suorum relinqui velint. Ardebat amore illius hospitæ, propter quam hospitij iura*

iura violarat, hoc non solum sciri tum, verum etiam commemorari semper volebat. itaque ex illa ipsa re, quam accusante Agathino gesserat, Veneri potissimum deberi præmium statuit, quæ illam totam accusationem, iudiciumque conflarat. Putarem te gratum in deos, si hoc donum Veneri non de Sthenij bonis dedisses, sed de tuis: quod facere debuisti, præsertim cum tibi illo ipso anno à Chelidone venisset hereditas. Hic ego si hanc caussam non omnium Siculorum rogatu recepissem; si hoc à me muneris non vniuersa prouincia poposcisset; si me animus, atque amor in remp. existimatioque, offensa nostri ordinis, ac iudiciorum non hoc facere coegisset; atque hæc vna caussa fuisset, quod amicum atque hospitem meum Sthenium, quem ego in quæstura mea singulariter dilexissem, de quo optime existimassem, quem in prouincia existimationis meæ studiosissimum, cupidissimumque cognossem, tam crudeliter, scelerate, nefarieque tractasses: tamen digna caussa esset, cur inimicitias hominis improbissimi susciperem; vt hospitis salutem, fortunasque defenderem. fecerunt hoc multi apud maiores nostros. fecit etiam nuper, homo clarissimus, Cn. Domitius, qui M. Silanum, consularem virum, accusauit, propter Egritomari, transalpini hospitis, iniurias. putarem me idoneum, qui exemplum sequerer humanitatis, atque officij, proponeremque spem meis hospitibus, ac necessarijs, quo tutiorem vitam sese meo præsidio victuros esse arbitrarentur. cum vero in communibus iniurijs totius prouinciæ, Sthenij quoque caussa contineatur: multique vno tempore à me hospites, atque amici publice, priuatimq; defendantur: profecto vereri non debeo, ne quis hoc, quod facio, non existimet summi officij ratione impulsum, coactumque suscepisse. Atque, vt aliquando de rebus ab isto cognitis, iudicatisque, & de iudicijs datis dicere desistamus; et, quoniã facta istius in his generibus infinita sunt, nos modum aliquem, & finem orationi nostræ, criminibusq; faciamus; pauca ex alijs generibus sumemus.

EXPLANATIO.

MONVMENTVM} argenteum Cupidinem, qui Sthenij fuerat. ARGVMENTI,} caussæ: vt supra: Cum Sthenium sine vllo argumento, ac sine teste damnasset. IN EO} in Eryce monte. STHENIANVM *præmium*} hoc infra explanatur his verbis: Ex illa ipsa re quam accusante Agathino gesserat, Veneri potissimum

deberi

deberi præmium statuit, quæ illam totam accusationẽ, iudiciumq́; conflarat. CVPIDITATIS} auaritię. HOSPITII,} violati. AMORIS,} in Callidamam. ILLIVS *hospite,*} Callidamę, Agathini filiæ, Dorothei vxoris, cuius in domum è Sthenij domo migrauerat. QVI M. *Silanum*} eadem historia in Diuin. DE *iudicijs datis*} dixi iam, tum prætores iudicia dedisse, cum iudices dabant, & formulam iudicandi. supra: Dubium nemini est, quin omnes omnium pecuniæ positæ sint in eorum potestate, qui iudicia dant, & eorum, qui iudicant.

ORATIO.

AVDISTIS, *ob ius dicendum, Q. Varium dicere, procuratores suos isti centum & triginta millia nummum dedisse: meministis Q. Varij testimonium, remq́; hanc totam C. Sacerdotis, hominis ornatißimi, testimonio cõprobari: scitis, Cn. Sertium, M. Modium, equites R. sexcentos præterea ciues R. multosq́; Siculos dixisse, isti pecuniam ob ius dicundum dedisse. de quo crimine quid ego disputem, cum totum positum sit in testibus? quid porro argumenter, qua de re dubitare nemo poßit? an hoc dubitabit quisquam omnium; quin is venalem in Sicilia iurisdictionem habuerit, qui Romæ totum edictum, atque omnia decreta vendiderit? & quin ab Siculis, ob decreta interponenda, pecuniam acceperit, qui M. Octauium Ligurem, ob ius dicundum, poposcerit? quod enim præterea genus pecuniæ cogendæ præterijt? quod nõ, ab omnibus alijs præteritum, excogitauit? ecquæ res apud ciuitates Siculas expetitur, in qua aut honos aliquis sit, aut potestas, aut procuratio, quin eam rem tu ad tuum quæstum, nundinationemq́; hominum traduxeris? dicta sunt priore actione & priuatim, & publice testimonia: legati Centuripini, Halesini, Catinenses, Panhormitaniq́; dixerunt, multarum præterea ciuitatum. iam vero priuatim plurimi: quorum ex testimonijs cognoscere potuistis, tota Sicilia per triennium neminem vlla in ciuitate senatorem factũ esse gratis, neminẽ, vt leges eorum sunt, suffragijs, neminem nisi istius imperio, aut litteris: atque in his omnibus senatoribus cooptandis non modo suffragia nulla fuisse, sed ne genera quidem spectata esse, ex quibus in eum ordinem cooptari liceret: neque census, neque ætatis, neque cetera Siculorum iura valuisse: quicumque senator voluerit fieri, quamuis puer, quamuis indignus, quamuis ex eo loco, ex quo*

ex quo non liceret; si is pretio apud istum fieret idoneus vt vinceret, factum esse semper: non modo Siculorũ nihil in hac re valuisse leges, sed ne ab senatu quidem populoq; R. datas. quas enim leges socijs amicisque dat is, qui habet imperiũ à populo R. auctoritatem legum dandarum à senatu, hæ debent & populi R. & senatus existimari. EXPLANATIO.

M. OCTAVIVM *Ligurem*} hac de re lib. I. EX EO *loco*} obscuri generis. QVI *habet imperiũ à populo Romano*,} vt habuit P. Rupilius, quẽ supra vocauit imperatorem populi Romani. lib. I.

ORATIO.

HALESINI *pro multis, et magnis suis, maiorumque suorum in remp. nostram meritis, atque beneficijs, suo iure nuper, L. Licinio, Q. Mucio cos. cum haberent inter se controuersias de senatu cooptando, leges ab senatu nostro petiuerunt. decreuit senatus honorifico S. C. vt his C. Claudius, Appij filius, Pulcher. prætor de senatu cooptando leges conscriberet. C. Claudius, adhibitis omnibus Marcellis, qui tum erant, de eorum sententia leges Halesinis dedit: in quibus multa sanxit; de ætate hominum, ne quis minor triginta annis natu: de quæstũ, quem qui fecisset, ne legeretur; de censu, de ceteris rebus. quæ omnia ante istum prætorem & nostrorum magistratuum auctoritate, & Halesinorũ summa voluntate valuerunt. ab isto & præco, qui voluit, istum ordinem pretio mercatus est: & pueri annorum senum, septenumque denum, senatoriũ nomen nundinati sunt: & quod Halesini, antiquissimi, et fidelissimi socij, atq; amici, Romæ impetrarãt, vt apud se ne suffragijs quidẽ fieri liceret, id pretio vt fieri posset, effecit.*

EXPLANATIO.

L. LICINIO, Q. *Mucio*} L. Crasso oratore, Q. Scæuola iurisconsulto, pont. max. C. CLAVDIVS} cum ijs consulibus prætor fuerit. videtur is esse, qui cum Perperna post biennium, legitimo interuallo, consulatũ gessit. OMNIBVS *Marcellis*,} vt Siciliæ patronis, & vt eiusdem, cuius ipse erat, gentis. fuere enim & Claudij Pulchri, & Claudij Marcelli, Pulchri patricij, Marcelli plebeij. NE QVIS *minor triginta annis natu*:} docet hic locus, quo ætatis anno Romæ senatores legi possent. cum enim Halesini de senatu cooptando leges ab senatu Ro-

mano petiuerint: non est dubitandũ, quin eæ leges imaginem quandam Romani senatus expresserint. itaque cum Pompeio, in Africam cõtra Domitiũ proscriptum, & Hiarbam regem proficiscenti, consulare imperium cũ exercitu, adhuc equiti Romano, datũ esset, dicẽte L. Philippo in senatu contra nescio quem, obijcientem, nõ oportere mitti hominem priuatum pro consule, non se illum sua sententia pro consule, sed pro consulibus mittere: laudauit eum Cicero his verbis in suasione Maniliæ legis: Quid tam præter consuetudinem, quam homini peradolescenti, cuius à senatorio gradu ętas longe abesset, imperium, atque exercitum dari? DE *quæstu, quem qui fecisset, ne legeretur:* } quæstum senatori Romæ vetitum fuisse, aut certe non honestum, dubitare nõ poterit, qui locum illum viderit in Parad. Propter auiditatem pecuniæ, nullum quæstum turpem putas: cum isti ordini ne honestus quidem esse possit vllus. DE *censu,* } ne legeretur, qui DCCC millia sestertium, id est scutatorũ XXIIII millia, non possideret, qui mos Romæ fuit.

ORATIO.

AGRAGANTINI *de senatu cooptando Scipionis leges antiquas habent: in quibus & eadem illa sancta sunt, & hoc amplius. cum Agragantinorum duo genera sint, vnum veterum, alterum colonorum, quos T. Manlius prætor ex S.C. de opidis Siculorum deduxit Agragantũ: cautum est in Scipionis legibus, ne plures essent ex colonorum numero, quam ex veterum Agragantinorũ. iste, qui omnia iura pretio exæquasset, omniumque rerum delectum, atque discrimen pecunia sustulisset, non modo illa, quæ erãt ætatis, ordinis, quæstusque, permiscuit, sed etiam in his duobus generibus ciuium, nouorum, veterumque delectum, ordinemque turbauit. nam, cum esset ex veterum numero quidam senator demortuus, & cum ex vtroque genere par numerus reliquus esset, veterem cooptari necesse erat legibus, vt his amplius numerus esset. quæ cũ ita se res haberet, tamen ad istũ venerunt emptum locum illum senatorium non solum veteres, sed etiam noui. fit vt pretio nouus vincat, litterasque à prætore auferat. Agragantini ad istum legatos mittunt, qui eum leges doceant, consuetudinemq́; omniũ annorum demonstrent, vt iste intelligeret,*

geret, ei se illum locum vendidisse, cui ne cōmerciū quidem esse oporteret. quorū oratione iste, cum pretium iam accepisset, ne tantulum quidē commotus est. Idē fecit Heracleæ: nam eo quoq; colonos P. Rupilius deduxit, legesq; similes de cooptando senatu, ac de numero veterum, ac nouorum dedit. ibi non solum iste, vt apud ceteros, pecuniā accepit, sed etiā genera veterum, ac nouorū, numerūq; permiscuit. EXPLANATIO.

EADEM *illa*} vt in senatu cooptādo haberetur ratio census, ætatis, quæstus, ceterarum rerū, quæ in legibus C. Claudij nominarentur. QVAE *erāt ætatis, ordinis, quæstusq;*} quæ seruari oportebat. VT *his amplius numerus esset*} pro, amplior. His autē, veteribus ciuibus. NE *commercium quidem*} qui ne senator quidem, in pari veterum, nouorumq; numero, posset esse.

ORATIO.

NOLITE *exspectare, dum omnes obeam oratione mea ciuitates: hoc vno complector crimine omnia, neminē isto prætore senatorem fieri potuisse, nisi qui isti pecuniā dedisset. hoc quidem transfero in magistratus, curationes, sacerdotia: quibus in rebus non solū hominū iura, sed etiā deorū religiones immortalium omnes repudiauit. Syracusis lex est de religione, quæ in annos singulos Iouis sacerdotem sortito capi iubeat: quod apud illos amplissimum sacerdotium putatur. cum suffragijs tres ex tribus generibus creati sunt, res reuocatur ad sortem. perfecerat iste imperio, vt pro suffragio Theomnastus, familiaris suus, in tribus illis renunciaretur. in sorte, cui imperare non poterat, exspectabāt homines, quidnā acturus esset. homo, id quod erat facillimū, primo vetat sortiri: iubet extra sortem Theomnastū renunciari. negant id Syracusani per religiones sacrorū vllo modo fieri posse, fas deniq; negant esse. iubet ille sibi legē legi. recitatur: in qua scriptū erat, vt, quot essent renunciati, tot in hydriā sortes conijcerentur: cuius nomē exisset, vt is haberet sacerdotium. homo ingeniosus, et peracutus, optime, inquit: nempe scriptū ita est, quot renunciati erunt: quot ergo sunt renūciati? responsum, tres. nūquid igitur oportet, nisi tres sortes conijci, vnam educi? nihil. conijci iubet tres, in quibus omnibus scriptū esset nomen Theomnasti. fit clamor maximus, cum id vniuersis indignū, atq; nefarium videretur. ita Iouis illud sacerdotiū amplissimum per hāc rationē Theomnasto datur.*

Cephaledij mensis est certus, quo mense sacerdotem maximum creari oporteat. eius honoris cupidus Athenio quidam, Climachias cognomine, homo sane locuples, & domi nobilis: sed is fieri nullo modo poterat, si Herodotus quidam adesset. ei locus ille, atque honos in illum annum ita deberi putabatur, vt ne Climachias quidem cōtradiceret. res ad istum defertur, & istius more deciditur. toreumata sane vota ac pretiosa auferuntur. Herodotus Romæ erat: satis putabat se ad comitia tempore venturū, si pridie venisset. iste, ne aut alio mense, ac fas erat, comitia haberentur, aut Herodoto præsenti honos adimeretur, id quod iste non laborabat, Climachias minime volebat, excogitat (dixi iamdudū: non est homo acutior quisquā, nec fuit) excogitat, inquā, quemadmodū mense illo legitimo comitia haberentur, nec tamen Herodotus adesse posset. est consuetudo Siculorum, ceterorumq; Græcorum, quod suos dies mēsesq; congruere volunt cum solis lunæq; ratione, vt non numquā, si quid discrepet, eximant vnū aliquem diē, aut, summum, biduū ex mense: quos illi ἐξαιρεσίμους dies nominant, item nō numquam vno die longiorem mensem faciūt, aut biduo. quæ iste cum cognouisset, nouus astrologus, qui non tam cæli rationem, quam cælati argenti, duceret, eximi iubet non diem ex mense, sed ex anno vnum dimidiatumque mensem: hoc modo, vt, quo die, verbi caussa, esse oporteret idus Ianuarias, eo die kalendas Martias proscriberet: itaque fit omnibus recusantibus, & implorantibus. dies is erat legitimus comitijs habendis. eo modo sacerdos Climachias renunciatus est. Herodotus cum Roma reuertitur, dies, vt ipse putabat, quindecim ante comitia, offendit eum mensem comitialē, comitijs iam abhinc triginta diebus habitis. tunc Cephaleditani decreuerunt intercalarium XLV dies longum, vt reliqui menses in suam rationē reuerterentur. hoc si Romæ fieri posset, certe aliqua ratione expugnasset iste, vt dies XLV inter binos ludos tollerentur, per quos solos iudicium fieri posset. Iam vero Censores quemadmodum in Sicilia isto prætore creati sunt, operæpretium est cognoscere. ille enim est magistratus apud Siculos, qui diligentissime mandatur à populo propter hāc caussam, quod oēs Siculi ex censu quotannis tributa cōferūt: in cēsu habendo potestas omnis æstimationis habendæ, summæq; faciūdæ cēsori permittitur. itaq; eū populus, cui maximā fidē suarū rerū habeat, maxima cura deligit; & propter magnitudinem

potesta-

potestatis hic magistratus à populo summa ambitione contenditur. in ea re nihil obscure facere voluit, non in sortitione fallere, neque dies de fastis eximere: nihil sane vafre, nec malitiose facere conatus est: sed, vt studia cupiditatesque honorum, atque ambitiones ex omnibus ciuitatibus tolleret, quæ res euertendæ reip. caussæ solent esse, ostendit, sese in omnibus ciuitatibus censores esse facturum. tanto mercatu prætoris indicto, cōcurritur vndique ad istum Syracusas. flagrabat domus tota prætoria studio hominum, & cupiditate: nec mirum, omnibus comitijs tot ciuitatum vnam in domum reuocatis. tantaq; ambitione prouinciæ totius in vno cubiculo inclusa, exquisitis palam pretijs, & licitationibus factis, describebat censores binos in singulas ciuitates Timarchides. is suo labore, suisque accessionibus, huius negotij, atq; operis molestia consequebatur, vt ad istum sine vlla solicitudine summa pecunia referretur. Iam, hic Timarchides quantam pecuniam fecerit, plane adhuc cognoscere non potuistis: verumtamen priore actione, quā varie, quam improbe prædatus esset, multorum ex testimonijs cognouistis. sed, ne miremini, qua ratione hic tantum apud istum libertus potuerit, exponam vobis breuiter, quid hominis sit: vt & istius nequitiam, qui illum secum habuerit, eo præsertim numero, ac loco, & calamitatem prouinciæ cognoscatis.

EXPLANATIO.

FAS *denique negant esse.*} iniustum, ac nefariū esse dicunt. CEPHALEDII} paruum Siciliæ opidū Cephaledium. ἐξαιρετίμους} exemptos. INTER *binos ludos*} nō à ludis votiuis, sed à Romanis ad Victoriæ dies. enim inter hos XLV numerantur. PER QVOS *solos*} nā superiores actione accusatoris, quæ nonis Sex. incipiebat, & ludis votiuis, ac Romanis occupabātur; posteriores ludis Victoriæ plebeijs, festis diebus. AESTIMATIONIS *habēdæ*,} de cuiusque bonis. SVMMAE QVE *faciundæ*} quantum quisque conferre debeat tributi nomine. VT *studia cupiditatesque honorum*}, primis verbis ironia cognoscitur, quia laudare Verrem videtur: postremis auaritia indicatur, quasi mercatu indicto, quo censura omnium ciuitatum emeretur. QVAE *res euertendæ reip. caussæ solent esse,*} quasi concordiæ ciuium studeret Verres: cui nihil minus cordi esset. SVISQVE

accessionibus,} cum ad vnumquęque accederet, honorisq; pretium, quem Verres daturus esset postularet. HVIVS *negotij, atque operis molestiam consequebatur,* } non consequebatur ipse molestiam: nec sane videtur, Molestiam consequi, Latinum esse: sed sua molestia cōsequebatur, vt ad Verrem, nulla sollicitudine, summa pecunia referretur. ideo contra veteres libros, Molestia, reponere sum ausus. QVID *hominis sit* } magis eum cōtemnit, quam si diceret, Quis homo sit. EO PRAESERTIM *numero, ac loco,* } inter valdę familiares, & eos, quorum fidei omnia committeret.

ORATIO.

IN mulierum corruptelis, & in omni eiusmodi luxuria, atque nequitia mirandum in modum reperiebam hūc Timarchidem ad istius flagitiosas libidines, singularemq; nequitiam natum, atque aptum fuisse: inuestigare, adire, appellare, corrūpere, quiduis facere in eiusmodi rebus, quamuis callide, quamuis audacter, quamuis impudenter: eundem mira quædam excogitare genera furandi. nam ipsum Verrē tantū semper auaritia hiante, atq; imminenti fuisse, ingenio, & cogitatione nulla, vt, quidquid sua sponte faciebat, item vt vos Romæ cognouistis, eripere potius, quam fallere videretur. huius vero erat ars, & malitia miranda, quod acutissime tota prouincia, quid cuique esset necesse, indagare, & odorari solebat, omnium inimicos diligenter cognoscere, colloqui, attentare, ex vtraque parte caussas, voluntates perspicere, facultates, & copias; quibus opus esset, metum afferre; quibus expediret, spem ostendere: accusatorum, & quadruplatorum quidquid erat in potestate: quod cuique negotij cōflari volebat, nullo labore faciebat: istius omnia decreta, imperia, litteras peritissime & callidissime venditabat: ac nō solū erat administer istius cupiditatū, verū etiam ipse sui meminerat æque: non solum nummos, si qui isti exciderant, tollere solebat, ex quibus pecuniam maximam fecit, sed etiam voluptatem, flagitiorumque istius ipse reliquias colligebat, itaque in Sicilia nō Athenionem, qui nullum opidum cepit, sed Timarchidem fugitiuum omnibus opidis per triennium scitote regnasse, in Timarchidis potestate sociorum populi R. antiquissimorum, atque amicissimorum liberos, matres familias, bona fortunasque omnes fuisse.

EX-

EXPLANATIO.

NEGOTII} molestiæ,apud Verrē. habebat enim accusatores omnes, atque adeo prætorem ipsum in sua potestate. ATHENIONEM,}ducem fugitiuorum. FVGITIVVM} Athenioni condicione similem.vterque enim seruierat.

ORATIO.

IS igitur, vt dico, Timarchides in omnes ciuitates, accepto pretio, censores dimisit. comitia, isto prætore, censorum ne simulandi quidem caussa fuerunt. Iam hoc impudentissime palam (licebat enim videlicet legibus) singulis censoribus denarij trecenti ad statuā prætoris imperati sūt. cēsores CXXX facti sunt. pecuniā illam ob censurā contra leges clam dederūt, hæc denariū XXXIX millia palam saluis legibus contulerunt in statuam. Primum, quo tantam pecuniam? deinde, quam ob rem censores ad statuam tibi conferebant? ordo aliquis censorum est collegium? genus aliquod hominum? nam aut publice ciuitates istos honores habent, aut generatim homines, vt aratores, vt mercatores, vt nauicularij. censores quidem, qui magis, quam ædiles? ob beneficium? ergo hoc fatebere, abs te hæc petita, (nam erepta nō audebis dicere) te eos magistratus hominibus beneficij, non reip. caussa permisisse. hoc autem cum tute fatebere, quisquam dubitabit, quin tu istam apud populos prouinciæ istius inuidiam atque offensionem, non ambitionis, neque beneficiorum collocandorum, sed pecuniæ conciliandæ caussa susceperis? itaque censores fecerunt idem, quod in nostra rep. solent ij, qui per largitionē magistratus adepti sunt: dederunt operā, vt ita potestatem gererent, vt illam lacunam rei familiaris explerent. sic census habitus est te prætore, vt eo censu nullius ciuitatis resp. posset administrari. nam locupletissimi cuiusque census extenuarant, tenuissimi auxerant: itaque in tributis imperandis tantum oneris plebi imponebatur, vt, etiam si homines tacerēt, res ipsa illum censum repudiaret. id quod intelligi facillime re ipsa potest. nam L. Metellus, qui, postea quam ego inquirendi caussa in Siciliam veni, repente Lætilij aduentu istius nō modo amicus, verum etiam cognatus factus est, is, quod videbat istius censum stare nullo modo posse, eum censum obseruari iussit, qui, viro fortissimo, atq; innocentissimo, Sex. Peducæo prætore habitus esset. erant enim tum censores legibus facti, delecti à suis ciuitatibus: quibus

 si quid,

si quid commisissent, pœnæ legibus erant constitutæ. te autem prætore qui censor aut legem metueret, qua non tenebatur, quoniam creatus lege non erat; aut animaduersionē tuam, cum id, quod abs te emerat, vendidisset? Teneat iam sane meos testes Metellus: cogat alios laudare, sicut in multis conatus est: modo hæc faciat, quæ fecit. quis enim vmquam tanta quoquam contumelia, quis tanta ignominia affectus est? Quincto quoque anno Sicilia tota censetur. erat censa prætore Peducæo. quinctus annus cum te prætore incidisset, censa denuo est. postero anno L. Metellus mentionem tui census fieri vetat: censores dicit de integro sibi creari placere: interea Peducæanum censum obseruari iubet. hoc si tuus inimicus tibi fecisset, tamen, si animo æquo prouincia tulisset, inimici iudicium graue videretur. fecit amicus recens, & cognatus voluntarius. aliter enim, si prouinciam retinere, si saluus ipse in prouincia vellet esse, facere non potuit.

EXPLANATIO.

DENARII CCC} scutati XXXVI. EXTENVARANT,} censores à Verre creati. METVERIT,} rectius puto, Metueret. GRAVE} magni ponderis cum tua singulari contumelia. AMICVS *recens,* } post Lætilij aduentum: cum antea Verri multis in rebus aduersatus esset. SI PROVINCIAM *retinere, si saluus ipse in prouincia vellet esse,* } excusare videtur Metellum, sed accusat: quod ita sit mutatus, quasi ei summa vis adhibita esset. dicuntur enim hæc per ironiam.

ORATIO.

EXSPECTAS *etiam, quid hi iudicent? si tibi magistratum abrogasset, minore ignominia te affecisset, quam cum ea, quæ in magistratu gessisti, sustulit, atque irrita iussit esse. neque in hac re sola fuit eiusmodi, sed, ante quam ego in Siciliam veni, in maximis rebus, ac plurimis. nā & Heraclio Syracusano tuos illos palæstritas bona restituere iussit, & Epicrati Bidinos, & pupillo Drepanitano A. Claudium: &, nisi mature Lætilius in Siciliam venisset cum litteris, minus XXX diebus Metellus totam triennij præturam rescidisset. Et, quoniam de ea pecunia, quam tibi ad statuam censores contulerunt, dixi: non mihi prætermittendum videtur ne illud quidē genus pecuniæ conciliatæ, quam tu à ciuitatibus statuarum nomine coegisti. video enim eius pecuniæ summam esse*

per-

pergrandē, ad H.S CXX *millia. tantū cōficitur ex testimonijs, ac litteris ciuitatū: & iste hoc concedit, nec potest aliter dicere. quare cuiusmodi putamus esse illa, q̄ negat, cum hæc tam improba sunt, q̄ fatetur? Quid enim vis constitui? consumptam esse omnē istam pecuniam in statuis? fac ita esse: tamen hoc ferendū nullo modo est, tātam ab socijs pecuniam auferri, vt omnibus in angiportis prædonis improbißimi statuæ ponantur, qua vix tuto transigere posse videamur. verum, vbi tandem, aut in quibus statuis ista tanta pecunia consumpta est? consumetur, inquies. scilicet exspectemus legitimū illud quinquennium: si hoc interuallo non consumpserit, tū denique nomē eius de repetundis pecunijs statuarū nomine deferemus. reus est maximis plurimisq; criminibus in iudiciū vocatus:* H.S CXX *millia ex hoc vno genere capta videmus. si condemnatus eris, nō, opinor, id ages, vt ista pecunia in quinquēnio cōsumatur in statuis, sin absolutus eris, quis erit tā amēs, qui te, ex tot tātisq; criminibus elapsum, post quinquenniū statuarum nomine accersat? ita, si neq; adhuc consumpta ista pecunia est, & perspicuū nō consumptū iri: licet iā intelligamus inuentā esse rationē, qua re & iste* H.S C X X *millia vno genere conciliarit, & ceperit, & ceteri, si à vobis hoc erit comprobatum, quā volent magnas hoc nomine pecunias capere poßint. vt iam videamur nō à pecunijs capiendis homines absterrere, sed cū genera quædā pecuniarum capiendarū comprobauerimus, honesta nomina turpißimis rebus imponere. etenim si C.Verres* H.S C X X *millia populum, verbi gratia, Centuripinum poposcisset eamque ab his pecuniam abstulisset, non, opinor, esset dubium, quin eum, si tum id planum fieret, condemnari necesse esset. quid, si eundem populum* H.SCCC *millia poposcit, eaq; coegit atque abstulit, num iccirco absoluetur, quod adscriptum est, eam pecuniam datam statuarum nomine? non opinor: nisi forte id agimus, non vt magistratibus nostris morā accipiendi, sed vt socijs caussam dandi afferre videamur. quod si quem statuæ magnopere delectant, & si quis earum honore, & gloria ducitur; is hæc tamen constituat, necesse est; primū, auerti pecuniam domum, non placere; deinde, ipsarum statuarum modum quendam esse oportere; deinde illud certe, ab inuitis exigi non oportere.*

EXPLANATIO.

A.CLAVDIVM; } vide lib. IV. H.S CXX *millia.* } sestertiorum tria millia, sexcenti. PERGRANDEM }

pecuniæ summam vocauit: at hæc pergrandis certe nō est. malim, CCC millia. LEGITIMVM *illud quinquenniū*} spatium conferendæ in statuas pecuniæ lege præscriptū. H.S CCC *millia*} aut hic reponendum, CXX, vt supra: aut vbique, CCC: quod magis probo: NISI *forte id agimus*, } quod certe non agimus. Dixi iam, hoc loquendi genus ad negandum pertinere. MOREM *accipiendi*, } sic lego: &, Auferre, probo, non, vt alijs placet, Afferre. Si absoluitis, inquit, Verrem, quod ad scripserit, eā pecuniā sibi datā statuarum nomine: non auferetis magistratibus nostris morem accipiendi, qui auferri omnino debet, sed socijs caussam dandi. intelligent enim, Verre absoluto, pecuniam nemini esse dandam statuarum nomine. ita socijs, ne pecuniā statuarū nomine dent, pscribere videbimur: magistratib. aūt nostris morē accipiēdi, si socij dederint, nō auferemus. socij vero ne dent, qui fieri poterit, imperāte magistratu?

ORATIO.

AC de auertenda pecunia, quæro abs te, vtrum ipsæ ciuitates solitæ sint statuas tibi faciundas locare ei, cui possent optima condicione locare; an aliquē curatorem præficere, qui statuis faciundis præesset; an tibi, an cui tu imperasses, adnumerare pecuniā; nā, si per eos statuæ fiebant, à quibus tibi iste honos habebatur: audio. sin Timarchidi pecunia numerabatur: desine quæso, simulare, te, cū in manifesto furto teneare, gloriæ studiosū, ac monumentorū fuisse. Quid vero modū statuarum haberi nullum placet? atqui, habeatur, necesse est. etenim sic considerate. Syracusana ciuitas (vt eā potissimū nominem) dedit ipsi statuam: est honos. & patri: bella hæc pietatis, & quæstuosa simulatio. & filio: ferri hoc potest; hūc enim puerum non oderant. verum quoties, & quot nominibus à Syracusanis statuas auferes? vt in foro statuerēt, abstulisti: vt in curia, coegisti: vt pecuniā conferrēt in eas statuas, quæ Romæ ponerentur, imperasti, vt ijdem darent homines aratorum nomine; dederunt: vt ijdem pro parte in cōmune Siciliæ cōferrent; etiā id cōtulerunt. Vna ciuitas cum tot nominibus pecuniā contulerit, idemq; hoc ciuitates ceteræ fecerint, nō res ipsa vos admonet, vt putetis modū aliquē huic cupiditati constitui oportere? Quod si hoc voluntate sua nulla ciuitas fecit, si omnes imperio, metu, vi, malo adductæ tibi pecūniā statuarū nomine contulerunt: per

deos

deos immortales, nũ cui dubium esse poterit, quin, etiamsi quis statuerit accipere ad statuas licere, idẽ tamẽ statuat, eripere, certe nõ licere? primũ igitur in hanc rem testem totã Siciliam citabo? quæ mihi vna voce statuarũ nomine magnã pecuniã coactam esse demõstrat. nã legationes omniũ ciuitatũ in postulatis communibus, quæ fere omnia ex tuis iniurijs nata sunt, etiã hoc ediderunt, vt statuas ne cui, nisi cũ is de prouincia decessisset, pollicerẽtur. tot prætores in Sicilia fuerunt: toties apud maiores nostros Siculi senatũ adierunt, toties hac memoria: tamen huiusce noui postulati genus, atq; principiũ tua prætura attulit. quid enim tã nouum non solũ re, sed genere ipso postulandi? nam cetera, quæ sunt in ijsdem postulatis, de iniurijs tuis, sunt noua, sed tamen nõ nouo modo postulantur. Rogãt, & orant Siculi patres cõscriptos, vt nostri magistratus posthac decumas lege Hieronica vendant: tu primus cõtra vẽdideras. audio. ne, in cellam quod imperatur, æstiment: hoc quoq; propter tuos ternos denarios nũc primũ postulatur: sed genus istud postulãdi nõ est nouũ. ne absentis nomen recipiatur: ex Sthenij calamitate, & tua natũ est iniuria, cetera nõ colligam. sunt omnia Siculorum postulata eiusmodi, vt crimina collecta in vnũ te reũ esse videantur. quæ tamen omnia nouas iniurias habent, sed postulationũ formulas vsitatas.

EXPLANATIO.

AVDIO.} recte. NON *oderãt*} blandũ, & qui Syracusanorũ gratiã ætatis flore colligeret. quo pertinet illud act. I: Cursare iste homo potens cũ filio blando & gratioso circũ tribus. ABSTVLISTI} non obtinuisti, sed abstulisti, pro imperio scilicet. sequuntur duo similia verba, Coegisti, Imperasti. IN *cõmune Siciliæ*} in eas statuas, quas Verri prouincia Sicilia cõmuni nomine decreuerat. HVIC *cupiditati*} statuarum. SI QVIS} in iudicando. NON *nouo modo postulãtur.*} at de statuis nouo modo postulatur, nõ, vt ne cogantur statuere, sed, vt ipsis ne liceat. infra. TVOS *ternos denarios*} quos tu ꝑ singulis tritici modijs exegisti: cum tamen binis tantum sestertijs modius esset. Vide in Diuin. & lib. III.

ORATIO.

HOC *postulatum de statuis ridiculũ esse videatur ei, qui rẽ, sententiamq; nõ respiciat. postulant enim non vt ne cogãtur statuere: quid igitur? vt ipsis ne liceat. quid est hoc? petis à me, quod in tua potestate est, vt id tibi facere ne liceat? pete potiꝰ, ne*

quis

quis te inuitum polliceri, aut facere cogat. nihil ergo, inquit: negabunt enim omnes se coegisse. si me saluum esse vis, mihi impone istā vim, vt omnino mihi ne liceat polliceri. ex tua prætura primum nata est hæc postulatio. qua cum vtuntur, hoc significant, atque adeo aperte ostendunt, sese pecuniam, metu, ac malo coactos, inuitissimos contulisse. quid, si hoc non dicant, tibi non necesse sit ipsi id confiteri? vide, & perspice, qua defensione sis vsurus: iam intelliges, hoc tibi de statuis confitendum esse. mihi enim renunciatur, ita constitui à tuis patronis, hominibus ingeniosis, caussam tuam, & ita eos abs te institui, & doceri, vt quisque ex prouincia Sicilia grauior homo, atq; honestior testimoniū vehementius dixerit, sicuti Siculi multi primarij viri multa dixerunt, te statim hoc istis tuis defensoribus dicere: inimicus est propterea, quod arator est. itaq; vno genere opinor circumscribere habetis in animo genus hoc aratorū. quod eos infenso animo, atque inimico venisse dicatis, quia fuerit in decumis iste vehementior. ergo aratores inimici, omnes aduersarij: nemo eorū est, quin perisse te cupiat. omninò præclare te habes, cū is ordo, atq; id genus hominū, quod optimū, atque honestissimū est, à quo vno & summa reip. & illa prouincia maxime cōtinetur, tibi est inimicissimū. verū esto: alio loco de aratorū animo, & iniurijs videro: nūc, quod mihi abs te datur, id accipio, eos tibi esse inimicissimos. nempe ita dicis: propter decumas. concedo: nō quæro, iure, an iniuria sint inimici. quid ergo illæ sibi statuæ equestres inauratæ volunt, quæ populi R. oculos, animosq; maxime offendūt, propter ædem Vulcani? nā scriptū esse video, quandam ex his statuam aratores dedisse. si honoris caussa statuā dederunt, inimici nō sunt. credamus testibus: tum enim honori tuo, nunc iam religioni suæ cōsulunt. sin autē metu coacti dederunt, confiteare necesse est, te in prouincia pecuniā statuarū nomine per vim, ac metū coegisse. vtrū tibi commodum est, elige, equidem libenter hoc iam crimen de statuis relinquam, vt mihi tu illud concedas, quod tibi honestissimum est, aratores tibi ad statuam honoris tui caussa voluntate sua contulisse. da mihi hoc: iam tibi maximam partē defensionis præcideris. non enim poteris, aratores tibi iratos esse, atq; inimicos, dicere. O caussam singularem: o defensionem miseram, ac perditā: nolle hoc accipere reū ab accusatore, & vt reū, qui prætor in Sicilia fuerit, aratores ei statuā sua voluntate statuisse, aratores de eo bene existimare, amicos esse, saluum esse cupere. Metuit, ne hoc vos existimetis:

metis: obruitur enim aratorũ testimonijs. vtar eo, quod datur. certe ita a vobis hoc iudicandũ est; eos, qui isti inimicissimi sunt, vt ipse existimari vult, ad istius honores, atque monumenta pecuniã nõ voluntate sua contulisse. atq; vt hoc tamen facillime intelligi possit; quem voles eorum testium, quos produxero, qui in Sicilia testes sint, siue ciuem R. velis, siue Siculum, rogato, & eum, qui tibi inimicissimus esse videbitur, qui se spoliatum à te dicet, ecquid suo nõmine in tuam statuam contulerit? neminem reperies, qui neget: etenim omnes dederunt. quemquam igitur putas dubitaturum, quin is, quem inimicissimum tibi esse oporteat, qui abs te grauissimas iniurias acceperit, pecuniam statuæ nomine dederit vi, atque imperio adductus, non officio, ac voluntate? Et huius ego pecuniæ, iudices, quæ permagna est, impudentissimeque coacta ab inuitis, non habui rationem, neque habere potui, quantum ab aratoribus, quantum ab negotiatoribus, qui Syracusis, qui Agraganti, qui Panhormi, qui Lilybæi negotiãtur, esset coactum; quoniam intelligitis ipsius quoq; confessione ab inuitissimis coactam esse.

EXPLANATIO.

RIDICVLVM} cum minime sit. PETIS *à me,*} ex persona senatus ad Siculum postulantem. QVOD *in tua potestate est,*} statuas pollicearis, necne: si modo ex tua voluntate, non prætoris iussu, pollicerís. NE QVIS} ne magistratus. NIHIL *ergo, inquit:*} hoc nihil est, inquit Siculus. HOMINIBVS *ingeniosis,*} ironia. infirmam enim defensionem excogitant. VEHEMENTIOR.} quasi reip. caussa, non sua. VTAR *eo, quod datur.*} paullo ante: Quod mihi abs te datur, id accipio.

ORATIO.

VENIO *nunc ad ciuitates Siciliæ: de quibus facillime iudicium fieri voluntatis potest. An etiam Siculi inuiti contulerunt? non est probabile, etenim sic C. Verrem præturam in Sicilia gessisse constat, vt, cum vtrisque satisfacere non posset, & Siculis, & togatis, officij potius in socios, quam ambitionis in ciues rationem duxerit. itaque eum non solum patronũ istius insulæ, sed etiam sotera inscriptũ vidi Syracusis. hoc quantum est? ita magnũ, vt Latino vno verbo exprimi non posit. is est nimirum Soter, qui salutem dedit. Huius nomine etiã dies festi agitantur, pulchra illa Verrea, nõ quasi Marcellea, sed pro Marcelleis, quæ illi istius iussu*

sustule-

sustulerunt. Huius fornix in foro Syracusis est, in quo nudus filius stat: ipse autem ex equo nudatã ab se prouinciã prospicit. Huius statuæ omnib⁹ locis erectæ q̃ sunt hoc demonstrare videntur, propemodũ non minus multas statuas istũ posuisse Syracusis, quã abstulisse. Huic etiã Romæ videmus in basi statuarum maximis litteris incisum, à cõmuni Siciliæ datas. Quamobrẽ, qui hoc probari potest cuiquã, tantos honores habitos esse ab inuitis? Hic tibi etiã multo magis, quam ante in aratoribus, videndum, & considerandũ est, quid velis. magna res est. vtrũ tibi Siculos publice priuatimque amicos, an inimicos existimari vis? si inimicos, quid de te futurũ est? quo confugies? vbi nitere? modo aratorum honestissimorum, & locupletissimorum, maximum numerum abs te abalienasti: nunc de Siculis ciuitatibus quid ages? dices, tibi Siculos esse amicos? qui poteris? qui, quod nullo in homine antea fecerunt, vt in eum publice testimonium dicerent, cum præsertim ex ea prouincia condemnati sint complures, qui ibi prætores fuerunt, duo soli absoluti: huc conueniunt cum litteris, veniunt cum mandatis, veniunt cum testimonijs publicis. qui si te publice laudarent, tamen id more potius suo, quam merito tuo, facere viderentur: hi cum de tuis factis publice conqueruntur, nõne hoc indicant, tantas esse iniurias, vt multo maluerint de suo more decedere, quam de tuis moribus non dicere? confitendum est igitur tibi necessario, Siculos inimicos esse, qui quidem & in te grauissima postulata cõsulibus ediderunt, & me, vt hanc caussam, salutisq; suæ defensionem susciperẽ, obsecrarũt: qui cum à prætore prohiberentur, à quattuor quæstoribus impedirẽtur, omnium minas, atq; omnia pericula præ salute sua leuia duxerũt: qui priore actione ita testimonia grauiter, vehementerq; dixerunt, vt Artemonem Centuripinum legatum, & publice testem, Q. Hortensius accusatorem, non testem esse diceret. etenim, cum propter virtutem, & fidem cũ Androne, homine honestissimo, & certissimo, tum etiam propter eloquentiam legatus à suis ciuibus electus est, vt posset multas isti⁹, & varias iniurias quamapertissime vobis, planissimeq; explicare. dixerunt Halesini, Catinenses, Tyndaritani, Ennenses, Herbitẽses, Agyrinenses, Netinenses, Segestani. numerare omnes non est necesse. scitis, quam multi, & quã multa priore actione dixerunt. nunc & illi, & reliqui dicent, omnes denique hoc in hac caussa intelligent, hoc animo esse Siculos, vt, si in istum animaduersum non sit, sibi relinquendas domos, ac sedes

suas, & ex Sicilia decedendum, atq; adeo fugiendum esse arbitrẽtur. Hos homines, tu persuadebis, ad honorẽ, atq; amplitudinẽ tuã pecunias maximas voluntate sua contulisse? credo, qui te in tua ciuitate incolumẽ esse nollent, ij monumenta tuæ formæ, ac nominis in suis ciuitatibus esse cupiebant. res declarauit, vt cupierint. iamdudũ enim mihi nimium tenuiter Siculorum erga te voluntatis argumenta colligere videor. vtrũ statuas voluerint tibi statuere, an coacti sint. de quo homine auditũ est vnquã, quod tibi accidit, vt eius in prouincia statuæ in locis publicis positæ, partim etiam in ædibus sacris, per vim, per vniuersam multitudinem deijcerentur? tot homines in Asia nocentes, tot in Africa, tot in Hispania, Gallia Sardinia, tot in ipsa Sicilia fuerunt: ecquo de homine hoc vnquam audiuimus? nouũ est, iudices, in Siculis quidem, & in omnibus Græcis monstri simile. non crederem hoc de statuis, nisi iacentes, reuulsasq; vidissem: propterea quod apud omnes Græcos hic mos est, vt honorem hominibus habitum in monumentis huiusmodi, non nulla religione deorum consecrari arbitrentur. itaque, cũ Rhodij bellum illud prope soli superius cum Mithridate rege gesserint, omnesq; eius copias, acerrimumq; eius impetũ mœnibus, litoribus, classibusque suis exceperint, cum & regis inimici præter ceteros essent, statuã eius, quæ erat apud ipsos in celeberrimo vrbis loco, ne tũ quidẽ in ipsis vrbis periculis attigerũt. forsitan vix conuenire videretur; quem ipsum hominem cuperent euertere, eius effigiem, simulacrũque seruare: sed tamen videbã, apud eos cum essem, & religionẽ esse quandam in his rebus à maioribus traditam, & hoc disputare, cum statua se eius habuisse temporis rationẽ, quo posita esset; cum homine vero, quo gereret bellum, atq; hostis esset. videtis igitur cõsuetudinem, religionemq; Græcorum, quæ monumenta hostium in bello ipso soleat defendere. eã summa in pace prætoris populi R. statuis præsidio non fuisse. Tauromenitani, quorum est ciuitas fœderata, homines quietissimi, qui maxime ab iniurijs nostrorũ magistratuũ remotissimi cõsueuerant esse præsidio fœderis, hi tamẽ istius uertere statuam non dubitarunt, qua ablata, basin tamen in foro manere voluerunt: quod grauius in istum fore putabant, si scirent homines statuam eius à Tauromenitanis esse deiectam, quam si nullam vnquam positam arbitrarentur. Tyndaritani deiecerũt in foro, & eadem de caussa equũ inanẽ reliquerunt. Leontinis, misera in ciuitate, atq; inani, tamen istius in gymnasio statua deiecta est.

Nam,

Nam, quid ego de Syracuſanis loquar, quod non eſt proprium Syrā-cuſanorum, ſed & illorum commune, & conuentus illius, ac prope totius prouinciæ? quanta illuc multitudo, quanta vis hominum cō-ueniſſe dicebatur, tum, cum ſtatuæ ſunt illius deiectæ, atque euer-ſæ: at quo loco? celeberrimo, ac religioſiſſimo, ante ipſum Iouem, in primo aditu, veſtibuloque templi. quod niſi Metellus hoc tā gra-uiter egiſſet, atque illum imperio, edictoque prohibuiſſet: veſtigium ſtatuarum iſtius in tota Sicilia nullum eſſet relictum. atque ego hoc non vereor, ne quid horum non modo impulſu, verum omnino ad-uentu meo factum eſſe videatur. omnia iſta ante facta ſunt, non mō do quam ego Siciliam, verum etiam quam iſte Italiam attigit. dū ego in Sicilia ſum, nulla ſtatua deiecta eſt: poſtea quam illinc diſ-ceſſi, quæ ſunt geſta, cognoſcite. Centuripinorum ſenatus decreuit, populusq; iuſſit, vt, quæ ſtatuæ C. Verris ipſius, & patris, & filij eſ-ſent, eas quæſtores demoliendas locarent, dumque ea demolitio fi-eret, ſenatores triginta non minus adeſſent. Videte grauitatem ci-uitatis, & dignitatē. neque eas in vrbe ſua ſtatuas eſſe voluerunt, quas inuiti per vim atq; imperium dediſſent, neq; eius hominis, in quem ipſi cum grauiſſimo teſtimonio, quod numquā antea, Romā mandata legatosque miſiſſent: & id grauius eſſe putauerunt, ſi pu-blico conſilio, quam ſi per vim multitudinis factum videretur. Cū hoc conſilio ſtatuas Centuripini publice ſuſtuliſſent, audit Metellus, grauiter fert, euocat ad ſe Centuripinum magiſtratum, & decem primos: niſi reſtituiſſent ſtatuas, vehementer ijs minatur. illi ad ſe-natum renunciant: ſtatuæ, quæ iſtius cauſſæ nihil prodeſſent, repo-nuntur. Hic ego aliud alij concedo: Metello, homini ſapienti, pror-ſus non poſſum ignoſcere, ſi quid ſtulte facit. quid? ille hoc putabat Verri criminoſum fore, ſi eius ſtatuæ eſſent deiectæ? quod ſæpe ven-to, aut aliquo caſu fieri ſolet. nō erat in hoc neq; crimen vllum, ne-que reprehenſio. ex quo igitur crimen, atque accuſatio naſcitur? ex hominum iudicio, & voluntate. ego, ſi Metellus ſtatuas reponere Centuripinos non coegiſſet, hæc dicerem. videte, iudices, quantum, & quam acerbum dolorem ſociorum, atque amicorum animis in-uſſerint iſtius iniuriæ, cum Centuripinorum amiciſſima, & fideliſ-ſima ciuitas, quæ tantis officijs cum populo R. coniuncta eſt, vt non ſolum remp. noſtram, ſed etiam in quouis homine priuato nomen ip-ſum Romanorum ſemper dilexerit, ea publico conſilio, atque aucto ritate iudicarit, C. Verris ſtatuas eſſe in vrbe ſua non oportere. reci-

tarem

tarem decreta Centuripinorum: laudarẽ illam ciuitatem: id quod verißime possem: commemorarem decem millia ciuium Centuripinorum, fortißimorũ, fidelißimorumq́; sociorum, eos omnes statuisse, monumentũ istius in sua ciuitate nullum esse oportere. hæc tum dicerẽ, si statuas Metellus non reposuisset. Velim quærere nunc ex ipso Metello, quidnã sua vi, & auctoritate mihi ex hac oratione præciderit. eadẽ opinor omnia conuenire. neq; enim, si maxime statuæ deiectæ essent, eas ego vobis possem iacẽtes ostendere: hoc vno vterer, ciuitatẽ tam grauem statuas iudicasse C. Verris demoliendas. hoc mihi Metellus nõ eripuit: hoc etiã addidit, vt quererer, si mihi videretur, tam iniquo iure socijs, atq; amicis imperari, vt ijs ne in suis quidẽ beneficijs libero iudicio vti liceret: vt vos rogarẽ, vt coniecturã faceretis, qualem in ijs rebus in me L. Metellũ fuisse putaretis, in quibus rebus obesse mihi posset, cum in hac re tã aperta cupiditate fuerit, in qua nihil obfuit. sed ego Metello non irascor: neq; ei suam purgationem eripio, qua ille apud omnes vtitur, vt nihil malitiose, neque consulto fecisse videatur:

EXPLANATIO.

EVM NON *solum patronum istius insulæ, sed etiam Soterá inscriptum vidi Syracusis. Hoc quantum est? ita magnum, vt Latino vno verbo exprimi non poßit. is est nimirum Soter, qui salutem dedit.*} Soter, Græcum nomen esse, & cum significare, qui salutem dedit, ipso constat interprete Cicerone. quo patet cõmunis error eorum, qui Iesum Christum, cuius immortalia merita nullo satis vno verbo exprimi Latine queunt, Seruatorem appellant. aliud enim est seruare: aliud, salutẽ dare. seruat is, qui, ne salus amittatur, aliqua ratione præstat: salutem dat, qui amissam restituit. quod si seruator nõ est soter, quia minus valet; saluator autem, vt inusitatum, Cicero vitauit, maluitq́; dicere, Qui salutẽ dedit: nimirum de eo si loquimur, qui afflictum genus humanũ non in eodem statu seruauit, sed à sempiterno interitu ad perpetuæ vitæ bona perduxit; quod summi Dei filius & fecit, & facere solus potuit; necesse est, vel Saluatorẽ appellare, quod σωτὴρ Græce dicitur, vsurpato in re noua nouo verbo, quod veteres quoque probarunt, vel, Ciceronis exẽplo, vti circumscriptione, & dicere, Is, qui salutẽ dedit. quamquam circumscri-

ptio, vt interdum nō commoda solum, verum etiam necessaria videtur, sic, iterata sæpius, & dignitatē amittit, & satietatem parit. Addam quasi πάρεργον, σωτὴρ, & σωτῆρα, potius quam, Soter, & Sotera, mihi scribendum videri: cum loquatur Cicero de Siculis, quos Græco sermone vsos esse constat: vnde illud lib. V: Siculorum verbum, ἐνικὼ]κεαν vel putandum est, inscriptionē illam Latinam fuisse, non Gręcā: vt ex eo licet conijcere, quia patronum Siciliæ dicit appellatum. A COMMVNI *Sicilia datæ.*} malim, A communi Siciliæ: quo modo paullo ante locutus est: vt ijdem pro parte in commune Siciliæ conferrent. QVID TE *futurum esset*} pro, De te: vt lib. I: Quid hoc homine facias? A PRAETORE} L. Metello, successore Verris. A QVATTVOR *quæstoribus*} duobus Verris, qui post eum in Sicilia remanserunt, & duobus Metelli. supra. APVD *eos cum essem*,} apud Rhodios. LEONTINI,} infra: Cum ex Leontino vsque Lilybæum aliquem vadaretur. MISERA} refertur ad inopiam: vt appareat, quam statuam deiecerunt, eam statuisse à Verre coactos. AT QVO *loco? celeberrimo, ac religiosissimo*,} figura ad amplificādum idonea: quale illud supra, Quem hominem dij immortales? *Celeberrimo*: quo notior Verris infamia. *Religiosissimo*: vbi deijciendæ, nisi maximam ob caussam, statuæ nō viderentur. DECEM *primos*} erat magistratus, quem ad se Metellus euocauit: erant senatores, quorum triginta, dū statuas quæstores demolirentur, senatus decreto affuerunt. erant decem primi, quorum in senatu summus honor esset. VOBIS *possem iacentes ostendere.*} cum illę essent in Sicilia, vos autem Romæ.

ORATIO.

I*AM igitur est ita perspicuū, vt negare nō possis, nullā tibi statuam volūtate cuiusquam datam, nullam pecuniam statuarum nomine, nisi vi, expressam, & coactam. quo quidem in crimine non illud solū intelligi volo, te ad statuas* H. S CXV *millia coegisse; sed multo etiā illud magis, quod simul demonstrandū est, quantū odium in te aratorum, quantū omnium Siculorum sit, & fuerit. in quo quæ vestra defensio futura sit, coniectura assequi non queo. Oderunt Siculi. togatorum enim caussa multa feci. At hi quidē acer-*

rimi

rimi,inimicißimiq́; sunt.inimicos habeo ciues R.quod sociorũ commoda,ac iura defendi. At socij in hostiũ numero se abs te habitos queruntur.aratores inimici sunt propter decumas. Quid? qui agros immunes liberosq́; arant,cur oderunt? cur Halesini? cur Centuripini? cur Segestani; cur Halycienses? quod genus hominum, quẽ numerũ,quẽ ordinẽ proferre poßis,qui te non oderit,siue ciuium R.siue Siculorũ? vt,etiã si caussam,cur te oderint,non poßim dicere,tamen illud dicendum putẽ, quẽ omnes mortales oderint, eum quoq; vobis odio esse oportere. An hoc dicere audebis; vtrum de te aratores,vtrum deniq; Siculi vniuersi bene existiment,ad rẽ id non pertinere? neq; tu hoc dicere audebis neque,si cupies,licebit.eripiũt tibi istam orationẽ contemnendorum Siculorum,atq; aratorum statuæ illæ equestres,quas tu paullo ante,quam ad Vrbẽ venires,poni inscribiq́; iußisti; vt omnium inimicorum animos,accusatorumq́; tardares. quis enim tibi molestus esset, aut quis appellare auderet, cum videret statuas ab negotiatoribus, ab aratoribus, à communi Siciliæ? quod est alíud in illa prouincia genus hominũ? nullum ergo ab vniuersa prouincia, generatimq́; à singulis eius partibus non solum diligitur,sed etiam ornatur. quis hunc attingere audeat? potes igitur dicere, nihil tibi obesse oportere aratorũ, negotiatorum; Siculorumq́; omniũ testimonia, cum,eorũ nominibus in statuarum inscriptione positis,omnẽ te sperarís inuidiam,atq; infamiam tuam exstinguere posse? an, quorum auctoritate tu statuas cohonestare tuas conatus es,eorum ego dignitate accusationẽ meam comprobare non potero? Nisi forte, quod apud publicanos gratiosus fuisti, in ea re spes te aliqua consolatur. quæ gratia ne quid tibi prodesse posset,ego mea diligentia perfeci; vt etiã obesse deberet,tu tua sapientia curasti.etenim rem totam,iudices, breuiter cognoscite. In scriptura Siciliæ pro magistro est quidam L.Carpinatius: qui, & sui quæstus caussa, & fortasse, quod sociorum interesse arbitrabatur, bene penitus in istius familiaritatẽ sese dedit.is cum prætorem circum omnia fora sectaretur,neq; ab eo vnquam discederet,in eam iam venerat familiaritatẽ , consuetudinemq́; in vendendis istius decretis,et iudicijs, transigendisq́; negotijs, vt prope alter Timarchides numeraretur. hoc erat etiã capitalior, quod idẽ pecuniã ijs, qui ab isto aliquid mercabãtur, fenori dabat,ea aũt feneratio erat huiusmodi, iudices, vt etiam hic quæstus huic cederet. nam, quas pecunias ijs ferebat expensas, quibuscum contrahebat, aut scribæ

 istius,

istius, aut Timarchidi, etiam isti ipsi referebat acceptas. idem præterea pecunias istius extraordinarias grandes suo nomine fenerabatur. hic primo Carpinatius, ante quam in istius tantã familiaritatem peruenisset, aliquoties ad socios litteras de istius iniurijs miserat. Canuleius vero, qui in portu Syracusis operas dabat, furta quoque istius permulta nominatim ad socios perscripserat ea, quæ sine portorio Syracusis erant exportata. portum autem, & scripturas eadem societas habebat. ita factum est, vt essent permulta, quæ ex societatis litteris dicere in istum, ac proferre possemus. verum accidit, vt Carpinatius, qui iam cum isto summa consuetudine, præterea ratione coniũctus esset, crebras postea litteras ad socios de istius summis officijs in rem cõmunem, beneficijsq; mitteret. etenim tum iste omnia, quæcumque Carpinatius postulabat, facere ac decernere solebat: tum ille etiam plura scribebat ad socios, vt, si posset, quæ antea scripserat, ea plane exstingueret. ad extremũ vero, cum iste iam decedebat, eiusmodi litteras ad eos misit, vt hic frequentes obuiam prodirent, gratiasq; agerent, facturos esse, si quid imperasset, studiose pollicerẽtur: itaq; socij fecerunt: vetere instituto publicanorum, non quo istum vllo honore dignũ arbitrarentur, sed quod sua interesse putabant, se memores, gratosque existimari, gratias isti egerunt: Carpinatium sæpe ad se de eius officijs litteras misisse dixerunt iste cum respondisset, ea se libenter fecisse, operasq; Carpinatij magnopere laudasset, dat amico suo cuidam negotium, qui tum magister erat eius societatis, vt diligenter caueret, atque prospiceret, ne quid esset in litteris sociorum, quod contra suum caput, atque existimationem valere posset. itaque ille, multitudine sociorũ remota decumanos conuocat: rem defert. statuunt illi, atque decernunt, vt eæ litteræ, quibus existimatio C. Verris læderetur, remouerẽtur, operaq; daretur, ne ea res C. Verri fraudi esse posset. Si ostendo, hoc decreuisse decumanos, si planum facio, hoc decreto remotas esse litteras; quid exspectatis amplius? possum ne rem magis iudicatam afferre? magis reum condemnatum in iudicium adducere? at quorum iudicio condemnatum? nempe eorum, quos ij, qui seueriora iudicia desiderant, arbitrẽtur res iudicare oportere, publicanorum iudicio. quos videlicet nũc populus indices poscit; de quibus, vt eos iudices habeamus, legem ab homine non nostri generis, non ex equestri loco profecto, sed nobilissimo promulgatam videmus. Decumani, hoc est principes, & quasi senatores publicanorum

norum, remouendas de medio litteras censuerunt. habeo ex ijs, qui affuerunt, quos producam, homines honestißimos, ac locupletißimos, istos principes equestris ordinis, quorum splendore vel maxime istius, qui legem promulgauit, oratio, & caussa nititur. venient in medium: dicent, quid statuerint: profecto, si recte homines noui, non mentientur. litteras enim communes de medio remouere potuerunt, fidem suam & religionem remouere non possunt. ergo equites R. te suo iudicio condemnari voluerunt: vos nunc, vtrum illorum iudicium, an voluntatem, sequi malitis, considerate. at vide, quid te amicorum tuorum studium, quid tuum consilium, quid sociorum voluntas adiuuet. dicam paullo amplius. neq; enim iam vereor: ne quis hoc me magis accusatorie, quam libere, dixisse arbitretur. Si istas litteras non decreto decumanorũ magistri remouissent, tantum possem in te dicere, quantum in litteris inuenissem: nunc, decreto isto facto, litterisq; remotis, tãtum mihi licet dicere, quantum possum; tantum iudici suspicari, quantum velit. dico, te maximum pondus auri, argenti, eboris, purpuræ, plurimam vestem Melitensem, plurimam stragulam, multam Deliacam supellectilẽ, plurima vasa Corinthia, magnum numerum frumenti, vim mellis maximam Syracusis exportasse, his pro rebus, quod portorium non esset datum, litteras ad socios misisse L. Canuleiũ, qui in portu operas daret. satis ne magnũ hoc crimen videtur? nullum, opinor, maius. quid defendet Hortensius? postulabit, vt litteras Canuleij proferam? crimen huiusmodi, nisi litteris confirmetur, inane esse dicet? clamabo litteras remotas esse de medio, decreto sociorũ erepta mihi esse istius indicia, ac monumenta furtorum. aut hoc contendat, numquã esse factum: aut omnia tela excipiat, necesse est. negas esse factum? placet mihi ista defensio: descendo: æqua enim condicio, æquumq; certamen proponitur. producam testes, et producam plures eodẽ tempore. quoniam tum, cum actum est, vna fuerunt, nunc quoque vna sunt. cum interrogabuntur, obligentur nõ solum iurisiurandi, atque existimationis periculo, sed etiam communi inter se conscientia. si planum fit, hoc ita quemadmodum dico esse factum: non poteris dicere, Hortensi, nihil in istis fuisse litteris, quod Verrẽ læderet. non modo id non dices, sed ne illud quidem tibi dicere licebit, tantum, quantum ego dicam, non fuisse. ergo hoc vestro consilio, & gratia perfecistis, vt, quemadmodum paullo ante dixi, & mihi summa facultas ad accusandum daretur, & iudicibus libera

poteſtas ad credendũ. quod cũ ita ſit, nihil fingam tamẽ, meminero me nõ ſumpſiſſe, quem accuſarem, ſed recepiſſe, quos defenderem, vos ex me cauſſam non à me prolatam, ſed ad me delatam audire oportere. me Siculis ſatis eſſe facturũ, ſi, quæ cognoui in Sicilia, quæ accepi ab ipſis, diligenter expoſuero: populo R. ſi nullius vim, nullius potentiam pertimuero: vobis, ſi facultatẽ vere, atq; honeſte iudicandi fide, & diligentia mea fecero: mihi in eo, ſi ne minimum quidem de eo curriculo vitæ, quod mihi ſemper propoſitum fuit, deceſſero.

EXPLANATIO.

TOGATORVM} ciuium Romanorum. MVLTA *feci.*} contra Siculos Verris defenſio. ſed hanc illi defenſionẽ eripit Cicero, ſubiũgens: At hi quidem acerrimi, inimiciſſimiq; ſunt. CAVSSAM, *cur te oderint,*} omnino delẽdum arbitror, Te: deſinit enim ipſum Verrem alloqui, & ſermonẽ conuertit ad iudices, concludẽs, eum quoq; odio illis eſſe portere. ISTAM *orationem*} qua contẽni à te Siculi debeant: qua Siculos poſſit contemnere. NON *ſolum diligitur, ſed etiam ornatur.*} ironia. TVA *ſapientia*} improba calliditate: vt infra: IN *ſcriptura Siciliæ*} totam publicanorum rationem ſcripturam vocari, dixit Aſconius. PRO MAGISTRO} ſocietati publicanorũ qui præerat, magiſter; qui magiſtri vicarius erat, pro magiſtro vocabatur. eum, Cicero, dare operas in ſcriptura, dixit, in ep. ad Silium. Et in Parad. Vt ijs, qui honeſte rem quęrunt mercaturis faciendis, operis dandis, publicis ſumendis, intelligimus opus eſſe quæſito: ſic qui videt. &c. CIRCVM *omnia fora*} vbi cum aratoribus litigare opus eſſet. SCRIBAE *iſtius,*} quem anulo aureo in concione à Verre donatum, & iam dixit, & dicet etiam pluribus verbis lib. III. PORTVM *autem, & ſcripturas*} videtur ſignificare, portum ſcriptura caruiſſe, ſcripturam vero vnam fuiſſe in frumento exigendo, in qua Carpinatius operas dedit, alteram in paſcuis. Eadem, inquit, ſocietas & portũ, & ſcripturas habebat, id eſt, omnibus præerat vectigalibus. Quamquã in oratione pro lege Manilia vnam tantum ſcripturã Cicero facit, eamq; in paſcuis ponit. Cum hoſtium, inquit, copię non longe abſunt; etiam

ſi irru-

si irruptio facta nulla sit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deseritur, mercatorum nauigatio cõquiescit, ita neq; ex portu, neq; ex decumis, neq; ex scriptura vectigal conseruari potest. Auget difficultatem Asconius, qui, à Cicerone, vt videtur dissentiens, rationem omnem publicanorum, quod paullo ante diximus, scripturã ait vocari. SOCII} societas publicanorum. OPERASQVE *Carpinatij*} quas dabat in scriptura, societatis negotiũ diligenter curans. NEMPE *eorum*,} equitũ Romanorum, quorum ex ordine publicani erant. RES *iudicare*} lego, & legi, ac reposui ante multos annos, Res iudicare: cum in prouulgatis libris esset, Reos iudicare. mendum peperit Latini sermonis ignoratio. dicebãt enim veteres, Res iudicare, pro iudicare: vt in hoc ipso libro: Vt sit, qui vobiscum res iudicet. Quo de genere loquendi supra diximus. NOSTRI *generis*, equestri familia nati, vt Cicero ipse natus erat. SED *nobilissimo*} vt appareat, eum re ipsa commotum, non vlla generis coniunctione, legem promulgasse de iudicijs communicandis. fuit autem is L. Aurelius Cotta prætor. lib. III: Quid possumus contra illum prętorem dicere, qui quotidie templum tenet, qui remp. stare negat posse, ni ad equestrem ordinem iudicia referantur? SPLENDORE} proprie splendor equitibus, dignitas senatoribus, tribuitur. NITATVR.} adiuuat promulgatam legem splendor eorum. nemo est enim, quin tales viros honore iudicãdi in primis dignos esse censeat. CONDEMNARI *voluerunt*.} refertur ad illud, Possum ne rem magis iudicatam afferre? magis reum condemnatum in iudicium adducere? at quorum iudicio condemnatum? Dicit enim hoc: iudicarunt, nisi litteras eas de medio remouissent, fore, vt earum caussa condemnareris. ipsi igitur te suo iudicio cõdemnari voluerunt. At voluntas alia fuit. Vide, quid te voluntas adiuuet. deinde studet probare, obesse ei potius, quam prodesse, equitum illã voluntatem, cum litteras remouerũt: cũ hoc dicat, remotis litteris, plus & licere sibi dicere, & iudici suspicari, quam licuisset. SOCIORVM *voluntas*} qui litteras ideo remouerunt, quia te saluum vellent,

PLVRIMAM *ſtragulam*,} cum ſtragulam à Melitenſi diſtinguat, Melitenſis non videtur ſtragula fuiſſe. DELIACAM} æris Deliaci primam nobilitatem, poſt Corinthiam, fuiſſe, iam dixi. SVPELLECTILEM} ex ære. ſupra: Supellectilem ex ære elegantiorem & Deliacam,& Corinthiam. NON *fuiſſe*.} in ijs litteris. VESTRO *conſilio*,} Verris enim conſilium fuit de litteris remouendis. ſupra: At vide, quid te amicorum tuorum ſtudium, quid tuum conſilium, quid ſociorum voluntas adiuuet. GRATIA} qua impetraſtis à decumanis, vt litteræ illæ de medio remouerentur. SVMMA *facultas ad accuſandum*} tantum enim mihi licet dicere, quantum poſſum. LIBERA *poteſtas ad credendum*.} ex ijs, quę dixero. ſupra: Tantum iudici ſuſpicari, quantum velit.

ORATIO.

QVAPROPTER *nihil eſt, quod metuas, ne quid mecum fingam: etiam, quod lætere, habes. multa enim, quæ ſcio abs te eſſe commiſſa, quod aut nimium turpia, aut parum credibilia ſunt, prætermittam: tantum agam de hoc toto nomine ſocietatis: & , vt verum ſcire poßitis, quæram, decretum ne ſit. cum id inuenero, quæram, remotæ ne ſint litteræ. cum id quoque conſtabit; vos iam, me tacito, intelligetis. ſi illi, qui hoc iſtius cauſſa decreuerunt, equites R. nunc ijdem in eum iudices eſſent, an non iſtum ſine dubio condemnarent, de quo litteras eas, quæ iſtius furta indicarent, & ad ſe miſſas, & ſuo decreto remotas ſcirent eſſe? quem igitur ab ijs equitibus R. qui iſtius cauſſa cupiunt omnia, qui ab eo benigniſsime tractati ſunt, condemnari neceſſe eſſet; is à vobis, iudices, vlla vi, aut ratione abſolui poteſt? ac, ne forte ea, quæ remota de medio, atque erepta vobis ſunt, omnia ita condita fuiſſe, atque ita abdite latuiſſe videatur, vt hac diligentia, quam ego à me exſpectari maxime puto, nihil horum inueſtigari, nihil aſſequi potuerit: quæ conſilio aliquo, aut ratione inueniri potuerunt, inuenta ſunt, iudices: manifeſtis in rebus hominem iam teneri videbitis: nam, quod in publicanorum cauſsis vel plurimum ætatis meæ verſor, vehementerq́; illum ordinem obſeruo; ſatis commode mihi videor eorum conſuetudinẽ vſu, tractãdoq́; cognouiſſe. itaque, vt hoc comperi, remotas eſſe litteras ſocietatis; habui rationem annorum, per quos iſte in Sicilia fuiſſet: deinde quæſiui, quod erat inuentu faci-*

facillimum, qui per eosdem annos magistri istius societatis fuissent. sciebam enim hanc magistrorum, qui tabulas haberent, consuetudinem esse, vt, cum tabulas nouo magistro traderent, exempla litterarum ipsi habere non nollent. itaq; ad L. Vibium, equitem R. virum primarium, quem reperiebam magistrum fuisse eo ipso anno, qui mihi maxime quærendus erat, primum veni. sane homini præter opinionem improuiso incidi. scrutatus sum quæ potui, & quæsiui omnia: inueni duos solos libellos ab L. Canuleio missos socijs ex portu Syracusis, in quibus erat ratio scripta mensium complurium, rerum exportatarũ istius nomine sine portorio. itaq; obsignaui statim. nec erant hæc ex eo genere, quod ego maxime genus ex sociorum litteris reperire cupiebam verum tãtum inueni, iudices, quod apud vos quasi exempli caussa proferre possum, sed tamen, quidquid erit in his libellis, quantulũcumq; videbitur esse, hoc quidem certe manifestum erit. de ceteris ex hoc coniecturam facere debebitis. Recita mihi, quæso, hunc primum libellum, deinde illum alterum. LIBELLVS CANVLEII. *Iam non quæro, vnde* CD. *amphoras mellis habueris, vnde tantam Melitensem vestem, vnde quinquaginta tricliniorum lectos, vnde tot candelabra: non, inquam, iam quæro, vnde hæc habueris: sed, quo tibi tantum opus fuerit, id quæro. mitto de melle: sed tantum ne Melitensium, quasi etiam amicorum vxores, tantum lectorum, quasi etiam omnium istorum villas, ornaturus esses? cum hæc paucorum mensium ratio in his libellis sit, facite, vt vobis triennij totius veniat in mentem. sic contendo, ex his paruis libellis apud vnum magistrum societatis repertis vos iam coniectura assequi posse, cuiusmodi prædo iste in illa prouincia fuerit, quam multas cupiditates, quam varias, quam infinitas habuerit, quantam pecuniam non solum numeratam, verum etiam in huiuscemodi rebus positam confecerit. quæ nobis alio loco planius explicabuntur: nunc hoc attendite. His exportationibus, quæ recitatæ sunt, scribit* H-S LX *socios perdidisse ex vicesima portorij Syracusis. pauculis igitur mensibus, vt hi pusilli & contempti libelli indicant, furta prætoris, quæ essent* H-S *duodecies ex vno opido solo exportata sunt. cogitate nunc, cum illa sit hæc insula, quæ vndique exitus maritimos habeat, quid ex ceteris locis exportatum putetis, quid Agraganto, quid Lilybæo, quid Panhormo, quid Thermis, quid Halesa, quid Catina, quid ex ceteris opidis, quid vero Messana, quem iste sibi locum maxime tu-*

tum arbitrabatur, vbi animo semper soluto, liberoq́; erat, quod sibi iste Mamertinos delegerat, ad quos omnia, quæ aut diligētius seruanda, aut occultius exportanda erant, deportaret. his inuentis libellis, ceteri remoti, & diligentius sunt reconditi. nos tamen, vt omnes intelligāt, hoc nos sine cupiditate agere, his ipsis libellis contenti sumus. nunc ad sociorum tabulas accepti & expensi, quas remouere honeste nullo modo potuerūt, & ad amicum tuum Carpinatium reuertemur. Inspiciebamus Syracusis à Carpinatio confectas tabulas societatis, quæ significabant, multis nominibus eos homines versuram à Carpinatio fecisse, qui pecuniam Verri dedissent. erit vobis luce clarius, iudices, cum eos ipsos produxero, qui dederunt. intelligetis enim, illa tempora, per quæ, cum essent in periculo, pretio sese redemerunt, cum societatis tabulis non solum consulibus, verum etiam mensibus conuenire. cum hæc maxime cognosceremus, & iam in manibus tabulas haberemus, repente adspicimus lituras eiusmodi, quasi quædā vulnera tabularum recentia. statim suspicione offensi, ad ea ipsa nomina oculos, animumq́; transtulimus. erāt acceptæ pecuniæ à C. Verrutio, sic tamen, vt vsque alterum, r, litteræ constarent integræ, reliquæ omnes essent in litura. alterum, tertium, quartum, permulta erant eiusmodi nomina. cum manifesta res, cum flagitiosa tabularum, atque insignis turpitudo teneretur, quærere incepimus de Carpinatio, quisnam esset is Verrutius, qui cum tantæ pecuniæ rationem haberet. hærere homo, auersari, rubere. quod lege excipiuntur tabulæ publicanorum, quo minus Romam deportentur, vt res quam maxime clara, ac testata esse posset, in ius ad Metellum Carpinatium voco, tabulasq́; societatis in forum defero. fit maximus concursus hominum, &, quod erat Carpinatij nota cum isto pretore societas, ac feneratio, summe exspectabāt omnes, quid in tabulis contineretur. rem ad Metellum defero: me tabulas perspexisse sociorum: in his tabulis magnam rationem C. Verrutij permultis nominibus esse: neque hoc perspicere ex consulum mensiumque ratione, hunc Verrutium neque ante aduentum C. Verris, neque post decessionem quidquam cum Carpinatio rationis habuisse. postulo, mihi respondeat, qui sit iste Verrutius, mercator, an orator, an pecuniarius? in Sicilia sit, an decesserit? clamare omnes ex conuentu, neminem vmquam ex Sicilia fuisse Verrutium: ego instare, vt mihi responderet, vbi esset? quis esset? vnde esset? cur seruus societatis, qui tabulas confecerit,

semper

ſemper in Verrutij nomine certo ex loco mendoſius eſſet? atq; hæc poſtulabam;non quo illum cogi putarem oportere, vt ea mihi reſpõderet inuitus,ſed,vt omnibus iſtius furta,illius flagitium,vtriuſque audacia perſpicua eſſe poſſet.itaque illum iniuriæ metu,conſcientiaque peccati mutum,atque exanimatum,ac vix viuum relinquo: tabulas in foro ſumma hominum frequentia exſcribo: adhibentur in exſcribendo de conuentu viri primarij: litteræ,lituræque omnes aſsimulatæ, expreſſæ, de tabulis in libros transferũtur. hæc omnia ſumma cura,& diligentia recognita,& collata,& ab hominibus honeſtiſsimis obſignata ſunt. Si Carpinatius tum mihi reſpondere noluit; reſponde mihi nunc tu, Verres, quem eſſe hunc tuum pæne gentilem Verrutium putes. fieri nõ poteſt,vt,quem video te prætore in Sicilia fuiſſe, & quem ex ipſa ratione intelligo locupletem fuiſſe,eum tu in tua prouincia non cognoris. atq; adeo, hoc ne longius, aut obſcurius eſſe poſsit, procedite in medium, explicate deſcriptionem, imaginemque tabularum; vt omnes mortales iſtius auaritiæ non iam veſtigia, ſed ipſa cubilia videre poſſint. Videtis Verrutium? videtis primas litteras integras? videtis extremam partem nominis,caudam illam Verris,tamquam in luto,demerſam eſſe in litura? ſic habent ſe tabulæ, iudices, vt videtis.quid exſpectatis?quid quæritis amplius?tu ipſe,Verres,quid ſedes?quid moraris?nam aut exhibeas nobis Verrutium, neceſſe eſt, aut te eſſe Verrutiũ fateare. Laudãtur oratores veteres,Craſsi illi, & Antonij, quod crimina diluere dilucide, quod copioſe reorum cauſſas defendere ſolebant. nimirũ illi non ingenio ſolum his patronis,ſed fortuna etiam præſtiterunt. nemo enim tunc ita peccabat, vt defenſioni locum non relinqueret. nemo ita viuebat, vt nulla eius vitæ pars ſummæ turpitudinis eſſet expers. nemo ita in manifeſto peccato tenebatur,vt, cum impudens fuiſſet in facto,tũ impudentior videretur,ſi negaret.nunc vero,quid faciat Hortenſius,auaritiæ ne crimina frugalitatis laudibus deprecetur? at hominẽ flagitioſiſsimum, libidinoſiſsimũ, nequiſsimumq; defendit. An ab huius infamia nequitiæ veſtros animos in aliam partẽ fortitudinis cõmemoratione traducat: at homo inertior,ignauior,magis vir inter mulieres nequã,impura inter viros muliercula,proferri nõ poteſt. At mores cõmodi.quis contumacior?quis inhumanior?quis ſuperbior? At hæc ſine cuiuſquã malo.quis acerbior?quis inſidioſior? quis crudelior vmquam fuit? In hoc homine, atque in eiuſmodi

cauſſa

caussa quid facerent omnes Craßi, & Antonij? tantum, opinor, Hortensi, ad hanc caussam non accederem; ne in alterius impudentia sui pudoris existimationem amitterent: liberi enim ad caussæ, solutique veniebant, neque committebant, vt, si impudentes in defendendo esse noluissent, ingrati in deserendo existimarentur.

EXPLANATIO.

MECVM *fingam*:} ex me ipso. DECRETVM *ne fit*.} à decumanis, vt litteræ remouerentur. INTELLIGETIS.} cur litteræ remotę sint. NVLLA VI, *aut ratione*} cogere vos neq; vis vlla, neque ratio potest, vt eum absoluatis. ASSEQVI} cum patiendi significatione, vt Adipiscitur, apud Plautũ. ERANT *hac ex eo genere, quod ego maxime genus*} tale illud in Diuin. Si quod tempus accidisset, quo tempore aliquid à me requirerent, commodis eorum me non defuturum. TRICLINIORVM} in quibus lecti, vbi accumberetur, ponebantur. ISTORVM} qui nunc tibi suffragantur. QVANTAM *pecuniam*} socijs ereptam. CONFECERIT.} consumpserit. H.S LX} subaudi, millia. scutati mille octingenti. H.S DVODECIES,} duodecies centena millia. scutatorum XXXVI millia. quorũ vicesima, si ratio subducitur, ipsa est, quam Cicero posuit, H SLX millia. MAMERTINOS} Messanenses ipsos dicit, nam, cum Mamertini, natio Campana, Messanam habitatum profecti essent: Messanæ vrbis nomen mansit, Mamertini tamen ciues, & Mamertina ciuitas dicta est. propterea cum agit Cicero de oneraria naui, quam Mamertini ad exportanda Verris furta ædificarunt, ait eam Messanæ ædificatam. VERSVRAM *à Carpinatio fecisse*,} sumpsisse pecuniam à Carpinatio. versuram enim facit, qui creditorem mutat, id est, qui pecuniam ab alio sumptam, ad alium conuertit. pro Fonteio: A quibus versuras tantarum pecuniarum factas esse dicunt. CONSVLIBVS,} anno ipso. MENSIBVS} quo clarius res patet. A C. VERRVTIO,} à C. Verre Carpinatius acceperat eam pecuniam, vt in fenore collocaret: postea, ne res ea Verri fraudi esse posset, corrupit nomen, & fecit, A C. Verrutio. SERVVS *societatis*,} is, qui societati operas dabat, qui tabulas

bulas scribebat. Carpinatium significat. is enim tabulas illas confecerat. supra: Inspiciebamus Syracusis à Carpinatio confectas tabulas societatis. CERTO *ex loco*} post alterum. MENDOSVS *esset*?} mendum committeret, mendose scriberet. NON QVO *illum cogi putarem oportere*,} cum res ipsa pateret satis. ISTIVS *furta*,} qui tantam pecuniam, inique à socijs expressam, feneraretur. ILLIVS} Carpinatij, qui acceptam à Verre pecuniam fenori dedisset, posteaque Verrem in Verrutium, deprauatis tabulis, conuertisset. VTRIVSQVE *audacia*} Verris in danda, Carpinatij in accipienda pecunia: cum & ille daret, & hic acciperet, vt feneraretur. INIVRIAE *metu*,} iniuriæ, quam fecisset: delicti sui metu. DE *conuentu*} ciuium Romanorum. PAENE *gentilem*} est enim nominum similitudo. EX IPSA *ratione*,} quam habuit cum Carpinatio. IPSA *cubilia*} vbi iaceat. nam ex vestigijs cōijcimus: in cubilibus autem, quod quærebamus, inuenimus. Translatio à venatoribus. In MANIFESTO *peccato*} Valerius Probus apud Gellium lib. XIII. cap. 19. & hic, Peccatu, non Peccato, & lib. V. Fretu, non Freto, legit, ex antiquissimo libro, quem Ciceronis libertus Tiro sua manu scripserat. MAGIS *vir inter mulieres nequam, impura inter viros muliercula*,} obijcit eadem Clodio, in ea pro Domo. Qui contra fas, inquit, inter viros sæpe mulier, & inter mulieres vir fuisset. Vtrumque vitium, auctore Suetonio, Curio pater obijciebat C. Cæsari, appellans eum omnium mulierum virum, omnium virorum mulierē. IN ALTERIVS *impudentia*} qui impudenter peteret, vt defenderetur, cum esset nocentissimus: vt petijt Verres ab Hortensio. SVI *pudoris existimationem amitterent*.} quod fecit Hortensius, in suscipienda Verris defensione. LIBERI} nihil præter ingenium & fidem afferentes, non muneribus capti, aut beneficijs adducti. NEQVE *committebant, vt, si impudentes*} non cōmittebant id, quod commisit Hortensius: qui si defendit Verrem, impudens est: si deserit, cum ab eo beneficia multa acceperit, ingratus existimabitur. illi eas caussas recipiebant, quas cum defenderent, impudentes non habebantur: (erant

enim

enim iustæ) aut, si quas non recipiebant, quod impuden tes in defendendo esse nollent, non ideo tamen ingrati putabantur: quia beneficia, aut munera non acceperant, vt accepit Hortensius à Verre. Ad hanc sententiã pertinet illud ad Att. Beneficio captus, ingratus esse nõ possũ.

IN. LIBRVM. III. ACTIONIS. II. CICERONIS. IN. VERREM.

QVI. DE. FRVMENTO. INSCRIBITVR.

PAVLLI. MANVTII. COMMENTARIVS.

ORATIO. IIX.

OMNES, *qui alterum, iudices, nullis impulsi inimicitijs, nulla priuatim læsi iniuria, nullo præmio adducti, in iudicium reip. caussa vocant, prouidere debent, non solum, quid oneris in præsentia tollant, sed etiam quantum in omnem vitam negotij suscipere conentur. legẽ enim sibiipsi indicunt innocentiæ, continentiæ, virtutumq; omnium, qui ab altero rationem vitæ reposcunt, atque eo magis, si id, vt ante dixi, faciunt nulla re cõmoti alia, nisi vtilitate cõmuni. nam, qui sibi hoc sumpsit, vt corrigat mores aliorũ, ac peccata reprehendat; quis huic ignoscat, si qua in re ipse ab religione officij declinarit? quapropter hoc etiam magis ab omnibus eiusmodi ciuis laudandus, ac diligendus est, qui non solum reip. ciuem improbum remouet, verum etiam seipsum eiusmodi fore profitetur, ac præstat, vt sibi non modo cõmuni voluntate virtutis, atq; officij, sed etiam vt quadam magis necessaria ratione recte sit, honesteq; viuendum. ita hoc, iudices, ex homine clarissimo, atq; eloquentissimo L. Crasso sæpe auditum est, cum se nullius rei tam pænitere diceret,*

diceret, quam quod C. Carbonem vmquam in iudicium vocauisset. minus enim liberas omniũ voluntates rerum habebat, & vitã suam pluribus, quam vellet, obseruari oculis arbitrabatur. atq; ille, ijs præsidijs ingenij, fortunæq; munitus, tamen hac cura continebatur, quam sibi, nondũ confirmato consilio, sed ineunte ætate susceperat. quo minus etiã perspicitur eorum virtus, & integritas, qui ad hanc rem adolescentuli, quã qui iam firmata ætate descendunt. illi enim, ante quam potuerũt existimare, quanto liberior vita sit eorum, qui neminẽ accusarint, gloriæ caussa, atq; ostentationis accusant: nos, qui iam, & quid facere, & quantulũ iudicare possemus, ostendimus, nisi facile cupiditates nostras teneremus, numquã ipsimet nobis præcideremus istam licentiam, libertatemq; viuendi. atq; hoc ego plus oneris habeo, quam qui ceteros accusarunt: (si onus est id appellandũ, quod cum lætitia feras ac voluptate) verũ tamẽ hoc ego amplius suscepi, quam ceteri, quod ita postulatur ab omnibus, vt ab ijs se abstineant maxime vitijs, in quibus alterum reprehenderunt. furem aliquẽ, aut rapacem accusaris: vitanda tibi semper erit omnis auaritiæ suspicio. maleficũ quempiã adduxeris, aut crudelẽ; cauendũ erit semper, ne qua in re asperior, aut inhumanior fuisse videare. corruptorẽ, adulterũ: prouidendũ diligenter, ne quod in vita vestigium libidinis appareat. omnia postremo, quæ vindicaris in altero, tibi ipsi vehementer fugienda sunt. etenim non modo accusator, sed ne obiurgator quidem ferendus est is, qui, quod in altero vitiũ reprehendit, in eo ipso deprehenditur. ego in vno homine omnia vitia, quæ possunt in homine perdito, nefarioq; esse, reprehendo, nullum esse vitiũ libidinis, sceleris, audaciæ, quod non in vnius istius vita perspicere possitis. ego in isto reo legem hanc, iudices, mihi statuo, videndum ita esse, vt isti non modo factis, dictisq; omnibus, sed etiam, oris, oculorumq; illa contumacia, ac superbia, quã videtis, dissimillimus esse, ac semper fuisse videar. patior nõ moleste, iudices, eam vitã, quæ mihi sua sponte antea iucunda fuerit, nunc iam mea lege, & condicione necessariam quoq; futurã. Et in hoc homine sæpe à me quæris, Hortensi, quibus inimicitijs, aut qua iniuria adductus ad accusandũ descenderim? mitto iam rationẽ officij mei, necessitudinisq; Siculorũ: de ipsis tibi inimicitijs respondeo. an tu maiores vllas inimicitias putas esse, quã contrarias hominũ sentẽtias, ac dissimilitudines studiorũ et voluntatum? fidẽ sanctissimã in vita qui putat, potest ei non inimicus

esse,

esse, qui quæstor consulem suum, consilijs commissis, pecunia tradita, rebus omnibus creditis, spoliare, relinquere, prodere, oppugnare ausus siti pudorem & pudicitiam qui colit, potest animo æquo istius quotidiana adulteria, meretriciam disciplinam, domesticum lenocinium videre? qui religiones deorum immortalium retinere vult, ei, qui fana spoliarit omnia, qui ex tensarum orbitis prædari sit ausus, inimicus non esse qui potest? qui iure æquo omnes putat esse oportere, is tibi non infestissimus sit. cum cogitet varietatem, libidinemq; decretorum tuorum? qui sociorum iniurijs, prouinciarumq; incommodis doleat, is in te non expilatione Asiæ, vexatione Pamphyliæ, squalore, et lacrymis Siciliæ concitetur? qui ciuium R. iura, ac libertatem sanctam apud omnes haberi vult, is non tibi plus etiam, quam inimicus esse debeat, cum tua verbera, cum secures, cum cruces ad ciuium R. supplicia fixas recordeur? an, si qua in re contra rem meam decresset aliquid iniuria, iure me ei inimicum esse arbitrarere: cum omnia contra omnium bonorum rem, caussam, rationem, vtilitatem, voluntatemq; fecerit, quæris cur ei sim inimicus, cui populus R. infestus sit? qui præsertim plus etiam, quam pars virilis postulat, pro voluntate populi R. oneris, ac muneris suscipere debeam. Quid illa, quæ leuiora videntur esse, non cuiusuis animum possunt mouere? quod ad tuam ipsius amicitiam, ceterorumq; omnium maiorum, atque nobilium faciliorem aditum istius habet nequitia & audacia, quam cuiusquam nostrum virtus, & integritas. odistis hominum nouorum industrias: despicitis eorum frugalitatem: pudorẽ contemnitis: ingeniũ vero, & virtutem depressam, exstinctamq; cupitis: Verrem amatis ita credo, si non virtute, non industria, non innocentia, non pudore, nõ pudicitia, at sermone, at litteris, at humanitate eius delectamini. nihil horum est: contraq; sunt omnia cum summo dedecore, ac turpitudine, tum singulari stultitia, atq; inhumanitate oblita. Huic homini si cuius domus patet, vtrum ea patere, an hiare, ac poscere aliquid videtur? hunc vestri ianitores, hunc cubicularij diligunt: hunc liberti vestri, hunc serui, ancillæq; amant: hic cum venit, extra ordinem vocatur: hic solus intro ducitur, ceteri sæpe frugalissimi homines excluduntur. ex quo intelligi potest, eos vobis esse carissimos, qui ita vixerunt, vt sine vestro præsidio salui esse non possint. Quid? hoc cuiquam ferendum putatis esse, nos ita viuere in pecunia tenui, vt prorsus nihil acquirere velimus, vt dignitatem nostram, populique R. beneficia

R. beneficia non copijs, sed virtute tueamur, istum rebus omnibus vndique ereptis impune eludentem circumfluere, atque abũdare? huius argento domos vestras, huius signis, & tabulis forum, Comitiumque ornari? praesertim cum vos vestro marte his rebus omnibus abundetis. Verrem esse, qui vestras villas suis manubijs ornet? Verrem esse, qui cum L. Mummio certet? vt plures hic sociorum vrbes, quam ille hostium, spoliasse videatur; plures hic solus villas ornamentis fanorum, quam ille fanorum spolijs hostium ornasse. & is erit ob eam rem vobis carior; vt ceteri libentius suo periculo vestris cupiditatibus seruiãt? verũ hæc dicentur alio loco, & dicta sunt: nunc proficiscemur ad reliqua, si pauca ante erimus à vobis, iudices, deprecati. Superiore omni oratione perattẽtos vestros animos habuimus. id fuit nobis gratum admodum, sed multò erit gratius, si reliqua voletis attendere: propterea quod in his omnibus, quæ antea dicta sunt, erat quædam ex ipsa varietate, ac nouitate rerum, ac criminum delectatio: nũc tractare caussam instituimus frumentariã, quæ magnitudine iniuriæ fere criminibus ceteris antecellit, iucunditatis in agẽdo, & varietatis minus habebit, vestra autẽ auctoritate, & prudentia dignissimũ est, iudices, in audiendo diligentiam non minus religioni tribuere, quã voluptati.

EXPLANATIO.

NVLLIS *impulsi inimicitijs, nulla priuatim læsi iniuria; nullo præmio adducti,* } se ipsum describit. QVID ONERIS *in præsentia tollant,* } onus enim accusandi grauissimum est: cum in accusatore multa requirantur: vt in Diuin. VIRTVTVMQ. *omnium,* } quibus contraria vitia in eo, qui reus est, accusantur. AB RELIGIONE *officij declinarit:* } officiũ, quod religiose colendũ est, violauerit. AC PRAESTANT, } qui re ipsa talem se præbet; qualem se fore, cum alterum accusaret, professus est. COMMVNI *voluntate virtutis, atque officij,* } eo studio virtutis, atque officij, quod commune omnibus est. MAGIS *necessaria ratione* } quia sibi indicit legem innocentiæ, continentiæ, virtutumque omnium, qui ab altero rationem vitæ reposcit. C. CARBONEM } consularem, virum eloquentissimum: qui se voluntaria morte à iudicum seueritate vindicauit. in Bruto, & in ep. ad Pętũ. FORTVNAEQ. }

 Crassi

Crassi nobilitatem significat, quæ numeratur inter fortunæ bona. INEVNTE *ætate*} annos enim natus XIX, Carbonem accusauit: vt ait Tacitus in dialogo de Orat. GLORIAE *caussa*,} minime prouidentes, quantum in omnem vitam negotij suscipiant, quibusque se innocẽtiæ, continentiæ, virtutum omnium legibus adstringant. ET QVID *facere, & quantulum iudicare possemus*,} quid præstare possemus, vel agendo, vel iudicando. Facere, nõ ad onus accusandi, sed ad vniuersæ vitæ rationem refero. VERVMTAMEN} vsitatum verbum superioribus iterandis: de quo supra diximus. HOC *ego amplius suscepi, quam ceteri*: } correctio quædam superiorum verborũ. quod enim suscepit, onus hic non appellat, vitato vocabulo, in quo molestia quædam inest. MALEFICVM} alibi generale nomen est, hic vnius propriũ criminis: ve si dixisset, asperis moribus: nã subiungit, Si qua in re asperior. CONTVMACIA,} cõtrariũ est humilitati. infra: Ex ea contumacia, quam hic in perditis rebus retinet, illos eius spiritus Sicilienses quos fuisse putetis, cogitate. PVDOREM, *& pudicitiam*} pudor animi, pudicitia corporis. infra: Non pudore, non pudicitia De harusp. resp. An ex sororis cubiculo egressus, pudorem, pudicitiamq; defendat? Pro Clu. Eam non pudor, non pudicitia à cupiditate reuocauit. ADDVXERIS,} in iudicium. act. I: Vt perspicuum cuiuis esse possit, hominem ab isto quæsitum esse, non qui reum suum adduceret, sed qui meũ tempus obsideret. QVI EX *tensarum orbitis prædari sit ausus*,} hanc prædam significant illa verba. lib. I: Quis à signo Verrtumni in circum maximum venit, quin is in vnoquoque gradu de auaritia, tua commoneretur? quam tu viam tensarum, atque pompæ sic exegisti, vt tu ipse illa ire non audeas. IVRE *æquo*} non vt varie propter pecuniam, sed vt æqualiter, pro cuiusque caussa decernatur. ASIAE} Ciliciæ, cui præfuit Dolabella, Verre legato: quam sæpe Asiam vocat, vt act. I: Vexatorem Asiæ, atque Pamphyliæ. Et: Cuius legatio exitium fuit totius Asiæ, & Pamphyliæ. Iam lib. I. Legatione Asiatica, pro, Ciliciensi. PAMPHYLIAE,} hæc quoque minoris Asiæ

pars

pars fuit, sed nominatur cum Asia, quia solam Ciliciam Asiæ nomine Cicero significat: vt exemplis intelligitur. IVRA} antiquis legibus tradita. ARBITRARER:} alij, Arbitrarere: quod probo: vt cum eo congruat, Quæris cur ei sim inimicus, cui populus Romanus infestus sit? PRO *voluntate populi Romani*} vt obsequar voluntati populi Romani, optime de me meriti. ITA *credo*:} à cōtrario sensu. Non eum, inquit, amatis, sed capti muneribus ita defenditis eum, ac si amaretis. quis enim amet illum, quem virtus nulla commendet? FRVGALISSIMI} qui nihil in vestras domos conferant. FERENDVM *putas*} supra, & infra nobiles omnes alloquitur: ergo hic, Putatis, rectius videtur VESTRO *Marte*} vestris artibus, ac rapinis. quo maiore flagratis cupiditate, cum ea sumitis aliunde, quibus abundatis ipsi. Off. lib. II: Hanc igitur partem relictam explebimus, nullis adminiculis, sed, vt dicitur, Marte nostro. Phil. IJ: Rex ipse sua sponte, nullis commentarijs Cæsaris, suo Marte res suas recuperauit. CETERI} exemplo commoti. SVO *periculo*} nam, si pĩdātur in prouincijs, pœnas fortasse iudicio dabũt. ALIO *loco*} lib. IV. ET DICTA *sunt*.} suspicor hæc addita esse ab eo, qui hæc, q̃ Cicero se dicturum alio loco pollicetur, satis iam hic ab eo esse dicta, significare voluerit. alioqui, vbinam hæc aduersus nobiles in superioribus orationibus dicta sint, non inuenio. SVPERIORE *omni oratione*} non de vna tantum loquitur superiore oratione, verum de omni ante habito sermone: vel in primo, vel in secũdo libro. nã in vtroq; varia, nouaq́;. Verris crimina exposuit: hic autẽ subiungit: Erat quædã ex ipsa varietate, ac nouitate rerũ, ac criminũ delectatio. RELIGIONI} caussæ, quæ ad vestram religionem pertinet. iurastis enim in leges. nunc attentionem à vobis religio postulat: cum præsertim superiora, propter voluptatem libenter audieritis.

ORATIO.

IN hac caussa frumentaria cognoscenda, hæc vobis proponite, iudices, vos de rebus fortunisque Siculorum omnium, de ciuium R. qui arant in Sicilia, bonis, de vectigalibus à maioribus traditis, de vita victuq́; populi R. cognituros. q̃ si magna, atq; adeo

maxima vobis videntur; quam varie, & quam copiose dicantur, exspectare nolite. Neminem vestrum praeterit, iudices, omnē vtilitatem, opportunitatemq; prouinciae Siciliae, quae ad commoda populi R. adiuncta sit, consistere in re frumentaria maxime: in ceteris rebus adiuuamur ex illa prouincia, hac vero alimur, ac sustinemur. ea caussa tripartita, iudices, erit in accusatione. primum enim de decumano, deinde de empto dicemus frumento, postremo de aestimato. Inter Siciliam, ceterasq; prouincias, iudices, in agrorum vectigalium rationibus hoc interest, quod ceteris aut impositum vectigal est certum, quod stipendiarium dicitur, vt Hispanis, & plerisque Poenorum, quasi victoriae praemium, ac poena belli; aut cēsoria locatio constituta est, vt Asiae, lege Sempronia. Siciliae ciuitates sic in amicitiam, fidemq; recepimus, vt eodem iure essēt, quo fuissent: eadem condicione populo R. parerent, qua suis antea paruissent. perpaucae Siciliae ciuitates sunt bello à maioribus nostris subactae: quarum ager cum esset publicus populi R. factus, tamen illis est redditus. is ager à censoribus locari solet. foederatae ciuitates duae sunt, quarum decumae venire non soleant, Mamertina, & Taurominitana. quinque praeterea sine foedere immunes ciuitates, ac liberae, Centuripina, Halesina, Segestana, Halyciensis, Panhormitana. praeterea, omnis ager Siciliae ciuitatum decumanus est. itemque ante imperium populi R. ipsorum Siculorum voluntate, & institutis fuit. videte nunc maiorum sapientiam: qui, cum Siciliam tam opportunum subsidium belli, atque pacis ad rēp. adiunxissent, tanta cura Siculos tueri, & retinere voluerunt, vt non modo eorum agris vectigal nollum nullum imponerent, sed ne legem quidem venditionis decumarum, ne ve vendundis aut tēpus, aut locum commutarent, vt certo tempore anni, vt ibidem in Sicilia, denique vt lege Hieronica venderent. voluerunt eos in suis rebus ipsos interesse, eorum animos non modo lege noua, sed ne nomine quidem legis nouo commoueri. ita decumas lege Hieronica semper vendendas censuerunt, vt ijs iucundior esset muneris illius functio, si eius regis, qui Siculis carissimus fuit, non solum instituta commutato imperio, verum etiam nomen maneret. hoc iure ante Verrem praetorem Siculi semper vsi sunt. hic primus instituta omnium, consuetudinem à maioribus traditam, condicionem amicitiae, ius societatis conuellere, & cōmutare ausus est. qua in re primū illud reprehendo, & accuso, cur in re tam veteri, tam vsitata

sitata quidquam noui feceris? ingenio aliquid assecutus es? tot homines sapientissimos, qui illam prouinciam ante te tenuerunt, prudentia, consilioq; vicisti? est tuũ, est ingenij, prudentiæque tuæ do hoc tibi, & concedo: scio te Romæ, cũ prætor esses, edicto tuo possessiones hereditatum ad alienos, à primis heredibus ad secundos, à legibus ad libidinẽ tuã transtulisse: scio te edicta superiorum omnium correxisse, & possessiones hereditatum non secundum eos, qui proferrent, sed secundũ eos, qui dicerent testamentum factum, dedisse: easq; res nouas, abs te prolatas, & inuentas, magno tibi quæstui fuisse scio: eundemq; te memini censorias quoque leges in sartis tectis exigendis tollere, & commutare, ne is redimeret, cuia res esset, ne pupillo tutores, propinquiq; consulerent, quo minus fortunis omnibus euerteretur; exiguam diem præfinire operi, qua ceteros ab negotio excluderes, cum ipse in tuo redemptore nullã certam diem obseruares. quamobrem nouam legem te in decumis statuisse non miror, hominem in edictis prætorijs, in censorijs legibus tam prudentem, tam exercitatum. non, inquam, miror, te aliquid excogitasse, sed, quod tua sponte, iniussu populi, sine senatus auctoritate iura prouinciæ Siciliæ mutaris, id reprehendo, id accuso. L. Octauio & C. Cottæ coss. senatus permisit, vt vini, & olei decumas, & frugum minutarum, quas ante quæstores in Sicilia vendere consuessent, Romæ venderent, legemq; his rebus, quam ipsis videretur, edicerent. cũ locatio fieret, publicani postularunt, quasdam res vt ad legem adderent, neque tamen à censorijs ceteris legibus recederent. contradixit is, qui casu tum Romæ fuit, tuus hospes, Verres, hospes, inquam, & familiaris tuus, Sthenius hic Thermitanus. censores caussam cognouerunt: cum viros primarios, atque amplissimos ciuitatis multos in consilium aduocassent, de consilij sententia pronunciarunt, se lege Hieronica vendituros. ita ne vero prudentissimi viri summa auctoritate præditi, quibus senatus legum dicendarum in locandis vectigalibus omnem potestatẽ permiserat, populusq; R. idem iusserat: Siculo vno recusante, cum amplificatione vectigaliũ nomẽ Hieronicæ legis mutare noluerũt: tu, homo minimi consilij, nullius auctoritatis, iniussu populi, ac senatus, tota Sicilia recusante, cum maximo detrimento, atque adeo exitio vectigaliũ totam Hieronicam legem sustulisti at quã legem corrigit, iudices, atque adeo totam tollit acutissime, ac diligentissime scriptam; quæ omnibus custodijs subiectum aratorem decu-

mano tradit; vt neque in segetibus, neque in areis, neq; in horreis, neque in amouendo, neque in asportando frumento grano vno posset arator sine maxima pœna fraudare decumanũ. scripta lex ita diligenter est, vt eũ scripsisse appareat, qui alia vectigalia non haberet; ita acute, vt Siculum; ita seuere, vt tyrannum, qua lege Siculis tamen arare expediret. nã ita diligenter constitũta sunt iura decumani, vt tamen ab inuito aratore plus decuma non posset auferri. Cum hæc essent ita constituta, Verres tot annis, atque adeo sæculis inuentus est, qui hæc non commutaret, sed euerteret, eaq; quæ iam diu ad salutem sociorum, vtilitatemque reip. composita, comparataque essent, ad suos improbissimos quæstus conuerteret: qui primum certos instituerit, nomine decumanos, re vera ministros, ac satellites cupiditatum suarũ, per quos ostendam sic prouinciam per triennium vexatam, atque vastatam, iudices, vt eã multis annis, multorum innocentia, sapientiaque recreare nequeamus.

EXPLANATIO.

DECVMANO.} quod ex decumis exigitur. EMPTO,} quod, præter decumanũ, emit à Siculis populus Romanus, AESTIMATO.} pro quo pecuniam exigunt mancipes, æstimatione prætoris: quæ fuit iniquissima prætore Verre. in his enim tribus generibus furatus est. hæc in Diuin. Attinguntur, hic exponentur latius per singula cuiusque generis crimina. VECTIGAL *est certum,*} pecuniarium. CENSORIA *locatio*} locabant censores Asiaticos agros. PERPAVCAE *Siciliæ ciuitates*} numerum non dicit, quem tamen optime tenebat. nam lib. VII: Tindaritani officia sua erga populũ Romanum ita commemorant: Nos in septemdecim populis Siciliæ non eramus: nos in omnibus Punicis, Siciliensibusque bellis amicitiam, fidemq; populi Romani secuti sumus. Cum igitur numerum ponit, officia Tindaritanorũ auget, qui se à septemdecim Siciliæ populis in bello seiunxerint, & Romanis opem tulerint. Cum, omisso numero, perpaucas Siciliæ ciuitates fuisse dicit, quæ bello subactæ sint, habet rationem tẽporis, quo Siciliam, vt bene de populo Romano meritam, iudicibus commẽdat. Cuius artificij exemplo egregie ad imitationem, qui velit, eruditur. ILLIS *est redditus.*} cũ eo tamen, vt decumas sol-

ſoluant:quas cenſores locant. VENIRI} locari. nã ipſæ decumæ nomine populi Romani exigũtur. IMMVNES} quæ nihil omnino pendant. DECVMANVS *eſt*,} decumas dat. Sunt igitur ex quattuor generibus Siciliæ ciuitates. Aliæ, quarum ager à cenſoribus locatur, vt pro decumis pecuniam capiant. Aliæ, quarum ager non locatur, nec veneunt decumæ, ſed exiguntur. Aliæ, quæ nihil omnino pendant. Aliæ, quæ decumas dent. IN SVIS *rebus ipſos intereſſe*,} propterea, vbi vendi olim ſolebant, ibidem in Sicilia vendi voluerunt. NE NOMINE *quidem legis nouo*} non modo legem, quæ ab Hieronica differret, ſed ne aliam quidem, licet non differret, nouo nomine Siculis dederunt: cum intelligerent, ſi nomen ſeruaretur eius regis, qui cariſſimus iјs fuiſſet, fore, vt ipſa decumanorũ venditio, Hieronica lege facta, eſſet illis iucundior. AD ALIENOS,} Minucij hereditas ad Minuciam gentem pertinebat: Verres ad alienum tranſtulit. lib. I. A PRIMIS *heredibus ad ſecundos*,} à P. Annij filia ad L. Annium. lib. I. CENSORIAS *quoque leges*} dixi iam, condiciones illas, quibus cenſores ſarta tecta locarent, cẽſoriã legem appellari ſolitam, vt appellatur lib. I. & alibi. NE PVPILLO} putidum ſit, ea ſi hic de pupillo Iuniano exponam, quæ Cicero lib. I. QVAM *ipſis videretur*,} vſitata locutio: vt lib II. Eum iudicem, quem commodum erat, dabat. AD LEGEM} qua quæſtores locabant HIC} aderat enim in iudicio. lib II: Sthenius eſt, is qui nobis aſſidet, Thermitanus. ITA *acute, vt Siculum*,} acumen ingenij alibi quoque laudat in Siculis, vt in Diuin. Illi quidem, vt eſt hominum genus nimis acutum, & ſuſpicioſum.

ORATIO.

EORVM omnium, qui decumani vocabantur, princeps erat Q. ille Apronius, quem videtis: de cuius improbitate ſingulari grauiſſimarum legationum querimonias audiſtis. adſpicite, iudices, vultum hominis, & adſpectum, & ex ea contumacia, quã hic in perditis rebus retinet, illos eius ſpiritus Sicilienſes quos fuiſſe putetis, cogitate, ac recordemini. hic eſt Apronius, quem in prouincia tota Verres, cũ vndiq; nequiſſimos homines conquiſiſſet, & cũ ipſe ſecum ſui ſimiles duxiſſet non parum multos, nequitia,

luxuria, audacia sui simillimum indicauit. itaque istos inter se perbreui tempore non res, non ratio, non commendatio aliqua, sed studiorum turpitudo, similitudoque coniunxit. Verris mores improbos impurosque nostis, fingite vobis, si potestis, aliquem, qui in omnibus isti rebus par ad omnium flagitiorum nefarias libidines esse posśit: is erat Apronius ille: qui, vt ipse nō solum vita, sed etiam corpore, atque ore significat, immensa aliqua vorago est, aut gurges vitiorum, turpitudinumque omnium. hunc in omnibus stupris, hunc in fanorum expilationibus, hūc in impuris conuiuijs principem adhibebat: tantamque habebat morum similitudo coniunctionem, atque concordiam, vt Apronius, qui alijs inhumanus, ac barbarus, isti vni commodus, ac disertus videretur; vt, quē omnes odissent, neque videre vellent, sine eo iste esse non posset; vt, cum alij ne cōuiuijs quidem ijsdem, quibus Apronius, hic ijsdem etiam poculis, vteretur; postremo vt odor Apronij teterrimus oris, & corporis, quē, vt aiunt, ne bestiæ quidem ferre possent, vni isti suauis, & iucundus videretur. ille erat in tribunali proximus, in cubiculo socius, in conuiuio dominus, ac tum maxime, cum, accubante prætextato prætoris filio, in conuiuio saltare nudus cœperat. hunc, vti dicere institui, principem Verres ad euertendas fortunas aratorum, vexandas, diripiendasq; esse voluit: huius audaciæ, nequitiæ, crudelitati fidelisśimos socios optimosq; ciues scitote hoc prætore traditos, iudices, atq; addictos fuisse, nouis institutis, & edictis, tota Hieronica lege, quemadmodum antea dixi, reiecta, & repudiata. primum edictum, iudices, audite præclarum: Quantū decumanus edidisset aratorem sibi decumæ dare oportere; vt tantū arator decumano darc cogeretur. quo modo? quantum poposcerit Apronius, dato. quid est hoc? vtrum, prætoris institutum in socios, an in hostes victos, insani edictum, atque imperium tyranni? ego tantundem, quantum ille poposcerit? poscet omne, quātum exarauero. quid omne? immo plus etiam, inquit, si volet. quid tum? quid censes? aut dabis, aut, contra edictum fecisse damnabere, per deos immortales, quid, quid est hoc? verisimile enim non est. sic mihi persuadeo, iudices, tametsi omnia in istum hominem conuenire putetis, tamen hoc vobis falsum videri. ego enim, cum hoc tota Sicilia diceret, tamen affirmare non auderem, si hæc edicta non ex ipsius tabulis totidem verbis recitare possem, sicuti faciam, Da, quæso, scribæ: recitet ex codice. recita. EDICTVM. DE. PROFESSIONE.

Negat

Negat me recitare totum: nam id nutu significare videtur. quid prætereo? an illud, vbi caues tamen Siculis, & miseros respicis aratores? edicis enim, te in decumanum, si plura sustulerit, quam debitum sit, in octuplũ iudiciũ daturũ esse. nihil mihi placet prætermitti. recita hoc quoq;, quod postulat, totũ, recita. EDICTVM. DE. IVDICIO. IN. OCTVPLVM. *Iudicio vt arator decumanum persequatur: miserum, atque iniquum, ex agro homines traduci in forum, ab aratro ad subsellia, ab vsu rerum rusticarum ad insolitam litem, atque iudicium. cum omnibus in alijs vectigalibus, Asiæ, Macedoniæ, Hispaniæ, Galliæ, Africæ, Sardiniæ, ipsius Italiæ, quæ vectigalia sunt cũ in his, inquam, rebus omnibus publicanꝰ petitor, ac pignerator, nõ ereptor, neq; possessor soleat esse; tu de optimo, de iustissimo, de honestissimo genere hominũ, hoc est, de aratoribus, ea iura constituebas, quæ omnibus alijs essent contraria? vtrum est æquius, decumanũ petere, an aratorem repetere? iudicium integra re, an perdita fieri? eum, qui manu quæsierit, an eum, qui digito licitus sit, possidere? quid, qui in singulis iugis arant, qui ab opere ipsi non recedunt, quo in numero magnus ante te prætorem numerus, magna multitudo Siculorum fuit, quid facient? cum dederint Apronio, quod poposcerit, relinquent arationes? relinquent larem familiarem suum? venient Syracusas? vt te prætore, videlicet, æquo iure, Apronium, delicias, ac vitam tuam, iudicio recuperatorio persequantur. verum esto: reperietur aliquis fortis, experiens arator: qui cum tantum dederit decumano, quãtum ille deberi dixerit, iudicio repetat, & pœnam octupli persequatur. exspecto vim edicti, seueritatem prætoris: faueo aratori: cupio octupli damnari Apronium, quid tandem postulat arator? nihil. nisi ex edicto iudicium in octuplum. quid Apronius? non recusat. quid prætor? iubet recuperatores reijcere. decurias scribamus. quas decurias? de cohorte mea reijcies? inquit. quid? ista cohors quorum hominum est? Volusij haruspicis, & Cornelij medici, & horũ canũ, quos tribunal meũ vides lambere. nam de cõuentu nullum vmquam iudicem, nec recuperatorem dedit. iniquos decumanis omnes dicebat esse, qui vnam agri glebam possiderent. veniendum erat ad eos contra Apronium, qui non dum etiam Aproniani conuiuij crapulam exhalassent. o præclarum, & commemorandum iudicium, o seuerum edictum, o tutum perfugium aratorum. Atque, vt intelligatis, cuiusmodi ista iudicia in octuplum,*

cuiusmodi istius de cohorte recuperatores existimati sint, sic attendite.

EXPLANATIO.

QVEM *videtis*:} testis aderat in iudicio, vt etiã Sthenius. CORPORE,} magno. ORE} obeso. COMMODVS,} humanus, vt lib. II, in extremo: At mores commodi. quis contumacior? quis inhumanior? quis superbior. IN CVBICVLO *solus*,} exclusis ceteris, quasi solus eum Apronius delectaret. ACCVBANTE *praetextato praetoris filio*,} Verris notatur improbitas, qui turpissimarum rerum adspectu filium adhuc puerum corrumpi sineret. EDIDISSET} significasset. EGO} aratoris inducitur persona de Verris iniuria cõquerẽtis. INQVIT,} arator. QVID *tum? quid censes?*} adhuc loquitur arator. AVT *dabis*,} hoc ex decumani persona. EX CODICE} ex ipsius tabulis. DE PROFESSIONE.} ne arator minus profiteatur, quam exarauerit: ne decumanus plus, quam sibi debeatur, deberi profiteatur. infra. QVAE *vectigalia sunt*;} quæ vectigal pendunt. conuertit enim ad neutrum genus hæc simul omnia. Asiam, Macedoniam, Hispaniam, Galliam, Africam. PIGNERATOR,} pignus capit ab eo, qui non soluit. QVI *digito licitus sit*,} sublato digito licebantur, lib. I: Digitum tollit Iunius. IN SINGVLIS *iugis*} non in amplo fundo, sed in vno tantum iugo, quod ipsi arant, & vnde recedere non licet. Iugum erat, quod vno die iuncti boues exarare possent. IVBET *recuperatores reijcere.*} recuperatores iudex dabat: ex ijs actor, & reus, quos suspectos habebant, reijciebant. DECVRIAS *scribamus.*} si dixisset actor: Decuriæ scribantur: id est, iudices legantur: respondebat Verres: Quas decurias? de cohorte mea reijcies: id est, recuperatores ego dabo de cohorte mea: ex ijs tu reijcies. QVID? *ista cohors*} ex aratoris persona. is enim actor esse fingitur. VOLVSII *haruspicis*,} infra Volusianus appellatur. CORNELII *medici*,} de quo sic infra: Iste viros optimos recuperatores dat, eundem illum medicum Cornelium. is est Artemidorus Pergæus, qui in sua patria dux isti quondam, & magister ad despoliandum Dianæ templum

plum fuit. Cornelius vocatur, accepto Verris nomine, cuius beneficio ciuis Roman⁹ fact⁹ esset: vt lib. II: Lictor Cornelius. ET HORVM *canum,* } Valerium præconē, Tlepolemum pictorem: qui nominantur infra vt recuperatores, à Verre dati. Canes appellauit eosdem lib. I: Multa sibi opus esse, multa canibus suis, quos circa se haberet. LAMBERE. } quasi aliquid petant. DE CONVENTV } è ciuibus Romanis.

ORATIO.

ECQVEM putatis decumanum, hac licentia permissa, tantum ab aratore, quantum poposcisset, auferret, plus, quā debe-retur, poposcisse? considerate cum vestris animis, vosmetipsi, ecquem putetis: præsertim cum id non solum sine auaritia, sed etiā impudentia accipere potuerit. multos, necesse est. at ego omnes dico plus, quam decumas, abstulisse. cedo mihi vnum ex triennio præturæ tuæ, qui octupli damnatus sit? immo vero in quem iudiciū ex edicto tuo postulatum sit. nemo erat videlicet aratorum, qui iniuriam sibi factam queri posset? nemo decumanorum, qui grano amplius, sibi quam deberetur, deberi professus esset? immo vero contra, rapiebat, & asportabat, quantum à quoque volebat, Apronius: omnibus autem locis aratores spoliati, ac vexati querebantur: neque tamen vllum iudicium reperietur. quid est hoc? viri fortes, honesti, gratiosi, tot Siculi, tot equites R. ab homine nequissimo, ac turpissimo læsi, pœnam octupli, sine vlla dubitatione commissam, non persequebantur? quæ caussa? quæ rātio est? vna illa iudices, quam videtis: quod vltro etiā illusos se, & irrisos ab iudicio discessuros videbant. etenim quod esset iudicium, cum è Verris turpissimo, flagitiosissimoq; comitatu tres recuperatorum nomine assedissent, asseclæ istius, non à patre ei traditi, sed à meretricula commēdati? ageret videlicet caussā arator: nihil sibi frumenti ab Apronio relictū, bona sua etiā direpta, se pulsatū, verberatumq; diceret. cōferrent viri boni capita: de comessatione loquerentur inter se, ac de mulieribus, & si quas à prætore abeuntes possent deprehendere: res agi videretur. surrexisset Apronius, noua dignitas publicani, non, vt decumanus, squaloris plenus, ac pulueris, sed vnguentis oblitus, vino vigilijsque languidus: omnia primo motu, ac spiritu suo, vini, vnguenti, corporis odore complesset: dixisset hac, quæ vulgo dicere solebat, non se decumas emisse,

sed bona, fortunasque aratorum, non se decumanum esse Apronium, sed Verrem alterum, dominum illorum, ac tyrannum. quæ cum dixisset, illi, viri optimi, de cohorte istius recuperatores, non de absoluendo Apronio deliberarent, sed quærerent, quo modo petitorem ipsum Apronio permitterent, vt, quantum vellet, posceret; quantum poposcisset, auferret. Hoc tibi defensionis ad iudicium tuum comparabas, habuisset te edictum, recuperatores daturum in octuplum? si mehercule ex omni copia conuentus Syracusani, splendidissimorum hominum, honestissimorumque, faceres potestatem aratori, non modo reijciendi, sed etiam sumendi recuperatores; tamen hoc nouum genus iniuriæ ferre nemo posset, te, cum tuos omnes fructus publicano tradidisses, & rem de manibus amisisses, tum bona tua repetere, ac persequi lite, atque iudicio. cum vero verbo iudicium sit in edicto, re quidem vera tuorum comitum, hominum nequissimorum, collusio cum decumanis socijs tuis, atque adeo procuratoribus; tamen audes illius iudicij mentionem facere? præsertim, cum id non modo oratione mea, sed etiam re ipsa refellatur: cum in tantis incommodis aratorum, iniurijsque decumanorum, nullum ex isto præclaro edicto non modo factum, sed ne postulatum quidem iudicium inueniatur.

EXPLANATIO.

IMPVDENTIA} sine impudentia: cum scriptũ esset in edicto: Quantum decumanus edidisset aratorẽ sibi decumæ dare oportere, tantũ vt arator decumano dare cogeretur. COMMISSAM, } debitam, vsitata locutio. IRRITOS} infecta re. RES AGI *videretur.*} serio colloqui, & agere inter se de aratoris petitione; viderentur. NOVA *dignitas publicani,*} dignitas est in publicanis, quia sunt equestris ordinis. Apronius eques Romanus non erat: ideo, Noua dignitas publicani, cum quadã irrisione dixit. fungebatur autem Apronius, cum decumanus esset, munere publicani. RECVPERATORES *daturum in octuplum?* } daturum te recuperatores cũ eo, vt decumanum octupli condemnarent. TE CVM *tuos omnes fructus publicano tradidisses.* } in persona Verris aratorẽ fingit. PROCVRATORIBVS:} agunt enim rem tuam. FACTVM } contra decumanos. POSTVLATVM} ab aratoribus.

ORA-

ERIT tamen in aratores lenior, quam videtur. nam qui in decumanos octupli iudiciũ se daturũ edixit, idẽ habuit in edicto, se in aratore in quadruplũ daturũ. quis hũc audet dicere aratoribus infestum, aut inimicum fuisse? quanto lenior est, quam in publicanum edixit, vt, quod decumanus edidisset sibi dari oportere, id ab aratore magistratus Siculus exigeret. quid dereliquit iudicij, quod in aratorem dari posset? Non malum est, inquit, esse istam formidinem, vt, cum exactum sit ab aratore, tamen, ne se cõmoueat, reliquis metus iudicij sit. Si iudicio à me vis exigere, remoue Siculum magistratum. si hanc vim adhibes, quid opus est iudicio? quis porro erit, qui non malit decumanis tuis dare quod poscent, quam ab asseclis tuis quadrupli condemnari? Illa vero praeclara est clausula edicti, quod omnium cõtrouersiarum, quae essent in aratorem, & decumanum, si vter volet, edicit se recuperatores daturum. Primum, quae potest esse controuersia, cum is, qui petere debet, aufert, & cum is, non quantum debetur, sed quantum commodum est, auferat. illi autem, vnde ablatum est, iudicio suum recuperare nullo modo potest? deinde in hoc homo luteus, etiam callidus, ac veterator esse vult, quod ita scribit: si vter volet, recuperatores dabo. quam lepide se furari putat vtrique facit potestatẽ. sed vtrum ita scripserit: si vter volet, an, si decumanus volet, nihil interest. arator enim tuos istos recuperatores nũquid volet? Quid? illa cuiusmodi sunt, quae ex tempore ab Apronio admonitus edixit? Q. Septitio, honestissimo homine, equiteque R. resistente Apronio & affirmante se plus decumano non daturũ, exoritur peculiare edictum repentinum, ne quis frumentum de area tolleret, antequam cum decumano pactus esset. ferebat hanc quoque iniquitatem Septitius, & imbri frumentum corrumpi in area patiebatur: cum illud edictum repente vberrimum, & quaestuosissimum nascitur, vt ante Kal. Sext. omnes decumas ad aquam deportatas haberent. hoc edicto non Siculi (nam eos quidem iam superioribus edictis satis perdiderat, atque afflixerat) sed illi ipsi equites R. qui suum ius retinere se contra Apronium posse erant arbitrati, splendidi homines, & alijs praetoribus gratiosi, vincti Apronio traditi sunt. attendite enim, cuiusmodi edicta sunt. Ne tollat, inquit, ex area, nisi erit pactus. satis haec magna vis est ad inique paciscendum: malo enim plus dare, quam non mature ex area tollere. at

ista vi Septitium, & non nullos Septitij similes non coercet: qui ita dicunt: ne tollam potius, quā paciscar. his hoc apponitur: [*Deportatum habeas ante kal. Sext. deportabo igitur. Nisi pactus eris, non commouebis. sic deportandi dies praestituta tollere cogebat ex area: cohibitio tollendi, nisi pactus esset, vim adhibebat pactioni, non voluntatem. Iam vero illud, non solum contra legem Hieronicā, nec solum contra consuetudinem superiorū, sed etiā contra omnia iura Siculorum, quae habent à senatu, populoq; R. ne extra suum forum vadimonium promittere cogantur, statuit iste, vt arator decumano, quo vellet decumanus, vadimonium promitteret: vt hic quoq; Apronio, cum ex Leontino vsque Lilybaeum aliquem vadaretur, ex miseris aratoribus calumniandi quaestus accederet. quamquam illa fuit ad calumniā singulari consilio reperta ratio, quo edixerat, vt aratores iugera sationum suarum profiterentur. quae res cum ad pactiones iniquissimas magnam vim habuit, sicut ostendemus, nec ad vllam vtilitatem reip. pertinuit; tū vero ad calumnias, in quas omnes inciderent, quos vellet Apronius. vt enim quisque contra voluntatem eius dixerat, ita in eum iudicium de professione iugerum postulabatur, cuius iudicij metu magnus à multis frumenti numerus ablatus, magnaeque pecuniae coactae sunt: non quo iugerum numerum vere profiteri esset difficile, aut amplius etiam profiteri: (quid enim in eo periculi esse posset?) sed caussa erat iudicij formidandi, quod ex edicto professus non esset. iudicium autem quod fuerit isto praetore, si, quae cohors, & qui comitatus fuerit, meministis, scire debetis. Quid igitur est, quod ex hac iniquitate nouorum edictorum intelligi velim, iudices? iniuriam ne factam socijs? at videtis. auctoritatem superiorum repudiatam? non audebit negare. tantum Apronium isto praetore potuisse? confiteatur, necesse est.*

EXPLANATIO.

QVOD IN *aratorem dari posset?*] vt enim dare cogatur, quantum ab eo decumanus petit; iudicē ei dat Siculum magistratum: vt ipse contra publicanum agat, si plus ei dederit, quam debet; iudices dat recuperatores de cohorte sua. NON *malum est, inquit, esse istam formidinem,*] quod secum Verres tacite cogitabat, id eum fingit dicere. ISTAM *formidinem,*] iudicij recuperatorum, quo decumanus vocare potest aratorem, quasi minus acceperit ab eo, quam petierit. CVM *exactum sit*] cum ex-

egerit

egerit Siculus magistratus. NE SE *commoueat,*} arator: ne queri audeat. RELIQVVS *metus iudicij sit.* } metuat illud iudicium, quo potest, agente publicano, quadrupli condemnari. Ad quam rationem Verris, ita Cicero ex aratoris persona respondet: Si iudicio à me vis exigere. Sunt enim hæc sine dubio aratoris verba, non, vt alij putant, decumani. HANC *vim*} Siculi magistratus. VTER} pro, alteruter, vt alibi. QVANTVM *commodum est,*} quãtum libet. sic locutus lib. I: De capite, quantum cõmodi fuerit, frumenti decumani detraxerit. Lib. II: Eũ iudicẽ, quẽ cõmodũ erat, dabat. LVTEVS,} hebes, ac tardus. sic Luteum negotium, pro nullius pretij, dixit, li[illegible]. V. ETIAM} pro, tamen. PECVLIARE} nouum, Verrisque propriũ, non cum alijs commune prætoribus. vt infra: Peculiarem habes aliquam Siciliam, quæ tibi ex alio genere frumentum suppeditare possit? MATVRE} antequam corrumpantur. EX LEONTINO} vrbs vocatur Leotinum, non, vt alij sunt arbitrati, Leontini. itaq; lib. II. Leontini misera in ciuitate, dixit generandi casu. CALVMNIANDI *quæstus*} quæstus astuto consilio cõtractus. nam aratores miseri, ne tam longe ire cogerentur, quauis, etiam iniquissima, condicione cum Apronio paciscebantur.

ORATIO.

SED vos fortasse, quod vos lex commonet, id in hoc loco quæretis, num quas ex hisce rebus pecunias ceperit. docebo, cepisse maximas, omnesq; eas iniquitates, de quibus antea dixi, sui quæstus caussa reperisse conuincam; si prius illud propugnaculum, quo contra ommnes meos impetus vsurum se putet, defensione eius deiecero. Magno, inquit, decumas vendidi. quid ais? an tu decumas homo audacissime, atque amentissime, vendidisti? tu partes eas, quas te senatus populusque R. voluit, an fructus integros, atq; adeo bona, fortunasq; aratorũ omnes vendidisti? si palam præco iussu tuo prædicasset, nõ decumas frumenti, sed dimidias venire partes, & ita emptores accessissent, vt ad dimidias partes emendas, si pluris vendidisses tu dimidias, quam ceteri decumas, cuinam mirum videretur? quid vero? si præco decumas pronunciauit, re vera, hoc est lege, edicto, condicione, plus etiam quam dimidiæ venierunt,

tamen

tamen hoc tibi præclarum putabis, te pluris, quod non licebat, quã ceteros, quod oportebat, vendidisse? Pluris vendidi decumas, quã ceteri. quibus rebus id assecutus es? innocentia? adspice ædem Castoris: deinde, si audes, fac mentionem innocentiæ. diligentia? codicis lituras tui contemplare in Sthenij Thermitani nomine: deinde aude te dicere diligentem. ingenio? qui testes interrogari priore actione nolueris, & ijs tacitum os tuum præbere malueris; quamuis & te, & patronos tuos ingeniosos esse dicito. qua re igitur id, quod ais, assecutus es? magna est enim laus, si superiores consilio vicisti, posterioribus exemplum, atque auctoritatem reliquisti. tibi fortasse idoneus fuit nemo, quem imitarere: at te, videlicet inuentorem rerũ optimarum, ac principem, imitabuntur omnes. quis aratorum te prætore decumam dedit? quis duas? quis non maximo se affectũ beneficio putauit, cum tribus decumis pro vna defungeretur? præter paucos, qui propter societatem furtorum tuorum, nihil omninò dederunt. Vide, inter importunitatem tuam, senatusque bonitatem quid intersit. senatus, cũ temporibus reip. cogitur, vt decernat, vt alteræ decumæ exigantur, ita decernit, vt pecunia pro his decumis soluatur aratoribus; vt, quod plus sumitur quàm debetur, id emi, non auferri putetur. tu, cũ tot decumas non S.C. sed nouis edictis tuis, nefarijsque institutis exigeres, & eriperes, magnum te fecisse arbitrabere, si pluris vendideris, quam L. Hortensius, pater istius Q. Hortensij, quam Cn. Pompeius, quam M. Marcellus: qui ab æquitate, ab lege, ab institutis non recesserunt. an tibi vnius anni, aut biennij ratio habenda fuit; salus prouinciæ, commoda rei frumentariæ, ratio reip. in posterum fuit negligenda? cum ita rem constitutã accepisses, vt & populo R. satis frumenti ex Sicilia suppeditaretur, & aratoribus tamen arare, atq; agros colere expediret; quid effecisti? quid assecutus es? vt prætore te nescio quid ad decumas accederet; deserendas arationes, relinquẽdasque curasti. succeßit tibi L. Metellus, tu innocentior, quam Metellus? tu laudis, & honoris cupidior? tibi enim consulatus quærebatur, Metello paternus honor, & auitus negligebatur. multo minoris vendidit, non modò quam tu, sed etiam qui ante te vendiderunt. quæro, si ipse excogitare non poterat, quemadmodum quamplurimo venderet: ne tua quidem recentia proximi prætoris vestigia persequi poterat, vt tuis præclaris, abs te principe inuentis, & excogitatis edictis, atque institutis vteretur? ille verò tum se Metellũ minimè fore putasset;

si te

si te vlla in re imitatus esset. qui ab vrbe Roma, quod nemo vmquam post hominum memoriam fecit, cum sibi in prouinciam proficiscēdum putaret, litteras ad Siciliæ ciuitates misit, per quas hortatur, & rogat, vt arent, vt ferant in beneficio populi R. hoc petit aliquanto ante aduentum suum: & simul ostendit, se lege Hieronica venditurum, hoc est in omni ratione decumarum nihil isti simile facturum. atque hæc non cupiditate aliqua scribit adductus, vt in alienam prouinciam mittat litteras ante tempus, sed consilio, ne, si tempus sationis præterijsset, granum in prouincia Sicilia nullum haberemus. Cognoscite Metelli litteras. Recita. Epistola L. Metelli. Hæ litteræ, iudices, L. Metelli, quas audistis, hoc, quātum est ex Sicilia frumenti hornotini exarauerunt. glebam commosset in agro decumano Siciliæ nemo, si Metellus hanc epistolam non misisset. quid Metello diuinitus hoc venit in mentem, an ab Siculis, qui Romam frequentissimi conuenerant, negotiatoribusque Siciliæ doctus est? quorum quanti conuentus ad Marcellos, antiquissimos Siciliæ patronos, quanti ad Cn. Pompeium, consulē designatum, ceterosque illius prouinciæ necessarios fieri soliti sint, quis ignorat? quod quidem iudicium nullo vmquam de homine factum est, vt absens accusaretur ab ijs palam, quorū in bona, liberosq; summum imperiū potestatemq; haberet. tanta vis erat iniuriarum, vt hoēs quiduis perpeti, quam non de istius prauitate, & iniurijs deplorare, & conqueri mallent. quas litteras cum ad omnes ciuitates prope suppliciter misisset Metellus, tamen antiquum modum sationis nulla ex parte exequi potuit. diffugerant enim permulti, id quod ostendam: non solum arationes, sed etiam sedes suas patrias, istius iniurijs exagitati, reliquerant. non mehercule criminis augendi caussa dicam, iudices: sed quem accepi ipse oculis, animoq; sensum, hunc vere apud vos, & vt potero planissime exponam. nam cum quadriennio post in Siciliam venissem, sic mihi affecta visa est, vt eæ terræ solent, in quibus bellum acerbum, diuturnumque versatum est. quos ego campos antea, collesq; nitidissimos, viridissimosque vidissem, hos ita vastatos nunc, ac desertos videbam, vt ager ipse cultorē desiderare, ac lugere dominum videretur. Herbitensis ager Ennensis, Murgentinus, Assorinus, Macharensis, Agyrinensis, ita relictus erat ex maxima parte, vt non solū, iugerum, sed etiam dominorum multitudinē quæreremus, Aetnēsis vero ager, qui solebat esse cultissimus, & quod caput est rei frumentariæ, campus

Leontinus, cuius antea species hæc erat, vt, cũ obsitũ vidisses, annonæ caritatẽ non vererere, sic erat deformis, atq; horridus, vt in vberrima Siciliæ parte Siciliã quæreremus. labefactarat enim vehementer aratores iam superior annus, proximus vero funditus euerterat.

EXPLANATIO.

LEX } de repetundis, qua iudicium hoc est constitutum. IN STHENII *Thermitani nomine.* } cuius enim absentis nomen delatum esse iam scripserat, cum postea corã esse delatũ, scripsit in codẽ codice. quod sine litura fieri nõ potuit. lib. II: Tollit ex tabulis id, quod erat; & facit, coram delatum esse. QVI *testes interrogari priori actione nolueris,* } testes interrogati erant priore actione: ꝙ supra iam sæpe demonstratũ est. Sed Verres ipse, cum eos interrogare posset, tacuerat. quod quia fuit impudentiæ, (quis enim reus suos testes nõ interrogat?) propterea dixit Cicero, Et ijs tacitum os tuum præbere malueris. Videtur autem legendum potius, Interrogare, quam Interrogari. vt ad ipsum Verrẽ referatur: de quo lib. V: Reducam iterum equitẽ Romanum L. Flauium, si voles: quoniam priore actione, vt patroni tui dictitant, noua quadam sapientia, vt omnes intelligũt, conscientia tua, atq; auctoritate meorũ testium, testem nullum interrogasti. PATRONOS *tuos* } quorum consilio testem nullum interrogasti, noua quadam sapientia, vt ipsi dictitabant. CN. POMPEIVS, } hoc anno cõsul. Opinor significari tempus illud, cum Pompeius in Sicilia Carbonẽ consulem occidit. M. MARCELLVS } qui lib. I, nominatur, & in oratione pro Quinctio iudex est. PATERNVS *honor, & auitus* } nam & L. Metellus Dalmaticus pater huius Metelli, & Q. Metellus Macedonicus, auus, cõsules fuere. METELLVM *minime fore putasset,* } eo dignum nomine. fuit enim familia Metellorum nobilissima, plurimis decorata cõsulatibus, censuris, triumphis. vnde illud Næuij poetæ: Fato Metelli Romæ fiunt consules. Eadem laude Metellos ornauit lib. IV. Facile, inquit, esse perspicuũ, quãtum inter hunc, & illum Numidicum verum & germanum Metellum interesset. AB VRBE *Roma,* } cum nondum Verres è Sicilia decessisset. ideo subiũgit. In alienam prouinciam.

HORNOTINI} huius anni. VT ABSENS *accusaretur*} absentem Verrem Siculi Romæ accusabant, cum is adhuc Siciliæ præesset.atq; in eorũ bona, liberosque summum imperium, potestatemque haberet. ANTIQVVM *modum sationis*} quantum seri antea solebat.sic dicitur, de agri modo. NON SOLVM *iugerum*,} quia non arabantur. QVADRIENNIO *post*} postquam in ea prouincia quæstor fuerat. SED ETIAM *dominorum*} quia diffugerant, sedibus patrijs relictis: ideo dixit proxime: Vt ager ipse cultorem desiderare, ac lugere dominum videretur. QVOD *caput est rei frumentariæ*,} hinc illud Phil. II: Quid iam querar de agro Leontino? quoniam quidem hæ quõdam arationes in populi Romani patrimonio grandiferæ, & fructuosæ ferebantur.

ORATIO.

TV mihi etiam audes mentionem facere decumarum? tu in tãta acerbitate, in tot, et tantis iniurijs, cum in arationibus, & in earũ rerũ iure prouincia Sicilia consistat, euersis funditus aratoribus, relictis agris, cum in prouincia tam locuplete, ac referta nõ modo rem, sed ne spem quidẽ vllam reliquam cuiquam feceris, aliquid te populare putabis habere, cum dices, te pluris, quã ceteros, decumas vendidisse? quasi vero aut populus R. hoc voluerit, aut senatus hoc tibi mandauerit, vt, cũ omnes aratorũ fortunas decumarum nomine eriperes, in posterũ fructu illo, commodoq; rei frumentariæ populum R. priuares. deinde, si quam partem tuæ prædæ ad summam decumarum addidisses, bene de populo R. meritus viderere. Atq; hæc perinde loquor, quasi in eo sit iniquitas eius reprehendenda, quod propter gloriæ cupiditatem, vt aliquos summa decumarum vinceret, acerbiorem legem, duriora dicta, interposuerit, omnium superiorum auctoritatem repudiarit. Magno tu decumas vendidisti. quid si doceo te non minus domũ tuam auertisse, quam Romã misisse decumarũ nomine? quid habet populare ratio tua, cum ex prouincia populi R. æquam partẽ tu tibi sumpseris, atq; populo R. miseris? quid, si, duabus partibus, doceo, te amplius frumenti abstulisse, quam populo R. misisse? tamen ne putamus patronum tuum in hoc crimine ceruiculam iactaturum, & populo se ad coronam daturum? Hæc vos antea, iudices, verum fortasse ita audistis, vt auctorem rumorem haberetis, sermonemque omnium.

Cognoscite nunc immumerabilem pecuniam frumentario nomine ereptam, vt simul illam quoque eius vocem improbam agnoscatis; qui se vno quaestu decumarum omnia sua pericula redempturũ esse dicebat. Audiuimus hoc iam diu, iudices: nego quemquam esse vestrum quin saepe audierit, socios istius decumanos. nihil aliud arbitror in istum falso esse dictum ab ijs, qui male de isto existimarint, nisi hoc. nam socij putandi sunt, quos inter res communicata est. ego rem totam, fortunasque aratorum omnes istius fuisse dico: Apronium, Veneriosque seruos, quod isto praetore fuit nouum genus publicanorum, ceterosq; decumanos, procuratores istius quaestus, & ministros rapinarum dico fuisse. Quo modo hoc doces? quo modo ex locatione illa columnarum docui istum esse praedatum? opinor ex eo maxime, quod iniquam legem, nouam dixisset. quis enim vmquam conatus est iura omnia, et consuetudinem omnium commutare cum vituperatione, sine quaestu? Pergam, atque insequar longius. iniqua lege vendebas quo pluris venderes. cur iam addictis, et venditis decumis, cum iam ad summam decumarum nihil, ad tuum quaestum multum posset accedere, subito, atque ex tempore noua nascebantur edicta? nam, vt vadimonium decumano, quocumque is vellet, promitteretur; vt ex area, nisi pactus esset, arator ne tolleret; Kal. Sext. decumas deportatas haberent; haec omnia, iam venditis decumis, anno tertio te edixisse dico. quae si reip. caussa faceres, in vendundo essent pronunciata: quia tua caussa faciebas, quod erat imprudentia praetermissum, id, quaestu, ac tempore admonitus, reprehendisti. Illud vero cui probari potest, te sine tuo quaestu, ac maximo quaestu, tantam tuam infamiam, tantum capitis tui, fortunarumque periculum neglexisse? vt, cum totius Siciliae quotidie gemitus, querimoniasque audires, cum, vt ipse dixisti, reum te fore putares; cum huiusce iudicij discrimen ab opinione tua non abhorreret, paterere tamen aratores indignissimis iniurijs vexari, ac diripi. profecto quamquam ex singulari crudelitate, & audacia, tamen abs te totam alienari prouinciam, tot honestissimos tibi inimicissimos fieri nolles, nisi hanc rationem, & cogitationem salutis tuae, pecuniae cupiditas, ac praesens illa praeda superaret. etenim, quoniam summam, et numerum iniuriarum, iudices, vobis non possum exponere, sigillatim autem de vniuscuiusque incommodo dicere infinitum est; genera ipsa iniuriarum, quaeso, cognoscite.

EXPLA-

EXPLANATIO.

POPVLARE} quod populo placere debeat. SVPERIOR *annus,*} secũdus Verris annus. PROXIMVS} tertius. Duos tantum annos nominat, quia primo anno Verres & sata, & bene culta inuenit omnia; sed ita aratores afflixit, vt primo eius anno in annum secundum multo minus sererent, quam solerẽt. anno aũt secũdo eos plane perdidit, vt multo etiam minus, quam primo, sererent. nam tertio, litteris ac precibus Metelli, qui successurus erat Verri ad arationes redierunt. CERVICVLAM *iactaturum,*} notat in Hortensio motum ceruicis lasciuiorẽ in agendis caussis. POPVLO *se ad coronam daturum,*} populi gratiam aucupaturum, quasi magno decumas vendideris. *Ad coronam.* ad omnes, qui circa iudicium stabant. LOCATIONE *illa columnarum*} quæ erant in æde Castoris, quas locauit H-S DLX millibus, libr. I. PRAEDATVM?} ex pupilli Iunij bonis. INIQVAM *legem,*} correxit enim Verres, prætor vrbanus, legem censoriam de sartis tectis. supra: Eundemq; te memini censorias quasq; leges in sartis tectis exigendis tollere, & commutare. Et lib. I: C. Verres, prætor vrbanus, addidit. Corriguntur leges censoriæ. AC *tempore*} non cum decumas venderes, verum aliquãto post, re diligentius ad tuum quæstum cogitata. REPREHENDISTI.} reuocasti: omissum antea per imprudentiam admonente quæstu fecisti.

ORATIO.

NYMPHO est Centuripinus, homo gnauus, & industrius, experientissimus, ac diligẽtissimus arator. is cum arationes magnas cõductas haberet, quod homines etiam locupletes, sicut ille est, in Sicilia facere consueuerunt; easq; magna impensa, magno instrumento tueretur; tanta ab isto iniquitate oppressus est, vt non modo arationes relinqueret, sed etiã ex Sicilia profugeret, Romamq; cum multis vna ab isto eiectis veniret. fecit, vt decumanus Nymphonem vocaret ex edicto illo præclaro; quod nullam ad aliam rem, nisi ad huiusmodi quæstus, pertinebat, numerũ iugerum professum non esse. Nympho cum se vellet æquo iudicio defendere, iste viros optimos recuperatores dat, eundem illum medi-

cum Corneliū, (is eſt Artemidorus Pergæus, qui in ſua patria dux iſti quondam, & magiſter ad deſpoliandum Dianæ templum fuit) & haruſpicem Voluſianum, & Valerium præconē. Nympho, antequam plane conſtitit, condemnatur. quanti, fortaſſe quæritis. nulla erat edicti pœna certa. frumēti eius omnis, quod in areis eſſet. ſic Apronius decumanus non decumā debitam, non frumentum remotum, atq; cælatum. ſed tritici ſeptem millia medimnū ex Nymphonis arationibus edicti pœna, nō redemptionis aliquo iure, tollit. Xenonis Meneni, nobiliſſimi hominis, vxoris fundus erat colono locatus: colonus, quod decumanorū iniurias ferre non poterat, ex agro profugerat. Verres in Xenonem iudiciū dabat illud ſuum damnatorium de iugerū profeſſione. Xenon ad ſe pertinere negabat, fundum elocatum eſſe dicebat. dabat iſte iudicium, ſi pareret iugera eius modo fundi eſſe plura, quam colonus eſſet profeſſus, tum Xeno damnaretur. dicebat ille, non modo nō araſſe ſe id, quod in ſatis erat, ſed nec dominum eius eſſe fundi, nec locatorē; vxorē eſſe, eam ipſam ſuum negotium gerere, ipſam locauiſſe. defendebat Xenonē, homo ſummo ſplendore, & ſumma auctoritate præditus, M. Coſſetius. iſte nihilo minus iudicium H-S LXXX *dabat. ille tametſi recuperatores de cohorte latronum ſibi parari videbat; tamen iudicium accepturū ſe eſſe dicebat. cum iſte magna voce Venerijs imperat vt Xenonē adirent, dum res iudicaretur, hominē vt aſſeruarent; cum iudicatum ſit, ad ſe adducant. & illud ſimul dixit, ſe nō putare illum, ſi propter diuitias pœnas damnationis contemneret, etiam virgas contemnere. hac ille vi, & hoc metu adductus tantum decumanis, quantum iſte imperauit, exſoluit. Polemarchus eſt Murgentinus, vir bonus, atque honeſtus, is, cum, pro iugeribus quinquaginta, medimna* DCC *decumæ imperarentur, quod recuſabat, domum ad iſtum in ius deductus eſt; &, cum iſte iam cubaret, in cubiculum introductus eſt; quod niſi mulieri, & decumano, patebat alij nemini. ibi cum pugnis, & calcibus conciſus eſſet, qui* D C C *medimnis decidere noluiſſet, mille promiſit. Eubulides eſt Groſphus Centuripinus, homo cum virtute, et nobilitate domi ſuæ, tum etiam pecunia princeps. huic homini, iudices, honeſtiſſimæ ciuitatis honeſtiſſimo, non modo frumenti ſcitote, ſed vitæ, & ſanguinis tantum relictum eſſe, quantum Apronij libido tulit. nam vi, malo, plagis adductus eſt, vt frumenti daret, non quantū haberet, ſed quantū cogeretur. Soſtratus, et Numenius, & Nymphodorus*

rus eiusdem ciuitatis, cum ex agris tres fratres consortes profugissent, quod ijs plus frumenti imperabatur, quam quantū exararant, hominibus exactis, in eorum arationes Apronius venit, omne instrumentum diripuit, familiam abduxit, pecus abegit. postea, cum ad eum Nymphodorus venisset Ennam, & oraret, vt sibi sua restituerentur, hominem corripi, ac suspendi iussit in oleastro quadam, quæ est arbor, iudices, in foro. tamdiu pepēdit in arbore socius, amicusque populi R. in sociorum vrbe, ac foro colonus, aratorque vester, quam diu volūtas Apronij tulit. Genera iam dudum innumerabilium iniuriarum, iudices, singulis nominibus profero: infinitam multitudinem iniuriarum prætermitto. vos ante oculos, animosq; vestros tota Sicilia decumanorum hos impetus, aratorum direptiones, huius importunitatem, Apronij regnum proponite. Contempsit Siculos: non duxit homines: nec ipsos ad persequendum vehementes fore, et vos eorū iniurias leuiter laturos, existimauit. esto: falsam de illis habuit opinionē, malam de vobis. verumtamē, cum de Siculis male mereretur, ciues R. coluit, his indulsit, eorū voluntati & gratiæ deditus fuit. iste ciues R? at nullis inimicior, aut infestior fuit. mitto vincla, mitto carcerem, mitto verbera, mitto secures, crucem denique illam prætermitto, quam iste ciuibus R. testem humanitatis in eos, ac beneuolentiæ suæ voluit esse: mitto, inquam, hæc omnia, atq; in aliud dicendi tempus reijcio: de decumis, de ciuiū R. condicione in arationibus disputo. qui quemadmodum essent accepti, iudices, audistis ex ipsis: bona sibi erepta esse dixere. verum hæc, quoniam huiusmodi casus affuit, ferēda sunt, nihil valuisse æquitatem, nihil consuetudinem: damna denique, iudices, nulla tanta sunt, quæ non viri fortes, magno, & libero animo affecti, ferenda arbitrentur. quid si equitibus R. non obscuris, neq; ignotis, sed honestis, & illustribus manus ab Apronio, isto prætore, sine vlla dubitatione afferebantur? quid exspectatis? quid à me amplius dicendum putatis? an id agendum, vt eo celerius de isto transigamus, quo maturius ad Apronium possimus, id quod ego illi iam in Sicilia pollicitus sum, venire? qui C. Matrinium, iudices, summa virtute hominem, summa industria, summa gratia, Leontinis in publico biduum tenuit. atque ab Apronio, iudices, homine in dedecore nato, ad turpitudinem educato, ad Verris flagitia, libidinesq; accommodato, equitem R. scitote biduum cibo, tectoq; prohibitum, biduum Leontinis in foro custodijs Apronij retētum, atq;

 seruatum,

seruatum, neq; ante dimissum, quam ad condiciones eius depactus est. Nam quid ego de Q. Lollio, iudices, dicam, equite R. spectato, atque honesto? clara res est, quā dicturus sum, tota Sicilia celeberrima, atq; notissima. qui cum araret in Ennensi, cum is ager Apronio cum ceteris agris esset traditus, equestri vetere illa et auctoritate, & gratia fretus affirmauit, se decumanis plus, q̄ deberet, non daturū. refertur eius sermo Apronio. enimuero iste ridere, ac mirari Lollium nihil de Matrinio, nihil de ceteris rebus audisse. mittit ad hominē Venerios. (hoc quoq; attendite, apparitores à prætore assignatos habuisse decumanum: si mediocre argumentum videri potest, istum decumanorum nomine ad suos quæstus esse abusum) adducitur à Venerijs atque adeo attrahitur Lollius, commode, cum Apronius è palæstra redisset, et in triclinio, quod in foro Ennæ strauerat, decubuisset. statuitur Lollius in illo intempestiuo gladiatorum conuiuio. non me hercule, quæ loquor, crederem, indices, tametsi vulgo audieram, nisi mecum ipse senex, cum mihi, atq; huic voluntati accusationis meæ lacrymans ageret, summa cum auctoritate esset locutus. statuitur, vt dico, eques Romanus, prope annos X C. *natus in Apronij conuiuio, cum interea Apronius caput, atque os suum vnguento perfricaret. quid est, Lolli, inquit? tu, nisi malo coactus, recte facere nescis? homo, quid ageret, taceret, responderet, quid faceret denique, illa auctoritate, & ætate præditus, nesciebat. Apronius interea cenam, ac pocula poscebat. serui autem eius, qui & moribus ijsdem essent, quibus dominus, & eodem genere, ac loco nati, præter oculos Lollij hæc omnia ferebant. ridere conuiuæ, cachinnari ipse Apronius. nisi forte existimatis, eum in vino, ac luxu non risisse, qui nunc in periculo, ac exitio suo risum tenere non possit. ne multa, iudices: his contumelijs scitote Q. Lollium coactum ad Apronij leges, condicionesque venisse. Lollius ætate, & morbo impeditus, ad testimonium dicendum venire nō potuit. quid opus est Lollio? nemo hoc nescit: nemo tuorum amicorum, nemo abs te productus, nemo abs te interrogatus, nunc se primum hoc dicet audire. M. Lollius, filius eius, adolescens lectissimus, præsto est: huius verba auditis. nam Q. Lollius eius filius, qui Callidium accusauit, adolescens & bonus, & fortis, & inprimis disertus, cum his iniurijs contumelijsque commotus in Siciliam esset profectus, in itinere occisus est, cuius mortis caussam fugitiui sustinent: re quidem vera nemo in Sicilia dubitat, quin*

eo sit

eo sit occisus, quod habere clausa non potuerit sua consilia de Verre. iste porro non dubitabat, quin is, qui antea alium studio adductus accusasset, sibi aduenienti præsto esset futurus, cum esset parentis iniurijs, & domestico dolore commotus. Iam ne intelligitis, iudices, quæ pestis quæ immanitas in vestra antiquissima, fidelissima, proximaq; prouincia versata sit? iam ne videtis, quam ob caussam Sicilia, tot hominũ antea furta, rapinas, iniquitates, ignominiasque perpessa, hoc non potuerit nouum, ac singulare, atque incredibile genus iniuriarum, contumeliarumque ferre? iam omnes intelligunt, cur vniuersa prouincia defensorem suæ salutis eum quæsiuit, cuius iste fidei, diligentiæ, perseuerantiæ nulla ratione eripi possit, tot iudicijs interfuistis: tot homines nocentes, & improbos accusatos & vestra, & superiorum memoria scitis esse: ecquem vidistis, ecquem audistis in tantis furtis, in tam apertis, in tanta audacia, tanta impudentia esse versatum? Apronius stipatores Venerios secum habebat: ducebat eos circum ciuitates: publice sibi conuiuia parari, sterni triclinia etiam in foro iubebat, eo conuocari homines honestissimos, non solum Siculos, sed etiam equites R. vti quocum inire conuiuium nemo vmquam, nisi turpis, impurusque, voluisset, ad eius conuiuium spectatissimi, atq; honestissimi viri tenerentur, hæc tu omnium mortalium profligatissime, ac perditissime cum scires, cum audires quotidie, cum videres, si sine tuo maximo quæstu fierent, cum tanto periculo tuo fieri paterere, atque concederes? & tantum apud te quæstus Apronij, tantum eius sermo inquinatissimus, & blanditiæ flagitiosæ valuerunt, vt numquam animum tuum cura tuarum fortunarum, cogitatioque tangeret. Cernitis, iudices, quod, & quantum incendium decumanorum impetu non solum per agros, sed etiam per reliquas fortunas aratorum, non solum per bona, sed etiam per iura libertatis, & ciuitatis isto prætore peruaserit. videtis pendere alios ex arbore, pulsari autem alios, & verberari: porro alios in publico custodiri, destitui alios in conuiuio, condemnari alios à medico, et præcone prætoris, bona tamen interea nihilo minus eorum omniũ ex agris auferri ac diripi. quid? est hoc populi R. imperium? populi R. leges? iudicia? socij fideles? prouincia suburbana? non ne omnia potius eiusmodi sunt, quæ, si Athenio vicisset, in Sicilia non fecisset? non, inquam, iudices, esset vllam partem istius nequitiæ fugitiuorum insolentia consecuta.

EXPLANATIO

EVNDEM *illum*} quem ſupra nominaui. PERGAMENVS,} omnino, Pergæus, aut, Pergamus, legendum, à Perga, vbi ſpoliatum ac nudatū Dianæ templum, lib. I, dixit. SI PARERET} vſitatū formularum initium, de quo iam diximus. TVM XENO *damnaretur*.} hoc perficit ſententiam: & mihi tamen videtur abundare, & ſubaudiendum potius, quam addēdum. hæc enim formularum cōſuetudo fuit, vt ſubaudiretur. videamus exempla. pro Q. Roſcio: Quid eſt in iudicio? directum, aſperum, ſimplex: Si paret, H.S Iↄↄ ↄ deberi. Subaudi, Condemnaretur. In Diuin. Iudicium dat ſtatim: Si pareret, eam ſe, & ſua Veneris eſſe, dixiſſe. Et lib. II: Si paret, fundum Capenatem, quo de agitur, ex iure eum P. Seruilij eſſe, neque is fundus Q. Catulo reſtituetur. Subaudi, Coge Seruilium iudex, vt eum Catulo fundum reſtituat. Et hic infra: Si pareret, aduerſus edictum feciſſe. Subaudi, Condemnarentur. Atque hoc, quod ego ſubaudiri malim, quam addi, Theophilus in ſuis Inſtit. interdum addit, Iudex eum condemna. H.S LXXX} hæc in edicto ſcripta pœna erat, ſi quis iugera non eſſet profeſſus. VENERIIS} apparitoribus Verris: quorum nonnullos decumanos eſſe voluit. ſupra: Apronium, Veneriosq́; ſeruos, quod iſto prætore nouum genus publicanorū fuit. Et infra: Mittit ad hominem Venerios. Lib. V: Hominem iubet Lilybæum Venerio ſeruo promittere. MEDIMNA} medimnum ſenos modios capit. CONSORTES} bonis iiſdem fruentes. CRVCEM} in quam egit P. Gauium, ciuem Romanum. lib. V. CONDICIONE} quo apud hunc loco fuerint. DE ISTO *tranſigamus*,} ego accuſando, vos condemnando. AD APRONIVM} de maieſtate accuſandum, qui equitibus Romanis manus attulerit. LEONTINIS} aut vbique, Leontinis legendum: vt vrbs ipſa, Leontini, dicta ſit: aut, vbi legitur, Leontini, reponendum Leontinis. COMMODE,} ſatis humane. ironia: quod pro Apronij libidine eques Romanus attraheretur STATVITVR *Lollius in illo tempeſtiuo gladiatorum conuiuio*.} iocatur in duobus nominibus

bus Tempestiuo, Gladiatorum: quasi tempestiuum visitato vocabulo conuiuium, in quo gladiatores decumberent, appellari non deberet. SVBVRBANA?] admodum propinqua. lib. II: Quemadmodum propinquis vos vestris prædijs maxime delectamini, sic populo Romano iucunda suburbanitas est huiusce prouinciæ.

ORATIO.

PRIVATIM *hoc modo. quid publice? ciuitates quemadmodum tractatæ sunt? audistis permulta indicia, & testimonia ciuitatum, et reliquarum audietis. ac primum de Agyrinensi populo, fideli, & illustri, breuiter cognoscite. Agyrinensis est inprimis honesta ciuitas Siciliæ, hominum ante hunc prætorem locupletium, summorumque aratorum. eius agri decumas cum emisset idem Apronius, Agyrium venit. qui cum eo cum apparitoribus, id est, cum minis, ac vi, venisset, poscere pecuniam grandem cœpit, vt accepto lucro discederet. nolle se negotij quidquam habere dicebat, sed, accepta pecunia, quamprimum aliam ciuitatem occurrere. sunt omnes Siculi non contemnendi, si per nostros magistratus liceat, sed homines & satis fortes, & satis plane frugi, ac sobrij, & in primis hæc ciuitas, de qua loquor, iudices. itaq; homini inprimis improbissimo respondent Agyrinenses, sese decumas ei, quemadmodum deberent, daturos, lucrum, cum ille magno præsertim emisset, non addituros. Apronius certiorem facit istum, cuia res erat, quid esset. statim, tamquam coniuratio aliqua Agyrij contra rempub. facta, aut legatus prætoris pulsatus esset, ita Agyrio magistratus, & quinq; primi accitu istius euocantur. veniunt Syracusas: præsto est Apronius: ait eos ipsos, qui venissent, contra edictum prætoris fecisse. quærebant, quid? respondebat, se ad recuperatores esse dicturum. iste, æquissimus homo, formidinem illam suam miseris Agyrinensibus inijciebat, recuperatores se de cohorte sua daturum minabatur. Agyrinenses, viri fortissimi, iudicium se passuros esse dicebant. ingerebat iste Artemidorum medicum Cornelium, præconem Tlepolemum, & eiusmodi recuperatores: quorum ciuis Rom. nemo erat, sed Græci sacrilegi, iampridem improbi, repente Cornelij. videbant Agyrinenses, quidquid ad eos recuperatores Apronius attulisset, illum perfacile probaturum: condemnari cum istius inuidia, infamiaque malebant,*

quam

quam ad eius condiciones, pactionesque accedere. quærebant, quæ in verba recuperatores daret: respondebat, si pareret aduersus edictum fecisse, quæ in iudicio dicturum esse dicebat. iniquißimis verbis, improbißimis recuperatoribus, conflictari malebāt, quam quidquam cum isto sua volūtate decidere. summittebat iste Timarchidem, qui moneret eos, si saperent, vt transigerent. pernegabāt. quid ergo? in singulos H-S quinquagenis millibus damnari maultis? malle dicebant. tum iste, clare omnibus audientibus, qui damnatus erit, inquit, virgis ad necem cædetur. hic illi flentes rogare, atque orare cœperunt, vt sibi suas segetes, fructusq; omnes, arationesque vacuas Apronio tradere liceret, vt ipsi sine ignominia, molestiaq; discederent. Hac lege, iudices, decumas vendidit Verres. dicat licet Hortensius, si audet, magno Verrem vendidisse. hæc cōdicio fuit isto prætore aratorum, vt secum præclare agi arbitrentur, si vacuos agros Apronio tradere liceret. multas enim cruces propositas effugere cupiebant. quantum Apronius edidisset deberi, tantum ex edicto dandum erat. etiam ne si plus edidisset, quam quantū natum esset? etiā. quo modo magistratus ex ipsius edicto exigere debebant. at arator repetere poterat. verum Artemidoro recuperatore. quid, si minus arator dedisset, quam poposcisset Apronius? iudicium in aratorem in quadruplum. ex quo iudicum numero? ex cohorte prætoris, præclara, honestißimorum. quid amplius? minus te iugerum professum esse dico: recuperatores reijce, quod aduersum edictum feceris. ex quo numero? ex eadem cohorte. quid erit extremū? si damnatus eris, (nam dubitatio damnationis, illis recuperatoribus, quæ poterat esse?) virgis te ad necem cædi necesse erit. His legibus, his condicionibus, erit quisquam tam stultus, qui decumas venisse arbitretur? qui aratori nouem partes reliquas factas esse existimet? qui non intelligat, istum sibi quæstui, prædæque habuisse bona, possesßiones, fortunas aratorum? Virgarum metu Agyrinenses, quod imperatum esset, facturos se esse dixerunt. accipite nunc, quid imperarit: & dißimulate, si potestis, vos intelligere, ipsum prætorem, quod tota Sicilia perspexerit, redemptorem decumarum, atque adeo aratorum dominum, ac regem fuisse. Imperat Agyrinensibus, vt decumas ipsi publice accipiant, Apronio lucrum dent. si magno emerat; quoniam tu es, qui diligentißime pretium exquisisti, qui, vt ais, magno vendidisti; quare putabas emptori lucrum addi oportere? esto: putabas quamobrem imperabas, vt adderent?

derent? quid est aliud capere, & conciliare pecunias, in quo te lex tenet, si hoc non est, vi, atque imperio cogere inuitos lucrum dare alteri, hoc est pecuniam dare? Age, quid tum, si Apronio, delicijs prætoris, lucelli aliquid iußi sunt dare? putate Apronio datum, si Apronianum lucellum, ac non prætoria præda vobis videbitur. Imperas, vt decumas accipiant, Apronio dent lucrum, tritici medimnum. XXXIII *quid est hoc? vna ciuitas, ex vno agro plebis Romanæ, prope menstrua cibaria, prætoris imperio, donare Apronio cogitur. tu magno decumas vendidisti, cum tantum lucri decumano sit datum? profecto, si pretium exquisisses diligenter, tum, cum vendebas, X medimnum potius addidissent, quam H-S DC postea. Magna præda videtur: audite reliqua, & diligenter attendite, quo minus miremini Siculos re necessaria coactos auxilium à patronis, à consulibus, ab senatu, ab legibus, à iudicijs petiuisse. Vt probaret Apronius hoc triticum, imperat Agyrinensibus Verres, vti in medimna singula dentur in Apronio H-S tres. quid est hoc? tanto numero frumenti in lucri nomen imperato, expresso, nummi præterea exigentur, vt probetur frumentum? an poterat non modo Apronius, sed quiuis, exercitui si metiundum esset, improbare Siculum frumentum, quod illi ex area, si vellet, admetiri licebat? frumenti tantus numerus imperio tuo datur, & cogitur. non est satis. nummi præterea imperantur. dantur. parum est. pro decumis hordei, alia pecunia cogitur. iubes H-S* XXX *lucri dari. ita ab vna ciuitate, vi, minis, imperio, iniuriaq; prætoris, eripiuntur tritici medimnum* XXXIII, *& præterea H-S* CXXI *an hæc obscura sunt? aut, si omnes homines velint, obscura esse possunt? quæ tu palam egisti: in conuentu imperasti: omnibus inspectantibus coegisti: qua de re Agyrinenses magistratus, & quinque primi, quos tui quæstus caussa euocasti, acta, & imperia tua domum ad senatum suum renunciauerunt: quorum renunciatio legibus illorum, litteris publicis mandata est. quorum legati, homines nobilißimi, Romæ sunt, qui hoc idem pro testimonio dixerunt. Cognoscite Agyrinensium publicas litteras, deinde testimonium publicum ciuitatis. Recita.* LITTERAE PVBLICAE. TESTIMONIVM PVBLICVM. *Animaduertistis in hoc testimonio, iudices, Apollodorum, cui Pyragro cognomen est, principem suæ ciuitatis, lacrymantem testari, ac dicere, numquam, post populi R. nomen ab Siculis auditum, et cognitum, Agyrinenses contra quemquam infimum*

terum fingere opinor è cera solitum esse, alterum esse pictorem. REPENTE *Cornelij.*} Verris beneficio ciues Romani facti; ideoq; Cornelij à Verris nomine. SI PARERET} formulę verba: de qua iam diximus. DICTVRVM} Aproniū. supra. Præsto est Apronius: ait eos ipsos, qui venissent, contra edictum prætoris fecisse. Quærebant, quid? Respondebat, se ad recuperatores esse dicturum. MEDIMNA xxxiv.} Subaudi millia: & lege, Medimnum, vbique, non Medimna, vbi subauditur millia. ADDIDISSENT,} Agyrinenses. H-S DC} millia, id est, scutatorum XVIII millia, quod est pretium illorum medimnum XXXIV millium, quæ lucri nomine Verres Apronio dari voluit. A PATRONIS,} à Marcellis maxime. nec se tamen ipsum excludit. dixit enim in Diuin. Factū est, vti cum summū in veterib⁹ patronis multis, tū nonnullum etiam in me præsidium suis fortunis constitutum esse arbitrarentur. VT PROBARET} vt probum esse diceret, vt eo tamquam probo contentus esset. H-S III.} vbique adde, millia. scutati sunt XC. millia: SICVLVM *frumentum*,} probum enim significatur, cum Siculum esse dicitur. EX AREA,} ne vitiatū ab aratoribus putaretur. NVMMI} in singula medimnum H-S tria millia. xxxiii} lege aut hic, xxxiv, aut supra, xxxiii: ne alterum ab altero in eadem re dissentiat. H-S Lx} si H-S tria millia in singula medimna putentur, & medimnum xxxiii millia sint: fient H-S nonaginta nouem millia. adde pro hordeo H-S xxx millia: erunt omnino, H-S cxxix millia. itaque locus emendandus. MODIIS xviii. *millia*} medimna vbique malim nominari, quam modios: vt cum Siculis Græca mensura potius agatur, quam Romana. mendum fortasse natum ex Med. & Mod. CVM ILLA *prædonis copia*,} cum Venerijs stipatoribus. Supra. H-S MM.} exigua summa: itaque suspicor de mendo: & fortasse notis antiquis, ccclↃↃↃ, scriptum fuit, id est centum millibus, nummo nostro scutatorum tribus millibus. OPERAE,} quam Verri nauabat.

ORATIO

ORATIO.

ANNO vero tertiò in hoc agro consuetudine vsus est regia. solere aiunt barbaros reges Persarum, ac Sirorũ plures vxores habere; his autem vxoribus ciuitates attribuere, hoc modo: hæc ciuitas mulieri in redimiculum præbeat, hæc in collum, hæc in crines. ita populos habent vniuersos non solum conscios libidinis suæ, verum etiam administros. eandem istius, qui se regem Siculorum esse dicebat, licentiam, libidinemq; fuisse cognoscite. Aeschrionis Syracusani vxor est Pippa, cuius nomen, istius nequitia tota Sicilia peruulgatũ est. de qua muliere versus plurimi supra tribunal, & supra prætoris caput scribebantur. hic Aeschrio Pippæ vir adumbratus, in Herbitensibus decumis nouus instituitur publicanus. Herbitenses cum viderent, si ad Aeschrionem pretium redisset, se ad arbitrium libidinosissimæ mulieris spoliatũ iri, liciti sunt vsque eo, quoad se efficere posse arbitrabantur. supra adiecit Aeschrio. neq; enim metuebat, ne, prætore Verre, decumana mulier damno affici posset. addicitur medimnũ XXXV millibus, dimidio fere pluris, quam superiore anno. aratores funditus euertebantur, & eo magis, quod iam superioribus annis exhausti erãt, ac pæne perditi. intellexit iste ita magno venisse, vt amplius ab Herbitensibus exprimi non posset. demit de capite medimnum CIↃ CIↃ CIↃ: iubet in tabulas, pro medimnum XXXI, referri XXXI, & CCCC. hordei decumas eiusdem agri Docimus emerat. hic est Docimus, qui ad istum deduxerat Tertiam, Isidori mimi filiam, vi abductam ab Rhodio tibicine, huius Tertiæ plus etiam, quam Pippæ, plus quam ceterarum, ac prope dicam tantum apud istum in Siciliensi pretura auctoritas valuit, quantum in vrbana Chelidonis. Veniunt Herbitam duo prætoris æmuli non molesti, muliercularũ deterrimarum improbissimi cognitores, incipiunt postulare, poscere, minari: non poterant tamen, cum cuperent, Apronium imitari: Siculi Siculos non tam pertimescebant. cum omni ratione tamen illi calumniarentur, promittunt Herbitenses vadimonium Syracusas. eo posteaquam ventum est, coguntur Aeschrioni, id est, Pippæ, dare tantum, quantum erat de capite demptum, tritici medimnum DC. mulierculæ publicanæ noluit ex decumis nimiũ lucri dare, ne forte ab nocturno suo quæstu animũ ad vectigalia redimẽda transferret. transactum putabant Herbitenses, cum iste, quid de hordeo, inquit, & Docimo, amiculo meo? quid cogitatis? at hoc agebat in

cubiculo, iudices, atque in lectulo suo. negabant illi, sibi quidquam esse mandatum. non audio; numerate H-S XV. quid facerent miseri? aut quid recusarent? præsertim cum in lectulo decumanæ mulieris vestigia viderent recentia, quibus illum inflammari ad perseuerandum intelligebant. Ita ciuitas vna sociorum, atque amicorum, duabus deterrimis mulierculis, Verre prætore, vectigalis fuit. Atque ego nunc, eum frumenti numerum, & eas publice pecunias decumanis ab Herbitensibus datas esse dico. quo illi frumento, & quibus pecuniis tamen à decumanorum iniurijs ciues suos non redemerunt. perditis enim, & direptis aratorum bonis, hæc decumanis merces dabatur, vt aliquando ex eorum agris, atque ex vrbibus abirent. itaq; cum Philinus Herbitensis, homo disertus, & prudens, & domi nobilis, de calamitate aratorum, & de fuga, & de reliquorum paucitate publice diceret; animaduertistis, iudices, gemitum populi R. cuius frequētia huic caussæ numquam defuit. qua de paucitate aratorum alio loco dicam. nunc illud, quod pæne præterij, non omnino relinquendum videtur.

EXPLANATIO.

PLVRES *vxores habere,*} Plato in Alcibiade primo. Diodorus lib.I. ADDICITVR *medimnis* MM} corruptæ notæ; cum sequatur, dimidio fere pluris, quā superiore anno. ex hoc mendo fluxit illud in notis proxime subiectis. NON *molesti,*} quia mulieres suas Verri non inuiti relinquerent. TRITICI *modios* DC.} dixi iā, vbiq; pro modijs medimna reponenda. HAEC *decumanis merces dabatur,*} publice: vt abirent: cum iam aratorū bona diripuissent.

ORATIO.

NAM, *per deos immortales, quod de capite ipso dempsit, quo tandem modo ferendum, verum etiam animaduertendum videtur? vnus adhuc fuit post Romam conditam (dij immortales faxint, ne sit alter) cui resp. totam se tradidit, temporibus coacta, & malis domesticis, L. Sulla. hic tantum potuit, vt nemo, illo inuito, nec bona, nec patriā, nec vitā retinere posset: tantū animi habuit ad audaciā, vt dicere in concione non dubitaret, bona ciuium R. cum venderet, se prædam suam vendere. eius omnes res gestas non solum obtinemus, verum etiam, propter maiorum incommodorum, & calamitatū metum, publica auctoritate defendimus. v-*

num hoc illius S.C. reprehensum: decretumq; est, vt, quibus ille de capite dempsisset, ij pecunias in ærarium referrent. statuit senatus, hoc ne illi quidem esse licitum, cui cõcesserat omnia, à populo facta rum, quæsitarumque rerum summas imminuere. illum viris fortissimis iudicarunt patres conscripti dimittere de summa non potuisse: mulieri deterrimæ recte remisisse senatores iudicabunt? ille, de quo lege populus R. iusserat, vt ipsius voluntas populo R. esset pro lege, tamen in hoc vno genere, veterũ religione legũ, reprehenditur: tu, qui omnibus legibus implicatus tenebare, libidinem tibi tuã pro lege esse voluisti? in illo reprehenditur, quod ex ea pecunia remiserit, quã ipse quæsierat: tibi cõcedetur, qui de capite vectigaliũ populi R. remisisti? Atque in hoc genere audaciæ multo etiam impudentius in decumis Segestensium versatus est. quas cũ addixisset eidem illi Docimo, hoc est tritici modium quinque millibus, & accessionem adscripsisset H-S M D; *coegit Segestenses à Docimo tantidẽ publice accipere, id quod ex Segestensiũ publico testimonio cognoscite. Recita.* TESTIMONIVM. PVBLICVM. *Audistis, quanti decumas acceperit à Docimo ciuitas, tritici modiũ quinque millibus, & accessionẽ. cognoscite nũc, quanti se vendidisse retulerit.* LEX. DECVMIS. VENDVNDIS. C. VERRE. PR. *Hoc nomine vidistis tritici modiũ* MMM *de capite esse dempta, quæ cum de populi R. victu, de vectigalium neruis, de sanguine detraxisset ærarij; Tertiæ minæ condonauit. vtrum, impudẽtius à socijs abstulit, an turpius meretrici dedit? an improbius populo R. ademit? an audacius tabulas publicas commutauit? ex horum seueritate te vlla vis, aut vlla largitio eripiet? sed si eripuerit, non intelligis hæc, quæ iamdudum loquor, ad aliam quæstionem, atq; ad peculatus iudiciũ pertinere? itaq; hoc mihi reseruabo genus integrum totum: ad illam, quã institui, caussam frumenti, ac decumarum reuertar. Qui cum agros maximos, ac feracissimos per se ipsum, hoc est, per Apronium, Verrem alterum, depopularetur; ad minores ciuitates, habebat alios, quos, tamquam canes, immitteret, nequam homines, & improbos, quibus aut frumentum, aut pecuniã publice cogebat dari. A. Valentius est in Sicilia interpres, quo iste interprete non ad linguam Græcam, sed ad furta, & flagitia vti solebat. fit interpres hic, homo leuis, atq; egens, repente decumanus: emit agri Liparẽsis, miseri, atque ieiuni decumas tritici medimnis* DC. *Liparenses vocantur: ipsi accipere decumas, & numerare Valentio coguntur*

lucri

lucri H.S XXX millia. Per deos immortales, vtrum tibi sumes ad defensionem? tanto ne minoris tibi decumas venisse, vt ad medimna DC H.S XXX *millia lucri statim sua voluntate ciuitas adderet, hoc est tritici medimnum* II *millia: an, cum magno decumas vendidisses, te expreßisse ab inuitis Liparensibus hanc pecuniã? sed quid ego ex te quæro, quid defensurus sis, potius, quam cognoscam ex ipsa ciuitate quid gestum sit? Recita testimonium publicum L parensium: deinde, quemadmodum Valentio nummi sint dati.* TESTIMONIVM. PVBLICVM. QVO. MODO. SOLVTVM. SIT. EX. LITTERIS. PVBLICIS. *Etiam ne hæc tã parua ciuitas, tam procul à manibus tuis, atque à conspectu remota, seiuncta à Sicilia, in insula inculta tenuique posita, cumulata alijs tuis maioribus iniurijs, in hoc quoque frumentario genere, prædæ tibi, & quæstui fuit? quam tu totam insulam cuidam tuorum sodalium, sicut aliquod munusculum, condonaras, ab hac etiam hæc frumentaria lucra tamquam à mediterraneis exigebantur? itaq; qui tot annis agellos suos ante te prætorem redimere, à piratis solebãt, ijdem se ipsos à te pretio imposito redemerunt. quid ergo? à Tissensibus, perpauca & tenui ciuitate, & aratoribus laborioßißimis, frugalißimisque hominibus, non ne plus lucri nomine eripitur, quam quantum frumenti omnino exararant? ad quos tu decumanum Diognotum Venerium misisti, nouum genus publicani. cur hoc auctore non Romæ serui publici ad vectigalia accedant? Anno secundo Tissenses* H.S XXI *lucri dare coguntur inuiti: tertio anno* CIƆCIƆ *medimnum tritici lucri Diognoto Venerio dare coacti sunt. hic Diognotus, qui ex publicis vectigalibus tanta lucra facit, vicarium nullum habet, nihil omnino peculij. Vos etiã, nunc dubitate, si potestis, vtrum tantum numerum tritici Venerius, apparitor istius, sibi acceperit, an huic exegerit. atque hæc ex publico Tissensium testimonio cognoscite.* TESTIMONIVM. PVBLICVM. TISSENSIVM. *Obscure, iudices, prætor ipse decumanus est? cum ei apparitores frumentum à ciuitatibus exigant, pecunias imperẽt, aliquanto plus ipsi auferant, quã quantũ populo R. decumarũ nomine daturi sunt. Hæc æquitas in tuo imperio fuit, hæc prætoris dignitas, vt seruos Venerios Siculorum dominos esse velles. hic delectus hoc discrimen te prætore fuit, vt aratores in seruorum numero essent, serui in publicanorum. Quid Amestratini miseri? impositis ita magnis decumis, vt ipsis reliqui nihil fieret, nõ ne tamẽ numerare*

pecunias coacti sunt? addicuntur decumæ M. Cæsio. cum adessent legati Amestratini. statim cogitur Heraclius legatus numerare H.S XXII *millia. quid hoc est? quæ est ista præda? quæ vis? quæ direptio sociorum, si erat Heraclio a senatu mandatum, vt emeret: emisset si nō erat: qui poterat sua spōte pecuniā numerare? Cæsio renunciat se dedisse. cognoscite renunciationem ex litteris. Recita.* EX. LITTERIS. PVBLICIS. *Quo S.C. erat hoc legato permissum? nullo. cur fecit? coactus est. quis hoc dicit? tota ciuitas. Recita.* TESTIMONIVM. PVBLICVM. *Ab hac eadē ciuitate anno secundo simili ratione extortā esse pecuniam, & Sex. Vennonio datam, ex eodē testimonio cognouistis. at Amestratinos, homines tenues, cum eorū decumas medimnis* DCCC *vēdidisses, Banobali Venerio (cognoscite nomina publicanorū) cogis eos plus lucri addere, quam quanti venierant, cum magno venissent. dant Banobali medimnis pro* DCCC H.S M D*p. profecto numquā iste tam amens fuisset, vt ex agro populi R. plus frumenti seruo Venerio, quā populo R. tribui pateretur, nisi omnis ea præda serui nomine ad istū ipsum perueniret. Petrini, cum eorum decumæ magno addictæ essent, tamē inuitissimi P. Næuio Turpioni, improbissimo homini, qui iniuriarū. Sacerdote prætore, damnatus est,* H.S XXXVII & D. *dare coacti sunt. ita ne dissolute decumas vendidisti, vt, cum modium* XV *millibus venissent, medimnum* CIↃCIↃCIↃ, *hoc est* H.S XLV *millia lucri decumano* H.S MMM *darentur? at permagno decumas eius agri vendidi. videlicet gloriatur nō Turpioni lucrū datum, sed Petrinis pecuniam ereptam. Quid Halycienses, quorum incolæ decumas dant, ipsi agros immunes habent; nonne huic eidē Turpioni, cū decumæ* C. *mod. venissēt,* H.S XV *dare coacti sunt? si id, quod maxime vis, posses probare, hæc ad decumanos lucra venisse, nihil te attigisse: tamē hæ pecuniæ per vim atq; iniuriam tuā captæ, & conciliatæ, tibi fraudi, & damnationi esse deberent. cum vero hoc nemini persuadere possis, te tam amentem fuisse, vt Apronium, ac Turpionem, seruos homines, tuo, liberorumq; tuorum periculo diuites fieri velles: dubitaturū quemquā existimas, quin illis emissarijs hæc tibi omnis pecunia quæsita sit? Segestam item ad immunem ciuitatem Venerius Symmachius decumanus immittitur. is ab isto litteras affert, vt sibi, contra iura omnia, contraque legem Rupiliam, extra forum vadimonium promittant aratores. audite litteras, quas ad Segestanos miserit.* LITTERAE. C.

VER-

VERRIS. *hic Venerius quemadmodum aratores eluserit, ex vna pactione hominis honesti, gratiosique cognoscite: in eodẽ enim genere sunt cetera. Diocles est Panhormitãus, Phimes cognomine, homo illustris, ac nobilis arator. is agrũ in Segestano (nam commercium in eo agro Panhormitanis est) conductum habebat* H.S *sex millibus. pro decuma, cum pulsatus à Venerio esset, dedit* H.S *sexdecim millia, &* DCLIV. *id ex tabulis ipsius cognoscite.* NOMEN. DIOCLIS. PANHORMITANI. *Huic eidem Symmacho Anneius Brocchus, senator, homo eo splendore, ea virtute, qua omnes existimatis, nummos præter frumentum coactus est dare. Venerio ne seruo, te prætore, talis vir, senator populi R. q̃stui fuit? hunc ordinem si dignitate antecellere non existimabas, ne hoc quidẽ sciebas, iudicare? antea, cum equester ordo iudicaret, improbi & rapaces magistratus in prouincijs inseruiebant publicanis, ornabant eos, quicumque in operis erant: quemcumque equitem R. in prouincia viderant, beneficijs, ac liberalitate prosequebantur: neq; tantum illa res nocentibus proderat, quantum obfuit multis, cum aliquid contra vtilitatem eius ordinis, voluntatemq; fecissent. retinebatur hoc cum nescio quo modo, quasi communi consilio, ab illis diligenter, vt, qui vnum equitem R. contumelia dignum putasset, ab vniuerso ordine malo dignus iudicaretur. tu sic ordinem senatoriũ despexisti, sic ad iniurias libidinesq; tuas omnia coæquasti, sic habuisti statutũ cũ animo, ac deliberatũ, omnes, qui habitarent in Sicilia, aut qui Siciliam te prætore attigissent, iudices reijcere; vt illud non cogitares, tamen ad eiusdem ordinis homines te iudices esse venturum: in quibus, si ex ipsorum domestico incommodo nullus dolor insideret, tamen esset illa cogitatio, in alterius iniuria sese despectos, dignitatemq; ordinis contemptam, & abiectam. quod mehercule, iudices, mihi non mediocriter ferendum videtur. habet enim quendam aculeum contumelia, quem pati pudentes ac viri boni difficillime possunt. Spoliasti Siculos. solent enim inulti esse in iniurijs suis prouinciales. vexasti negociatores: inuiti enim Romam raroq; decedunt. equitem R. ad Apronij iniurias dedisti: quid enim iam nocere possunt, quibus non licet iudicare? quid, cum senatores summis iniurijs afficis. quid aliud dicis, nisi hoc: cedo mihi etiam istũ senatorem: vt hoc amplissimum nomen senatoriũ nõ modo ad inuidiam imperitorum, sed etiam ad contumeliam improborum natum esse videatur. neque hoc in vno fecit Anneio, sed in*

omnibus senatoribus, vt ordinis nomen non tantũ ad honorẽ, quantum ad ignominiam valeret. In C. Caßio, viro clarißimo, cum is eo ipso tempore, primo istius anno consul esset, tanta improbitate vsus est, vt, cum eius vxor, femina primaria, paternas haberet arationes in Leontino, frumentum omne in decumas auferre iusserit, hũc tu in hac caussa testem Verres habebis; quoniam, iudicem ne haberes, prouidisti. vos autem, iudices, putare debetis, esse quiddam nobis inter nos commune, atque coniunctum. multa sunt imposita huic ordini onera, multi labores, multa pericula, non solum legum, ac iudiciorum, sed etiam rumorum, ac temporum. sic est hic ordo quasi propositus, atq; editus in altum, vt ab omnibus ventis inuidiæ circumflari posse videatur. in hac tam misera, & indigna condicione vitæ, ne hoc quidẽ retinebimus, iudices, vt magistratibus nostris, in obtinendo iure nostro, ne contemptißimi, ac despectißimi esse videamur? Thermitani miserunt, qui decumas emerent agri sui. magni sua putabant interesse, publice potius, quamuis magno, emi, quã in aliquẽ istius emissarium incidere. appositus erat Venuleius quidam, qui emeret. is liceri non destitit. illi, quo ad videbatur ferri aliquo modo posse, contenderunt; postremo liceri destiterunt. addicitur Venuleio tritici mod. VII. *millibus. legatus Posidorus renunciat. cum omnibus hoc intolerandum videretur, tamen Venuleio dantur, ne accedat, tritici mod.* VI. *præterea* H-S II *millia. ex quo facile apparet, quæ merces decumani, quæ prætoris præda esse videatur. Cedo Termitanorum mihi litteras, & testimoniũ.* TABVLAE. TERMITANORVM. ET. TESTIMONIVM. *Imacharenses, iam omni frumento ablato, iam omnibus iniurijs tuis exinanitos, tributum ferre miseros, ac perditos coegisti, vt Apronio darent* H-S XX *millia. Recita decretum de tributis, & publicum testimonium.* S. C. DE. TRIBVTO. CONFERENDO. TESTIMOMIVM. IMACHARENSIVM. *Ennenses, cum decumæ venissent agri Ennensis, medimnis* MMM CC, *Apronio coacti sunt dare tritici mod.* LXXIII *millia, &* H-S III *milia. quæso, attendite quãtus numerus frumenti cogatur ex omni agro decumano. nã per omnes ciuitates, q̃ decumas debẽt, percurrit oratio mea: et in hoc genere nũc iudices, versor, in quo nõ singulatim aratores euersi bonis omnib⁹ sunt, sed publice decumanis lucra data sũt, aliquãdo ex eorũ agris, atq; vrbib⁹ expleti, atq; saturati cũ hoc cumulo quæstus decederẽt. Calatinis quãobrẽ im-*

imperasti anno tertio, vt decumas agri sui, quas Calatæ dare cõsueuerant, Amestrati M. Cæsio decumano darent? quod neque ante te prætorem illi fecerunt, neque tu ipse hoc ita statueras antea per biennium. Theomnastus Syracusanus in agrum Mutyẽsem cur abs te immissus est? qui aratores ita vexauit, vt illi in alteras decumas, id quod in alijs quoque ciuitatibus ostendam, triticum emere necessario, propter inopiam, cogerentur. Iam vero ex Hyblensium pactionibus intelligetis, quæ pactæ sint cum decumano Cn. Sergio, sexies tantum, quam quantum satum sit, ablatum esse ab aratoribus. Recita sationes, & pactiones ex litteris publicis: recita ex litteris publicis. Cognoscite pactiones Menenorum cum Venerio seruo. Recita ex litteris publicis. Cognoscite item professiones sationum, & pactiones Menenorum. Recita ex litteris publicis.

EXPLANATIO.

QVOD *de capite ipso dempsit,*} de eo, quod ex decumis Aeschrioni venditis populo R. debebatur. dempsit autem Verres, quo minus Aeschrio, Pipæ vir adũbratus, pro decumis ei iã addictis solueret, pluris amorẽ Pipæ, quã populi R. emolumentum, faciẽs. qua de re sic infra: Illum viris fortissimis iudicarunt Patres conscripti dimittere de summa non potuisse: te mulieri deterrimæ recte remisisse, senatores iudicabunt? QVO *tandem modo ferendum, verum etiam animaduertendum videtur?*} qui tritas habent aures notãdis generibus Latini sermonis, ijs profecto, nisi fallor, locus hic vacare mendo non videbitur. atque ego, vt dicam quod sentio, legendũ putarem: Quo tandem modo ferendum, ferendum vero? etiam animaduertendum videtur? Simile illud lib. I: Dictum hoc est in Cn. Dolabellæ iudicio. dictum? etiam æstimatum? Et pro Plancio: Nihil est, mihi crede, Laterensis, de te detractum: detractum dico? si mehercules vere, quod accidit interpretari velis, est aliquid etiam de virtute significatum tua. PROPTER *maiorum incõmodorum, & calamitatum metũ,*} ne, si eius acta rescinderemus, durius aliquid accideret. PVBLICA *auctoritate defendimꝰ.*} defendit ipse consul. nã, cum Sulla proscriptorũ liberos honorũ petendorũ potestate priuasset, ijq; cõtenderent Ciceronẽ cõsule, vt in integrum restituerentur: Cicero ipse restitit, &c.

ne quid nouaretur, obtinuit. hinc illa in Pisonem: Ego adolescentes bonos, & fortes, sed vsos ea cōdicione fortunæ, vt, si essent magistratus adepti, reip. statum conuulsuri viderentur, meis inimicitijs, nulla senatus mala gratia, comitiorum ratione priuaui. Orationē quoque de proscriptorum filijs à se scriptam significat, epist. 1. lib. 2. ad Att. DE CAPITE} de tota summa, quam debebāt. PECVNIAS *in ærarium referrent.*} quas eis largitus erat Sulla. A POPVLO *factarum,*} alij, Ab ipso factarum. probo. vt significentur factæ res ab ipso, & partæ, suo labore, sua virtute, ciuili bello. sequitur enim: In illo reprehenditur, quod ex ea pecunia remiserit, quam ipse quæsierat. VIRIS *fortissimis*} qui ab ipso emerant: quid autem? cum alias res, tum vero proscriptorum bona. MVLIERI *deterrimæ*} Pipæ. quod enim de capite dempsit, ad eius lucrum dēpsit. SENATORES} iudices. SEGESTENSIVM} ergo non immunes, prętore Verre. nam quinque ciuitates, Centuripinam, Halesinam, Segestanam, Halyciensem, Panhormitanam, immunes, ac liberas fuisse, dixit orationis initio. infra quoque: Quid Halycienses, quorum incolæ decumas dant, ipsi agros immunes habent, nonne huic eidem Turpioni, cum decumæ C. med. venissent, H-S XV dare coacti sunt. Et post: Segestam item ad immunem ciuitatem Veneri9 Symmachus decumanus immittitur. HOC EST} otiosum est, &, vt puto, delendum. QVINQVE *millia,*} millibus, & hic, & infra repone, ex nota M. TABVLAS *publicas cōmutauit?*} quia, cum decumas quinque millibus medimnum vendidisset, itaque in tabulas retulisset, postea, cum tria millia de capite demeret, quæ Tertiæ mimæ donauit, tabulas corrupit, & scripsit, vendidisse duobus millibus. ita minus dedit populo Romano, quam mimæ. TIBI *decumas vendidisse,*} Tibi, ad prædam, quęstumque tuum. NOVVM *genus publicani.*} supra: Aproniū. Veneriosque seruos, quod isto prętore fuit nouum genus publicanorum. TERTIO *anno* H-S MM *med.*} H-S videtur delendum. & lucri nomine erant duo millia medimnum, id est sestertium XXX millia. tanti enim valebant. VICA-

RIVM

RIVM *nullum habet, nihil omnino peculij.*} postremus igitur seruorũ omniũ. nam serui nonnulli & vicarios habent, id est seruos suos, & peculiũ, id est rem propriam, permissu domini, suo labore partã. EMISSET.} ipse, nõ Cæsius. RENVNCIAT.} suis ciuib. A TAMESTRATINOS,} corruptum nomen. nam de Amestratinis iam locutus est. DANT *Banobali med.* DCCC, H-S MD.} si plus est lucrum, quam decumæ, quod & proxime dixit, & infra quoque dicet, & si singula medimna H-S quindenis æstimantur, quod supra demonstratum est: necesse videtur, vt sestertiorum numerus augeatur, & pro, MD, legatur, XII millia. TVRPIONI,} de quo lib. II: Petit Nænius Turpio, quidam istius excursor, & emissarius. Et lib. V, præcursorem Verris, & emissariũ vocat. DISSOLVTE} negligenter: sed cum eas non dissolute, sed magno veneris; cur præterea lucrum addis? CVM *medimnum* XV *millibus venissent,*} videtur legẽdũ III. millib⁹. nã sequitur, Hoc est, H-S. XLV. nam si medimnũ æstimatur XV sestertijs: sequitur, vt trium millium medimnorum, prætiũ sit XLV millia H-S. H-S MMM} aut hic, VII millia, aut supra, MMM, reponendum. IPSI *agros immunes habent;*} de quo dixit orationis initio. CVM *decumæ C. med. venissent,*} malim, D. med. quod si cui parum videtur, consideret, non vniuersi Halyciensis agri, sed eius dumtaxat, quem incolæ ararent, decumas venisse. H-S XV} ita lucrum plus erit, quam decumæ: vt in Banobale quoque supra legimus. LIBERORVMQ. *tuorum,*} quos in egestate, atque in solitudine condemnatus relinques. A VENERIO} Venerio Symmacho decumano. Venerio, tantum dixit: quo maior iniuria in homine illustri, ac nobili aratore videretur. CVM *equester ordo iudicaret,*} lege Sempronia, ante decem annos. COAEQVASTI,} cum nullius hominis, nullius rei rationem haberes. IVDICES *reijcere,*} qui de cohorte tua iudices dare velles, senatores despiceres. EQVITEM *Romanum*} nominauit C. Matrinium, & Q. Lollium. ideo, malim, Equites Romanos: cum præsertim sequatur: Quid enim iam nocere possunt, quibus non licet.

cet iudicare? AVFERRE} malim, Auferri. PROVIDISTI.} eo reiecto. LEGVM} exempli gratia, lege repetundarum soli senatores tenētur. pro Cluentio, & Postumo. RVMORVM,} qui facile disseminantur contra senatores. TEMPORVM.} mutatis enim temporibus, qui est ordo in ciuitate amplissimus, ei maiora, quam ceteris, pericula impendent. IN OBTINENDO *iure nostro,*} quod, prætore Verre, non obtinuit senator Anneius Brochus in Sicilia. APPOSITVS *erat*} malitiam, & fraudem significat hoc verbum. lib. II: Apponit, qui Veneri Erycinæ petat illam hereditatem. Lib. VII: Apponitur his tamen accusator Næuius Turpio quidam. TRITICI *med.* VIIC} subaudi, millibus. RENVNCIAT} Thermitanis. NE ACCEDAT,} ad eos decumarum caussa. Verris enim decumanos, qui modū iniurijs nō facerent, oderāt simul & timebant. APRONIO *coacti sunt dare tritici med.* LXXM,} manifestum mendum: & fortasse reponēdum, IↃↃ: quod est, quinque millia. SIGILLATIM} vt à Lingua ligula abiecta n, sic à Singula Sigillatim. alij malunt, Singulatim. CVM HOC *cumulo*} cum eo quæstu, qui publice dabatur. DECEDERENT.} ex eorum agris, atque vrbibus. MVTICENSEM} recte sentiunt, qui Mutyensem ex Plinio, & Strabone reponunt.

ORATIO.

PATIEMINI, iudices, à socijs, ab aratoribus populi R. ab ijs, qui vobis laborant, vobis seruiunt, qui ita plebem Romanam ab sese ali volunt, vt sibi, ac liberis suis tantum supersit, quo ipsi ali possint, ab his per summam iniuriam, per summas contumelias plus aliquanto ablatum esse, quam natum sit? Sentio, iudices, moderandum mihi esse iam orationi meæ, fugiendamq; vestram satietatem. non versabor in vno genere diutius, & ita cetera de oratione mea tollam, vt in caussa relinquam. audietis Agrigentinorum, fortissimorum virorum, diligentissimorumque, querimonias: cognoscetis, iudices, Entellinorum, summi laboris, summæq; industriæ, dolorē, & iniurias: Heracliēsiū Icilieñsiū, Aetnēsium, Solentinorum incommoda proferētur: Catinensium, locupletissimorum hominum, amicissimorumque agros vexatos ab Apro-

nio

nio cognoscetis: Tyndaritanam nobilissimam ciuitatem, Cephaleditanam, Halentinam, Apolloniensem, Eggynam, Capitinam, perditas esse hac iniquitate decumanorũ intelligetis: Murgẽtinis, Assorinis, Elorinis, Ennensibus, Letinis nihil omnino relictũ: Citarinos, Acherinos, paruarũ ciuitatũ homines, omnino abiectos esse, ac perditos: omnes denique agros decumanos per triennium populo R. ex parte decuma, C. Verri ex omni reliquo vectigales fuisse: & plerisque aratoribus nihil omnino superfuisse: quibus quod tũ aut remissum, aut relictũ sit, id fuisse tantum, quantum ex eo, quo istius auaritia contenta fuit, redundarit. Duarum mihi ciuitatum reliquos feci agros, iudices, fere optimos, ac nobilissimos, Aetnensiũ, & Leontinorum. horum agrorum ego missos faciam quæstus triennij: vnum annum eligam, quo faciliùs id, quod institui, explicare possim: sumã annũ tertium, quod & recentissimus est, et ab isto ita administratus, vt, cum se certe decessurum videret, non laboraret, si aratorem nullũ in Sicilia omnio esset relicturus. agri Aetnẽsis, & Leontini decumas agemus. attendite, iudices, diligenter. agri sunt feraces, annus tertius, decumanus Apronius. De Aetnensibus perpauca dicam. dixerunt enim ipsi priore actione publice: memoria tenetis, Artemidorum Aetnensem, legationis eius principem, publice dicere, Apronium venisse Aetnam cum Venerijs. vocasse ad se magistratum, imperasse, vt in foro sibi medio lecti sternerentur: quotidie solitum esse non modo in publico, sed etiam de publico conuiuari: cum in eis conuiuijs symphonia caneret, maximisq; poculis ministraretur, retinere solitum esse aratores, atque ab ijs non modo per iniuriam, sed etiam per contumeliam tantum exprimi frumenti, quantum Apronius imperasset. Audistis hæc, iudices: quæ nunc ego omnia prætereo, ac relinquo. nihil de luxuria Apronij loquor, nihil de insolentia, nihil de singulari nequitia, ac turpitudine: tantum de quæstu, ac lucro dicam vnius agri, & vnius anni, quo facilius vos coniecturam de triennio, & de tota Sicilia facere possitis. sed mihi Aetnensium breuis est oratio. ipsi enim venerunt: ipsi publicas litteras deportarunt: docuerunt vos, quid lucelli fecerit homo non malus, familiaris prætoris, Apronius, id, quæso, ex ipsorum testimonio cognoscite. Recita. TESTIMONIVM. AETNENSIVM. *Quid ais? dic, dic, quæso, clarius, vt populus R. de suis vectigalibus, de suis aratoribus, de suis socijs, atque amicis audiat,* L. MILLIA. *Per deos immortales, vnus ager, vno anno,*

CCC

CCC millia mod. tritici, & præterea H-S L. *millia lucri dat Apronio? tanto ne minoris decumæ venierunt, quam fuerunt: an, cum satis magno venissent, hic tantus tamen frumenti, pecuniæque numerus ab aratoribus per vim ablatus est? vtrum enim horum dixeris, in eo culpa, & crimen hærebit, nam illud quidẽ non dices: quod vtinam dicas: ad Apronium non peruenisse tantum. ita te non modo publicis tenebo, sed etiam priuatis aratorum pactionibus, ac litteris: vt intelligas, non te diligentiorem in faciendis furtis fuisse, quã me in deprehendẽdis. hoc tu feres, quisquam defendet, hoc hi, si aliter de te statuere voluerint, sustinebunt vno aduentu, ex vno agro, Q. Apronium, præter eam, quam dixi, pecuniam numeratã, CCC millia mod. tritici, lucri nomine, sustulisse? quid? hoc Aetnẽses soli dicunt? immo etiam Centuripini; qui agri Aetnensis multo maximam partem possident. quorum legatis, hominibus nobilissimis, Androni, & Artemoni senatus ea mandata dedit, quæ publice ad ciuitatem ipsorum pertinebant. de ijs iniurijs, quas ciues Centuripini non in suis, sed in aliorum finibus acceperunt, senatus & populus Centuripinus legatos noluit mittere; ipsi aratores Centuripini, qui numerus est in Sicilia maximus, hominum honestissimorum, & locupletissimorum, tres legatos ciues suos delegerunt; vt eorum testimonio non vnius agri, sed prope totius Siciliæ calamitates cognosceretis. arant enim tota Sicilia fere Centuripini. & hoc in te grauiores, certioresque testes sunt, quod ceteræ ciuitates suis solum incommodis commouentur; Centuripini, quod in omnium fere finibus habent possessiones, etiam ceterarum ciuitatum damna, ac detrimenta senserunt. Verum, vt dixi, ratio certa est Aetnensium, & publicis, & priuatis litteris consignata mea diligentia: pensum magis in Leontino agro est exigendum, propter hãc caussam, quod ipsi Leontini publice non sane me multum adiuuerunt: neque enim eos isto prætore hæ decumanorum iniuriæ læserunt, potius etiam adiuuerunt.*

EXPLANATIO.

QVANTVM *ex eo, quo istius auaritia contenta fuit, redundarit.* ʒ act. 1. Quantum homin: s auarissimi, & libidinosissimi aut imprudentiam subterfugit, aut satietati superfuit. QVAM *fuerũt:* ʒ cur lucri tantum das Apronio? an quia minoris decumæ venierint, quam essent, id est quam numerus earum esset pro tritico exarato?

to? an vero & illæ satis magno venierũt, & hic tamẽ frumenti, pecuniæq; tantus numerus ab aratoribus per vim ablatus est? CVM SATIS *magno venissent,*} cum hoc dicat, & subiungat, Hic tantus tamen frumenti, pecuniæq; numerus: apparet, illa CCC millia mod. lucri nomine fuisse. quod infra perspicuum fit ijs verbis: Vno aduentu, ex vno agro, Q. Apronium, præter eam, quam dixi, pecuniam numeratã, CCC millia mod. tritici lucri nomine, abstulisse? FRVMENTI, } generale frugum omnium nomen est: hic tamen pro tritico, totũ scilicet pro parte, ponitur. PENSVM *magis in Leontino agro est exigendum,*} videndum est, & quasi pensum à me exigendum, cum Leontinis quo modo sit actum.

ORATIO.

MIRVM fortasse hoc vobis, aut incredibile videatur, in tantis aratorum incommodis Leontinos, qui principes rei frumentariæ fuerunt, expertes incommodorũ, atque iniuriarũ fuisse. hoc caussæ est, iudices, quod in agro Leontino, præter vnam Mnasistrati familiam, glebam Leontinorum possidet nemo. itaque Mnasistrati, hominis honestißimi, atque optimi viri, testimonium, iudices, audietis. ceteros Leontinos, quibus nonmodo Apronius in agris, sed ne tempestas quidẽ vlla nocere potuit, exspectare nolite: etenim non modo incommodi nihil ceperunt, sed etiã in Apronianis illis rapinis, in quæstu sunt compendioque versati. quapropter, quoniam me Leontina ciuitas, atq; legatio, propter eã, quam dixi, caussam defecit: mihimet ineunda ratio, & via reperienda est, quá ad Apronij quæstum, siue adeo, qua ad istius ingentẽ immanemq; prædam possim peruenire: Agri Leontini decumæ anno tertio venierunt tritici medimnum XXXVI. *hoc est tritici mod.* CCXVI, *magno, iudices, magno: neq; enim hoc possum negare: itaque necesse est, aut dammum, aut certe non magnum lucrum fecisse decumanum: hoc enim solet vsu venire ijs, qui magno redemerũt; quid, si ostendo in hac vna emptione lucri fieri tritici modium* C? *quid si* CC? *quid, si* CIↃ? *dubitabiti, etiã, cui ista tanta præda quæsita sit? iniquum me esse quispiam dicet, qui ex lucri magnitudine coniecturam faciam furti, atque prædæ. quid, si doceo, iudices, eos, qui* CIↃ *mod. lucri faciunt, damnum facturos fuisse, si, vt tua iniquitas fuit, ex coborte recuperatores non intercederent? num quis*

poterit

poterit in tanto lucro, tantaq; iniquitate dubitare, quin popter iniquitatem tā magnos quæstus feceris, propter magnitudinē quæstus improbus esse volueris? quo modo igitur hoc assequar, iudices, vt sciam, lucri quantum factū sit? non ex Apronij tabulis: quas ego cū conquirerem, non inueni: & cum in ius ipsum eduxi, expressi, vt, conficere tabulas se negaret. si mentiebatur: quamobrem remouebat, si hæ tabulæ nihil tibi erant obfuturæ? si omnino nullas confecerat litteras: ne id quidem satis significabat, illum non suum negotiū gessisse? ea est enim ratio decumarum, vt sine plurimis litteris confici non possit. singula enim nomina aratorum, & cum singulis pactiones decumarum, litteris persequi, & cōficere necesse est. Iugera professi sunt aratores omnes imperio, atque instituto tuo. non opinor quemquam minus esse professum, quam quantum arasset, cū tot cruces, tot iudicia, tot ex cohorte recuperatores proponerentur. in iugere Leontini agri medimnum fere tritici seritur, perpetua, atque æquabili satione: ager efficit, cum octauo bene vt agatur; verum, vt omnes dij adiuuent, cum decimo. quod si quandò accidit, tum fit, vt tantum decumæ sit, quantum seueris, hoc est, vt; quot iugera sunt sata, totidem medimna decumæ debeantur. hoc cum ita esset, primum illud dico, pluribus millibus medimnum venisse decumas agri Leontini, quam quot millia iugerum sata erant in agro Leontino. quod si fieri non poterat, vt plus quam decem medimna ex iugere exararēt; medimnum autem ex iugere decumano dari poterat, cum ager, id quod perraro euenit, cum decuma extulisset: quæ erat ratio decumani, siquidem decumæ, ac non bona veniebant aratorum, vt pluribus aliquanto medimnis decumas emeret, quam iugera erant sata? In Leontino iugerum subscriptio, ac professio non est plus x x x, decumæ XXXVI medimnis venierunt. errauit, an potius insaniuit Apronius? immo tum insanisset, si aratoribus, quod deberent, licitum esset, & non, quod Apronius imperasset, necesse fuisset dare. si ostendo minus tribus medimnis in iugerum neminem dedisse decumnæ: concedes, opinor; vt cum decimo fructus arationis perceptus sit, neminem minus tribus decumis dedisse. Atque hoc in beneficij loco petitum est ab Apronio, vt in iugera singula ternis medimnis decidere liceret. nam cum à multis quaterna, etiam quina exigerentur; multis autem non solum granum vllum, se ne paleæ quidem ex omni fructu, atque ex annuo labore relinquerentur: tum aratores Centuripini, qui numerus in agro

gro Leontino maximus est, vnũ in locum conuenerunt; hominem suæ ciuitatis in primis honestũm, ac nobilem, Andronem Centuripinum legarunt ad Apronium, eundem, quẽ hoc tempore ad hoc iudicium legatũ, & testẽ Centuripina ciuitas misit, vt is apud eũ caussã aratorum ageret, ab eoq; peteret, vt ab aratoribus Centuripinis ne amplius in iugera singula, quã terna medimna exigeret. hoc vix ab Apronio in summo beneficio, pro ijs, qui etiam tũ incolumes erãt, impetratũ est. id cum impetrabatur, hoc videlicet impetrabatur, vt pro singulis decumis ternas decumas dare liceret. Quod si tua res nõ ageretur, à te potius postularent, ne amplius quã singulas, quã ab Apronio, vt ne plus, quam ternas decumas darent. Nunc, vt hoc tempore ea, quæ regie, seu potius tyrannice statuit in aratores Apronius, prætermittam; neque eos appellem, à quibus omne frumentum eripuit, & quibus nihil non modo de fructu, se ne de bonis quidem suis reliqui fecit: ex his ternis medimnis, quod beneficij gratiæque caussa concessit. quid lucri fiat, cognoscite. Professio est agri Leontini ad iugerum XXX, hæc sunt ad tritici medimnum XC, id est tritici mod. ID X L deductis tritici mod. CCXVI, quanti decumæ venierunt, reliqua tritici CCXXIV. adde totius summæ D X L mod. tres quinquagesimas, id est tritici mod. XXXII CD, ab omnibus enim ternæ præterea quinquagesimæ exigebantur. sunt hæc iam ad CCCXL. mod. tritici. at ego C D lucri facta esse dixerim: non enim duco in hac ratione eos, quibus ternis medimnis non est licitum decidere. verum vt hac ipsa ratione summam mei promissi compleam, ad singula medimna multi H.S duos, multi H.S quinque accessionis cogebantur dare: qui minimum, singulos nummos. hoc minimum vt sequamur, quoniam XC medimnum duximus, accedunt eo nouo, pessimoq; exemplo ad H.S XC. Hic mihi etiã dicere audebit, magno se decumas vendidisse, cum ex eodem agro dimidio ipse plus abstulerit, quã populo R. miserit. CCXVI modiũ decumas agri Leontini vendidisti: si ex lege, magno: si, vt lex esset libido tua, paruo: si, vt, q̃ dimidiæ essent, decumæ vocarẽtur, paruo vẽdidisti: multo. n. pluris fructꝰ annui Siciliæ venire potuerũt si id te senatꝰ, aut populus R. facere voluisset. etenim sæpe decumæ tãti venierũt, cũ lege Hieronica venirẽt, quãti nũc lege Verrea venierũt. Cedo mihi C. Norbãi decumas vẽditas. C. NORBANI. DECVMAE. VENDITAE. AGRI. LEONTINI. Atq; tum neque iudi-

cium

cium de modo iugerum dabatur: neq; enim erat Artemidorus Cornelius recuperator: neq; ab aratore magistratus Siculus tantum exigebat, quantum decumanus ediderat: nec beneficium petebatur à decumano, vt in iugera singula ternis medimnis decidere liceret: nec nummorum accessionem cogebatur arator dare, ternas quinquagesimas frumenti addere: & tamen populo R. magnus frumenti numerus mittebatur. quid vero istæ sibi quinquagesimæ? quid porro nummorum accessiones volunt? quo id iure, atque adeo, quo id potius ore fecisti? nummos dabat arator. quo modo? aut vnde? qui si largissimus esse vellet, cumulatiore mensura vteretur, vt antea solebant facere in decumis, cum æqua lege, & condicione veniebant. is nummum dabat. vnde? de frumento? quasi habuisset, te prætore, quod venderet. de viuo igitur erat aliquid resecandum, vt esset, vnde Apronio ad illos fructus arationū hoc corollariū nummorum adderetur. Iam id porro vtrum libentes, an inuiti dabant? libentes? amabant, credo, Aproniū. inuiti? qua re, nisi vi, & malo, cogebantur? Iam iste homo amentissimus, in vendundis decumis nummorum faciebat accessiones ad singulas decumas: neque multū, bina, aut terna millia addebat. fiunt per trienniū H-S fortasse D. hoc neque exemplo cuiusquam, neque vllo iure fecit: neque eā pecuniam retulit: neque, hoc paruum crimen quemadmodum defensurus sit, homo quisquam vmquam excogitauit. Quod cum ita sit, audes dicere, te magno decumas vendidisse? cum sit perspicuū, te bona, fortunasque aratorum non populi R. sed tui quæstus caussa vendidisse. vt, si quis villicus ex fundo, cui H.S X millia merces esset, excisis arboribus, ac venditis, demptis tegulis, instrumento, pecore abalienato, domino XX millia nummum pro X millia miserit, sibi alia præterea centum confecerit: primo dominus, ignarus incommodi sui, gaudeat, villicoque delectetur, quod tanto sibi plus mercedis ex fundo refectum sit: deinde, cum audierit, eas res, quibus fundi fructus, & cultura continentur, amotas, & venditas, summo supplicio villicum afficiat, & secum male actum putet: itē populus R. cum audit pluris decumas vendidisse C. Verrem, quam innocentissimum hominem, cui iste successit, C. Sacerdotem, putat se bonum in arationibus fructibus suis habuisse custodem, ac villicum: cum senserit istum omne instrumētum aratorum, omnia subsidia vectigalium vendidisse, omnē spem posteritatis auaritia sua sustulisse, arationes, & agros vectigales vastasse, atq; exinanisse, ipsum

ipsum maximos quæstus, prædasq́; fecisse, intelliget secum actū esse pessime; istum autem summo supplicio dignum existimabit. vnde ergo hoc intelligi potest? ex hoc maxime, quod ager decumanus prouinciæ Siciliæ, propter istius auaritiam desertus est. neq; id solū actum est, vti minus multis iugis arent, si qui in agris remanserūt; sed etiam, vt permulti locupletes homines, magni, & naui aratores, agros latos, ac fertiles desererēt, totasq́; arationes derelinquerent. id adeo sciri facillime potest ex litteris publicis ciuitatū: propterea quod lege Hieronica numerus aratorū quotannis apud magistratus publice subscribitur. Recita tandem, quot acceperit aratores agri Leontini Verres. OCTVAGINTA TRES. *Quot anno tertio profiteantur.* TRIGINTA DVO. *Vnū & quinquaginta aratores ita video deiectos, vt his ne vicarij quidem successerint. quot aratores aduenientе te fuerunt agri Muticensis? videamus ex litteris publicis.* CENTVM. OCTVAGINTA. OCTO. *Quid? anno tertio?* CENTVM. ET. VNVS. *Octuaginta septem aratores vnus ager istius iniuria desiderat: atq; adeo nostra resp. quoniam illa populi R. vectigalia sunt, hunc tot patrumfamilias numerum desiderat, & reposcit. Ager Herbitensis primo anno habuit aratores ducentos quinquaginta septem, tertio centum viginti. hinc centū triginta septē patresfamilias extorres profugerūt. Agyrinensis ager, quorū hominum? quam honestorū? quam locupletum? ducentos quinquaginta aratores habuit primo anno præturæ tuæ. quot tertio anno? octuaginta, quemadmodū legatos Agyrinenses recitare ex publicis litteris audistis. pro dij immortales, si ex prouincia tota centum septuaginta eiecisses, posses ne, seueris iudicibus, saluus esse? vnus ager Agyrinensis centum septuaginta aratoribus inanior cum sit, vos coniecturā totius prouinciæ non facietis? Atq; hoc peræq́; in omni agro decumano reperietis: quibus aliquid tamen reliqui fuerit ex magno patrimonio, eos in agris, minore instrumento, minus multis iugis, remansisse, quod metuebant, si recessissent, ne reliquas fortunas omnes amitterent; quibus autem iste nihil reliqui, quod perderent, fecerat, eos plane non solum ex agris, verum ex ciuitatibus suis profugisse. illi ipsi, qui remāserant, vix decuma pars aratorum, relicturi agros omnes erant, nisi ad eos Metellus Roma litteras misisset, decumas lege Hieronica venditurum, & nisi ab ijs hoc petiuisset, vt sererent quamplurimum: quod illi semper sua caussa fecerāt, cum eos nemo rogaret, quam diu in-*

 tellige-

telligebant sese sibi, & populo Romano non Verri, & Apronio ...rere, impendere, laborare. Iam vero, iudices, si Siculorum fortunas negligitis, si, quemadmodum socij populi Romani à magistratibus nostris tractentur, non laboratis; at vos communem populi Romani caussam suscipite, atque defendite. eiectos aratores esse dico; agros vectigales vexatos, atque exinanitos à Verre; populatam, vexatamque prouinciam: hæc omnia doceo ciuitatum, & priuatis primariorum virorum testimonijs. quid vultis amplius? num exspectatis, dum L. Metellus, is, qui multos in istum testes imperio, & potestate deterruit, idem absens de istius scelere, improbitate, audacia testimonium dicat? non, opinor. at is optime, qui successit isti, potuit cognoscere. ita est, verum amicitia impeditur. at debet nos certiores facere, quo pacto se habeat prouincia. debet; veruntamen non cogitur. num quis in Verrem L. Metelli testimonium requirit? nemo. num quis postulat? non opinor. quid si testimonio L. Metelli, ac litteris hæc omnia vera esse docebo? quid dicetis, vtrum, Metellum falsum scribere, an amicum lædendi esse cupidum? an prætorem, quemadmodum prouincia affecta sit, nescire? Recita litteras L. Metelli, quas ad Cn. Pompeium, & M. Crassum cos. quas ad M. Mummium prætorem, quas ad quæstores vrbis misit. EPISTOLA. L. METELLI. DECVMAS. FRVMENTI. LEGE. HIERONICA. VENDIDI. *Cum scribit se lege Hieronica vendidisse, quid scribit? ita se vendidisse, vt omnes præter Verrem: cum scribit se lege Hieronica vendidisse, quid scribit? se per istum erepta, Siculis maiorum nostrorum beneficia, ius ipsorum, condicionem societatis, amicitiæ, fœderum reddidisse. Dicit deinde, quanti cuiusque agri decumas vendiderit. quid scribit? Recita de epistola reliqua.* SVMMA. DATA. EST. OPERA. A. ME. VT. QVAMPLVRIMO. DECVMAS. VENDEREM. *Cur igitur, Metelle, non ita magno vendidisti? quia desertas arationes, inanes agros, prouinciam, miseram perditamque offendi. quid? id ipsum, quod satum est, qua ratione quisquam, qui sereret, inuentus est? Recita litteras. Ait se misisse & præsentem confirmasse, suam interposuisse auctoritatem. tantum quod aratoribus Metellus obsides non dedit, se in nulla re Verri similem futurum. at quid*

est tandem, in quo se laborasse dicat? Recita. VT. ARATORES. QVI. RELIQVI. ERANT. QVAMPLVRIMVM. SERERENT. *Qui reliqui? quid hoc est? reliqui? quo ex bello? qua ex vastitate? quænam in Sicilia tanta clades, aut quod bellum tam diuturnum, tam calamitosum te prætore versatum est, vt is, qui tibi successerit, reliquos aratores collegisse, & recreasse videatur? cum bellis Carthaginiensibus Sicilia vexata est, & post, nostra, patrumq; memoria, cum bis in ea prouincia magnæ fugitiuorum copiæ versatæ sint, tamen aratorũ internicio facta nulla est. tum semente prohibita, aut messe amissa, fructus annuus interibat: tamen incolumis numerus manebat dominorum, atque aratorum. tum qui, M. Læuino, aut P. Rupilio, aut M. Aquillio prætoribus in eam prouinciam successerant, aratores reliquos non colligebant. tanto ne plus Verres cum Apronio prouinciæ Siciliæ calamitatis importauit, quam aut Hasdrubal cum pœnorum exercitu, aut Athenio cum fugitiuorum maximis copijs, vt temporibus illis, simul atq; hostis superatus esset, ager araretur omnis, neque aratori prætor per litteras supplicaret, neque eum præsens araret, vt quamplurimum sereret, nunc autem ne post abitum quidem huius importunißimæ pestis quisquam reperiretur, qui sua voluntate araret? pauci essent reliqui, qui L. Metelli auctoritate in agros, atque ad suum larem familiarem redirent? His te litteris, homo audacißime, atque amentißime, iugulatum non sentis? non vides, cum is, qui tibi succeßit, aratores reliquos appellet, hoc eum diserte scribere, reliquos hos esse, non ex bello, neque ex aliqua huiusmodi calamitate, sed ex tuo scelere, importunitate, auaritia, crudelitate? Recita cetera.* TAMEN. PRO. EO. VT. ET. TEMPORIS. DIFFICVLTAS. ARATORVMQVE. PAENVRIA. TVLIT. *Aratorum, inquit, pænuria. Si ego accusator toties de re eadem dicerem, vererer, ne animos vestros offenderem, iudices. clamat Metellus: Nisi litteras misissem: non est satis: Nisi præsens confirmassem: ne id quidem satis est: Reliquos, inquit, aratores. reliquos? probe lugubri verbo calamitatẽ prouinciæ Siciliæ significat. addit: Aratorum pænuria: Exspectate etiam, indices, si potestis, auctoritatẽ accusationis meæ:*

dico aratores istius auaritia eiectos. scribit Metellus reliquos ab se esse confirmatos. dico agros relictos, arationesq; desertas esse: scribit Metellus aratorũ esse penuriam. hoc cum scribit, illud ostendit, deiectos, eiectos, fortunis omnibus expulsos esse populi R. socios, atque amicos. quibus si qua calamitas, propter istum, saluis vectigalibus nostris, accidisset, animaduertere in eum vos oportebat, praesertim cum ea lege iudicaretis, quæ sociorum caussa esset constituta. cum vero, perditis, profligatisq; socijs, vectigalia populi R. sint deminuta, res frumentaria, commeatus, copiæ, salus vrbis, atq; exercituum nostrorum in posteritatem istius auaritia, interierit: saltem commoda vestra respicite, si socijs fidelissimis prospicere non laboratis. Atque, vt intelligatis, ab isto, præ lucro, prædaq; præsenti, nec vectigalium, nec posteritatis habitam esse rationem, cognoscite, quid ad extremum scribat Metellus. In reliquũ tempus, ait, se vectigalibus prospexisse. non scriberet se vectigalibus prospexisse, nisi hoc vellet ostẽdere, te vectigalia perdidisse. quid enim erat, quod vectigalia prospiceret Metellus in decumis, & in tota re frumentaria; si iste non vectigalia populi R. suo quæstu peruertisset? atque ipse Metellus, qui vectigalibus prospicit, qui reliquos aratores colligit, quid assequitur, nisi hoc? vt arent, si qui possunt, quibus aratrum saltẽ aliquod satelles istius Apronius reliquum fecit; qui tamen in agris spe, atque exspectatione Metelli remanserunt. Quid ceteri Siculi? quid ille maximus numerus aratorum, qui non modo ex agris eiecti sunt, sed etiam ex ciuitatibus suis, ex prouincia, denique bonis, fortunisq; omnibus ereptis profugerunt, qua ratione ij reuocabuntur? quot prætorũ innocentia, sapientiaq; opus est, vt illa aratorũ multitudo aliquãdo in suis agris, ac sedibus collocetur? Ac, ne miremini tantam multitudinem profugisse, quantam ex litteris publicis aratorumque professionibus cognouistis; scitote, tantam acerbitatem istius, tantum scelus in aratores fuisse, (incredibile dictu est, iudices: sed & factum, & tota Sicilia peruulgatum) vt homines, propter iniurias, licentiamque decumanorum, mortem sibi ipsi consciuerint. Centuripinum Dioclem, hominem locupletem, suspendisse se constat, quo die sit ei nunciatum Apronium decumas redemisse Dyrrhachinum, primum ciuitatis, eadem ratione mortem oppetisse, dixit apud vos, homo nobilissimus, Archonidas Elorinus, cum audisset, tantum, decumanũ professum esse, ex edicto istius sibi deberi, quãtum ille bonis suis omnibus efficere non posset.

EXPLA-

EXPLANATIO.

POSSIDET *nemo.*} quinam igitur possident? incolæ. supra: Quid Halycienses? quorum incolæ decumas dant, ipsi agros immunes habent. EXSPECTARE *nolite.*} vt testimonium in Apronium dicant. VERSATI.} non refero hoc verbum ad rapinas Apronij, sed ad quæstum, & compendiũ: vt hoc dicat: Versati sunt, cum Apronius raperet ab incolis, & à Mnasistrato, in quæstu, compendioque proprio. CIVITAS,} supra: Ipsi Leontini publice non sane me multum adiuuerunt. LEGATIO} quæ cum aliarum ciuitatum legationibus ad accusandum Verrem Romam non venit. MIHI ME Z} sine testimonijs eorũ. SIVE *adeo*} modus loquendi. Lib. I. Huius improbissimi furti, siue adeo nefariæ prædæ. INGENTEM, *immanemque prædam*} maior est in Immanem, quam in Ingentem, significatio. MAGNO,} nam venire pluris, quam medimnum xxx millia, nulla ratione potuerunt: cum agri Leontini professio esset ad iugerum xxx millia; vt infra ostenditur: & è singulis iugeribus caperẽtur, vbi messis optima, medimni deni: quo fiebat, vt medimni, qui decumæ nomine dabãtur, totidem plane, quot iugera, essent. ergo. si sunt iugerum xxx millia, decuma item erit medimnum xxx millia: cum scilicet agri fructus est, quãtus maximus esse potest. nam interdum octo tantum medimni, nonnunquam pauciores in iugero colliguntur. Verres autem gloriabatur, magno se decumas vendidisse, quia non solum xxx millibus medimnum vendidisset. quæ, vt dixi, messis optimæ decuma fuit, sed etiam xxxvi millibus, id est sex millibus amplius; qui sunt omnino modium ccxvi millia: ex quo rem populi Romani diligenter curasse videbatur. Cicero contra ostendit, ipsum sibi Verrẽ dimdio plus ex agro Leontino abstulisse, quã populo Romano miserit. EOS,} decumanum Apronium. CD *millia mod.*} vt infra, ratione subducta; patebit. LVCRI *faciunt,*} qui vidẽtur quidẽ esse decumani, sed Verri tamen non sibi, lucrabantur. DAMNVM *facturos,*} quia vocati ab aratoribus in iudiciũ condemnati essent, nisi Verres ex cohorte sua, qui iudicarẽt,

recuperatores dedisset. AGER *efficit, cum octauo bene, vt agatur;*} non dubito, quin legendum sit: Ager reficit cum octauo: pro, reddit. Sic infra: Cum ager cum decumo extulisset. Hoc verbo cum eodem sensu vsus est in Parad. Hoc proposito, inquit, numquam eris diues, ante quam tibi ex tuis possessionibus tantum reficiatur, vt eo tueri quattuor legiones, & magnæ equitum, ac peditum auxilia possis. INSANIVIT} cum decumas pluribus emit medimnis, quam quantus esset iugerũ numerus. HAEC SVNT *ad tritici medimnum* XC *millia*} hoc modo. Si decuma vna est tot medimnorum numerus, quot iugerum; & iugera sunt omnino xxx millia; ternas autẽ decumas in singula iugera ab aratoribus exprimit Apronius: sequitur, vt medimnorum numerus, qui esset ex vna decuma xxx millia, sit ex tribus XC millia. ergo LIV millia, medimnum lucri facit Verres: nam Apronio decumam populi Romani vẽdiderat xxxvi millibus medimnum: idq; in tabula retulit: reliquum autem, vsq; ad XC millia, quod Apronio datum est, ipse ad se trãstulit. plus igitur lucratus est Verres, quam populo Romano datum. ex tribus enim decumis duas ille habuit, populus vnam. QVANTI *decumæ venierunt,*} Apronio. venierunt enim xxxvi millibus medimnũ: quæ ccxvi millia modiũ sunt. hæc si deducantur à Verris lucro, quia decumæ nomine ad populum Romanum pertinent; supersunt, quæ Verres lucri facit, cccxxiv millia. persequitur Cicero hac ratione singula tritici lucra, quæ ad ipsum Verrem, præter populi Romani decumam, peruenerũt: vt expleat summam promissi sui, quod dixerat velle se ostendere, in vnius agri Leontini decumis lucri fecisse Aproniũ, id est ipsum Verrem, CD millia modium. TOTIVS *summæ* DXL *millium mod.*} medimnum XC millium. Addidit autem Verres ad iniuriam trium decumarum quinquagesimas tres: vt essent primum decumæ pro vna tres, deinde totius summæ, id est DXL millium modium, tres præterea quinquagesimæ, id est tritici modium xxxii millia CD. SVNT HAEC *iam*} tres decumæ cum tribus quinquagesimis. AD H. S} notam H-S, vt perspicue mendosam,

ſam,deleui. CCCXL *millia*} ſic in antiquis libris, ſed mendoſe. nam ex tribus decumis,& earũ tribus quinquageſimis,colliguntur,quæ ad Verrem peruenirant, CCCLVI millia CD modij, deductis ccxvi millibus, quæ ad populum Romanum decumæ nomine pertinebant. AD SINGVLA *medimna multi* H.S *duo*,} idem,ac ſi diceret,ad ſingula millia medimnum multi H.S duo millia. eodem enim ratio redit. MVLTI H.S *quinque*} à duobus ad quinque violenta tranſgreſſio. itaque malim,tres.& apte quadrat,vt alij vnum,alij duos, nõnulli tres ſeſtertios ad ſingula medimna dare cogerentur. AD H S cx *millia.*} vt cõpleatur ſumma promiſsi. nam ſi ad CCCLVI millia CD modios accedant, H.S Cx millia, quæ pretium ſunt ſex millium medimnũ, æſtimato medimno quindecim ſeſtertijs; ſex vero millia medimnũ, ſunt xxxvi millia modium: fient omnino cccxcii millia CD modij. quod à CD millibus, quæ lucri facta eſſe à Verre Cicero ſe vellle oſtendere pollicitus eſt,parum diſtat. DIMIDIO *ipſe plus abſtulit*} non dicit dimidium eius, quod populo Romano miſit, quod xviii millia medimnum fuiſſet: neque alterum tantum, quod xxxvi millia medimnum: ſed dimidio plus, id eſt, & alterum tantum, quantum illud fuit, quod populo Romano miſit, & dimidio amplius: quod totum eſt LIV millia medimnum, vel cccxxiv millia modium. tantũ enim lucrifecit Verres in tribus decumis; quod iam dictum eſt in eo loco: Deductis tritici modium ccxxvi millibus, quanti decumæ venierunt, reliqua tritici cccxxiv millia. Loquitur igitur Cicero nõ de toto Verris lucro,quod CD millia modiũ fuiſſe dixit, verum de eo tantum, quod trium decumarum nomine fecit ex agro Leontino. nam ad decumas ternæ præterea quinquageſimæ, & ad quinquageſimas accedebant in ſingula medimna ſinguli ſaltem nummi. quorum hic ratio non habetur. nam, ſi haberetur; verius erat, duplo plus, quam dimidio plus. SI, VT LEX *eſſet libido tua, paruo:*} cum videam ſubiungi, Paruo vendidiſti, offendor iteratione eiuſdem verbi. nam particula, Si, ter hic repetita, varietatem in pretio de-

cumarum singulis locis requirit. accedit alterũ vitium, quod tertio loco, Si, repetita nihil affert, quod à Verris libidine non pendeat. at libidinis proxime facta mentio est: itaque, quod sequitur, ad reprehensionem Verris, nihil addit. venit igitur in mentem suspicari, hoc totum ita coniungi debere; Si, vt lex esset libido tua, vt, quæ dimidiæ essent, decumæ vocarẽtur, paruo vendidisti. ita & absurda illa, minime Ciceronis ingenio digna, repetitio verbi, Paruo, tolletur: & distractæ eius sententiæ partes componentur. quorsum enim exactę pro decumis dimidiæ, nisi ad libidinem, spectant? cur igitur, quasi diuersum aliquid, separatim ponãtur? Sententia vero hæc est. Si de exigendis non decumis, sed dimidijs pro tua libidine cogitasti: multo pluris vendere potuistij. nam, vt vno vtamur exemplo, ex agro Leontino, cuius agri professio est ad iugerum XXX millia, si dena medimna ex iugero percipiuntur, vniuersa summa fit CCC millia medimnũ: quorum dimidiæ sunt, CL millia, multo scilicet plus, quam XXXVI millia, quanti decumas eius agri vendidisti. ita neque legi, quia magno, neque libidini tuæ, quia paruo venditæ decumæ, satisfactum à te est. FRVCTVS *annui Siciliæ*} non, omnes fructus, sed omnium fructuum dimidiæ. nam etsi omnium agrorum decumę pluris à te, quam lege liceat, minus tamen, quam hortari videbatur libido tua, venierunt. Dicit autem, Fructus anni Siciliæ, ab agro Leontino ad omnes Siciliæ agros oratione traducta; vt ostendat, non vnius agri Leontini, sed Siciliæ totius decumas pluris, quam lex permitteret, à Verre venisse. SI ID TE *senatus, aut populus Romanus facere voluisset.*} hoc addit, ne Verrem, quia dimidias non vendiderit, accusare videatur. Numquam, inquit, senatus, aut populus Romanus de dimidijs tibi mandasset, sicuti de decumis, legitimis tamen, mandauit. ETENIM *sæpe decumæ tanti venierunt*} redit ad decumas, dimidijs omissis. Quid gloriaris Verres, magno à te venditas esse decumas? tantidem alij quoq; sæpe vendiderunt, nec tamen, vt tu, contra legem Hieronicam. Hic mihi scrupulus, & quædam inijcitur dubitatio. Qui enim lege Hieronica

decu-

decumas magno venderet Norbano, alijsque licuit, Verri autem eadem lege tantidem non licuit? quod ei Cicero obiecit ijs verbis: Si ex lege, magno: & hic, subiungens, Lege Verrea: quasi iniqua, & Hieronicę dissimili. Nimirum, vt eximatur scrupulus, ita credendum est: Verrem, etsi non dena medimna in iugero nascerentur, quod accidere solitum, vbi sationem dij omnes adiuuarent, Cicero dixit, ad eam tamen rationem decumas triennio vendidisse, vt medimnorum numerus iugerum numerum æquaret: quasi perpetuũ esset, & quod perquam raro contingeret: cum lex Hieronica medimnum ex iugero, decumæ nomine, ijs duntaxat concederet, cum dena medimna arator ex iugero caperet: vbi vero minus, decuma minuebatur, id est medimno minor erat. Norbanus autem, & alij, qui tanti decumas iure vendiderunt, quanti Verres iniuste, per legem Hieronicam id facere potuerunt, in maxima agrorum vbertate, denis medimnis ex iugero perceptis. LEGE *Verrea*} quasi Verres non ad legem Hieronicam, sed ad suam libidinem, veluti legem quandam, in vendendis decumis, respexerit. ATQVE TVM *neque iudicium*} quæ recte fecit Verres, non solus neque primus fecit. nam & Norbanus, & alij, messe optima, tanti decumas vendiderant. idem solus multa facit improbe, vt cum iudicium de modo iugerũ dedit, cum recuperatores è sua cohorte: & quæ infra narrantur. IAM ISTE} nouum Verris lucrum addit ad superiora: quod vbi alicuius agri decumam venderet, à singulis decumanis, præter decumam, bina, vel terna millia nummum sibi exigeret: quo nomine H-S fortasse D millia per trienium fecit. Erant enim Siciliæ populi, Plinio teste, LXXII. totidem igitur eorum decumæ. pro quibus singulis si bina millia nummum exigātur, triennio fient, CDXXXII millia nummũ, eoq; amplius, quod à nonnullis decumanis non bina, sed terna, millia nummũ accessionis exigeret. decumani porro totũ illud à miseris aratoribus exprimebant. NEQVE EAM *pecuniam retulit*} in ærariũ: non enim populo, sed sibi exigebat. PARVVM *crimen*} quia minimum hoc lucrum, si cum decumis illis, &

terror in auribus, animisq; aratorum versaretur; cum decumani aratoribus ad pactiones faciendas non suam vim, sed tuum scelus, ac nomen opponerent; ecquod iudicium Romæ tam dissolutum, tam perditum, tam nummarium fore putasti, quo ex iudicio te vlla salus seruare posset? cum planum fieret, decumis contra instituta, leges, consuetudinemque omnium venditis, in aratorum bonis fortunisque diripiendis decumanos dictitasse, tuas esse partes, tuam prædam, idq; te tacuisse, & , cum dissimulare non posses, potuisse tamē perpeti, & perferre, quod magnitudo lucri obscuraret periculi magnitudinem, plusq; aliquanto apud te pecuniæ cupiditas quam iudicij metus posset. Esto: cetera negare non potes: ne illud quidem tibi reliquum fecisti, vt hoc posses dicere, nihil eorum te audisse, nihil ad tuas aures de infamia tua peruenisse. Querebantur cum luctu, & gemitu aratores: tu id nesciebas? fremebat tota prouincia: nemo id tibi renunciabat? Romæ querimoniæ de tuis iniurijs, conuentusque habebantur: ignorabas hæc? ignorabas hæc omnia? quid? cum palam Syracusis, te audiente maximo conuentu, P. Rubrius Q. Apronium sponsione lacessiuit, ni Apronius dictitaret, te sibi in decumis esse socium, hæc te vox non perculit? non perturbauit? non, vt capiti, & fortunis tuis prospiceres, excitauit? tacuisti, sedasti etiam lites illorum, et sponsio illa ne fieret, laborasti. Pro dij immortales, hoc aut innocens homo perpeti potuisset, aut, quamuis nocens, qui modo iudicia Romæ fore putaret, non aliqua se simulatione existimationi hominū vindicasset? Quid est hoc? sponsio fit de capite, ac fortunis tuis: tu sedes, & quiescis? non persequeris? non perseueras, non perquiris, cui dixerit Apronius? quis audierit? vnde hoc natum, quemadmodū prolatum sit? si quis tibi ad aurem accessisset, & dixisset Aproniū dictitare, te sibi esse socium: cōmoueri te oportuit, vocare Aproniū, nec illum ante tibi satisfacere, quā tu omniū existimationi satisfecisses. cum vero in foro celeberrimo, tanta frequentia, hoc verbo, & simulatione Apronio, re vera tibi obiectum esset: tu vmquam plagam tacitus accipere potuisses, nisi hoc ita statuisses, in re tam manifesta quidquid dixisses, te deterius esse facturū? quæstore, legatos, præfectos suos, tribunos multi missos fecerunt, & de prouincia decedere iusserunt, quod eorum culpa se minus cōmode audire arbitrarentur, aut quod peccare illos aliqua in re iudicarēt. tu Aproniū hominē vix liberalē, cōtaminatum, perditū, flagitiosum, qui nō modo animū integrū, sed ne animā quidem

quidem puram conseruare potuisset, eum in tanto tuo dedecore non profectò ne verbo quidem grauiore appellasses, neque apud te tam sancta religio societatis fuisset, vt tui capitis periculum negligeres, nisi rem tam notam esse omnibus, & tam manifestã videres. cum eodem Apronio postea P. Scandilius, eques R. quem vos omnes nostis, eandem sponsionem de societate fecit, quam Rubrius facere voluerat. institit, oppreßit, non remisit: facta est sponsio H-S V millia. cœpit Scandilius recuperatores, aut iudicem postulare. Satis ne vobis pretori improbo circumdati cancelli videntur in sua prouincia, immo vero in sella, ac tribunali, vt aut de suo capite iudicium fieri patiatur præsens, ac sedens, aut confiteatur se omnibus iudicijs conuinci necesse esse? Sponsio est, ni te Apronius in decumis socium esse dicat: prouincia tua est: ades: ab te iudicium postulatur: quid facis? quid decernis? recuperatores dicis te daturum. bene agis. tametsi qui erunt tantis ceruicibus recuperatores, qui audeãt in prouincia, cum prætor adsit, non solum contra voluntatem eius, sed etiam contra fortunas, iudicare? verum esto, manifesta res est: cum nemo esset, quin hoc se audisse liquido diceret: locupletißimus quisque certißimus testis esset: nemo erat Sicilia tota, qui nesciret decumas esse pretoris, nemo, qui non audisset, ita Apronium dictitasse. præterea conuentus honestus Syracusis, multi equites R. viri primarij. ex qua copia recuperatores reijci oporteret, qui aliter iudicare nullo modo possent. instat Scandilius poscere recuperatores. tum iste, homo innocens, qui illam suspicionem leuare, atque ab se remouere cuperet, recuperatores dicit se de cohorte sua daturum.

EXPLANATIO.

QVO *ex iudicio te vlla Salus seruare posset?* } imitatus est Terentium, qui dixit in Ad.

Ipsa si cupiat Salus,
Seruare prorsus non potest hanc familiam.

Quo spectat illud etiam pro Fonteio: Salus ipsa virorum fortium innocentiam tueri non potest. CONTRA *instituta legis* } Hieronicæ. vel lege, quod magis probo, Contra instituta, leges. SPONSIONE *lacessiuit,* } promissa certę pecuniæ solutione, si caussa caderet: NI APRONIVS *dictitaret,* } similia sponsionis exempla sæpe occurrunt, vt in Pisonem, in ep. ad Trebatium, in Valerio Max. EXISTIMATIONI *hominum* } eorum, qui aderant,

Siculorum.non enim placet,Populi Romani:quod alijs videtur esse rectius,quam, Hominū.Infra quoq;, Exspectant,inquit,omnes,quantæ tibi ea res curę sit,quemadmodum hominum existimationi te, atq; innocentiam tuam probari velis.ANTE *tibi satisfacere,*} ante tibi purgatum esse,quam tu purgatus esses omnibus. nota verbi significatio. vnde,Satisfactionem accipere.QVAESTORES,*legatos,præfectos suos,tribunos*}ordinem seruauit.nam quæstor legato,legatus præfecto, præfectus tribuno mil. honore antecellit.ANIMAM} spiritum.supra: Odor Apronij teterrimus oris.NON PROFECTO} miror, sublatam esse particulam,Non: cum eam sententia non modo postulet,verum etiam flagitet.dicit enim Cicero, non esse Apronium à Verre ne verbo quidem grauiore appellatum:quod futurum nō fuisse, nisi Verres notam esse rem omnibus,& manifestam videret. non profecto commisisses, inquit, vt eum ne verbo quidem grauiore appellares,neque tanti apud te nefaria illa societas fuisset,nisi rem ita notam omnibus videres, vt infamiam à te in Apronium auertere nulla ratione posses. NEQVE *apud te*}patet sensus:cur igitur, Atque, pro, Neque reponatur? quod alij probarunt. SOCIETATI} furtorum, ac prædarum.VIDERES}dixit affirmans,non interrogans.CIRCVMDATI *cancelli*}imposita necessitas.cogitur enim, cui cancelli circumdantur.TANTIS *ceruicibus*}tam forti animo.QVI ILLAM *suspicionem leuare, atque abs se remouere cuperet,*}ironia.

ORATIO.

PRO deum hominumque fidem, quem ego accuso? in quo meam industriam, ac diligentiam spectari volo? quid est, quod ego dicendo, aut cogitando efficere, aut assequi debeam? teneo in medijs vectigalibus populi R. in ipsis fructibus prouinciæ Siciliæ furem manifesto auertentem rem frumentariam omnem, pecuniam maximam: teneo, inquam, ita, vt negare non poßit. nam quid hic dicet? Sponsio facta est cum cognitore tuo Apronio de fortunis tuis omnibus, ni socium te sibi in decumis esse dictitaret. exspectāt omnes, quantæ tibi ea res curæ sit, quemadmodum hominū existimationi te, atque innocentiam tuam probari velis. hic tu medicum,

dicum, & haruſpicem, & præconem tuum recuperatores dubis? aut etiam illum ipſum, quem tu in cohorte tua Caßianum iudicem habebas, ſi qua res maior eſſet, Papirium Potamonem, hominem ſeuerum, ex vetere illa equeſtri diſciplina? Scandilius poſtulare de conuentu recuperatores. tum iſte negat ſe de exiſtimatione ſua cuiquam, niſi ſuis, commiſſurum. negotiatores putant eſſe turpe, id forum ſibi iniquum eiurare, vbi negotientur: prætor prouinciam ſuam totam ſibi iniquam eiurat. o impudentiam ſingularem: hic poſtulat ſe Romæ abſolui, qui in ſua prouincia iudicauit ſe abſolui nullo modo poſſe, qui plus exiſtimet apud lectißimos ſenatores pecuniam, quam apud tres negotiatores metum valere? Scandilius vero negat ſeſe apud Artemidorum recuperatorem verbum eſſe facturum, & tamen auget, atque onerat te bonis condicionibus, ſi tu vti velis. ſi ex prouincia Sicilia tota ſtatuebas idoneum iudicem, aut recuperatorem nullum poſſe reperiri, poſtulat à te, vt Romam reijcias. hic enimuero tu exclamas hominem improbum, qui poſtulet tibi de tua exiſtimatione iudicium fieri, vbi te inuidioſum eſſe intelligebat: negas te Romam reiecturum: negas de conuentu recuperatores daturum: cohortem tuam proponis. Scandilius rem ſe totam relicturum dicit, & ſuo tempore eſſe rediturum. quid tu ibi tum? quid facis? Scandilium cogis: quid? ſponſionem acceptam miſſam facere? impudenter tollis exſpectatum exiſtimationis tuæ iudicium. non facis. quid ergo? Apronio permittis, vt, quos velit, de cohorte ſumat recuperatores? indignum, vni potius ex iniquis ſumendi, quam vtriſque ex æquis reijciendi, fieri poteſtatem. neutrum facis eorum. quid ergo? eſt aliquid, quod improbius fieri poteſt: cogit enim Scandilium quinq; illa millia nummum dare, atq; adnumerare Apronio. quid potuit elegantius facere prætor cupidus exiſtimationis bonæ, qui ab ſeſe omnem ſuſpicionem propulſaret, qui ſe eripere ex infamia cuperet? adductus erat in ſermonem, inuidiam, vituperationem: dictitaret homo improbus, atq; impurus Apronius, ſocium eſſe prætorem. venerat res in iudicium, atq; diſcrimen: poteſtas erat iſti, homini integro, atque innocenti, data, vt, in Apronium cum animaduertiſſet, ſeſe grauißima leuaret infamia. quid excogitat pœnæ? quid animaduerſionis in Apronium? cogit Scandilium Apronio, ob ſingularem improbitatem, atq; audaciam, prædicationemq; nefariæ ſocietatis, H-S V millia, mercedis nomine, ac præmij dare. Quid interfuit, homo audaciſſime, v-

trum

trum hoc decerneres, an id, quod Apronius dictitabat, tu de te proferres, ac dictitares? quem hominem, si quis pudor in te, atque adeo si quis metus fuisset, sine supplicio dimittere non debuisti, hunc abs te sine præmio discedere noluisti. Omnia simul intelligere potuistis, iudices, ex hoc vno crimine Scandiliano: primum, hoc non esse Romæ natum, de societate decumarum, non ab accusatore fictum, non vt solemus interdum in defensionibus dicere, crimen domesticum, ac vernaculum, nõ ex tempore periculi tui constitutum, sed vetus, non incognitum iam, sed te prætore iactatum; non ab inimicis Romæ compositum, sed Romam de prouincia exportatum. simul intelligi potest illud istius in Apronium studiũ, Apronij de isto non modo confeßio, verum etiam commemoratio. eodem accedit, quod hoc quoq; intelligere potestis, istum statuisse in prouincia sua, existimationis suæ iudiciũ extra cohortem suam cõmittendum fuisse nemini. ecquis est iudex, cui non ab initio decumani criminis persuasum sit, istum in aratorum bona, fortunasque impetum fecisse? quis hoc non ex eo sta[illegible] iudicauit, quod ostendi, istum decumas noua lege, atq; adeo nulla lege, cõtra omnium consuetudinem, atq; instituta vendidisse? verum, vt istos ego iudices, tam seueros, tam diligentes, tam religiosos, non haberem, ecquis est, ex iniuriarum magnitudine, improbitate decretorum, iudiciorum iniquitate, qui hoc non iamdudũ statuerit, & indicarit? etiam sane, sit aliquis dissolutior in iudicando, legum, officij, reip. sociorũ, atq; amicorũ negligentior. quid is? poßit ne de istius improbitate dubitare, cum tanta lucra facta, tam iniquas pactiones vi, & metu expressas cognouerit? cũ tanta præmia ciuitates vi, atq; imperio, virgarũ, ac mortis metu, nõ modo Apronio, atq; eius similibus, verũ etiã Venerijs seruis dare coactas? quod si quis sociorũ incõmodis minus mouetur, si quẽ aratorũ fugæ, calamitates, exsilia, suspendia deniq; nõ permouent: nõ possum dubitare, quin is tamen, cum vastatã Siciliam, relictos agros, ex ciuitatum litteris, & epistola L. Metelli cognouerit, statuat fieri non posse, vt de isto nõ seuerißime iudicetur. erit etiã aliquis, qui hæc omnia dißimulare, ac negligere poßit? attuli sponsiones, ipso præsente factas de decumarũ societate, ab ipso prohibitas iudicari. quid est, quod poßet quisquã manifestius hoc desiderare?

EXPLANATIO.

COGNITORE *tuo*} qui te optime nosset, cuique credi oporteret, socium te sibi in decumis esse dictitanti-

ctitanti. NI SOCIVM *tibi*} supra, bis: Te sibi: quod magis placet. CASSIANVM} seuerissimum. à L. Cassio, qui scopulus reorum vocabatur, quærendumq; dicebat, Cui bono. Cassiani iudices dicti, quasi Cassio similes. pro Roscio Amerin. act. I. Pro Milone. Phil. II. PAPIRIVM *Potamonem,*} scribam, & familiarem Cæcilij, qui Verris quæstor fuit. nominatur in Diuin. HOMINEM *seuerum,*} minime seuerum, cum sit de cohorte Verris. INIQVVM *eiurare,*} vt iniquum recusare. Phil. XII. Sic me iniquum eierabant. Et lib. II. de Orat. Eiero, inquit: iniquus est. APVD TRES *negotiatores,*} quos de conuentu iudices esse noluit. Tres autem recuperatores erant. METVM} sensus est. Tres de conuentu iudices putauit seuere iudicaturos, nullo metu prætoris: itaq; negauit de sua existimatione se eis esse commissurum. qui igitur apud tres negotiatores metum non valere iudicauit, is nunc apud lectissimos senatores iudices valere pecuniã putat. ARTEMIDORVM} medicum Verris, de quo supra. SPONSIONEM *acceptã facere?*} Facere, pro persequi. Quod, inquit, non facis: in quo tollis exspectatum existimationis tuæ iudicium: quia scire homines cupiebãt, quid de tua existimatione decerneretur. Hoc igitur est, in quo primum peccas, quod Scandilium non cogis litem persequi: alterum, quod Apronio non permittis, vt, quos velit, de tua cohorte recuperatores sumat. IMPVDENTER *tollis exspectatum existimationis tuæ iudiciũ.*} lego sine interrogandi nota, hoc sensu. Iudicium fieri nõ vis in ea re, in qua homines, quid de tua existimatiõe decerneretur, exspectabant. NON *facis.*} non cogis acceptã sponsionem facere Scandilium. APRONIO *permittis,*} an hoc facis? ne hoc quidem. VNI} Apronio. EX INIQVIS} è cohorte Verris. VTRISQVE} Scandilio; & Apronio. EX AEQVIS} è conuentu. REIICIENDI} potuisset enim vterq; si quem de conuentu recuperatorem nõ probasset, eum reijcere. QVINQVE *millia nummum*} quibus Scandilius sponsionem fecerat, ni Apronius dictitaret, sociũ sibi Verrem esse in decumis. OB SINGVLAREM *improbitatem atq; audaciã,*} quasi Scandilij singularis

gularis improbitas, & audacia in lacessendo sponsione illa Apronio fuisset. HOC DECERNERES; } quod in Scandilium decreuisti. TV DE TE *proferres*} te Apronio socium esse in decumis. idem fuit, & hoc decernere; & de te ipso, quod Aproni' dictitabat, proferre. QVEM *hominem*} Apronium. SI QVIS *pudor*} verbis illius existimatione tua læsa: quod pudor tuus ferre non debuit. SI QVIS *metus*} legum, ac iudiciorum. DOMESTICVM *ac vernaculũ*,} dominatũ. vt vernæ serui nascuntur. IAM,} hoc tempore. SPONSIONES} Rubrij, & Scandilij.

ORATIO.

NON dubito, quin vobis satisfecerim; indices: verũtamẽ progrediar lõgius; nõ mehercule quo magis hoc vobis persuadeatur, quam iam persuasum esse cõfido. sed vt ille aliquando impudentiæ suæ finem faciat, aliquando desinat ea se putare posse emere, q̃ ipse semper habuit venalia, fidẽ; iusiurãdũ, veritatẽ, officiũ, religionẽ; desinant amici eius ea dictitare, q̃ detrimẽto, maculæ, inuidiæ, infamiæ nobis omnib. esse poßint. at qui amici? o miserũ, atq; inuidiosũm, offensumq́; paucorũ culpa, atq; indignitate ordinẽ senatoriũ. Albam Aemiliũ; sedẽtem in faucib. macelli, loqui palam, vicisse Verrẽ, emptos habere iudices, aliũ H.S CD *millibus, aliũ* H-S D *millibus, quẽ minimo,* CCC *millibus? atque ei cum responsum esset, fieri nõ posse, multos testes esse dicturos; me præterea caussæ nõ defuturũ: licet hercules, inquit, oẽs omnia dicãt: nisi ita res manifesta erit allata, vt respõdere nihil poßit, vicimus. Bene agis, Alba: ad tuã veniã cõdicionẽ. nihil putas valere in iudicijs coniecturã, nihil suspicionẽ, nihil ante actæ vitæ existimationem, nihil bonorũ virorũ testimonia, nihil ciuitatũ auctoritates, testimonia, litteras: res manifestas q̃ris. nõ quæro iudices Cassianos: veterẽ iudiciorũ seueritatẽ non requiro. vestrã in hoc fidẽ, dignitatẽ, religionem in iudicando non imploro, Albam habebo iudicem, eum hominem, qui se ipse scurram improbißimũ existimari vult; quia scurris potius semper gladiator, quam scurra, appellatus sit; afferam rem eiusmodi in decumis, vt Alba fateatur, istum in re frumentaria, & in bonnis aratorum aperte, palamq́; esse prædatum.*

EXPLANATIO.

ATQVI *amici*} hoc cum dolore pronũciat. quod eius amici; qui ea dictitent, quæ vniuersum ordi-

nem ſenatoriũ in inuidiã adducant, ſenatores ipſi ſint. ideo ſubiungit: O miſerũ, atq; inuidioſum offenſumque paucorũ culpa, atq; indignitate ordinem ſenatorium. Erat igitur ſenator Alba Aemilius, qui proxime nominatur, qui ſcilicet illa dictitabat. AD TVAM *veniam condicionem.*} dixiſti: Niſi ita res manifeſta erit allata, vt reſponderi nihil poſſit, vicimus. At ego ita rem afferã manifeſtam, vt reſponderi nihil poſſit. LITTERAS *manifeſtas quæris.*} mire placet, ꝙ hic alij excogitarunt: Auctoritates, teſtimonia, litteras: res manifeſtas q̃ris. EXISTIMARI *vult,*} ita turpiter viuit, vt, ſi ſcurra exiſtimetur, honori ſibi ducat. at eum ſcurræ ſuo dignum nomine non putant, gladiatorem vocant: quod multo eſt ignominioſius.

ORATIO.

DECVMAS agri Leontini magno dicit ſe vendidiſſe. oſtẽdi iam illud initio, non exiſtimandum magno vendidiſſe eum, qui verbo decumas vendiderit, re, & condicione, & lege, & edicto, & licentia decumanorum, decumas aratoribus nullas reliquas fecerit. etiam illud oſtendi, vendidiſſe alios magnò decumas agri Leontini, ceterorumque agrorum, & lege Hieronica vendidiſſe; & pluris etiam, quam te, vendidiſſe; nec aratorem quemquam eſſe queſtum. nec enim fuit, quod quiſquam queri poſſet, cum lege æquiſsime ſcripta venirent. neque illud vmquam aratoris interfuit, quanti decumæ venirent. non enim ita eſt, vt, ſi magno venierint, plus arator debeat, ſi paruo, minus. vt frumenta nata ſunt, ita decumæ veniunt. aratoris autem intereſt, ita ſe frumenta habere, vt decumæ quamplurimo venire poſſint. dum arator ne plus decuma det, expedit ei decumam eſſe quammaximi. verum hoc, vt opinor, eſſe vis caput defenſionis tuæ, magno te decumas vendidiſſe; agri vero Leontini, qui plurimum efficit, tritici mod. CCXVI millia. ſi doceo, pluris aliquanto potuiſſe te vendere, neque ijs voluiſſe addicere, qui contra Apronium licerentur, et Apronio multo minoris, quam alijs potueris, tradidiſſe: ſi hoc doceo, poterit ne te ipſe Alba, tuus antiquiſsimus nõ ſolum amicus, verum etiam amator, abſoluere? dico equitem R. hominem in primis honeſtum, Q. Minucium, cum ſui ſimilibus, ad decumas agri Leontini tritici mod. nõ M, nõ MM, nõ MMM, ſed ad vnas vnius agri decumas tritici mod. XXX millia voluiſſe addere; & ei pote-

potestatem emendi nō esse factam, ne res abiret ab Apronio. negare hoc, nisi forte negare omnia constituisti, nullo modo potes. palam res gesta est, maximo conuentu, Syracusis: testis est tota prouincia, propterea, quod vndique ad emendas decumas solent eo conuenire. quod siue fateris, siue conuinceris: quot, & quā maximis in rebus teneare, non vides? primum, tuā rem illam, & prædam fuisse: nā, nisi ita esset, cur tu Apronium malebas, quem omnes tuū procurare in decumis negotium loquebantur, quàm Minucium, decumas agri Leontini sumere? deinde, immensum, atque infinitum lucrum esse factum: nam si XXX millia mod. tritici tu commotus non esses, certe hoc idem lucri Minucius Apronio libenter dedisset, si ille accipere voluisset. quantam igitur illi spem prædæ propositam arbitramur fuisse, qui tantum præsens lucrum, nulla opera insumpta, contempserit, atq; despexerit? deinde ipse Minucius numquā tanti habere voluisset, si decumas tu lege Hieronica venderes: sed quod tuis nouis edictis, & iniquissimis institutis plus aliquanto se, quam decumas ablaturum videbat, iccirco longius progressus est. ac Apronio semper plus etiā multo abs te permissum est, quā quod edixeras. quantū igitur quæstum putamus factum esse per eū, cui quiduis licitum sit, cū tantum lucri voluerit addere is, cui, si decumas emisset, idem non liceret? Postremo: illa quidem certe tibi præcisa defensio est, in qua tu semper omnia tua furta, atq; flagitia latere posse arbitratus es, magno te decumas vendidisse, plebi R. consuluisse, annonæ prospexisse. non potest hoc dicere is, qui negare non potest, se vnius agri decumas XXX millia mod. minoris, quā potuerit, vēdidisse: vt, etiam si tibi hoc concedā, Minucio ideo te non tradidisse, quod iam addixisses Apronio; (aiunt enim te ita dictitare: quod ego exspecto, cŭpioq; te illud defendere) verum vt ita sit; tamen nō potes hoc, quasi præclarum aliquid, prædicare, magno te decumas vendidisse, cum fuisse fateare, qui multo pluris voluerint emere. Tenetur igitur iam, iudices, & manifesto tenetur auaritia, cupiditas hominis, scelus, improbitas, audacia. quid, si hæc, quæ dico, ipsius amici, defensoresq; iudicarunt? quid vultis amplius? Aduentu L. Metelli prætoris, cum omnes eius comites iste sibi suo illo πανχρήστῳ medicamento amicos redemisset, aditum est ad Metellum: eductus est Apronius: eduxit, vir primarius, C. Gallius senator: à L. Metello, vt ex edicto suo iudicium daret in Apronium, quod per vim, aut metum abstulisset, quam formulam Octauianam &

Romæ Metellus habuerat, & habebat in prouincia, non impetrat; cum hoc diceret Metellus, præiudicium se de capite C. Verris per hoc iudicium nolle fieri. tota Metelli cohors, hominum non ingratorum, aderat Apronio. C. Gallius, homo nostri ordinis, à suo familiarissimo L. Metello iudicium ex edicto non potest impetrare. non reprehendo Metellum. pepercit homini amico, & quemadmodum ipsum dicere audiui, necessario: non reprehendo, inquam, Metellum: sed hoc miror, quo modo, de quo homine, præiudicium noluerit fieri per recuperatores, de hoc ipso non modo præiudicarit, verum grauissime, ac vehementissime iudicarit. primum enim si Apronium absolutum iri putaret, nihil erat, quod vllum præiudiciũ vereretur: deinde si, condemnato Apronio, coniunctam cũ eo Verris caussam omnes erant existimaturi, Metellus quidem certe iam hoc iudicabat, eorum rem, caussamque esse coniunctam; qui statuerit; Apronio condemnato de isto præiudicium futurum. & simul vna res vtrique rei est argumento; & aratores vi, & metu coactos Apronio multo plus, quam debuerint, dedisse; & Apronium istius rem suo nomine egisse, cum L. Metellus statuerit, non posse Aproniũ condemnari, quin simul de istius scelere, atq; improbitate iudicaretur. Venio nunc ad epistolam Timarchidis, liberti istius, & accensi: de qua cum dixero, totum hoc crimen decumanũ perorabo. hæc epistola est, iudices, quam nos Syracusis in ædibus Apronij, cum litteras conquireremus, inuenimus. missa est, vt ipsa significat, ex itinere, cum Verres iam de prouincia decessisset, Timarchidis manu scripta. Recita epistolam Timarchidis.

EXPLANATIO.

LEGE,} Verrea, ipsius libidine: hæc enim ei lex fuit. supra: Quis hoc nõ ex eo statim iudicauit, quod ostendi, istũ decumas noua lege, atq; adeo nulla lege, cõtra omniũ consuetudinem, atq; instituta vendidisse. DECVMAM *quam maximã.*} venire medimnis quamplurimis. nã quo pluris veneunt, eo plus aratori relinquitur. QVI *plurimũ efficit,*} etsi hoc & apertum est, & Latinũ videtur: malim tamẽ, Reficit: vt supra quoque simili loco. AMATOR} cũ vitio, & obscenæ cõsuetudinis nota. alibi tamẽ sine vitio, sed ꝑ iocũ, vt in ep. ad Pætum: S.C. scribuntur apud amatorẽ tuũ. NE RES *abiret ab Apronio.*} ne Apronius excluderetur. Sic lib. I: Si res abiret ab eo mãcipe, quẽ ipse

ipse apposuisset, sibi nullā prędam esse: TV COMMOTVS *non esses,*} infinitum Verris lucrum ostēdit. Nam si lucrū hoc ad te nō pertinuisset dedisset illud Minuci⁹ Apronio, si modo accipere voluisset. verùm nec Apronio dedit, quia, cum tuus esset socius, voluisti illum decumas redimere, non Minucium: quo maiorem quæstum faceres, quam erant illa XXX millia modium. PER EVM} per Aproniū. CVI OQVI OIS *licitū sit,*} cū ei plus etiā multo abs te permitteretur, q̃ quod edixeras. TANTVM *lucri*} XXX millia modiū. IDEM *nō liceret?*} idem ꝙ Apronio. nam illo lucro XXX milliū modiū, quod Minucius dabat, cū pluris emeret decumas, q̃ Apronius, ideo contentus nō fuisti, quia maiorē quæstū, Apronio decumano, cogitabas. DEFENDERE,} probare. ꝙ, vt arbitror, non probabis. Cupio. n. dixit, quia fore nō credit, vt probet. PANCHRESTO} ꝙ medetur omnib. morbis, vt pāace herba. pecuniā significari cōstat, qua Verres vteretur ad omnia. EDVCTVS *est*} in ius. ABSTVLISSET,} ab aratorib. FORMVLAM *Octauianā*} Octauio Prętore institutā HABVERAT,} seruauerat. HOMINVM *nō ingratorū*,} qui pecunia à Verre accepta, ingrati esse nolebant. HOMO: *nostri ordinis,*} animaduertēda sunt hęc. nō impetrat senator: nō impetrat à suo familiarissimo: nō impetrat ex edicto. HOMINI *amico*} Verri. NECESSARIO:} cognato. lib. II: Repente cœpit dicere, se omnia Verris caussa velle, sibi cum eo amicitiam, cognationemq; esse.

ORATIO.

TIMARCHIDES. VERRIS. ACCENSVS. APRONIO. SALVTEM. DICIT. *Iam hoc quidem nō reprehēdo, quod adscripsit Accensus. cur enim si hoc scribæ soli sumant? L. Papirius scriba, volo ego hoc esse commune, lictorum, viatorum.* FAC DILIGENTIAM ADHIBEAS. QVOD. AD. EXISTIMATIONEM. PRAETORIS. ATTINET *Commendat Apronio Verrem, & hortatur vt inimicis eius resistat. bono præsidio munitur existimatio tua, siquidem in Apronij cōstituitur diligentia, atq; auctoritate.* HABES. VIRTVTEM. ATQVE. ELOQVENTIAM: *Quam copiose laudatur Apronius à Timarchide? quam magnifice?*

cui ego non putem illum placere oportere, qui tantopere Timarchidi probatus sit? HABES. SVMPTVM. VNDE. FACIAS. *Necesse est, quod redundaret de vestro frumentario quæstu, ad illũ potissimum, per quẽ agebatis, defluxisse.* SCRIBAS. APPARITORES. RECENTES. ARRIPE. CVM. L. VVLTEIO. QVI. PLVRIMVM. POTEST. CAEDE. CONCIDE. *Videte, quã valde malitiæ suæ cõfidet Timarchides, qui etiã Apronio improbitatis præcepta det. iã hoc, Cæde, Cõcide, nõ verba domo patroni depromere videtur, ad omne genus nequitiæ accõmodata?* VOLO. MIHI. FRATERCVLO. TVO. CREDAS. *Consorte quidẽ in lucris, atque furtis, gemino, & simillimo nequitia, improbitate, audacia.* IN. COHORTE. CARVS. HABEARE. *Quid est hoc, In cohorte? quo pertinet? Aproniũ doces? quid? in vestrã cohortem, te monitore, an sua sponte peruenerat?* QVOD. CVIQVE. OPVS. SIT. APPONE. *Qua impudentia putatis eũ in dominatione fuisse, qui in fuga tam improbus sit? ait, omnia pecunia effici posse. da, profunde, appone, si velis vincere. non hoc mihi tam molestum est, Apronio suadere Timarchidem, quã quod hoc idem patrono suo præcipit.* TE. POSTVLANTE. OMNES. VINCERE. SOLENT. *Verre quidẽ prætore, non Sacerdote, non Peducæo, non hoc ipso Metello.* SCIS. METELLVM. SAPIENTEM. ESSE. *Hoc vero ferri iam non potest, irrideri viri optimi L. Metelli ingenium, & contemni, ac despici à fugitiuo Timarchide.* SI. VVLTEIVM. HABEBIS. OMNIA. LVDIBVNDVS. PERFICIES. *Hic vehementer errat Timarchides, qui aut Vulteium pecunia corrumpi putet posse, aut Metellum vnius arbitratu gerere præturam. sed errat coniectura domestica: quia multos per se, & per alios, multa ludibundos libidinose apud Verrem effecisse vidit, ad omnes, eosdem patere aditus arbitratur. facilius vos efficiebatis ludibundi, quæ volebatis à Verre, quod multa eius ludorum genere noratis.* INCVLCATVM. EST. METELLO. ET. VVLTEIO. TE. ARATORES. EVERTISSE. *Quis istuc Apronio attribuebat, cũ aratorem aliquẽ euerterat? aut Timarchidi, cum ob iudicandum, aut decernendum, aut imperandum aliquid aut remittendum, pecuniam acceperat? aut Sextio lictori, cum aliquem innocentem securi percusserat? nemo, omne ei Verri tunc attribuebant, quem nunc condemnari volunt.* OBTVDERVNT. EIVS. AVRES. TE. SOCIVM. PRAETORIS. FVISSE. *Vides ne, hoc quam clarum sit, & fuerit? cum etiam Timarchides*

chides hoc metuat, concedes, non hoc crimen nos in te confingere, sed iampridem ad crimen aliquam defensionem libertum quærere? libertus, & accensus tuus, & tibi, ac liberis tuis omnibus in rebus coniunctus, ac proximus ad Apronium scribit, vulgo esse ab omnibus ita demonstratum Metello, tibi Apronium in decumis socium fuisse. FAC. SCIAT. IMPROBITATEM. ARATORVM. IPSI. SVDABVNT. SI. DII. VOLENT. Quod istuc, per deos immortales, aut qua de caussa excitatum esse dicamus in aratores tam infestum odium, atque tantum? quantam iniuriam fecerunt Verri aratores, vt eos etiam libertus, & accensus eius tam irato animo his litteris insequatur? Neque ego huius fugitiui, iudices, epistolam vobis recitassem, nisi vt ex ea totius familiæ præcepta, & instituta, & disciplinam cognosceretis. Videtis, vt moneat Apronium, quibus rebus, ac muneribus insinuet in familiaritatem Metelli, Vulteium corrumpat? scribas, accensumque pretio deliniat? ea præcipit, quæ vidit: ea monet alienum hominem, quæ domi didicit ipse. verum in hoc errat vno, quod easdem existimat vias ad omnium familiaritates esse munitas. quamquam merito sum iratus Metello, tamen hæc, quæ vera sunt, dicam. Apronius ipsum Metellum non pretio, vt Verrem, non conuiuio, non muliere, non sermone incauto, atque improbo posset corrumpere, quibus rebus non sensim, atque moderate ad istius amicitiam arrepserat, sed breui tempore totum hominem, totamque eius præturam possederat. Cohortem autem Metelli quam vocat, quid erat quod corrumperet? ex qua recuperatores nulli dabantur. Nam quod scribit, Metelli filium puerum esse, vehementer errat: non enim ad omnes prætorum filios ijdem aditus sunt. O Timarchide, Metelli est filius in prouincia, non puer, sed adolescens bonus, ac pudens, dignus illo loco, ac nomine. vester ille puer prætextatus in prouincia quemadmodum fuisset, non dicerem, si pueri esse illam culpam, ac non patris, existimarem. Tu ne, cum te, ac tuam vitam nosses, in Siciliam tecum grandem prætextatum filium ducebas? vt, etiam si natura puerum à paternis vitijs, atque à generis similitudine abduceret, consuetudo tamen eum, & disciplina degenerare non sineret. fac enim fuisse in isto C. Lælij, M. Catonis materiam, atque indolem: quid ex eo boni sperari, atque effici potest, qui in patris luxurie sic vixerit, vt nullum vmquam pudicum, neq; sobrium conuiuium viderit? qui in epulis quotidianis, adulta ætate, per

triennium,inter impudicas mulieres,& intemperantes viros ver satus sit?nihil vmquam à patre audiuit,quo pudentior,aut melior esset?nihil vmquam patrem agere vidit, quod cum imitatus esset, non,id quod turpißimum est,similis patri,putaretur? Quibus in rebus non solum filio,verum etiam reip. fecisti iniuriam. susceperas enim liberos non solum tibi,sed etiam patriæ,qui non modo tibi voluptati,sed etiam qui aliquãdo vsui reip.esse possent.eos instituere, atque erudire ad maiorum instituta, atque ciuitatis disciplinam, non ad tuas turpitudines,debuisti.esset,inerti,atque impuro,& improbo parente, nauus,& pudens,& probus filius: haberet aliquid abs te resp.muneris.nunc pro te,Verrem substituisti alterum ciuitati.nisi hoc forte deterior est,si fieri potest, quod tu eiusmodi euasisti non in hominis luxuriosi, sed tantũ in furis,ac diuisoris disciplina educatus: quid isto festiuius fore arbitramur, qui est tuus natura filius,consuetudine discipulus,voluntate similis?quem ego,iudices quamuis bonum, fortemque facile paterer euadere: non enim me inimicitiæ commouent, si quæ mihi cum isto futuræ sint:nam si in omnibus rebus innocens fuero, meique similis,quid mihi istius inimicitiæ nocebunt?sin aliqua in re Verri similis fuero,non magis mihi deerit inimicus,quã Verri defuit.etenim iudices eiusmodi resp. debet esse,& erit,seueritate iudiciorum cõstituta,vt inimicus neque deesse nocenti poßit, neque obesse innocenti. quapropter nulla res est, quamobrem ego istum nolim ex paternis probris, ac vitijs emergere:id quod tametsi isti difficile est,tamen haud scio an fieri poßit,præsertim si, vt nunc fit, custodes amicorum eum sectabuntur;quoniam pater tam negligens,ac dissolus est.

EXPLANATIO.

QVOD *adscripsit, Accensus.* } Timarchidem irridet, ꝙ adscripserit,Accensus,quasi honoris caussa:quẽadmodũ,qui scribæ erant,addebãt,Scriba: vt,L.Papirius scriba:qui de cohorte Verris erat,& inter recuperatores dabatur, si qua res maior ageretur:, vt paullo ante dictũ est.cognomen ei fuit Potamoni.scriba, & familiaris Cæcilij vocatur in Diuin. COMMVNE *accensorum,lictorum,viatorum.* } vt, qui est accensus,adscribat,accensus; qui lictor,lictor;qui viator, viator : &, quod licet scribis, idem omnibus liceat apparitoribus. CAEDE, *concide.* } omnia effice,nihil omitte, vt habeas eũ in tua potestate,

IN

IN FVGA} cũ decederet vna cum Verre, patrono suo. PRAECIPIT.} malim, Præcepit: cum de patrono suo Verre, qui iam decesserat, loquatur. TE POSTVLANTE} apud prætorē. OMNES} pro quibus postulas. INCVLCATVM *est* } persuasum, quasi per vim: vt in Vatinium: Inculcasti, vt C. Pisonem nominaret. SI DII *volent.*} precantis est, non dubitantis, vt in Plauti Capt. Extexam ego hunc, si dij volent. Et in Pœn. Collibertus meus faxo eris, si dij volent. Simile illud in Capt. Efficiam tamen id, si dij adiuuant. INSINVET} addendum, Se, qui putant, huius verbi consuetudinem obseruasse parum videntur, vno contenti erimus exemplo ex ep. ad Nigidium: In ipsius consuetudinem insinuabo. SCRIBAS, *accensosque* } non igitur scriba Vulteius erat, sed fortasse legatus, aut quæstor. IN CAVTO, } qui facile deciperet, qui caueri propter astutiam non facile posset. C. LAELII, } qui Sapiens dictus est. posterior autem significatur, Africani minoris familiarissimus. nam fuit alter, Africani maioris item amicissimus. M. CATONIS} Censorij, qui & ipse Sapiens est appellatus. MATERIEM, } præstantis naturæ vim, quæ, si accedat disciplina, mirabiles fructus effert. INDOLEM} non modo in pueris aut adolescentulis esse dicitur, sed in viris quoq;, vt hic, & pro Cœlio: Si quis hoc robore animi, atque hac indole virtutis, ac continentiæ fuit. ID QVOD *turpissimum est,* } videri eum patri suo similem. FVRIS, *ac diuisoris* } patris tui. act. I. QVID *isto festiuius* } isto tuo filio. Festiui dicuntur pueri, id est amabiles: vt in ep. ad Torquatum: Præsertim ab ijs pueris, quibus nihil potest esse festiuius. FACILE *paterer* } non enim ab eo mihi timerem, vt à bono, fortique. QVAM *Verri defuit.* } Verri non defuit accusator: mihi similiter non deerit, si qua in re Verri similis fuero. NEQVE *deesse nocenti,* } nocentes enim accusabuntur. NEQVE *obesse innocenti.* } innocentes enim absoluentur. HAVD *scio an fieri possit,* } fieri fortasse potest ob custodiam amicorum. quamquam vereor, ne ambigue Cicero sit locutus, & cũ infamia potius, quam cum laude pueri Verris: cum dicat, sectabuntur:

& subiungat, Quoniam pater tam negligens, ac dissolutus est.

ORATIO.

VERVM *huc longius, quam voluntas fuit, ab epistola Timarchidis digressa est oratio mea: qua recitata, conclusurū me esse crimen decumarū dixeram: ex quo intellexistis, innumerabilem frumenti numerū per triennium auersum à rep. esse, abreptumq; aratoribus. sequitur, vt de frumento empto vos, iudices, doceam, maximo, atq; impudentissimo furto: de quo dum certa & pauca, & magna dicā breuiter, attendite. Frumentū emere in Sicilia debuit Verres ex S.C. & ex lege Terentia, & Cassia frumētaria. emundi duo genera fuerunt, vnū certarū decumarū, alterū, quod praeterea ciuitatibus aequaliter esset distributum; illius decumani tantū, quantū ex primis decumis fuisset; huius imperati tritici mod.* DCCC *millia: pretium autem constitutum decumano in modios singulos* H-S *terni, imperato* H-S IIII. *ita in frumentum imperatū* H-S II *& tricies in annos singulos Verri decernebatur, quod aratoribus solueret; in alteras decumas ferme ad nonagies sic per trienniū ad hanc frumenti emptionem Siciliensem prope cēties & vicies erogatum est. Hanc pecuniam tantam, datā tibi ex aerario inopi, atq; exhausto, datam ad frumentum, hoc est ad necessitatem salutis, & vitae, datam vt Siculis aratoribus, quibus tanta onera resp. imponeret, solueretur, abs te sic laceratā esse dico, vt possim illud probare, si velim, omnē te hāc pecuniam domū tuam auertisse. etenim sic hanc rem totā administrasti, vt hoc, quod dico, probari, aequissimo iudici possit. sed ego habebo rationem auctoritatis meae: meminero, quo animo, quo consilio ad caussam publicam accesserim: nō agam tecum accusatorie: nihil fingam: nihil cuiquam probari velim me dicente, quod non ante mihimet ipsi probatū sit.*

EXPLANATIO.

CRIMEN *decumarum*} quid si, Decumanum? vt supra. CERTARVM} quot primae fuissent. DISTRIBVTVM.} imperatū. DVODETRICIES} si tota modiorum summa est, DCCC millia; singuli autem modij quaternis sestertijs aestimātur: subducta ratione patet, legendum, Bis & tricies, idest, scutatorum XCVI millia. FERME} quia certus decumarum numerus numquam erat. NONAGIES.} scutatorum CCLXX millia. BINIS

centesi.

centesimis } menstruis, quæ sunt pro centenis XXIV in anno. EX AERARIO *inopi, atque angusto*, } scripsi olim, qd' hic nō grauabor iterare, tria Romæ ærarìa fuisse, vnum, quo vectigalia, tributa, & ex assiduis bellis collecta prçda cōferebatur, & ex eodem, quidquid ad sumptus bellicos, aliasue res temporum ratio postularet, depromebatur. exhaustum ante ciuile bellum Cçsarianum, nō hic modo Cicero significat, & infra, cum ait: Si potest ista pecunia sine aratorū iniuria detrahi, populus Romanus habeat, præsertim in tantis ærarij angustijs. sed etiam in Orat. de Prou. Quibus quidem vos, inquit, in his angustijs ærarij tamen subueniatis necesse est. itaque miror Lucanū existimasse, apertum non esse ante Cæsaris dominationē. *inquit*, conditus imo Tunc

,, Eruitur templo, multis intactus ab annis,

,, Romani census populi, quem Punica bella,

,, Quē dederat Perses, quē victi præda Philippi. &c.

Nam, vt omittam Ciceronem, qui angustias huius ærarij sæpe nominat: si gaza Macedonica, à Paullo in ærarium inuecta, populum Romanum diuturni tributi pensione liberauit, quod idem Cicero, lib. 2. Off. tradidit: necesse videtur, ex ea præda tantum sumi, & in sumptus erogari solitum esse, quantum antea populus Romanus tributi nomine pendere consueuerat. alioqui non tria, sed quattuor æraria fuissent. Alterum erat ærarium ex auro vicesimario, de manumissorum vicesima lege Manilia collecto: quod aperiri, nisi extremis casibus, non licebat: ideo sanctius appellabatur, auctore Cicerone, lib. VII. ad Att. & Cæsare lib. I. bel. ci. Tertiū erat ex præda Gallica: ex quo, nisi Gallici belli metus vrgeret, promi nihil poterat. Cæsar tamē, victor omnem ex eo pecuniam, quasi remp. ipse Gallici belli metu liberasset, ad se transtulit: vt apud Appianum scriptum est.

ORATIO.

IN hac pecunia publica, iudices, hæc insunt tria genera furtorū. primum, eam, cum posita esset apud eas societates, vnde erat attributa, binis centesimis feneratus est: deinde, permultis ciuitatibus pro frumento nihil soluit omnino: postremo, si cui ciuitati soluit,

ſoluit, tantum detraxit, quantum commodum fuit, nulli, quod debitum eſt, reddidit. ac primum, hoc ex te quæro. tu, cui publicani è Carpinatij litteris gratias egerunt, pecunia publica ex ærario erogata, ex vectigalibus populi R. ad emendum frumentũ attributa, fuerit ne tibi quæſtui? penſitarit ne tibi binas centeſimas? credo, te negaturum: turpis enim eſt, & periculoſa confeſsio. mihi autẽ hoc perarduum eſt demonſtrare: quibus enim teſtibus? publicani tractati honorifice ſunt: tacebunt. litteræ eorum decreto decumanorum remotæ ſunt. quo me igitur vertam? rem tam improbam, crimen tantæ audaciæ, tantæque impudentiæ propter inopiam teſtiũ, ac litterarum prætermittam? non faciam, iudices: vtar teſte: quo? P. Vettio Chilone, homine equeſtris ordinis honeſtiſsimo, atque ornatiſsimo: qui iſti ita amicus & neceſſarius eſt, vt, etiam ſi vir bonus non eſſet, tamẽ, quod contra iſtum diceret, graue videretur; ita vir bonus eſt, vt, etiam ſi inimiciſsimus iſti eſſet, tamen eius teſtimonio credi oporteret. admiratur, & exſpectat, quidnam Vettius dicturus ſit. nihil dicet ex tempore, nihil ex ſua voluntate, nihil, vt ei vtrumuis licuiſſe videatur. miſit in Siciliam litteras ad Carpinatium, cũ eſſet magiſter ſcripturæ, & eius ſocietatis publicanorum: quas ego Syracuſis apud Carpinatium in litterarum allatarũ libris, Romæ in litterarum miſſarum apud magiſtrum Tullium, familiarem tuum, inueni: quibus ex litteris impudentiam fenerationis, quæſo, cognoſcite. LITTERAE. MISSAE. L. VETTII. L. SERVILII. C. ANTISTITIS. MAGISTRORVM. *Præſto ſe tibi ait futurum Vettius, & obſeruaturum quemadmodũ rationes ad ærarium referas: vt, ſi hanc ex fenore populo pecuniam non retuleris, reddas ſocietati. poſſumus hoc teſte, poſſumus P. Seruilij, & C. Antiſtitis, magiſtrorum, primorũ hominum, atque honeſtiſsimorum, poſſumus auctoritate ſocietatis, cuius litteris vtimur, quod dicimus, obtinere, an aliqua firmiora, aut grauiora quærenda ſunt? Vettius tuus familiariſsimus, Vettius tuus affinis, cuius ſororem habes in matrimonio, tuæ frater vxoris Vettius, frater tui quæſtoris, impudentiſsimum tuum furtum, certiſsimumque peculatum: nam quo alio nomine pecuniæ publicæ feneratio eſt appellanda?*

*

Recita reliqua. Scribam tuum dicit, Verres, huius perſcriptorem fenerationis fuiſſe. ei quoque magiſtri minantur in litteris. etenim caſu ſcribæ tum duo magiſtri fuerunt cum Vettio, binas centeſimas ab ſe

ab se ablatas, ferundum non putant: & recte non putant: quis enim hoc vmquam, quis denique conatus est facere, aut posse fieri, cogitauit, vt, cum senatus publica nos vsura sæpe iuuisset, magistratus à publicanis pecuniam pro vsuris auderet auferre? certe huic homini spes nulla salutis esset, si publicani, hoc est, si equites R. indicarẽt: minor esse nunc, indices, vobis disceptantibus debet, & tanto minor, quanto est honestius alienis iniurijs, quam re sua, cõmoueri. Quid ad hæc respondere cogitas? vtrum, factum negabis, an tibi hoc licitum esse defendes? negare qui potes? an vt tanta auctoritate litterarum, tot testibus publicanis conuincare? licuisse vero qui? si mehercule te tuam pecuniam, non populi R. in prouincia feneratum docerem, tamen effugere non posses: sed publicam, sed ob frumentum decretam, sed à publicanis fenore accepto; hoc licuisse cuiquam probabis? quo non modo ceteri, sed ipse nihil audacius, improbiusque fecisti. Non mehercule hoc, quod omnibus singulare videtur, de quo mihi deinceps dicendũ est, possum, indices, dicere audacius aut esse, impudentius, quod permultis ciuitatibus pro frumẽto nihil soluis omnino: maior hæc præda fortasse est illa impudentia certe non minor. Et, quoniam de illa feneratione satis dictum est, nunc de hac tota pecunia auersa, quæso, cognoscite.

EXPLANATIO.

COMMODVM *fuit*,} libuit, vt lib. I De capite, quãtum commodi fuerit, frumenti decumani detraxerit. TV, CVI } quæro verbum, vnde, Tu, regatur. P. VETTIO } reposui, L. cum & paullo post sequatur, L. Vettij: & P. prænomen fratris eius fuerit, qui Verris q̃stor fuit, & lib. V. nominatur. QVI IS TI *ita amicus, & necessarius est*, } Necessarius, ob affinitatem: quia sororem eius in matrimonio Verres habebat. Sed hic est luculenta figura, pro teste cõtra reum: vt Vettij testimonio neutram ob caussam, aut quod amicus necessariusque sit Verris, aut quod eiusdem inimicus, fides abrogetur. facit enim probitas Vettij, vt ei, quæcunque dicat, credenda sint omnia: facit improbitas Verris, vt, quæcumque in eũ dicãtur, neque ficta, neque ab inimico dicta videantur. Eandem venustatem habet, & in simili genere versatur, id quod in Quinctiana scriptum est de Roscio Comœdo: Cum artifex eiusmodi sit, vt solus dignus videatur

tur esse, qui in scena spectetur: tum vir eiusmodi est, vt solus dignus videatur, qui eo non accedat. Et pro Cęcina de Gallo iurisconsulto: Qui ita iustus, & bonus vir est, vt natura, non disciplina, cōsultus esse videatur, ita peritus, ac prudens, vt ex iure ciuili non sciētia solum quædam, verum etiam bonitas nata esse videatur. GRAVE *videretur*,} magni ponderis: quia nō habuisset rationem amicitiæ. EIVS *testimonio credi oporteret*.} propter bonitatem MAGISTER *scripturæ*,} Vettius, non Carpinatius. ET SEX} alij ex antiquo libro, Et societatis. quod probo. TVI *quæstoris*,} lib. V. nominatur. Sex autem quæstores triennio in Sicilia Verres habuit, binis in singulos annos mutatis. APPELLANDA,} deest, Suo testimonio patefacit: aut aliq̃d simile. SCRIBAE} societatis. ABSE} ab societate, cui operā nauabant. VSVRA *sæpe iuuisset*,} cū eis vtendā pecuniā sine fenore relinqueret. vel dic, Vsura minima: cum Verres binas centesimas voluerit. PRO *vsuris*} vsurarum nomine. Dixit autem numero multitudinis, quia Verres vnis centesimis, quæ grauissima erat omnium vsurarum, contentus nō fuerat, sed binas exegerat.

ORATIO.

SICILIAE ciuitates multæ sunt, indices, ornatæ, atque honestæ: ex quibus in primis numeranda est ciuitas Halesina. nullam enim reperietis aut officijs fideliorem, aut copijs locupletiorem, aut auctoritate grauiorem. huic iste in annos singulos cum sexaginta tritici millia modium imperauisset, pro tritico nummos abstulit, quanti erat in Sicilia triticum. quos de publico nummos acceperat, retinuit omnes. obstupui, indices, cū hoc mihi primū Halesæ demōstrauit, in senatu Halesinorū, homo sūmo nigenio, summa prudētia, sūma auctoritate præditus Halesinus Aenias: cui senatus dederat publice caussam, vt mihi, fratrique meo gratias ageret, & simul quinos ea, quæ ad iudicium pertinerent, doceret. demonstrat hanc istius consuetudinem, ac rationem fuisse; cum omnis frumenti copia decumarum nomine penes istum esset redacta, solitum esse istum pecuniam cogere à ciuitatibus, frumētum improbare, quātum frumenti Romam esset mittendum, tantum de suo quæstu, ac de sua copia frumenti mittere. posco rationes: inspicio litteras: video, frumenti granum Halesinos, quibus LX millia modium imperata-

perata erant, nullum dedisse: pecuniam Volcatio. Timarchidi, scribæ dedisse, reperio genus huiuscemodi, iudices, prædæ, vt prætor, qui frumentum emere debebat, nõ emat, sed vendat pecunias, quas ciuitatibus distribuere debebat, eas omnes auertat, atque auferat non mihi iam furtum, sed monstrum, ac prodigium videbatur, ciuitatum frumentũ improbare, petitum ei frumento constituere. quod constituisset, id ciuitatibus auferre, quod à populo R. accepisset, tenere. quot vultis esse in vno furto peccatorum gradus? vt, si singulis insistere velim, progredi ipse non possem. Improbas frumentum Siculum: quid? ipse quod mittis? peculiarem habes aliquam Siciliam, quæ tibi ex alio genere frumentum suppeditare possit? Cum senatus decernit, vt ematur in Sicilia frumentum, aut populus iubet, hoc, vt opinor, intelligit, ex Sicilia Siculum frumentum apportari oportere. tu, cum ciuitatum Siciliæ vulgo omne frumentum improbas, num ex Aegypto, aut ex Syria frumentum Romam mittis? improbas Halesinum, Cephaleditanum, Thermitanũ, Amestratinum, Tindaritanum, Herbitense, multarum præterea ciuitatum: quid acceidit tandem, vt horum populorum agri frumentum eiusmodi te prætore ferrent, quod numquam antea, vt neque tibi, neq; populo R. posset probari: præsertim cum ex iisdem agris, eiusdemq; anni frumentum ex decumis Romam mancipes aduexissent? quid acciderat, vt ex eodem horreo decumanũ probaretur, emptum non probaretur? dubium ne est, quin ista omnis improbatio cogendæ pecuniæ caussa nata sit? esto: improbas Halesinum: habes ab alio populo, quod probes: eme illud, quod placet: missos fac eos, quorum frumentum improbasti. sed ab iis, quos repudias, exigis tantum pecuniæ, quantum ad eum numerum frumenti satis, si quem ciuitati imperas. dubiũ est, quid egeris? in medimna singula video ex litteris publicis tibi Halesinos H.S *quinos denos dedisse. ostendam ex tabulis locupletißimorũ aratorum, eodem tempore neminẽ in Sicilia pluris frumentum vendidisse. quæ ergo ista ratio; aut quæ potius amentia, frumentum improbare id, quod ex eo loco sit, ex quo senatus, & populus R. emi voluerit? ex eo aceruo, ex quo partem tu idem decumarum nomine probaris? deinde à ciuitatibus pecunias ad emendum frumentũ cogere, cum ex ærario acceperis? vtrum te lex Terentia Siculorum pecunia frumentũ emere à Siculis, an populi R. pecunia frumentũ ab Siculis emere iussit? Iam vero ab ista omnẽ illam ex ærario pecuniam, quam bis oportuit ciuitatibus pro*

fru-

frumento dari, lucrifactam videbitis. Accipis H-S XV *pro medimno. tanti enim est illo tempore medimnum. retines* H-S XVIII. *tanti enim est frumentum Siciliense ex lege æstimatum. quid interest, vtrum hoc feceris, an frumentum non improbaris, sed, frumento probato, & accepto; pecuniam publicam tenueris omnem, neque quidquam vlli dissolueris ciuitati? cũ æstimatio legis eiusmodi sit, vt ceteris temporibus tolerabilis Siculis, te prætore etiam grata esse debuerit, est enim modius lege* H-S III *æstimatus: fuit autẽ te prætore, vt tu in multis epistolis ad amicos tuos gloriaris,* H-S II. *sed fuerit* H-S III: *quoniam tu tantũ à ciuitatibus in modios singulos exegisti. cum, si solueres Siculis tantum, quantum te populus R. iusserat, aratoribus fieri gratißimum posset, tu non modo eos accipere, quod oportebat, noluisti; sed etiam dare, quod non debebant, coegisti. atque hæc ita gesta esse, iudices, cognoscite ex litteris publicis ciuitatum, & ex testimonijs publicis: in quibus nihil fictum, nihil ad tempus accommodatum intelligetis. omnia, quæ dicimus, rationibus populorum, non interpositis, neque perturbatis, neque repentinis, sed certis, institutis, ordine relata, atque confecta sunt. Recita rationes Halesinorum. Cui pecuniam datam dicit? dic, dic etiã clarius.* VOLCATIO. TIMARCHIDI. MAEVIO. *Quid est, Verres? ne illam quidem tibi defensionem reliquam fecisti, mancipes in istis rebus esse versatos, mancipes frumentum improbasse; mancipes pretio cum ciuitatibus decidisse, & eosdem abs te illarũ ciuitatum nomine pecunias abstulisse, deinde ipsos sibi frumentum coemisse; nihil hæc ad te pertinere. mala mehercule, ac misera defensio, prætorem hoc dicere: ego frumentũ neq; attigi, neque adspexi. mancipibus potestatẽ probandi, improbandiq; permisi: mãcipes à ciuitatibus pecunias extorserũt; ego autẽ, quã pecuniã populis dare debui, mancipibus dedi: mala est hæc quidem, vt dixi, defensio criminis; sed tamen hac ipsa tibi, si vti cupias, nõ licet. vetat te Volcatius tuæ tuorumq; deliciæ, mentionẽ mancipis facere. Timarchides autem, columen familiæ vestræ, premit fauces defensionis tuæ: cui simul, & Volcatio pecunia à ciuitate numerata est. iam verò scriba tuus anulo aureo suo, quem ex his rebus inuenit, iste te ratione vti non sinet. quid igitur est reliquum? nisi vti fateare, te Romam frumentum emptum Siculorum pecunia misisse, publicam pecuniam domum tuam conuertisse.*

EX-

EXPLANATIO.

NVMMOS *abstulit*} ab Halesinis. ANNOS *singulos*} malim, Annis singulis. QVANTI *erat*} quanti æstimabatur. CAVSSAM,} curam, negotium. FRATRIQVE *meo*} patrueli, L. Tullio. GRATIAS *ageret*,} quod in Siciliam, ad colligenda Verris crimina profecti essemus. DECVMARVM *nomine*} de quo frumento, quantum de imperato debebat, Romam misit: imperati pretium apud se retinuit. POSCO *rationes*:} publicas Halesinorum. LITTERAS:} id, quod scriptum erat in rationib. Sic enim hic, Litteras, interpretor, vt paullo post, Ex litteris publicis. PROGREDI *iste non posset*.} commouere se nõ posset, teneretur. PECVLIAREM} tuam propriam: vt supra, Peculiare edictum. MANCIPES} publicani, qui publica suo quæstu, suoque periculo emunt. LEX *Terentia*} lex Terentia, & Cassia, quæ nominatur libr. I. EX LITTERIS *publicis ciuitatum*,} rationibus populorum. quod infra dicit. NON *interpositis, neque perturbatis*,} vt interpositæ sunt, & perturbatæ rationes Verris: quod fraudis iudicium erat. COLVMEN *familiæ vestræ*,} Terentij in Phorm. PREMIT *fauces*} vt loqui pro te non possit. ANVLO *aureo suo*,} quo vtebatur ad obsignandas tabulas: vt mutare iam Verri, & ex mancipibus defensionem arripere non liceret. de hoc anulo lib. I, in extremo. QVEM *ex his rebus inuenit*} quo tu eum in concione donasti, propter huiusmodi flagitia. De hoc anulo infra pluribus verbis.

ORATIO.

O CONSVETVDO *peccandi, quantam habes iucunditatem in improbis, & audacibus, cũ pœna abfuit, & licentia consecuta est. iste in hoc genere peculatus non nunc primũ inuenitur, sed nunc demũ tenetur. vidimus huic ab ærario pecuniam numerari quæstori ad sumptum exercitus consularis: vidimus paucis post mensibus & exercitum, & consulem spoliatũ. illa omnis pecunia latuit in illa caligine, ac tenebris, quæ totam remp. tum occupauerat. iterum gessit hereditariam quæsturam cum Dolabella: magnam pecuniam auertit: sed eius rationem cum damnatione Dolabellæ permiscuit. cõmissa est pecunia tanta prætori: non*

reperietis hominem timide, nec leuiter hæc improbißima lucra ligurientem: deuorare omnẽ pecuniam publicam non dubitauit. ita serpit illud insitum in natura malum consuetudine peccãdi libera, finẽ vt audaciæ statuere ipse sibi non poßit. tenetur igitur aliquando, & in rebus tum maximis, tum manifestis tenetur. atq; in eam fraudem mihi videtur diuinitus incidisse, non solum vt eas pœnas, quas proxime meruisset, solueret, sed vt illa etiã scelera eius in Carbonem, & in Dolabellam vindicarentur. etenim noua quoq; alia res exstitit, iudices, in hoc crimine, quæ tollat omnẽ dubitationem superioris illius decumani criminis. nam, vt illud missum faciam, permultos aratores in alteras decumas, & in hæc II X *millia modium, quod emptũ populo R. darent, non habuisse, sed à tuo procuratore, hoc est ab Apronio, emisse; ex quo intelligi potest, nihil te aratoribus reliqui fecisse: vt hoc præterea, quod in multis est testimonijs expositum, potest illo quidquã esse certius, in tua potestate, atq; in tuis horreis omne frumentum Siciliæ per triennium, atq; omnes fructus agri decumani fuisse? cum enim à ciuitatibus pro frumento pecuniam exigebas, vnde erat frumẽtum, quod Romam mitteres, si tu id non omne clausum, & compressum poßidebas? itaque in eo frumento primus tibi ille quæstus fuit ipsius frumẽti, quod erat ereptum ab aratoribus: alter, quod id frumentũ improbißime partum, non semel, sed bis, neq; vno, sed duobus pretijs vnum & idem frumentum vendidisti, semel ciuitatibus* H-S XV *in medimnum, iterum populo R. à quo* H-S XVIII *in medimna pro eodem illo frumento abstulisti. At enim frumentum Centuripinorũ, ex Agragantinorum, & nonnullorum fortasse præterea probasti, & his populis pecuniam dissoluisti. Sint aliquæ ciuitates in eo numero, quarũ frumentum improbare volueris: quid tandẽ? his ciuitatibus omnis ne pecunia, quæ pro frumento debita est, dissoluta est? vnũ mihi reperi non populum, sed aratorem: vide, quære, circumspice, si quis forte est ex ea prouincia, in qua tu triennium præfuisti, qui te nolit perisse: vnum, inquam, da mihi ex illis aratoribus, qui vel ad statuã pecuniam contulerũt, qui sibi dicat pro frumento omne esse, quod oportuerit, solutum. confirmo, iudices, neminem esse dicturum. ex omni pecunia, quam aratoribus soluere debuisti, certis nominibus deductiones fieri solebant, primũ pro spectatione, & collybo, deinde pro nescio quo cerario. hæc omnia, iudices, nõ rerum certarum, sed furtorum, improbißimorum sunt vocabula. nam collybus esse qui potest,*

test,cũ vtantur omnes vno genere nummorũ? cerarium vero quid vocas? quo modò hoc nomen ad rationes magistratus, quo modo ad pecuniam publicam allatum est? Nam illud genus tertium, deductionis, erat eiusmodi, quasi non modo liceret, sed etiã oporteret, nec solũ oporteret, sed plane necesse esset. scribæ nomine de tota pecunia binæ quinquagesimæ detrahebantur. quis tibi hoc concessit, quæ lex, quæ senatus auctoritas, quæ porro æquitas, vt tantã pecuniã scriba tuus auferret, siue de aratorũ bonis, siue de populi R. vectigalibus? nam si potest ista pecunia sine aratorũ iniuria detrahi: populus R. habeat, præsertim in tantis ærarij angustijs. sin autẽ & populus id voluit, & æquũ ita est, solui aratoribus: tuus apparitor parua mercede populi conductus, de aratorum bonis prædabitur?

EXPLANATIO.

TENETVR.} arguitur, & conuincitur. QVAESTOR I} Cn. Carbonis consulis. lib. I. CONSVLEM} ipsum Carbonẽ. IN ILLA *caligine ac tenebris,*} bellũ ciuile Marianũ significat, quod, post obitum Marij, Cinna, & Carbo, eiusdẽ factionis duces, persecuti sunt. Apte, Latuit in caligine, ac tenebris. OCCVPAVERAT,} nõ refero ad tenebras, (nam legẽdum esset occupauerant) sed ad caliginem, propter pronomẽ, Illa, quod ad se verbum attrahere videtur. HEREDITARIAM *quæsturam*} Malleolo quæstore mortuo. Hereditariam vocat, quod eam, vt hereditatem quãdam accepit, in qua lucri plurimum faceret. Libr. I: C. Malleolo, quæstore Cn. Dolabellæ, occiso, duas sibi hereditates venisse arbitratus est, vnam quæstoriæ procurationis, alteram tutelæ. PERMISCVIT.} itaq; furta Verris Dolabellæ sunt ęstimata. PECVNIA} de publico, ad emendũ frumentũ. PRAETORI:} Siciliæ. LIGVRIENTEM:} carpendo comedentẽ. PRO *spectante, et collybo,*} spectatio est, cum spectatur peritis, & probatur pecunia: collybus, cum in aliud monetæ genus permutatur.} NESCIO *quo cerario*} quod in ceram erogatũ esset, ceram autem fortasse tabularum, in quas relata pecunia esset illa. stylo enim scribebatur in ceratis tabulis. GENVS *tertium deductionis,*} pecunia scribæ data pro labore, operaq; sua. TVVS *apparitor,*} scribæ igitur apparitores.

ORATIO.

ET in hac caussa scribarũ ordinem in me concitabit Hortẽsius? & eorum cõmoda à me labefactari, atq; oppugnari iniuria dicet? quasi vero hoc scribis vllo exemplo sit, aut vllo iure concessum. quid ego vetera repetã? aut quid eorũ scribarum mentionẽ faciam, quos constat sanctißimos homines, atque innocentißimos fuisse? non me fugit, iudices, vetera exempla pro fictis fabulis iam audiri, atque haberi. in his temporibus versabor miseris, ac perditis. nuper, Hortensi, quæstor fuisti. quid tui scribæ fecerint, tu potes dicere. ego de meis hoc dico: cum in eadem ista Sicilia pro frumento ciuitatibus pecuniam soluerem, mecum duos frugalißimos homines scribas haberem, L. Mamilium, & L. Sergium, non modo istas duas quinquagesimas, sed omnino nummum nullum cuiquam esse deductum. dicerem, hoc mihi totũ esse attribuendum, iudices, si illi vmquam à me hoc postulassent, si vmquã omnino cogitassent. quã obrem enim scriba deducat, ac non potius mulio, qui aduexerit: tabellarius, cuius aduentu certiores facti petiuerunt? præco, qui adesse iußit? viator, ac Venerius, qui fiscum sustulit? quæ pars operæ, aut opportunitatis in scriba est, cur ei nõ modo merces tanta detur, sed cur cum eo tantæ pecuniæ partitio fiat? ordo est honestus: quis negat? aut quid ea res ad hanc rẽ pertinet? est vero honestus, quod eorum hominum fidei tabulæ publicæ, periculaque magistratuum committuntur. itaque ex ijs scribis, qui digni sunt illo ordine, patribusfamilias, viris bonis, atque honestis, percunctamini, quid sibi istæ quinquagesimæ velint: iam omnes intelligetis, nouam rem totam, atque indignam videri. ad eos me scribas reuoca, si placet: noli hos colligere, qui nummulis corrogatis de nepotum donis, ac scenicorum corollarijs, cum decuriam emerunt, ex primo ordine explosorum in secundum ordinẽ ciuitatis se venisse dicunt. eos scribas tecum disceptatores huius criminis habebo, qui istos scribas esse moleste ferunt. tametsi, cum in eo ordine videamus esse multos nõ idoneos, qui ordo industriæ propositus est, et indignitati: mirabimur turpes aliquot in eo esse, quo cuiuis licet pretio peruenire? Tu ex pecunia publica H-S tredecies scribã tuũ permissu tuo cũ abstulisse fateare, reliquã tibi vllã defensionẽ putas esse? hoc ferre quẽquam posse, hoc quemquam denique nunc tuorum aduocatorũ animo æquo audire arbitrare? qua in ciuitate C. Catoni clarißimo viro, cõsulari homini, H-S XVIII millibus lis æstimata sit in eadẽ ciuitate

ciuitate apparitori tuo esse concessum, vt H-S vno nomine tredecies auferret? hinc ille est anulus aureus, quo tu istum in concione donasti. quæ tua donatio, singulari impudentia prædita, noua Siculis omnibus, mihi vero incredibilis videbatur. sæpe enim nostri imperatores, superatis hostibus, optime rep. gesta, scribas suos anulis aureis in concione donarunt: tu vero, quibus rebus gestis, quo hoste superato, concionem, donandi caussa, aduocare ausus es? neq; enim solũ scribam tuum anulo, sed etiam virum fortissimum, ac tui dissimillimum, Q. Rubrium, excellenti virtute, auctoritate, copijs, corona, & phaleris, & torque donasti. M. Cossutium, sanctissimum virum, atq; honestissimum, M. Castritium, summo splendore, ingenio, gratia præditum. quid hæc sibi horũ trium ciuium R. dona voluerunt? Siculos præterea potentissimos nobilissimosq; donasti. qui non, quemadmodum sperasti, tardiores fuerunt, sed ornatiores tuo iudicio ad testimonia dicunda venerũt. quibus ex hostiũ spolijs, de qua victoria, qua ex præda, aut manubijs hæc abs te donatio cõstituta est? an quod te prætore paucorum aduentu myoparonũ, classis pulcherrima, Siciliæ propugnaculum, præsidiumq; prouinciæ, piratarũ manibus incẽsa est? an quod ager Syracusanus prædonũ incendijs, te prætore, vastatus est? an quod forũ Syracusanũ nauarchorum sanguine redundauit? an quod in portu Syracusano piraticus myoparo nauigauit? nihil possum reperire, quamobrem te in istam amẽtiam incidisse arbitrer. nisi forte id egisti, vt hominibus ne obliuisci quidem rerum tuarũ male gestarum liceret. Anulo est aureo scriba donatus: & ad eam donationẽ concio est aduocata. quod erat os tuum, cũ videbas in concione eos homines, quorũ ex bonis iste anulus aureus donabatur. qui ipsi anulos aureos posuerãt, liberisq; suis detraxerãt, vt esset vnde scriba tuus hoc tuũ munus, ac beneficiũ tueretur? q̃ porro præfatio tuæ donationis fuit? illa scilicet vetus, atq; imperatoria: quandoquidẽ tu in prœlio, in bello, in re militari: cuius ne mentio quidẽ te prætore vlla facta est. an illa? quandoquidẽ tu nulla vmquam mihi in cupiditate, ac turpitudine defuisti, omnibusq; in ijsdẽ flagitijs mecum & in legatione, & in prætura, & hic in Sicilia versatus es, ob hasce res, quoniam te locupletaui, hoc anulo aureo dono. vera hæc fuisset oratio: non enim iste anulus aureus, abs te datus istum virum fortem, sed hominem locupletem esse declarat. ita eundem anulum ab alio datum, testẽ virtutis duceremus, abs te donatum, comitẽ pecuniæ iudicamus.

EXPLANATIO.

CONDVCTVS,} vt operam tibi nauaret in rationibus publicis. CERTIORES *facti*} aratores. PETIVERVNT?} pecuniam. FISCVM} in quo pecunia erat. Act. I: Fiscos cõplures cum pecunia Siciliensi à quodam senatore ad equitem Romanum esse translatas. NEPOTEM} qui bona temere dissipant. SCENICORVM} spectãtium scenicos ludos. COROLLARIIS} muneribus. CVM *decuriam emerunt*,} decuriam scribarum. EX PRIMO *ordine exploforum*} histriones, cum eorũ actio, aut pronunciatio non probatur, exsibilantur, & exploduntur. in ijs videtur fuisse scriba Verris, antequam decuriam emeret. Primus ordo explosorũ deterrimos significat histriones. in quo festiue Cicero, cum videatur laudare, dicens, Primus ordo, vituperat, subiungens, Explosorum. IN SECVNDVM *ordinem ciuitatis*,} equestrẽ. nam primus erat senatorius. VENISSE} non, quod iam venissent, sed quod venisse sibi viderentur, quandoquidem decuriam emissent, vnde in equestrem ordinem adscendi soleret. DICVNT.} gloriantur. TECVM *disceptatores*,} qui de hoc tecum crimine, id est de binis quinquagesimis, tecũ disceptabunt, negantes eas à bonis scribis postulari, ac ne cogitari quidem solitas. ISTOS} qui, nummulis corrogatis de nepotum donis, ac de scenicorum corollarijs, decurias emunt: quod fecit scriba tuus. SCRIBAS *esse molesle ferunt*.} vt indignos ordine secundo ciuitatis. IN EO *ordine*} senatorio. QVO *cuiuis licet pretio peruenire*?} licet enim cuiuis empta aliqua decuria, in scribarum ordinem peruenire. H-S TREDECIES} insignis menda: quod facile probabo. Loquitur hic Cicero de tritico decumano empto, nõ de imperato, quod ipsum quoq; emebatur, & decumanum quidem ternis H-S in singulos modios, imperatum quaternis. loqui aũt eum de decumano, inde conijcio, quod paullo ante dixit: Ex omni pecunia, quã aratoribus soluere debuisti, certis nominibus deductiones fiebant. videamus igitur, binæ quinquagesimę decumani frumenti, scribæ nomine deductæ, quo numero sint. Imperati tritici DCCC millia modium, decumani ferme ad nonagies,

gies, Cicero supra dixit. de nonagies igitur centenis millibus modium, si binæ quinquagesimæ, id est, quattuor centesimæ deducantur: erunt omnino quinquagesimæ, CCCLX millia. pretio autem in singulos modios constituto sestertijs ternis, erunt H-S decies LXXX millia, id est, scutatorum XXXII millia CD. Quæ si à nobis rectè subducta ratio est; legendum & hic, & infra constat, H-S decies LXXX millia. C. CATONI, } qui Siciliæ præfuit, &, cum H-S tantum XVIII millia, id est, scutatos DX contra leges cepisset, de repetundis damnatus est. Nepos fuit M. Catonis Censorij, & L. Aemilij Paulli Africani minoris sororis filius. lib. IV. QVID HAEC *sibi* } ideo eos donasti, ne testimonium contra te dicerent. VT ESSET, *vnde scriba tuus* } vt equestris ordinis esse posset. census enim equestris erat, H-S CD millia, id est, scutatorum XII millia. vnde Horatius: Si quadringentis sex septem millia desint, Plebs eris. Eo censu qui carebat, anuli aurei gestandi ius non habebat. ita nec eques Romanus esse poterat. propterea dixit Plinius: Anuli aurei distinxere equitē à plebe. Et Verres, antequam eo anulo scribā donaret, eum locupletauit: vt equestri censu esset. Dicit igitur Cicero: Qui ipsi anulos aureos posuerant, liberisq; suis detraxerāt, vt esset vnde scriba tuus hoc tuum munus, ac beneficium tueretur? Et infra: Ob hasce res, quoniā te locupletaui, hoc anulo aureo dono. TVERETVR? } anuli enim aurei, & equestris ordinis, censu equestri imminuto, ius amitteret, in ep. ad Dolabellam: Res familiaris alteri eorum valde exigua est, alteri vix equestris. Docere videtur hic locus, qui anulo aureo donaretur, adeptum esse locum inter equites Romanos, licet à censoribus nondum lectus esset. QVONIAM *te locupletaui*, } vt anulo aureo vti possis. ISTVM *virum*, } scribam tuū non ostendit esse virum, cuius tibi in prœlio, in bello, in re militari cognita virtus, perspectaq; sit, sed hominē locupletem esse declarat, & equestri esse censu, vt anulum ipse ferre possit. VIRTVTIS } in bello perspectæ. COMITEM *pecuniæ* } cum enim iam eum locupletasses, anulū postea donasti, vt eques Romanus, equestri cēsu iam à te instructus, esse posset.

ORATIO.

DICTVM, *iudices, eſt de decumano frumento: dictum de empto: extremum & reliquum eſt de æſtimato. quod tum magnitudine pecuniæ, tum iniuriæ genere quemuis debet cõmouere; & vero eo magis, quod ad hoc crimen non ingenioſa aliqua defenſio, ſed improbiſſima confeſſio cõparatur. nam cum ex S. C. & ex legibus frumentum in cellã ſumere liceret, idq́; frumentũ ſenatus ita æſtimaſſet, ternis* H. S *tritici modium, binis ordei: iſte, numero ad ſummã tritici adiecto, tritici modios ſingulos cum aratoribus denarijs ternis æſtimauit. non eſt in hoc crimen, Hortenſi, ne forte ad hoc meditere, multos ſæpe viros bonos, & fortes, & nocentes cum aratoribus, et cum ciuitatibus frumentum, in cellam quod ſumi oporteret, æſtimaſſe, & pecuniam pro frumento abſtuliſſe. ſcio, quid ſoleat fieri: ſcio, quid liceat. nihil, quod antea fuerat in conſuetudine bonorum, nunc in iſtius facto reprehenditur: hoc reprehendo, quod, cũ in Sicilia* H. S *binis modius eſſet, vt iſtius epiſtola ad te miſſa declarat, ſummũ* H. S *ternis, id quod & teſtimonijs omnibus, & tabulis aratorum planũ factum antea eſt; tum iſte pro tritici modijs ſingulis ternos ab aratoribus denarios exegit. hoc crimen eſt: vt intelligas non ex æſtimatione, neq; ex ternis denarijs pendere crimen, ſed ex coauctione annonæ, atque æſtimationis. etenim hæc æſtimatio nata eſt, iudices, initio non ex prætorum, aut conſulum, ſed ex aratorum, atq; ciuitatum cõmodo. nemo enim fuit initio tam impudẽs, qui cum frumentum deberetur, pecuniam poſceret certe hoc ab aratore primum eſt profectum, aut ab ciuitate, cui imperabatur. cum aut frumentum vendidiſſet, aut ſeruare vellet, aut in eum locum, quo imperabatur, frumentum portare nollet, petiuit in beneficij loco, & gratiæ, vt ſibi pro frumẽto, quanti frumentum eſſet, dare liceret. ex huiuſcemodi principio, atq; ex liberalitate, atq; accommodatione magiſtratuum, conſuetudo æſtimationis introducta eſt. ſecuti ſunt auariores magiſtratus: qui tamen in auaritia ſua non ſolum viam quæſtus inuenerunt, verum etiam exitum, ac rationem defenſionis inſtituerunt. ſemper ad vltima, ac difficillima loca apportandum frumentum imperare, vt, vecturæ difficultate, ad quam vellent æſtimationem peruenirent. in hoc genere facilior eſt exiſtimatio, quam reprehenſio: ideo quod eum, qui hoc facit, auarũ poſſumus exiſtimare, crimen in eo conſtituere nõ tam facile poſſumus: quod videtur concedendũ magiſtratibus,*

tibus nostris esse, vt ijs, quo loco velint, frumẽtum accipere liceat. itaq; hoc est, quod multi fortasse fecerunt, & ita multi, vt ij, quos innocentißimos meminimus, aut audiuimus, non fecerint.

EXPLANATIO.

DECVMANO *frumento*} ordinario, nõ empto. erat enim & decumanum extraordinarium emptum. EMPTO:} cuius duo genera, decumanum, & imperatum. supra. ET VERO *eo magis,*} ita correxi, exemplis adductus Latini sermonis: cum antea legeretur, Te vero, in ep. ad Plancum: Qua quidem volũtate esse erga Atticum, sæpe præsens & illi ostẽdisti, & vero etiam mihi. Ad Q. Fr. Tibi & fuit hoc semper facillimum, & vero debuit. Ad Att. lib. XVI: Qua quidem voluntate te esse erga Atticum, sæpe præsens & illi ostendisti, & vero etiam mihi. Pro Mur. Qui & per se, & per suos, & vero etiã per alienos defendatur. NVMERO *ad summam tritici adiecto,*} imperato frumenti maiore numero, quam liceret. in quo primum Verris lucrum fuit; alterum in æstimatione, à ternis H-S ad ternos denarios perducta. NON EX *æstimatione,*} potest enim Verres excusare æstimationem illam difficultate temporis, quod triticũ ternis denarijs valeret. EX COAVCTIONE *annonæ, atq; æstimatiõis.*} hoc reprehendo, quod & numerum ad summam tritici adieceris, & æstimationem auxeris, vt pro ternis H-S ternos denarios à ciuitatibus exigeres. Coauctionem annonæ vocauit id, quod ad ordinariã tritici summam à Verre addebatur. ACCOMMODATIONE} eodem verbo vsus est lib. I. de Inuen. Elocutio est idoneorum verborum & sententiarum ad inuentionem accommodatio. Et in ep. ad Memmium: Peto à te, vt ei de habitatione accommodes. ET ITA *multi,*} malim pro sentẽtia. Sed ita multi.

ORATIO.

QVAERO nunc à te, Hortensi, cum vtris tandem istius factum collaturus es? cum ijs, credo, qui benignitate adducti per beneficiũ, & gratiã ciuitatibus concesserunt, vt nummos pro frumento darẽt. ita credo, petijsse ab isto aratores, vt, cum H-S ternis tritici modium vendere non possent, pro singulis modijs ternos denarios dare liceret. an, quoniam hoc nõ audes dicere, illuc

confugies? vecturæ difficultate adductos, ternos denarios dare maluisse. cuius vecturæ? quo ex loco? in quem locum ne portarẽt? Philomelo ne Ephesum? video, quid inter annonã interesse soleat: video, quot dierũ via sit: video Philometensibus expedire. quanti Ephesi sit frumentũ, tantum dare potius in Phrygia, quam Ephesum portare, aut ad emendum frumentum Ephesum pecuniam, et legatos mittere. in Sicilia vero quid eiusmodi? Enna mediterranea est maxime. coge, vt ad aquã tibi, id quod summi iuris est, frumẽtum Ennẽses metiantur, vel Plutiam, vel Halesam, vel Catinam, loca inter se maxime diuersa: eodẽ die, quo iusseris, deportabũt. tametsi ne vectura quidẽ opus est. nam totus quæstus hic, iudices, æstimationis ex annonæ natus est varietate. hoc enim magistratus in prouincia assequi potest, vt ibi accipiat, vbi est carissimum. ideo valet ista ratio æstimationis in Asia, valet in Hispania, valet in ijs prouincijs, in quibus vnum pretium frumento esse non solet. in Sicilia vero quid cuiusquam intererat, quo loco daret? neque enim portandum erat: &, quo quisque vehere iussus esset, ibi tantidem frumentum emeret, quanti domi vendidisset. Quamobrem, si quid, Hortensi, docere vis aliquid ab isto simile æstimatione; atque à ceteris, esse factum; doceas oportet, aliquo in loco Siciliæ, prætore Verre, ternis denarijs tritici modium fuisse. vide, quam tibi defensionem patefecerim, quam iniquam in socios, quam remotam ab vtilitate reip. quam seiũctam à voluntate, atque sententia legis. tu, cum tibi ego frumentum in meis agris, atq; in mea ciuitate, deniq; cũ in ijs locis, in quibus es, verseris, rem geris, prouinciam administras, paratus sim dare; angulum mihi aliquẽ eligas prouinciæ reconditum, ac derelictum? iubeas ibi me metri, quo portare non expediat? vbi emere non possum? improbum facinus; iudices, non ferendum, nemini lege concessum, sed fortasse adhuc in nullo etiam vindicatum. tamen ego hoc, quod ferri nego posse, Verri, iudices, concedo, et largior. si vllo in loco eius prouinciæ frumentum tanti fuit, quanti iste æstimauit: hoc crimen in istum reum valere oportere non arbitror. verum enimuero, cum esset H-S binis, aut etiam ternis quibusuis in locis prouinciæ, duodenos sestertios exegisti. si mihi tecum neque de annona, neque de æstimatione tua potest esse cõtrouersia, quid sedes? quid exspectas? quid defendes? vtrum tibi pecuniæ conciliatæ videntur aduersum leges, aduersum remp. cum maxima sociorum iniuria, an vero id recte, ordine, è rep. sine cuius-

quam

quam iniuria factum esse defendes? cum tibi senatus ex ærario pecuniam prompsisset, & singulos tibi denarios adnumerasset, quos tu pro singulis modijs aratoribus solueres, quid facere debuisti? si, quod L. Piso ille frugi, qui legē de pecunijs repetundis primus tulit: cum emisses, quanti esset, quod superaret pecuniæ, retulisses. si, vt ambitiosi homines, aut benigni: cum pluris senatus æstimasset, quam quanti esset annona, ex senatus æstimatione, non ex annonæ ratione soluisses. sin, vt plerique faciunt, in quo etiam erat aliquis quæstus, sed is honestus, atque concessus: frumentum, quoniam vilius erat, ne emisses: sumpsisses id nūmorum, quod tibi senatus cellæ nomine concesserat. hoc vero quid est? quam habet rationem, nō quæro æquitatis, sed ipsius improbitatis, atque impudentiæ? neque enim est fere quidquam, quod homines palam facere audeant in magistratu, quamuis improbi, quin eius facti si non bonam, at aliquam rationem afferre soleant. hoc quid est? venit prætor: frumentum, inquit, me abs te emere oportet. optime. modium denario: benigne, ac liberaliter: nam ego tribus H-S non possum vendere. mihi frumento non opus est: nummos volo.. nam sperauerā, inquit arator, me ad denarios peruenturum: sed, si ita necesse est, quanti frumentum sit, considera. video esse binis H-S: quid ergo à me tibi nūmorum dari potest, cum senatus tibi quaternos nummos dederit? quid poscit, attendite: & vos quæso simul, iudices, æquitatem prætoris attēdite. Quaternos H-S, quos mihi senatus decreuit, et ex ærario dedit, ego habebo, et in cistam transferam ex fisco. quid postea? quid? pro singulis modijs, quos tibi impero, tu mihi octonos H-S dato. qua ratione? quid quæris rationem? non tantam rationem res habet, quantam vtilitatem, atq; prædam. dic, inquit ille, planius. senatus te voluit mihi nūmos dare, me tibi frumentum metiri: tu eos nummos, quos mihi senatus dari voluit, ipse habebis? à me, cū singulos denarios dari oportuit, binos aufers? & huic prædæ, ac direptionis cellæ nomen imponis? Hæc deerat iniuria, et hæc calamitas aratoribus, te prætore, qua reliquis fortunis omnibus euerterentur? nam quid esse reliqui poterat ei, qui per hanc iniuriam nō modo frumentum omne amittere, sed etiam omne instrumentum vendere cogeretur? quo enim se verteret, nō habebat. ex quo fructu nūmos, quos tibi daret, inueniret? decumarum nomine tantū erat ablatum, quantū voluntas tulerat Apronij: pro alteris decumis, emptoq; frumento aut nihil datū, aut tantum datum quantum reliqui

scribæ

scriba fecerat, aut vltro etiam. id quod didicistis, ablatum. cogantur etiam nummi ab aratore. quo modo? quo iure, quo exemplo? nã cum fructus diripiebantur aratorum, atque omni lacerabantur iniuria; videbatur id perdere arator, quod aratro ipse quæsisset, in quo elaborasset, quod agri, segetesq; extulissent. quibus iniurijs grauissimis tamen illud erat miserum solatium, quod id perdere videbatur, quod alio prætore, eodem ex agro reparare posset. nummos vero vt daret arator, quos non aratro, ac manu quærit; boues, & aratrum ipsum, & omne instrumentum vendat, necesse est. non enim debetis hoc cogitare: habet idem in nummis: habet idem in vrbanis prædijs. nam cum aratori onus aliquod imponitur, non hominis, si quæ sunt præterea, facultates, sed arationis ipsius vis, ac ratio consideranda est, quid ea sustinere, quid pati, quid efficere possit, ac debeat. quamquam illi quoque sunt homines ab isto omni ratione exinaniti, ac perditi: tamen hoc vobis est statuendum, quid aratorem ipsum arationis nomine muneris in remp. fungi, ac sustinere velitis. imponitis decumas; patiuntur: alteras; temporibus vestris seruiendum putant. dent emptum præterea: dabunt, si voletis. hæc quam sint grauia, & quid, his rebus detractis, possit ad dominos puri, ac reliqui peruenire, credo vos ex vestris rebus rusticis coniectura assequi posse. addite nunc eodem istius edicta, instituta, iniurias: addite Apronij, Veneriorumq; seruorum in agro decumano regna, ac rapinas: quamquam hæc omitto: de cella loquor. placet ne vobis in cellam magistratibus nostris frumentũ Siculos gratis dare? quid hoc indignius? quid iniquius? atqui hoc scitote aratoribus, hoc prætore, optandum, ac petendum fuisse. Sositenus est Entellinus, homo cum primis ciuitatis prudens, & domi nobilis? cuius verba audistis; qui ad hoc iudiciũ legatus publice cum Artemone, & Menisco, primarijs viris, missus est. is cum in senatu Entellino multa mecum de istius iniurijs ageret, hoc dixit, si hoc de cella, atq; hac æstimatione concederetur, velle Siculos senatui polliceri frumentum in cellam gratis, ne posthac tantas pecunias magistratibus nostris decerneremus. Perspicere vos certo scio, Siculis quantopere hoc expediat, non ad æquitatis condicionem, sed ad minima malorum eligenda. nam qui mille modium Verri suæ partis in cellam gratis dedisset, duo millia nũmum, aut summum tria dedisset; idem nunc pro eodem numero frumenti H-S IIX millia dare coactus est. hoc arator assequi per triennium, certo fructu suo non po-

nō potuit: vendiderit instrumentum, necesse est. quod si hoc munus, & vectigal aratio tolerare, hoc est, Sicilia ferre, ac pati potest: populo R. ferat potius, quam nostris magistratibus. magna est pecunia, magnum præclarumq; vectigal; si modo id, salua prouincia, si sine iniuria sociorum percipere possitis. nihil detraho magistratibus: tantumdem detur in cellam, quantum semper datum est. quod præterea Verres imperat, id, si facere non possunt, recusent; si possunt, populi R. potius hoc sit vectigal, quam præda prætoris. deinde cur in vno genere solo frumenti ista æstimatio constituitur? si est æqua, & ferenda; populo R. Sicilia decumas det, pro singulis tritici modijs ternos denarios; sibi habeat frumentum. data tibi pecunia est, Verres, vna, qua frumentum tibi emeres in cellam; altera, qua frumentum emeres à ciuitatibus, quod Romam mitteres. tibi datā pecuniā domi retines: & præterea pecuniā permagnam tuo nomine aufers. fac idem in eo frumento, quod ad populū R. pertinet: exige eadem æstimatione pecuniā à ciuitatibus, & refer quam accepisti: tum refertius erit ærariū populi R. quam vnquā fuit. at enim istam rem in publico frumento Sicilia non ferret, hanc rem in meo frumento tulit. proinde quasi aut æquior sit ista æstimatio in tuo, quam in populi R. cōmodo: aut ea res, quam ego dico, & ea, quam tu fecisti, inter se genere iniuriæ, non magnitudine pecuniæ differant. verum istam ipsam cellam ferre nullo modo possunt. vt omnia remittantur, vt omnibus iniurijs, & calamitatibus, quas, te prætore, tulerunt, in posterū liberentur; istam se cellā, atq; istā æstimationē negant vllo modo ferre posse. Multa Sophocles Agragantinus apud Cn. Pompeium consulem nuper, homo disertißimus, & omni doctrina, & virtute ornatißimus, pro tota Sicilia de aratorum miserijs grauiter, ac copiose dixisse, ac deplorasse dicitur. ex quibus hoc ijs, qui aderāt, (nā magno cōuentu acta res est) indignißimū videbatur: qua in re senatus optime, ac benignißime cū aratoribus egisse, large, liberaliterq; æstimasset, in ea re prædari prætorem, bonis euerti aratores, & id non modo fieri, sed ita fieri, quasi liceat, concessumq; sit.

EXPLANATIO.

PHILOMELO} Græci φιλομήλιον: Latini Philomelum: & ita in Ciceronis epistolis vbique legitur. VIDEO *quid inter annonam interesse soleat*} video frumenti pretium non idem esse omnibus in locis. potest enim pluris

pluris esse Ephesi, quam Philomeli. IN PHRYGIA} cuius regionis opidum est Philomelum. AVT AD *emendum frumentum*} hoc quoq; refertur ad, Expedire. ID *quod summi iuris est*,} nihil potes difficilius imperare, quam vt mediterranei populi frumentũ ad aquam portent. NE *vectura quidem opus est*.} quo enim quisque vehere iussus erit, ibi tantidem frumenti emet, quod magistratui det, quanti domi suę vendidisset. verum totus hic quæstus ex eo nascitur, quia variaest annona; id est, quia frumento non vbiq, pretium vnum est. magistratus autem imperat, vt ibi frumentum accipiat, vbi est carissimũ. inde nascitur æstimatio, & pro frumento pecunia exigitur: ita vectura non est opus. VALET *ista ratio æstimationis*} potest quisque vti hac æstimatione: si potest ibi quisq; frumentum accipere, vbi carissimum est. INIQVAM *in socios*} propter id, quod subiungitur: Tu, cũ tibi ego. QVANTI *iste æstimauit*:} sed cũ nullo in loco ternis denarijs fuerit, valet in te crimen: SI MIHI *tecum*} tollitur controuersia, cũ id probatur, quod obijcitur: ego nihil obijcio; quod non probem. ergo mihi non potest esse controuersia, neque de annona, id est, de numero summæ triticià te adiecto, neq; de æstimatione, id est, de ternis denarijs: QVID *sedes*:} cur non, vt perspicue conuictus, discedis? L. PISO} cum Siciliæ præesset. SOLVISSES.} pro, soluere debebas. supra sic locutus. CONCESSERAT.} donauerat in cellam tuam. BENIGNE, *ac liberaliter*:} aliquid enim lucrabor. Aratoris verba. MIHI *frumento non opus est*.} Prætoris verba, vt ad pecuniã, qua velit æstimatione perueniat. NON *speraueram*, affirmationem locus postulat, itaq;, pro, Non, repono; Nam: quod est, certe: vt lib. I: Nã mehercule, inquit; sic agamus. Et lib. II: Nam hercule, inquit Minucius, me quoq; Petilius, vt sibi in consilio adessem, rogauit. IN CISTAM} meam priuatam, ex fisco publico. OCTONOS H.S} qui ad singulos denarios in singulos modios à senatu datos, adiecti, terni denarij erunt: DARE *voluit*,} elegantius, Te, subauditur; quam, Dari, legitur. QVANTVM *reliqui scriba fecerat*,} cum sub binis quinquagesimis. VLTRO} nullo nomine, nulla caussa;

pro

pro Verris ipsius libidine. CVM *fructus*} rectius, quam, vt in quibusdam libris, Qui fructus. ILLI *quoq; homines*} illi quoque aratores, qui vel in nummis, vel in vrbanis prædijs habebant. DECVMAS,} eas, quæ non emebantur. ALTERAS,} eas, quæ emebantur, H.S ternis in modios singulos. DENT *emptum præterea:*} imperatum, ciuitatibus æqualiter distributum. supra. DE CELLA *loquor.*} de frumento, quod vtendum prætori dabatur. Infra: Data tibi pecunia est, Verres; vna, qua frumentum tibi emeres in cellam; altera, qua frumentum emeres à ciuitatibus, quod Romam mitteres. NON AD *æquitatis condicionem,*} non quia sit æqua condicio, sed quia sit hoc tolerabilius, frumentum in cellam gratis dare, quam illud, prætori in cellam vendere, cum æstimatione à Verre instituta. Placeret magis, Non ad æquitatem condicionis. SVAE *partis*} de suo, pro sua parte, pro eo, quod ad ipsum attineret. H.S IIX *millia*} æstimato modio H.S octonis. ASSEQVI} vt pro singulis modijs H.S octonos magistratui det CERTO *fructu suo non potuit:*} eo fructu, quē capere solitus est. mihi tamen, Certe fructu suo non potuit, magis arridet. quam opinionem adiuuat, quod subiungitur: Vendiderit instrumentum, necesse esse. HOC MVNVS,} vt aratores pro frumento in cellam imperato H.S octonos magistratibus dent. Munus hic accipitur pro eo, quod aratores pendunt, vt paullo ante: Hoc vobis est statuendum, quid aratorem ipsum, arationis nomine, muneris in rempub. fungi, ac sustinere velitis. NIHIL *detraho.*} de hoc vectigali. IN VNO *genere solo frumenti,*} eius frumenti, quod in cellam imperatur. POPVLO *Romano Sicilia decumas det,*} implicata sententia, nō enim hæ verba cū sequentibus apte coniunguntur. quanto planius hoc modo: Populo Romano Sicilia decumas dat: det pro singulis tritici modijs ternos denarios, sibi habeat frumentum. TIBI *datam pecuniam,*} à senatu, H.S quaternos in singulos modios. PECVNIAM *permagnam tuo nomine aufers.*} aufers ab aratoribus H.S octonos in singulos modios. *Tuo nomine*: quia nomine frumenti acceperas iam à senatu pecuniam; iquam vero

abara

ab aratoribus aufers, tuo, non frumenti, nomine aufers. REFER, *quam accepisti:* } refer ad ærarium, quam tuo nomine accepisti. EA RES, *quam ego dico,* } de frumento, quod ad populum Romanum pertinet, similiter æstimando. GENERE *iniuriæ non magnitudine pecuniæ differant.* } si differrent genere iniuriæ, & æstimatio ista in tuo commodo æqua esset, in populi Romani cõmodo non item: recte diceres, quod in tuo frumento Sicilia tulit, id in publico laturam nõ esse. Sed iniuriæ genere non differunt: iniqua tui frumenti æstimatio fuit, iniqua eadem esset publici frumenti. differunt autem pecuniæ magnitudine: quia tanto plus penderet Sicilia pro publico frumento, si ternis denarijs æstimaretur, quam pro tuo, quanto maior est eius frumẽti numerus, quod ad populum Romanum pertinet, quam eius, quod in cellam imperatur. ISTAM *ipsam cellam*} istam æstimationem eius frumenti, quod in cellam dare solent.

ORATIO.

QVID ad hæc Hortensius? falsum esse crimen? hoc nunquam dicet. non magnam hac ratione pecuniam captam? ne id quidem dicet. non iniuriam factam Siculis, atq; aratoribus? qui poterit dicere? quid igitur dicet? fecisse alios? quid est hoc? vtrum criminis defensio, an cõmitatus exsilio quæritur? tu in hac rep. atque in hac hominum libidine, &, vt adhuc habuit se status iudiciorum, etiam licentia, non ex iure, non ex æquitate, non lege, nõ ex eo, quod licuit. sed ex eo, quod aliquis fecerit, id, quod reprehẽditur, recte factũ esse defendes? fecerunt aliqui alia quam multa: cur in hoc vno crimine isto genere defensionis vteris? sunt quædã omnino in te singularia, quæ in nullũ aliũ hominẽ dici, neque cõuenire possint, quædam tibi cum multis communia. ergo, vt omittam tuos peculatus, vt ob ius dicundum pecunias acceptas, vt eiusmodi cetera, quæ forsitan alij quoq; etiam fecerint: illud, in quo te grauissime accusaui: quod ob iudicandam rem pecuniam accepisses, eadẽ ista ratione defendes, fecisse alios? vt ego assentiar orationi, defensionẽ tamen non probabo: potius enim, te damnato, ceteris angustior locus improbitatis defendendæ relinquetur, quam, te absoluto, alij, quod audacissime fecerunt, recte fecisse existimentur. Lu-

tur. Lugent omnes prouinciæ: queruntur omnes liberi populi: regna denique iam omnia de nostris cupiditatibus, & iniuriis, expostulant: locus intra Oceanũ iam nullus est, neque tã longinquus, neque tam reconditus, quo nõ per hæc tempora nostrorum hominũ libido, iniquitasq; peruaserit: sustinere iam populus R. omnium nationum non vim, non arma, nõ bellum, sed luctum, lacrymas, querimonias, non potest, in eiusmodi re, ac moribus: si is, qui erit adductus in iudiciũ, cũ manifestis in flagitijs tenebitur, alios eadem fecisse dicet: illi exempla non deerunt; reip. salus deerit, si improborum exemplis improbi iudicio, ac periculo liberabuntur. Placent vobis hominum mores? placet ita geri magistratus, vt geruntur? placet socios sic tractari, quod restat, vt per hæc tempora tractatos videtis? cur hæc à me opera consumitur? quid sedetis? cur non in media oratione mea consurgitis, atque disceditis? vultis autẽ istorũ audacias, ac libidines aliqua ex parte resecare? desinite dubitare, vtrũ sit vtilius, propter multos improbos vni parcere, an vnius improbi supplicio multorũ improbitatem coercere. tametsi quæ ista sunt exempla multorum? nam cum in caussa tanta, cum in crimine maximo dici à defensore cœptum est, factitatum esse aliquid; exspectant ij, qui audiunt, exempla ex vetere memoria, & monumentis, ac litteris, plena dignitatis, plena antiquitatis. hæc plurimũ solent & auctoritatis habere ad probandũ, & iucunditatis ad audiendum. Africanos mihi, & Catones, & Lælios commemorabis? & eos fecisse idem dices? quamuis res non placeat, tamen cõtra hominum auctoritatem pugnare non potero. an, cum eos non poteris, proferes hos recentes, Q. Catulum patrẽ, C. Marium, Q. Scæuolam, M. Scaurum, Q. Metellum? qui omnes prouincias habuerũt, & frumentũ cellæ nomine imperauerunt. magna est hominũ auctoritas, & tanta, vt etiam delicti suspicionem tegere possit. non habes ne ex his quidem hominibus, qui nuper fuerunt, vllum auctorem istius æstimationis. quo me igitur, aut ad quæ exempla reuocas? ab illis hominibus, qui tum versati sunt in rep. cum & optimi mores erant, & hominum existimatio grauis habebatur, & iudicia seuera fiebant, ad hanc hominum licentiã, & libidnem me abducis? & in quos aliquid exempli populus R. statui putat oportere, ab ijs tu defensionis exempla quæris: non fugio ne hos quidem mores, dummodò ex his ea, quæ probat populus R. exempla, non ea quæ condemnat, sequamur. non circumspiciã,

 non

non quæram foris, cum habeas indices principes ciuitatis, P. Seruilium, Q. Catulum: qui tanta auctoritate sunt, tantis rebus gestis, vt in illo antiquorum, & clarissimorum hominum, de quibus antea dixi, numero reponantur. exempla quærimus, & ea non antiqua. modo vterque horum exercitum habuit. quære, Hortensi, quoniam te recentia exempla delectant, quid fecerint. Ita ne vero? Q. Catulus frumento est vsus, pecuniam non coegit. P. Seruilius quinquennium exercitui cum præesset, & ista ratione innumerabilem pecuniam facere posset, non statuit sibi quidquam licere, quod non patrē suum, non auū Q. Metellū facere vidisset: C. Verres reperietur, qui, quod expediat, id licere dicat? quod nemo, nisi improbus, fecerit, id aliorum exemplo se fecisse defendat? At in Sicilia factitatum est. quæ est ista condicio Siciliæ? cur, quæ optimo iure propter vetustatē fidelitatē, propinquitatē esse debet, huic præcipua lex iniuriæ definitur? sed in ista ipsa Sicilia nō quærā exēplum foris: hoc ipso ex cōsilio vtar exemplis. C. Marcelle, te appello: Siciliæ prouinciæ, cum esses proconsul, præfuisti: num quæ in tuo imperio pecuniæ cellæ nomine coactæ sunt? neque ego hoc in tua laude pono, alia sunt tua facta, atque consilia, summa laude digna, quibus illam tu prouinciā afflictam, & perditam erexisti, atque recreasti. nam hoc de cella ante ne Lepidus quidem fecerat, cui tu successisti. Quæ sunt tibi igitur exempla in Sicilia cellæ, si hoc crimen non modo Marcelli facto, sed ne Lepidi quidem potes defendere? an me ad M. Antonij æstimationem frumenni, exactionemq́ue pecuniæ reuocaturus es? ita, inquit, ad M. Antonij. hoc enim mihi significasse, et annuisse visus est. ex omnibus ne igitur populi R. prætoribus, consulibus, imperatoribus M. Antonium delegisti, & eius vnum improbissimum factum, quod imitarere? & hic vtrum mihi difficile est dicere, an his existimare, ita se in illo infinito imperio M. Antonium gessisse, vt multo isti perniciosius sit dicere, se in re improbissima voluisse Antonium imitari, quam, si posset, defendere, nihil in vita se M. Antonio simile fecisse? homines in iudicijs ad crimen defendendum, non quid fecerit quispiā, proferre solent, sed quid probarint. Antoniū, cū multa contra sociorū salutem, multa cōtra vtilitatem prouinciarum & faceret, & cogitaret, in medijs eius iniurijs, & cupiditatibus mors oppressit. tū mihi, quasi eius omnia facta, atq; consilia senatus populusq; R. iudices cōprobarint, ita Antonij exēplo istius audaciā defendis. At idem fecit Sacerdos. hominē innocentem, &

summa

summa prudentia præditum nominas: sed tum idem fecisse erit existimandus, si eodem cōsilio fecerit. nam genus æstimationis ipsū à me numquam est reprehensum: sed eius æquitas aratorū commodo, & voluntate perpenditur. non potest reprehēdi illa æstimatio, quæ aratori nō modo incōmoda nō est, sed etiā gratia est. Sacerdos vt in prouinciam venit, frumentū in cellam imperauit. cū esset ante nouū tritici mod. H-S XV, petiuerunt ab eo ciuitates vt æstimaret. remissior aliquanto eius fuit æstimatio, quam annona: nam æstimauit denarijs III. Vides eandē æstimationē propter temporis dissimilitudinē in illo laudis caussam habere, in te criminis? in illo beneficij, in te iniuriæ? Eodem tempore Antonius III denarijs æstimauit post messem, summa in vilitate, cū aratores frumentum dare gratis malebant, & aiebat, se tantidem æstimasse, quanti Sacerdotē: neq; mentiebatur: sed eadem ista æstimatione alter sublevarat aratores, alter euerterat. quod nisi omnis frumēti ratio ex temporibus esset, & annona, non ex numero, neq; ex summa cōsideranda: numquā tam grati hi sesquimodij, Q. Hortensi, fuissent, quos tu cū ad mensuræ tā exiguam rationē populo R. in capita descripsisses, gratissimū omnibus fecisti: caritas enim annonæ faciebat, vt istuc, quod re paruū videbatur, tempore magnū videretur. idem istuc si in vilitate populo R. largiri voluisses, derisum tuū beneficium esset, atq; contemptū. noli igitur dicere, istū idem fecisse, quod Sacerdotē: quoniam nō eo tempore, neq; simili fecit anno. dicito potius, quoniam habes auctorem idoneū, quod Antonius vno aduentu, & vix menstruis cibarijs fecerit, id istū per trienniū fecisse: & istius innocentiam M. Antonij facto, atq; auctoritate defendito. Nam de Sex. quidem Peducæo, fortissimo, atq; innocētissimo viro, quid dicitis? de quo quis vmquam arator questus est? aut quis nō ad hoc tempus innocentissimam omniū, diligentissimamq; præturā illius hominis existimauit? biennio prouinciā obtinuit, cū alter annus in vilitate, alter in summa caritate fuerit: nū aut in vilitate nummū arator quisquam dedit, aut in caritate de æstimatione frumenti questus est? at vberiora cibaria facta sunt caritate. credo: neq; id est nouum, neque reprehendendū. modo C. Sentium vidimus, hominem vetere illa, ac singulari innocentia præditum, propter caritatē frumenti, quæ fuerat in Macedonia, permagnā ex cibarijs pecuniā reportare. quamobrem non ego inuideo tuis cōmodis, si qua ad te lege venerūt: iniuriā queror: improbitatē arguo:

CVM *esses proconsul.*} qui tamen consul non fuerat. sed proconsules quoque vocari solitos, qui post prєturam in prouincias iuissent, alibi copiose ostendimus. DE CELLA} quod tu fecisti, vt nullas cellæ nomine pecunias cogeres, idem ante fecerat Lepidus. M. ANTONII} quem vniuersæ oræ maritimæ infinito cum imperio præfuisse, supra diximus. VTRVM *mihi difficile est dicere.*} modus loquēdi, ꝓ facile est, & mihi dicere, & his existimare. QVAM SE *posit defendere,*} lego, Quam, si possit, defendere, hoc sensu. Tuetur suum factum Verres imitatione Antonij. at hoc illi perniciosius est, quam dicere, se nulla vmquam in re illi similem fuisse: si modo hoc defendere, & probare possit: quod non potest: multis enim in rebus eius improbitatem imitatus est. QVID *probarint.*} vt ab ijs recte factum. MORS *oppreßit.*} indicto Cretensibus bello: de quo supra. Et, Oppresit, ante, quam quod cogitabat, efficeret. IVDICES} nominandi casu, non vocādi. iudices enim appellat senatum, popolumque Romanum: vt si dixisset: Quasi eius omnia facta, atque consilia senatus, populusque Romanus iudicio suo comprobarint. ARATORVM *commodo.*} supra: Hæc æstimatio nata est initio non ex prætorū, aut consulum, sed ex aratorum, atque ciuitatum commodo. ANTE *nouum*} antequam nouū frumentū perciperetur. REMISSIOR} ternos enim H-S de singulis modios deraxit. nam terni denarij sunt duodeni. H-S. QVAM *annona:*} quam frumenti pretiū in summa caritate. QVOS TV} quæstor. Inter quæstorū prouincias rei frumentariє cura erat. ET ISTIVS *innocentiam*} cum ironia: vt etiam, cum subiungit, Auctoritate: quæ nulla erat: nam turpissime vixerat Antonius. SEX. Peducæo,} cui quæstor ipse fuit. VBERIORA *cibaria*} quia vel frumenti pretium, vel ipsum frumentū Peducæus à Siculis accepit: quo vendito, pecuniæ plus, quam in vilitate, colligit. quod C. Sentius quoque fecit.

cõprobata, neque modũ posthac auaritiæ cuiusquam, neque pœnam improbitatis futuram. Quas ob res, quid agis, Hortensi? cõsul es designatus: prouinciam sortitus es, de æstimatione cum dices frumenti, sic te audiemus, quasi id, quod ab isto recte factum esse defendes, te facturũ profiteare: & quasi, quod isti licitum esse dices, vehemẽter cupias tibi licere. atqui, si id licebit, nihil est, quod putetis quemquã posthac commissurũ, vt de pecunijs repetundis cõdemnari possit. quantã enim quisque concupierit pecuniã, tantã licebit per cellæ nomen æstimationis magnitudine consequatur. At enim est quiddã, quod etiã si palam in defendendo non dicit Hortensius, tamen ita dicit, vt vos id suspicari, & cogitare poßitis: pertinere hoc ad cõmodũ senatoriũ, pertinere ad vtilitatẽ eorũ, qui iudicent, qui in prouincijs cũ potestate, aut cũ legatiõe se futuros aliquãdo arbitrẽtur. Præclaros viros existimas iudices nos habere, quos alienis peccatis concessuros putes, quo facilius ipsis peccare liceat. ergo id volumus populum R. id prouincias, id socios, nationesque exteras existimare, si senatores iudicent, hoc certe vnum genus infinitæ pecuniæ per summam iniuriam cogendæ, nullo modo posse reprehendi; quod si ita est, quid possumus contra illum prætorem dicere, qui quotidie templum tenet; qui remp. stare negat posse, ni ad equestrem ordinem iudicia referantur? quod si ille hoc vnum agitare cœperit, esse aliquod genus cogendæ pecuniæ senatorum commune, & iam prope concessum ordini, quo genere ab socijs maxima pecunia per summam iniuriam auferatur, neque vllo modo senatorijs iudicijs reprehẽdi posse, idque, dum equester ordo iudicaret, numquã esse commissum: quis obstet? quis erit tam cupidus vestri, tam fautor ordinis, qui de transferendis iudicijs poßit recusare. Atque vtinam posset aliqua ratione hoc crimen, quamuis falsa, modo humana, atque vsitata, defendere: minore periculo vestro, minore periculo prouinciarum omnium iudicaretis. negaret hic æstimatione se vsum: vos id credidisse homini, non factum comprobasse videremini. nullo modo negare potest vrgetur à tota Sicilia: nemo est ex tanto numero aratorũ, à quo pecunia cellæ nomine nõ sit exacta. Vellem etiã hoc posset dicere, nihil ad se istã rationẽ pertinere, per quæstores rẽ frumentariã esse administratã. ne id quidẽ ei licebit dicere: propterea quod ipsius litteræ recitantur, ad ciuitates de ternis denarijs missæ. Quæ est igitur defensio? feci, quod arguis: coegit pecunias maximas cellæ nomine: sed hoc mihi licuit:

bis.si prospicitis,licebit.periculosum prouincijs , genus iniuriæ confirmari iudicio:perniciosum nostro ordini,populum R.existimare, non posse eos homines ,qui ipsi legibus teneantur,leges in iudicando religiose defendere. Atque, isto prætore,iudices,non solū æstimandi frumenti modus non fuit, sed ne imperandi quidem. neque enim id,quod debebatur,sed quātum commodum fuit,imperauit. summam faciam vobis ex publicis litteris, & testimonijs ciuitatū frumēti in cellam imperati,reperietis quinquies tanto, iudices,amplius istum,quam quantum ei in cellam sumere licitum sit, ciuitatibus imperasse.quid ad hanc impudentiam addi potest,si & æstimauit tanti,vt homines ferre nō possent,& tanto plus, quam erat ei cōcessum legibus,imperauit? Quapropter,cognita tota re frumētaria,iudices,iam facillime perspicere potestis,amissam esse populo R.Siciliam,fructuosissimam,atque opportunissimam prouinciā, nisi eam vos istius damnatione recuperatis.quid est enim Sicilia, si ei agri cultionem sustuleris,& si aratorū numerū,ac nomen exstinxeris?quid enim potest esse in calamitate residui ,quod non ad miseros aratores,isto prætore,per summā iniuriam,ignominiamq́; peruenerit?quibus,cum decumas dare deberent,vix ipsis decumæ relictæ sunt:cū pecunia deberetur,soluta nō est:cū optima æstimatione senatus frumentum eos in cellam dare voluisset,etiam instrumenta agrorum vendere coacti sunt .dixi iam antea, iudices , vt has omnes iniurias tollatis,tamen ipsam rationē arandi spe magis, & iucunditate quadam,quam fructu,atque emolumento,teneri. etenim ad incertū casum, & euentum certus quotannis labor,& certus sumptus impenditur.annona porro pretiū,nisi in calamitate fructuum,non habet.si autē vbertas in percipiendis fructibus fuit, consequitur vilitas in vendendis:vt aut male vendendum intelligas,si processit ; aut male perceptos fructus,si recte licet vendere. totæ autem res rusticæ eiusmodi sunt,vt eas non ratio,neq; labor, sed,res incertissima,venti,tempestatesq́; moderentur.hinc cū vnæ decumæ lege,& condicione trahantur,alteræ nouis institutis.propter annonæ rationē,imperētur,ematur præterea frumentū quotānis publice,postremo etiam in cellam magistratibus,& legatis imperetur:quid, aut quantum præterea est, quod aut liberum possit habere ille arator,ac dominus in potestate,suorum fructuum.aut in ipsis fructibus solutum?quod si hæc feruntur omnia.si vobis potius ac populo R.quam sibi,& suis cōmodis,opera, sumptu,labore deseruiunt:

seruiunt: etiã ne hæc noua debẽt edicta, & imperia prætorũ, & Apronij dominationẽ, & Veneriorũ seruorum furta, rapinasq́; perferre? etiam ne frumentum pro empto gratis dare? etiam ne, in cellam, cum cupiant, gratis dare vltro, pecuniam, grandem dare? etiam ne hæc tot detrimenta, atque damna cum maximis iniurijs, contumelijsque perferre? itaque hæc, iudices, quæ pati nullo modo potuerunt, non pertulerunt. arationes tota Sicilia desertas, atque à dominis relictas esse, cognoscitis: neque quidquam aliud agitur hoc iudicio, nisi vt antiquissimi socij, fidelissimiq́; Siculi, coloni populi R. atque aratores. vestra seueritate, & diligẽtia, me duce, atq; auctore, in agros, atque in sedes suas reuertantur.

EXPLANATIO.

NON *enim à vobis summa,*} si Verrem absoluitis hoc æstimationis crimine: non putabunt homines, iudicasse vos, licere ternis denarijs æstimare frumentum illud, quod in cellam imperetur, pluris autem non licere, sed, ipsam ęstimandi licentiã à vobis esse comprobatam, arbitrabuntur: vt magistratui posthac frumẽtum illud, Verris exemplo, pro libidine liceat æstimare. EST *comprobatum:*} Est, pro Erit, vtitur enim præsenti tẽpore, quo magis rem subijciat oculis iudicum, & à præsenti eos auertat infamia. NEQVE *hoc potestis iudicare,*} neque potestis iniuriæ modum statuere, & æstimationẽ ternis denarijs definire. AB ANNONAE *ratione,*} ab eo, quanti frumentum erit: à communi prætio. AB ARATORVM *voluntate*} qui, quod licet, id fieri volũt, & frumentum, quanti licet, æstimari. PROVINCIAM *sortitus es:*} Cretam; qua tamẽ collegæ concessa Q. Metello, inde Cretici cognomen adepto, in vrbe mansit. CONDEMNARI *possit.*} habebit enim, quo suum factũ defendat: pecuniam à se coactam dicet æstimatione frumenti: quod licere iam sit iudicatum in caussa Verris. TAMEN *ita dicit,*} palam quidem in defendo non dicit, sed ita dicit, vt vos id suspicari, & cogitare possitis. HOC} absolui Verrem hoc æstimationis crimine. AD COMMODVM *senatorium*} vt senatoribus idem liceat in prouincijs, quod Verri licuit. EORVM, *qui iudicent,*} iudicabant adhuc senatores. nam legem de iudicijs inter tres

ordines communicandis promulgauerat Cotta prætor, nondum pertulerat. de quo paullo post. Ad vtilitatem autem iudicum id pertinere videbatur, quia, cum essent senatores, & euenire facile posset, vt in prouincias irent, non mediocre lucrum ex eadem æstimandi licentia sperare possent. AVT *cum legatione*} nam legatis quoque frumentum in cellam imperabatur. infra. ILLVM *prætorem*} L. Aurelium Cottam. TEMPLVM *tenet*,} templum Rostra vocabantur, in quibus legem magistratus ferebat. quotidie autē prætor Cotta erat in Rostris, vt legem de iudicijs ferre posset. in Vatinium: Iudicem in Rostris, in illo, inquam, augurato templo, ac loco collocatis. QVI *remp. sistere negat posse*,} stare, malim, quā Sistere, ex consuetudine Latini sermonis. REFERANTVR?} non vt soli iudicent, sed vt cum senatoribus. id enim Aurelia lege sancitū est. MINORE *periculo vestro*,} absoluere enim sine summo periculo vestro non potestis eum reum, qui manifesto in periculo tenetur, qui, quod commisit, negare non potest. MINORE *periculo prouinciarum*} quia, si Verrem absoluitis, cui suum delictū nulla ne falsa quidem ratione licet defendere: peccabunt ceteri multo impudētius, maximo prouinciarum damno. Vocem, Periculo, vt otiosam, tollendam crederem. VOBIS,} iudices. SI PROSPICITIS,} si me absoluitis. Hæc enim dicuntur ex persona Verris. EOS *homines*} senatores. QVI IPSI *legibus teneantur*,} quibus non æque tenētur ciues reliqui. solus enim ordo senatorius lege, de repetundis, qua reus erat Verres, tenebatur. QVANTVM *commodum fuit*,} quantum libuit. quo modo sæpe iam interpretati sumus. TOLLATIS} Verre punito. ANNONA} id, quod ex aratione percipitur. MALE *vendendum*} paruo pretio. SI PROCESSIT:} si messis copiosa fuit. MALE *perceptos fructus*,} parum frumenti perceptum esse. SI RECTE *licet vendere*.} Recte, pro care. contrarium contrario retulit, quia dixerat, Male vendendum. Et, Recte, ex persona aratoris, qui caritate potius in calamitate fructuum, quam vilitate gaudet in copia. NOVIS *institutis*,} non Hieronica lege. PROPTER an-

annonæ rationem ,} quia necessariæ populo Romano sint, quia sic annona postulet, quia primæ non sufficiant. IMPERENTVR : } pro quibus tamen pecunia soluitur, H-S terni in modios singulos: vt supra demonstratum est. EMATVR *præterea frumentum*} octingenta millia modium, H-S quaternis in singulos. LEGATIS} propterea dixit supra: Quin in prouincijs cum potestate, aut cũ legatione se futuros aliquando arbitrentur. AVT *in ipsis fructibus solutum*} quod dari nõ oporteat aut in primis decumis, aut in secũdis, aut in frumento ciuitatibus æqualiter imperato, aut in eo, quod aratores in cellam magistratibus, & legatis dare coguntur. DESERVIVNT: } Siculi. ita seruiũt, vt nihil omittant. hæc enim vis est in verbo, Deseruire. NOVA} à Verre primum inducta: quę alij prætores, absoluto Verre, imitabuntur. APRONII *dominationem*, } quæ numquam deerit, sceleribus impunitate proposita. NON *pertulerunt*. } arationis enim deseruerunt, sedes patrias reliquerunt, hæc ne perferrent, quę pati non poterant.

IN LIBRVM IV. ACTIONIS II CICERONIS IN VERREM QVI DE SIGNIS INSCRIBITVR.

PAVLLI MANVTII COMMENTARIVS.

ORATIO IX.

VENIO *nunc ad istius, quemadmodum ipse appellat, studium; vt amici eius, morbum, & insaniam; vt Siculi, latrocinium. ego, quo nomine appellẽ, nescio, rẽ vobis pro-*

proponi: vos eam suo nominis pondere penditote. genus ipsum prius cognoscite, iudices: deinde fortasse non magnopere quaeretis quo nomine appellandum putetis. Nego in Sicilia tota, tam locuplete, tam vetere prouincia, tot opidis, tot familijs, tam copiosis vllum argenteum vas, vllum Corinthium, aut Deliacum fuisse: nego vllam gemmam, aut margaritam fuisse, aut quidquam ex auro, aut ebore factum, signum vllum aeneum, marmoreum, eburneum: nego vllam picturam, neque in tabulis, neque textilem fuisse, quin quaesierit, inspexerit; quod placitum sit, abstulerit. magnũ videor dicere: attendite, etiam quemadmodum dicam. non enim verbi, neque criminis caussa augendi complector omnia. cum dico nihil istum eiusmodi rerum in tota prouincia reliquisse, latine me scitote, non accusatorie, loqui. etiam planius. nihil in aedibus cuiusquam, ne in opidis quidem, nihil in locis communibus, ne in fanis quidem, nihil apud Siculum, nihil apud ciuem R. denique nihil istũ quod oculos, animumque accenderit, neque priuati, neque publici, neque profani, neque sacri tota in Sicilia reliquisse. vnde igitur potius incipiam, quam ab ea ciuitate, quae tibi vna in amore, atq; in delicijs fuit? aut ex quo potius numero, quam ex ipsis laudatoribus tuis? facilius enim perspicietur, qualis apud eos fueris, qui te oderunt, qui accusant, qui persequuntur; cum apud tuos Mamertinos inueniere improbissima ratione esse praedatus.

EXPLANATIO.

STVDIVM;} honestum vocabulum flagitiosae rei. MORBVM,} animi: quae πάθη vocãt Graeci. lib. II: Ille quoq; sodalis isti⁹ erat in hoc morbo, & cupiditate. INSANIAM;} nõ modo morbum, sed morbum etiam eiusmodi, qui similitudinem habeat insanię. Qui enim alicuius rei maiore, quam deceat, cupiditate flagraret, insanire dicabatur: vt infra: Similis istius cupiditas, hoc etiam acrior, atque insanior. Et post: Nonne vobis id egisse videtur, vt non vnius libidinem, non suos oculos, sed omnium auarissimorum insanias, cum Romam reuertisset, expleret? Lib. II: Quibus in rebus istius cu piditates, & insaniã quis ignorat? Ibidẽ infra: Haec iste ad insaniã cõcupierat. Ad Att. lib. XIII. Othonem vincas volo: nec tamen insaniturum illum puto. Eodem sensu Horatius:

Insanit

Insanit veteres statuas Damasippus emendo.
EGO, QVO *nomine appellem, nescio.*} exaggerandi caussa sæpe fingit orator inopem se verborum esse, quæ rei vim ac naturam exprimant. vt pro Quinctio: Si vadimoniũ omnino tibi cum P. Quinctio nullum fuit, quo te nomine appellemus? improbum? at, etiam si desertum vadimonium esset, tamen in ista postulatione & proscriptione bonorum improbissimus reperiebare. num malitiosum? negas. fraudulentum? iam id quidẽ arrogas tibi, & præclarum putas. audacem? cupidum? perfidiosum? vulgaria, & obsoleta sunt, res autem noua, & inaudita. quid ergo est? vereor mehercule, ne aut grauioribus vtar verbis, quã natura fert, aut leuioribus, quam caussa postulat. Lib. V: Facinꝰ est, vinciri ciuẽ Romanũ: scelus, verberari: prope parricidium, necari: quid dicam, in crucem tollere? verbo satis digno tam nefaria res appellari nullo modo potest. Et a gr. II. Verbum mihi deest, Quirites, cũ ego hanc potestatem regiam appello: sed profecto maior est quædam Similiter ad Cœlium: Putares ne vmquam accidere posse, vt verba mihi deessent, neque solum ista vestra oratoria, sed etiam hæc leuia nostratia? desunt autem propter hanc caussam, quia mirifice sum sollicitus quidnam de prouincijs decernatur. SVO NOMINIS *pondere penditote.*} rem perpendite: deinde, quod ei nomẽ sua grauitate respondebit, id eligite. CORINTHIVM, *aut Deliacum*} quæ non argentea, sed ænea erant, vtraque magni pretij. NON ENIM *verbi*} non, vt verbum, id est orationem meam, aut crimen augeam, ideo complector omnia: sed, quæ loquor, Latinę, non accusatorie, nihil rem addens, sed proprijs eam verbis, qualis, & quãta est, exponens. A B EA *ciuitate,*} Mamertina, id est vrbe Messana. LAVDATORIBVS *tuis*} sola Mamertina ciuitas legatos Romam publice miserat ad laudandum Verrem. infra.

ORATIO.

C. HEIVS *est Mamertinus, (omnes hoc mihi facile cõcedẽt, qui Messanã accesserunt) omnibꝰ rebꝰ in illa ciuitate ornatissimus, huius domus est vel optima Messanæ, notissima quidẽ, certe, &*

certe, & nostris hominibus apertißima, maximeq; hospitalis, ea domus ante aduentum istius sic ornata fuit, vt vrbi quoque esset ornamento, nã ipsa Messana, quæ situ, mœnibus, portuq; ornata sit, ab ijs rebus, quibus iste delectatur, sane vacua, atq; nuda est. erat apud Heiũ sacrariũ cũ magna dignitate in ædibus, à maioribus traditũ, perãtiquũ: in quo signa pulcherrima quattuor, summo artificio, summa nobilitate, quæ nõ modo istũ, hominẽ ingeniosum, atq; intelligentẽ, verumetiã quemuis nostrũ, quos iste idiotas appellat, delectare possent: vnũ Cupidinis marmoreũ, Praxitelis. nimirum didici etiã, dũ in istũ inquiro, artificũ nomina. idẽ opinor artifex eiusdẽ modi Cupidinẽ fecit illũ, qui est Thespijs: propter quem Thespiæ visuntur: nã alia visendi caussa nulla est. itaq; ille L. Mummius, cũ Thespijs ea, quæ ad ædẽ Felicitatis sunt, ceteraq; profana ex illo opido signa tolleret, hunc marmoreũ Cupidinẽ, quod erat cõsecratus, non attigit. verũ, vt ad illud sacrariũ redeã, signum erat hoc, quod dico, Cupidinis è marmore: ex altera parte Hercules, egregie factus, ex ære. is dicebatur esse Myronis, vt opinor, et certe. item ante hosce deos erant tabulæ, quæ cuiusis sacrarij religionẽ significare possent. erãt ænea præterea duo signa nõ maxima, verũ eximia venustate, virginali habitu, atq; vestitu, quæ manibus sublatis sacra quædam, more Atheniensium virginum, reposita in capitibus, sustinebant. Canephoræ ipsæ vocabantur, sed earum artificem, quem? quemnam? recte admones: Polycletum esse dicebant. Messanam vt quisque nostrum venerat, hæc visere solebat: omnibus hæc ad visendum patebant quotidie: domus erat non domino magis ornamento, quam ciuitati. C. Claudius, cuius ædilitatẽ magnificentißimam scimus fuisse, vsus est hoc Cupidine tam diu, dũ forum dijs immortalibus, populoq; R. habuit ornatum: &, cum esset hospes Heiorum, Mamertini autẽ populi patronus, vt illis benignus vsus est ad commodandum, sic ipse diligens fuit ad reportãdum. nuper homines nobiles eiusmodi, iudices, ecquid dico, nuper? immo vero modo, ac plane paullo ante vidimus, qui forũ, ac basilicas non spolijs prouinciarum, sed ornamentis amicorum, cõmodis hospitum, non furtis nocentium, ornarent: qui tamen signa, atque ornamenta sua cuique reddebant, non, ablata ex vrbibus sociorũ, quatridui caussa, per simulationem ædilitatis, domum deinde, atq; ad suas villas auferebãt. hæc omnia, q̃ dixi, signa, iudices, ab Heio de sacrario Verres abstulit: nullum, inquam, horum reliquit, neq; aliud

aliud vllum tamen, præter vnum peruetus ligneum, Bonam fortunam. vt opinor, eam iste domi suæ habere noluit. pro deum hominumque fidem, quid hoc est? quæ hæc caussa? quæ hæc impudentia est? quæ, dico, signa, ante quam abs te sublata sunt, nemo Messanā cum imperio venit, quin viderit, tot prætores, tot consules in Sicilia tum in pace, tum etiam in bello fuerunt: tot homines cuiusque modi: non loquor de integris, innocentibus, religiosis: tot cupidi, tot improbi, tot audaces: quorum nemo sibi tam vehemens, tā potens, tam nobilis visus est, qui ex illo sacrario quidquam poscere, aut tollere, aut attingere auderet. Verres, quod vbiq; erit pulcherrimum, auferet? nihil habere præterea cuiquam licebit? tot domus locupletissimas domus istius vna capiet? iccirco nemo superiorum attigit, vt iste tolleret? ideo C. Claudius Pulcher retulit, vt C. Verres posset auferre? at nō requirebat ille Cupido lenonis domū ac meretriciam disciplinā: facile illo sacrario patrio cōtinebatur: Heio se à maioribus relictum esse sciebat: ad hereditatem sacrorū non quærebat meretricis heredem. Sed quid ego tā vehementer inuehor? verbo iā vno repellar. emi, inquit, o dij immortales, præclaram defensionem. mercatorem, cum imperio, ac securibus in prouinciam misimus, qui omnia signa, tabulas pictas, omne argentum, aurum, ebur, gemmas coemeret, nihil cuiquam relinqueret. hæc enim mihi ad omnia defensio patefieri videtur, emisse. primū, si id, quod vis, tibi ego concedā, vt emeris, quoniam in toto hoc genere hac vna defensione vsurus es: quæro, ciuiusmodi tu iudicia Romæ putaris esse, si tibi hoc quēquam concessurum putasti, te in prætura, ac imperio tot res, tā pretiosas, omnes denique res, quæ alicuius pretij fuerint, tota ex prouincia coemisse. Videte maiorū diligentiam, qui nihil dum etiam istiusmodi suspicabantur, verumtamen ea, quæ paruis in rebus accidere poterant, prouidebant, neminem, qui cū potestate, aut legatione in prouinciā esset profectus, tam amentem fore putarunt, vt emeret argentum; dabatur enim de publico: vt vestem; præbebatur enim legibus: mancipium putauerunt: quo & omnes vtimur & non præbetur à populo. sanxerūt, ne quis emeret mancipium, nisi in demortui locū si quis Romæ esset demortuus? immo, si quis ibidem: non enim te instruere domū tuā voluerūt in prouincia. sed illum vsum prouinciæ supplere. quæ fuit caussa, cur tam diligenter nos in prouincijs ab emptionibus remouerent? hæc, iudices, quod putabant ereptionem esse, non emptionem,

ptionem, cum venditori suo arbitratu vendere non liceret. in prouincijs, intelligebant, si is, qui esset cum imperio, ac potestate, quod apud quemque esset, emere vellet, idque ei liceret; fore, vti, quod quisque vellet, siue esset venale, siue non esset, quanti vellet, auferret. Dicet aliquis: noli isto modo agere cum Verre: noli eius facta ad antiquæ religionis rationem exquirere: cōcede, vt impune emerit, modo vt bona ratione emerit. nihil ab inuito, nihil per iniuriā. Sic agam, si quid venale habuit Heius; si id, quanti æstimabat, tanti vendidit: desino quærere, cur emeris. quid igitur nobis faciundū est? num argumentis vtendum in re eiusmodi? quærendum est, credo, Heius iste num æs alienum habuerit, num auctionem fecerit: si fecit, num tanta difficultas eum rei nummariæ tenuerit, tanta egestas, tanta vis oppresserit, vt sacrarium suum spoliaret, vt deos patrios venderet. at hominem video auctionem fecisse nullam, vēdidisse præter fructus suos nihil vmquam; non modo in ære alieno nullo, sed in suis nummis multis esse, ac semper fuisse: si hæc contra, ac dico, essent omnia: tamen illū hæc, quæ tot annos in familia, sacrarioque maiorum fuissent, venditurum nō fuisse. Quid, si magnitudine pecuniæ persuasum est ei? verisimile non est, vt ille, homo tā locuples, tā honestus, religioni suæ, monumentisq; maiorum pecuniam anteponeret. Sunt ista: verumtamen abducuntur homines nonnumquam etiam ab institutis suis magnitudine pecuniæ. videamus, quanta ista pecunia fuit, quæ potuerit Heium, hominem maxime locupletem, minime auarum, ab humanitate, & pietate, ab religione deducere. ita iussisti, opinor, ipsum in tabulas referre: HAEC. OMNIA. SIGNA. PRAXITELIS. MYRONIS. POLYCLETI. H. S VI. ET. D. VERRI. VENDITA. SVNT. Recita ex tabulis. Iuuat me, hæc præclara nomina artificum, quæ isti ad cælū ferunt, Verris æstimatione sic cōcidisse. Cupidinē Praxitelis H-S M D C. profecto hinc natū est, Malo emere, quā rogáre. Dicet aliquis: quid? tu ista permagno æstimas? ego vero ad meā rationem, vsumq; non æstimo: verumtamē à vobis ita arbitror spectari oportere, quanti hæc eorum indicio, qui studiosi sunt harum rerū, æstimentur, quanti venire soleant; quāti hæc ipsa, si palam libereq; venirent, venire possēt; deniq; ipse Verres quāti æstimet. nūquam enim, si denarijs quadringentis Cupidinē illū putasset, cōmisisset, vt propter eum in sermonē hominū, atq; in tantam vituperationē veniret. quis vestrū igitur nescit, quanti hæc æstimētur?

id

in auctione signum æneũ non magnũ H-S CCXX *millibus venire non videmus? quid, si velim nominare homines, qui aut non minoris, aut etiã pluris emerint, nonne possum? etenim, qui modus est in his rebus cupiditatis, idẽ est æstimationis. difficile est enim finẽ facere pretio, nisi libidini feceris. Video igitur Heium neq; volũtate, neq; difficultate aliqua temporis, neq; magnitudine pecuniæ adductum esse, vt hæc signa venderet, teque ista simulatione emptionis, vi, metu, imperio, fascibus ab homine eo, quem vna cum ceteris socijs non solum potestati tuæ, sed etiam fidei populus R. commiserat, eripuisse, atq; abstulisse. Quid mihi tam optandum, iudices, potest esse in hoc crimine, quam vt hæc eadem dicat ipse Heius? nihil profecto. sed ne difficilia optemus. Heius est Mamertinus: Mamertina ciuitas istum publice cõmuni consilio sola laudat: omnibus iste ceteris Siculis odio est, ab his solis amatur: eius autem legationis, quæ ad istum laudandum missa est, princeps est Heius: etenim est primus ciuitatis. ne forte, dum publicis mandatis seruiat, de priuatis iniurijs reticeat. hæc cum scirem, & cogitarẽ, commisi tamen me, iudices, Heio: produxi eum prima actione: neque id tamen vllo periculo feci. quid enim poterat Heius respondere, si esset improbus? si sui dissimilis? signa illa domi suæ esse, non apud Verrem? qui poterat quidquã eiusmodi dicere? vt homo turpissimus esset, impudentissimeq; mentiretur, hoc diceret, illa se habuisse venalia, eaq; sese, quanti voluerit, vendidisse. homo domi suæ nobilissimus, qui vos de religione sua, ac dignitate vere existimare maxime vellet, primo dixit, se istum publice laudare, quod sibi ita mandatum esset; de inde, neque se habuisse illa venalia, neque vlla condicione, si, vtrum vellet, liceret, adduci vmquam potuisse, vt venderet illa, quæ in sacrario fuissent à maioribus suis relicta, & tradita.*

EXPLANATIO.

ANTE *aduentum istius sic ornata fuit.*} modus auaritiæ notandæ. vt in Diuin. Quæ mulier ante hunc quæstorẽ copiosa plane & locuples fuit. Quo loco plura posuimus exempla. INGENIOSVM, *atque intelligentem,*} irrisione condita laus. PROPTER *quẽ Thespiæ visuntur.*} idẽ Strabo narrat lib. IX & addit, opus hoc Glyceriũ meretricem à Praxitele consecutam Thespiensibus suis donasse. VT OPINOR, *& certe.*} quasi res ipsas contemnẽs, quarum cupiditate Verres insanibat, artificum

quoque nomina vel ignorare se fingit, vel tunc primum didicisse.supra: Nimirum didici etiam, dum in istum inquiro, artificum nomina. Infra quoque, quasi Polycleti nomen oblitus, Earum, inquit, artificem, quem? quemnam? recte admones: Polycletũ esse dicebant. C. CLAVDIVS,} vt opinor, is, qui cum M. Perperna consul fuit, auus P. Clodij, Ciceronis inimici. nam lib. II. Offi. vbi de muneribus ædilicijs mẽtio fit, post L. Crassum, & Q. Mucium nominatur, & post eosdem triennio cõsul fuit. Valerius lib. II. cap. V. C. Pulcher scenam varietate colorum adumbrauit, vacuis antea pictura tabulis extentã. NON SPOLIIS *prouinciarum,*} non enim spoliauerãt prouincias nostras, vt Verres. BASILICAS} quæ & ipsę erant in foro, in quibus tribuni pl. ius dicebant. Plutarchus. PER *simulationem ædilitatis*} vt forum ornarent in ædilitate sua. HABERE *noluit.*} quasi non dignus bona fortuna. Inde Cicero de Verris exitio per iocum ominatur. MERETRICIS} Chelidonis. infra: Cum tibi illo ipso anno à Chelidone venisset hereditas. De eadem lib. II. HEREDEM.} sacrorum hereditas cum bonorũ hereditate veniebat. Verres autem, Cupidinẽ illum, Heio à maioribus traditum, qui similiter posteris ab Heio tradi debebat, quasi heres è sacrario abstulit. MERCATOREM *cum imperio, ac securibus in prouinciam misimus,*} lib. I: Sed, vt opinor, solet hæc, quæ rapuit, & furatus est, nonnumquam dicere, se emisse: quoniam quidem in Achaiam, Asiam, Pamphyliã, sumptu publico & legationis nomine, cum imperio, & securibus mercator signorum, tabularumq; pictarum missus est. CVIVSMODI *tu iudicia Romæ putaris esse,*} flagitiosa videlicet esse putasti, si tibi quemquã hoc esse concessurum credidisti. ISTIVSMODI} horum simile, quæ commisit Verres. MANCIPIVM *putauerunt:*} fore putauerunt, non, vt argẽtum, aut vestem, sed vt mancipium aliquis emeret: itaque de eo solo sanxerunt: quæ tamen parua res est. SI QVIS *Romæ esset demortuus:*} si mancipium aliquod Romæ decessisset, pro eo alterum emi in prouincia vetuerunt, sed si in prouincia, permiserunt. IN SVIS *nummis multis esse,*} instru-

instructum pecunia esse. Elegantiam quæsiuit è contrarijs, esse in ære alieno nullo, esse in suis nummis multis. VENDITVRVM *non fuisse*.} refer hoc ad verbum, Video. SVNT *ista*:} quæ proxime dixi, verisimile non esse, vt homo tam locuples, tam honestus, religioni suæ monumentisque maiorum pecuniam anteponeret. AB HVMANITATE, *&* *pietate*,} humanitatis est, huiusmodi signis delectari, quæ non domino magis ornamento sint, quam ciuitati: pietatis, ea tueri & custodire diligenter, quæ, tradita à maioribus, in sacrario custodiantur. AB *religione*,} quam violare videretur, cum sacrarium spoliaret. HAEC *omnia*} verba sunt, iussu Verris, ab Heio scripta in suis tabulis. H.S VI *millibus*} scutatis CLXXX. ISTI} qui hoc morbo laborant. MALO *emere*.} quandoquidem tam paruo emitur. H.S CXX *millibus* } scutatorum tribus millibus sexcentis. EMERINT.} signũ illud æneum, proxime nominatum. SOLA *laudat*:} oratorie: nam, præter eam, Syracusana laudauit. infra, & in Diuin. NE FORTE,} ioci genus: quasi ciuitas id spectauerit, cum legatum misit: quod ei certe propositum non fuit, ipse tamen vtrumque fecit, & faciet. DE RELIGIONE *sua*} in confitenda veritate.

ORATIO.

QVID sedes, Verres? quid exspectas? quid te à Centuripina ciuitate, à Catinensi, ab Halesina, Tindaritana, Ennensi, Agyrinensi, ceterisq; Siciliæ ciuitatibus circumueniri, atq; opprimi dicis? tua te altera patria, quemadmodum dicere solebas, Messana circũuenit, tua inquam Messana, tuorum adiutrix scelerum, libidinum testis, prædarum, ac furtorum receptrix. adest enim vir amplißimus eius ciuitatis, legatus huiusce iudicij caussa domo missus, princeps laudationis tuæ, qui te publice laudat. ita enim mandatum, atque imperatum est. tametsi rogatus de Cybea, tenetis memoria, quid responderit: ædificatam publicis operis, publice coactis, ædificandæ publice Mamertinum senatorẽ præfuisse. idem ad vos priuatim, iudices, confugit: vtitur hac lege, qua iudicium est communi, & priuatæ rei sociorum. tametsi lex est de pecunijs repetundis, ille se negat pecuniam repetere, quam ereptam non tantopere desiderat: sacra se maiorum suorum repetere

abs te dicit. deos penates à te patrios reposcit. ecqui pudor est? ecqua religio, Verres? ecqui metus? habitasti apud Heium Messanae: res illũ diuinas apud deos in suo sacrario prope quotidie facere vidisti. non mouetur pecunia: denique, quae ornamẽti caussa fuerunt, non requirit. tibi habe Canephoras: deorũ simulacra restitue. Quae quia dixit, quia, tempore dato, moleste, apud vos, socius, amicusq; populi R. questus est, quia religioni suae nõ modo in dijs patrijs repetundis, sed etiam in ipso iureiurando, ac testimonio proximus fuit, hominem missum ab isto scitote esse Messanam de legatis vnum, illum ipsum, qui naui istius aedificandae publicae praefuit, qui à senatu peteret, vt Heius ignominia afficeretur. Homo amentissime, quid putasti? te impetraturum? quanti is à ciuibus suis fieret, quanti auctoritas eius haberetur, ignorabas? verum fac te impetrauisse: fac aliquid grauius in Heium statuisse Mamertinos: quãtam putas auctoritatem laudationis eorum futuram, si in eum, quem constet vero pro testimonio dixisse, pœnam constituerent? tametsi, quae est ista laudatio, cum laudator interrogatus laedat necesse est? Quid? isti laudatores tui nonne testes mei sunt? Heius est laudator: laesit grauissime. producam ceteros: reticebunt, quae poterunt, libenter: dicent, quae necesse erit, ingratis, negent isti onerariam nauem maximam aedificatam esse Messanae? negent, si possint, negent ei naui faciundae senatorem Mamertinum publicae praefuisse? vtinam negent. sunt etiam cetera, quae malo integra reseruare, vt quammininimum sit illis temporis ad meditandum, confirmandumq; periurium. haec tibi laudatio procedat in numerum. hi te homines auctoritate sua subleuent, qui te neque debent adiuuare, si possint, neq; possint, si velint: quibus tu priuatim iniurias plurimas, cõtumeliasque imposuisti; quo in opido multas familias in perpetuum infames tuis stupris, flagitijsq; fecisti. At publice commodasti. non sine magno quidem reip. prouinciaeq; Siciliae detrimento tritici modiũ LX millia empta populo R. dare debebant; & solebant: abs te solo remissum est. Resp. detrimentum fecit, quod per te imperij ius vna in ciuitate imminutum est: Siculi, quod ipsum hoc non de summa frumenti detractum est, sed translatum in Centuripinos, & Halesinos, immunes populos, & hoc plus impositum, quam fere possent. Nauem imperare ex foedere debuisti: remisisti in triennium. Militem nullum vmquam poposcisti per tot annos: fecisti item vti praedones solent: qui cum communes hostes sint omnium, tamẽ aliquos

sibi

sibi instituunt amicos, quibus non modo parcant, verum etiam præda quos augeant, et eos maxime, qui habent opidum opportuno loco, quo sæpe adeundum sit nauibus, nonnumquam etiam necessario. Phaselis illa, quã cepit P. Seruilius, non fuerat vrbs ante Cilicum, atque prædonum: Lycij illam, Græci homines, incolebãt: sed, quod erat eiusmodi loco, atque ita proiecta in altum, vt & exeuntes è Cilicia prædones sæpe ad eam necessario deuenirẽt, &, cum ex hisce se locis reciperent, eodem deferrentur, adsciuerunt illud sibi opidum piratæ, primo commercio, deinde etiam societate. Mamertina ciuitas improba ante a non erat, etiã erat inimica improborum: quæ C. Catonis illius, qui consul fuit, impedimenta retinuit: at cuius hominis? clarißimi potentißimique: qui tamen, cum consul fuisset, condemnatus est. ita ne vero? C. Cato, duorum hominum clarißimorum nepos, L. Paulli, & M. Catonis, & P. Africani sororis filius; quo damnato, tum cum seuera iudicia fiebant, H.S XVIII milibus lis æstimata est: huic Mamertini irati non fuerunt, qui maiorem sumptum, quam quãti Catonis lis æstimata est, in Timarchidis prandium sæpe fecerunt? Verum hæc ciuitas isti prædoni, ac piratæ Siciliensi Phaselis fuit. huc omnia vndique deportabantur, apud istos relinquebantur: quod cælari opus erat, habebant sepositum, ac reconditum per istos, quæ volebat, in nauem clam imponenda, occulte exportanda curabat: nauem denique maximam, quam onustum furtis in Italiam mitteret, apud istos faciendam, ædificãdamque curauit. pro hisce rebus vacatio data est ab isto sumptus, laboris, militiæ, rerum denique omnium per triennium. soli non modo in Sicilia, verum, vt opinio mea fert, his quidem temporibus in omni orbe terrarum vacui, expertes, soluti, ac liberi fuerunt ab omni sumptu, molestia, munere. hinc illa Verrea nata sunt. hinc in conuiuium Sex. Cominium protrahi iussit, in quem scyphum de manu iacere conatus est, quem obtorta gula de conuiuio in vincula, atq; in tenebras abripi iussit. hinc illa crux, in quam ciuem R. iste multis inspectantibus sustulit: quam non ausus est vsquam defigere, nisi apud eos, quibuscum omnia scelera sua, ac latrocinia communicasset.

EXPLANATIO.

DE CYBEA,} naui oneraria à Mamertinis publice ædificata, Verrique donata, vt exportare furta sua posset. Quadrata esse debuit: siquidem à κύβος Cybea deducitur. DEORVM *simulacra*} Cupidinem, & Her-

culem. QVAE *quia dixit,*} priore actione. PROXIMVS *fuit:*} id est, à sua religione non discessit. INGRATIS.} vel inuiti. PERIVRIVM} falsum testimonium, in quo dicendo peierabunt. TIBI} Verres. IN NVMERVM:} ex animi tui sentẽtia. Sumptum opinor ab histrionibus, numerum in motu seruãtibus. Parad. Histrio si paullo se mouit extra numerum, aut si versus pronunciatus est vna syllaba longior, aut breuior, exsibilatur, & exploditur. AT PVBLICE *commodasti.*} beneficio eos affecisti. P. SERVILIVS} Isauricus. EX HISCE *se locis*} vnde Ciliciam versus nauigatur. AT *cuius hominis?*} amplificandi modus, vt lib. III: Videamus, Herbitensis ciuitas, honesta antea, & copiosa, quemadmodum spoliata ab isto, ac vexata sit: at quorum hominum? summorũ aratorum, remotissimorum à foro, iudicijs, controuersijs. C. CATO,} nihil deest: ad illud enim respicit, condemnatus est. L. PAVLLI, *&* *M. Catonis,*} maternus ei fuit auus Paullus, paternus Cato. AFRICANI} minoris, qui Paulli filius naturalis fuit. CVM *seuera iudicia fiebant,*} cum equites iudicabant. aculeus in senatores iudices, & ad condemnãdum Verrem, infamiæ tollendæ gratia, tacita cohortatio. Eiusdem generis illud infra: Nisi forte existimatis, postea quam iudicia seuera Romæ fieri desierint. HVIC *Mamertini irati non fuerunt,*} cui verisimile videatur, Mamertinos C. Catonis, cõsularis viri, & nobilissimi, impedimẽta retinuisse propter H S XVIII millia, quibus ei lis æstimata est; eosdem iratos Verri non fuisse, maiore sumptu sæpe facto in prandium Timarchidis, quam quanti Catoni lis æstimata est: sed ideo irati ei non fuerunt, quia, cum essent furtorum conscij, & in ijs occulte exportandis omni eum opera, naui etiam publice ædificata, adiuuarent, vacationem sumptus, laboris, militiæ, rerum denique omnium per triennium consecuti sunt. CATONIS *lis æstimata est,*} Catoni, puto esse rectius. &, vt alia mittantur exempla, de eodem Catone, lib. III, dixit: Qua in ciuitate C. Catoni H S XVIII millibus lis æstimata sit. VERREA:} dies festus, in honorem Verris institutus, maxime propter hæc in Mamertinos beneficia.

ORA-

ORATIO.

LAVDATVM etiam vos quemquam venire audetis? qua auctoritate? vtrum, quam apud senatoriũ ordinem, an quam apud populum R. habere debetis? ecquæ ciuitas est, non modo in prouincijs nostris, verum in vltimis nationibus, aut tam potens, aut tam libera, aut etiam tam immanis, ac barbara; rex deniq; ecquis est, qui senatorẽ populi R. tecto, ac domo nõ inuitet? qui honos non homini solũ habetur, sed primũ populo R. cuius beneficio nos in hũc ordinẽ venimus; deinde ordinis auctoritati; quæ nisi grauis erit apud socios, atq; externas nationes, vbi erit imperij nomen, & dignitas? Mamertini me publice nõ inuitauerunt. me cũ dico, leue est. senatorem populi R. si non inuitauerunt, honorẽ debitum detraxerunt, non homini, sed ordini. nam ipsi Tullio patebat domus locupletissima, & amplissima C. Pompeij Basilici, quo, etiamsi esset inuitatus à vobis, tamen diuertisset: erat etiam Percenniorum, qui nũc item Pompeij sunt, domus honestissima: quo Lucius frater meus, summa illorum voluntate, diuertit. senator populi R. quod in vobis fuit, in vestro opido iacuit, & pernoctauit in publico.. nulla hoc alia ciuitas vnquam commisit. amicum enim nostrum in iudicium vocabas. tu, quid ego priuatim negotij geram, interpretabare in minuendo honore senatorio? verũ hæc tum queremur, si quid de vobis per eum ordinẽ agetur, qui ordo à vobis adhuc solis contemptus est. in populi R. quidẽ conspectum quo ore vos commisistis, nec prius illam crucem, quæ etiam nunc ciuis R. sanguine redundat, quæ fixa est ad portum, vrbemq; vestram, reuellistis, neq; in profundum abiecistis, locumq; illum omnẽ expiastis, quam Romã, atq; in horum conuentum adiretis? in Mamertinorũ solo fœderato, atq; pacato monumentum istius crudelitatis constitutum est. vestra ne vrbs electa est, ad quã qui adirent ex Italia, crucem ciuis R. prius, quam quemquã amicum viderẽ populi R? quã vos Rheginis, quorum ciuitati inuidetis, item incolis vestris, ciuibus R. ostendere soletis, quo minus sibi arrogẽt, minusq; vos despiciant, cũ videant ius ciuitatis illo supplicio esse mactatũ. Verum hæc emisse te dicis: quid illa Attalica, tota Sicilia nominata, ab eodem Heio peripetasmata emere oblitus es? licuit eodem modo, vt signa: quid enim actum est? an litteris pepercisti? verum hominem amentem hoc fugit. minus clarum putauit fore, quod de armario, quam quod de sacrario, esset ablatum, at quo modo abstulit? non possum dicere planius, quam

ipse apud vos dixit Heius. cum quæsissem, numquid aliud de bonis eius peruenisset ad Verrē: respondit, istum ad se misisse, vt sibi mitteret Agragantum peripetasmata. quæsiui, an misisset: respondit id, quod necesse erat, scilicet dicto audientē fuisse prætori, misisse. rogaui, peruenissent ne Agragātum: dixit, peruenisse. quæsiui, an domum reuertissent: negauit adhuc reuertisse. risus populi, atque admurmuratio omnium facta est. Hic tibi in mentem non venit, iubere, vt hæc quoque referret H-S VI *millia* IↃ *se tibi vendidisse: metuisti, ne æs alienum tibi cresceret, si* H-S VI *millia* D *tibi constarent ea, quæ tu facile posses vendere* H-S CC *millibus. fuit tanti, mihi crede: haberes, quod defenderes: nemo quæreret, quanti illa res esset: si modo te posses docere emisse, facile, cui velles, tuam caussam, & factum probares. nunc de peripetasmatis quemadmodum te expedias, non habes. Quid à Philarcho Centuripino, homine locuplete, ac nobili, phaleras pulcherrime factas, quæ regis Hieronis fuisse dicūtur, vtrum tandem abstulisti, an emisti? in Sicilia quidem cum essem, sic à Centuripinis, sic à cæteris audiebam: non enim parum res erat clara tu te has phaleras à Philarcho Centuripino abstulisse dicebant, quam alias item nobiles ab Aristo Panhormitano, quā tertias à Cratippo Tyndaritano, etenim si Philarchus vendidisset, non ei, postea quam reus factus es, redditurū te promisisses. quod quia vidisti plures scire, cogitasti, si ei reddidisses, te minus habiturum, rem nihilo minus testatam futuram: non reddidisti. dixit Philarchus pro testimonio, se, quod nosset tuū istum morbum, vt amici tui appellant, cupisse te celare de phaleris: cum abs te appellatus esset, negasse habere sese: apud alium quoq; eas habuisse depositas, ne qua inuenirentur: tuam tantam fuisse sagacitatem, vt eas per illum ipsum inspiceres, vbi erant depositæ: tum se deprehensū negare non potuisse: ita vt se inuito ablatas phaleras gratis. Iam, vt hæc omnia reperire, ac perscrutari solitus sit, iudices, est operæpretium cognoscere.*

EXPLANATIO.

CVIVS *beneficio*} dat enim popul⁹ Romanus eos magistratus, quos qui gesserunt, in senatū legi debent. IPSI TVLLIO} mihi, non vt senatori, sed vt eorum amico. FRATER} patruelis, qui cū Cicerone in Siciliam ad inquirendum in Verrem profectus est. PER EVM *ordinem*} per senatum. AGETVR} qua enim cum contume-

lia af-

lia affeciſtis,cum me,ſenatorē populi R,publice non inuitaſtis,eam inultā eſſe non ſinet. CIVIS *Romani ſanguine redundat,*} ſic locutus eſt C. Gracchus lib. III. de Orat. Quo me vertam, miſer? in Capitolium ne? at fratris ſanguine redundat. P. Gauium ſignificat, de quo lib. V. QVORVM *ciuitati inuidetis,*} quia ciues Romani ſunt. Infra: Quid arbitramini Rheginos, qui iam ciues Romani ſunt, mereri velle, vt ab ijs marmorea Venus illa ne auferatur? Iidem Cornificij tribules in epiſtola ad illum vocantur, municipes autē Phil. I. QVO *minus ſibi arrogent,*} quia ciues Romani ſint. ILLO *ſupplicio*} Gauij in crucem acti. MACTATVM.} verbo vſus eſt, quod cum ſupplicio congrueret. quaſi diceret: in vno homine ius ciuitatis vniuerſū cruci affixum eſt. Diſerte hoc expreſſit lib. V: Non tu, inquit, hoc loco Gauium, non vnum hominē, neſcio quem, ciuē Romanum, ſed communē libertatis & ciuitatis cauſſam in illum cruciatum, & crucem egiſti. HAEC} ſigna, ATTALICA *peripetaſmata*} aulęa, auro intertexta: qualia primus Attalus rex inuenit. Peripetaſmata vero generale nomen eſt, παρὰ τὸ περιπετάζειν, quod verbum ex Heſychio notū eſt, potius quam, vt alijs videtur, παρὰ τὸ περιπετάννυμι. EMERE *oblitus es?*} cur, vt ſigna non item peripetaſmata iuſſiſti Heium in ſuas tabulas referre, tamquam ſibi vendita? an hoc oblitus es? LICVIT} emere, id eſt emptionem ſimulare. AN LITTERIS *pepercisti?*} an tibi viſum non eſt. vt hoc nomen in tabulis ſcriberetur? Parcere litteris, eſt, à ſcribēdo abſtinere. DE *armario,*} vnde promuntur peripetaſmata. H-S CC *millibus*} ſcutatorum ſex millibus. FVIT *tanti,*} fuit, cur id faceres. è re tua fuit, vt in tabulas id referri iuberes. Modus loquendi, quo, vtile eſſe, vel fuiſſe, aliquid fieri, oſtenditur. nec alio ſpectat, quod infra dicitur: Credo, etiam tabulę proferentur. eſt tanti. Simile illud Cœlianum: Sed tanti? ſed eſt mehercule. Et in Catil. Or. II: Eſt mihi tanti, Quirites, huius inuidię falſæ, atque iniquæ tempeſtatem ſubire, dummodo à vobis huius horribilis belli, ac nefarij periculum depellatur. PHALERAS} equorum ornamenta. TE MINVS *habiturum,*} phaleras ipſas non habiturum.

ORATIO.

CIBYRATAE *sunt fratres quidam, Tlepolemus & Hiero: quorum alterum fingere opinor è cera solitum esse, alterũ esse pictorẽ. hosce opinor Cibyræ, cũ in suspicionem venissent suis ciuibus, fanum expilasse Apollinis, veritos pœnã iudicij, ac legis, domo profugisse. quod Verrem artificij sui cupidum cognouerant, tum, cum iste, id quod ex testibus didicistis, Cibyram cum inanibus syngraphis venerat; domo profugientes, ad eum se exsules, cum iste esset in Asia, contulerunt: habuit secũ eos ab illo tempore: & in legationis prædis, atque furtis multum illorum opera, consilioque vsus est. hi sunt illi, quibus in tabulas retulit, sese Q. Tadius dedisse, iussu istius, Græcis pictoribus: quos sibi iã bene cognitos, & reprobatos, secum in Siciliam duxit. quo postea quam venerũt, mirandum in modum (canes venaticos diceres) ita odorabantur omnia, & peruestigabant, vt, vbi quidq; esset, aliqua ratione inuenirent. aliud minitando, aliud pollicendo, aliud per seruos, aliud per liberos, per amicum aliud, aliud per inimicũ inueniebant. quidquid illis placuerat, perdendum erat. nihil aliud optabant, quorum poscebatur argentum, nisi vt Hieroni, & Tlepolemo displiceret. Vere mehercules hoc, iudices, dicam. memini Pamphilum Lilybetanum, hospitem meum, & amicum, nobilem hominem, mihi narrare, cum iste ab sese hydriam Boethi manu factam, præclaro opere, & grandi pondere, per potestatem abstulisset, se sane tristem, & conturbatum domum reuertisse. quod vas eiusmodi, quod sibi à patre, & à maioribus esset relictũ, quo solitus esset vti ad festos dies, ad hospitum aduentum, à se esset ablatum. Cum sederem, inquit, domi tristis, accurrit Venerius, iubet me scyphos sigillatos ad prætorem statim afferre. permotus sum, inquit. binos habebam: iubeo promi vtrosque, ne quid plus mali nasceretur, et mecũ ad prætoris domum ferri. eo cum venio, prætor quiescebat, fratres illi Cibyratæ inambulabant. qui simul vt me viderunt, Vbi sunt, Pamphile, inquiunt, schyphi? ostendo tristis. laudant: incipio queri, me nihil habiturum, quod alicuius esset pretij, si etiam scyphi essent ablati. tum illi, vbi me conturbatum vident: quid vis nobis dare, vt isti ne auferantur abs te? ne multa, H. S C C me, inquit, poposcerunt: dixi me C daturum. vocat interea prætor: scyphos poscit, tum illos cœpisse prætori dicere, putasse se, id quod audissent, alicuius pretij scyphos esse Pamphili; luteum negotium esse, non dignum, quod in suo*

in suo argento Verres haberet. ait ille, idem sibi videri. ita Pamphilus scyphos optimos aufert. & mehercules ego antea, tametsi hoc nescio quid nugatorium sciebam esse, ista intelligere, tamen mirari solebam, istum in his ipsis rebus aliquem sensum habere, quem scirem nulla in re quidquam simile hominis habere. tum primum intellexi, ad eam rem istos fratres Cibyratas, fuisse, vt iste in furando manibus suis, oculis illorum, vteretur. at ita studiosus est huius præclaræ existimationis, vt putetur in hisce rebus intelligens esse, vt nuper, (videte hominis amentiam) postea quam est comperendinatus, cum iam pro damnato, mortuoq; esset, ludis Circensibus mane apud L. Sisennam, virum primarium, cum essent triclinia strata, argentumq; expositũ in ædibus, cum pro dignitate L. Sisennæ domus esset plena hominum honestorum, accesserit ad argentum, contemplari vnumquodque otiose, et considerare cœperit. mirari stultitiam alij, quod in ipso iudicio eius ipsius cupiditatis, cuius insimularetur, suspicionem augeret: alij amentiam, cui comperendinato, cum tam multi testes dixissent, quidquam illorum veniret in mentem. pueri autem Sisennæ, credo qui audiuissent quæ in istũ testimonia essent dicta, oculos de isto nusquã deijcere, neq; ab argẽto digitũ discedere. est boni iudicis, paruis ex rebus cõiecturam facere vniuscuiusq; & cupiditatis, & incontinentiæ. qui reus lege, & reus comperendinatus, re, & opinione hominum pæne damnatus, temperare non potuerit maximo conuentu, quin L. Sisennæ argentũ tractaret, & consideraret, hunc in prouincia prætorem quisquã putabit à Siculorũ argento cupiditatẽ aut manus abstinere potuisse?

EXPLANATIO.

CIBYRAM} quæ erat in imperio Ciliciensis prouinciæ. eo legatus Dolabellæ: Verres venit. CVM *inanibus syngraphis* }ex quibus exigere nihil potuit, syngraphas enim attulerat, ex quibus ei nihil deberetur. IN {ASIA}dixi iam, Asiam vocari Ciliciam prouinciã Dolabellæ. Q. TADIVS} P. appellatur lib. I. vbi magnã ei cum Verre nummariam rationem esse constat. VBI *quidquid esset,* }Quidquid, pro quidq; : vt pro Fonteio: Si, vt quidq d ex illo loco dicetur, ex oraculo aliquo dici arbitrabitur. In ep. ad Torquatũ: Quocũq; in loco quisquis est, idẽ est ei sensus, & eadẽ acerbitas. Tusc. V. Vt quidq d obiectũ est. Plaut. in Amp. Ordine õe, vt quidq d actũ est,

Edisser.

Edissertauit. Et in Trin. Vnum quidquid sigillatim, & placide percunctabere. Lucretius lib. II. Inq; suos quidquid rursus reuocare meatus. Idem alibi sæpe. BOETHI} sculptoris egregij. Plinius lib. 33. cap. 12. lib. 34. cap. 8. PER potestatem} prætoriam, nō pretio, vel precibus. LVTEVM} vilissimum, vt luto nihil vilius. lib. III: In hoc homo luteus, etiam callidus, ac veterator esse vult. SIGILLATOS} paruis signis ornatos. in epist. ad Att. Putealia sigillata. Hic infra: Patella grandis, cum sigillis, ac simulacris deorum. Et post: Sigillis auulsis, reliquum argentū sine auaritia reddidit. SISENNAM} defensorem suum. infra, & lib. II. ILLORVM} eiusmodi rerum, quas in prouincia ad insaniam concupierat.

ORATIO.

VERVM vti Lilybæum, vnde digressa est, oratio reuertatur: Diocles est, Pamphili gener illius, à quo hydria ablata est, Popillius cognomine, ab hoc abaci vasa omnia, vt exposita fuerant, abstulit. dicat se licet emisse. etenim hic, propter magnitudinem furti, sunt opinor, litteræ factæ. iussit Timarchidē æstimare argentum. quo modo? quo, qui vmquam tenuissime in donatione histrionū æstimauit. tamesi iamdudum erro, qui tam multa de tuis emptionibus verba faciam, & quæram, vtrum emeris, & quo modo, & quanti emeris: quod verbo transigere possum. ede mihi scriptum, quid argenti in prouincia Sicilia pararis, vnde quidque, aut quanti emeris. quid fit? quamquam non debebam ego abs te has litteras poscere. me enim tabulas tuas habere, & proferre oportebat. verum negas te horum annorum aliquot confecisse. compone hoc, quod postulo, de argento: de reliquo videro. nec scriptū habeo: nec possum edere. quid futurū igitur est? quid existimas hosce iudices facere posse? domus plena signorum pulcherrimorū, iam etiā ante præturam, multa ad villas tuas posita, apud amicos multa deposita, multa alijs data, atque donata: tabulæ nullum indicant emptum: omne argentum ablatum ex Sicilia est: nihil cuiquam, quod suum dici vellet, relictum. Fingitur improba defensio, prætorem omne id argentum coemisse: tamen id ipsum tabulis demonstrari non potest: si quas tabulas profers, in his, quid habeas, quo modo habeas, scriptum non est. horum autem temporum cum te plurimas res emisse dicas, tabulas omnino nullas proferas; non

ne te

ne te & prolatis, & non prolatis tabulis condemnari necesse est? tu à M. Cœlio, equite R. lectissimo adolescente, quæ voluisti vasa argentea Lilybæi abstulisti: tu P. Cacurij, promptissimi hominis, & experientis, & inprimis gratiosi, supellectilem omnem auferre non dubitasti: tu maximam, & pulcherrimam mensam citream à Q. Lutatio Diodoro, qui Q. Catuli beneficio à L. Sulla ciuis Romanus factus est, omnibus scientibus, Lilybæi abstulisti. non tibi obijcio, quod hominem dignißimum tuis moribus, Apollonium Niconis filium, Drepanitanum, qui nunc A. Clodius vocatur, omni argento optime facto spoliasti, ac depeculatus es. taceo: non enim putat ille sibi iniuriam factam, propterea quod homini iam perdito, & collum in laqueum inserenti subuenisti, cum pupillis Drepanitanis bona patria erepta cum illo partitus es. gaudeo etiam, si quid ab illo abstulisti, & abs te nihil rectius factum esse dico. à Lysone vero Lilybætano, primo homine, apud quem diuersatus es, Apollinis signum ablatũ certe esse non oportuit. at dices, te emisse. scio: H-S M: ita opinor: scio, inquam: proferam litteras: & tamen id factum: non oportuit. A pupillo Heio, cui C. Marcellus tutor est, à quo pecuniam grandem eripueras, scaphia cum emblematis Lilybæi vtrũ empta esse dicis, an confiteris erepta? Sed quid ego istius in eiusmodi rebus mediocres iniurias colligo, quæ tantummodo in furtis istius, & damnis eorum, à quibus auferebat, versata esse videantur? accipite, si vultis, iudices, rem eiusmodi, vt amentiam singularem, vt furorem iam, non cupiditatem eius perspicere poßitis. Melitensis Diodorus est: qui apud vos antea testimoniũ dixit. is Lilybæi multos iam annos habitat, homo & domi nobilis, & apud eos, quo se contulit, propter virtutem splendidus, & gratiosus. de hoc Verri dicitur, habere eum perbona toreumata, in his pocula duo quædã, quæ Heraclia nominantur, Mentoris manu summo artificio facta. quod vbi iste audiuit, sic cupiditate inflammatus est, non solum inspiciundi, verum etiam auferendi, vt Diodorum ad se vocaret, ac posceret. ille, qui illa non inuitus haberet, respondit, se Lilybæi non habere, Melitæ apud quendam propinquum suum reliquisse. tum iste continuo mittit homines certos Melitam: scribit ad quosdam Melitenses, vt ea vasa perquirant; rogat Diodorum, vt ad illum suum propinquum det litteras. nihil ei longius videbatur, quam dum illud videret argentum. Diodorus, homo frugi, ac diligens, qui sua seruare vellet, propinquo suo scribit, vt ijs, qui à Verre venissent,

nissent;

uissent, responderet, illud argentum se paucis illis diebus misisse Lilybæum. ipse interea recedit. abesse ab domo paullisper maluit, quã præsens illud optime factum argentum amittere. quod vbi audiuit iste, vsq; eo est cõmotus, vt sine vlla dubitatione insanire omnibus, ac furere videretur. quia non potuerat argentũ eripere, ipse à Diodoro erepta sibi vasa optime facta dicebat; minitari absenti Diodoro, vociferari palam, lacrymas interdum vix tenere.

EXPLANATIO.

SVNT, *opinor, litteræ factæ.*} scriptum est in tabulis. IN DONATIONE *histrionum*} locus hic ostendit, bonos histriones argento donari solitos. æstimationi tamen locum esse nõ video. cur enim æstimetur, quod donatur? nisi si hoc dicitur, eum, qui donabat, retulisse in tabulas, non quanti valebat argentum, sed multo minoris: ne quando sibi probro dari posset, quod in histriones pecuniæ plus, quam deceret, erogasset. QVID *fit?*} cur mihi, quod postulo, scriptum non edis? HAS *litteras*} tabulas, in quibus, quid argẽti in Sicilia pararis, vnde quidque, aut quanti emeris, à te scriptum esset. ME ENIM} accusatorem tuum. HORVM *annorum aliquot*} post M. Terentiũ; & C. Cassiũ consules. lib. I. COMPONE} ede mihi scripta simul hæc tria, quid argenti pataris in Sicilia, vnde quidque emeris, quanti emeris. DE RELIQVO *videro.*} de reliquis non vrgeo: quærendi spatium erit. IMPROBA *defensio,*} quid enim improbius, quam prætorem argentum omne in sua prouincia coemere? PROLATIS,} in quibus, quid habeas, quo modo habeas, scriptum non est. NON *prolatis*} quia, cum horum temporum plurimas res emisse te dicas, idq; tabulis non demõstres; quis emisse te credat? quid caussæ est, cur non crimine repetundarũ condemneris? PROMPTISSIMI *hominis,*} in agendis rebus. ad ingenij præstantiam refertur, vt ad tarditatem illud de Heraclio lib. II: Hominem esse maiorem natu, nõ promptissimum. EXPERIENTIS,} in vsu rerum versati. Q. CATVLI *beneficio*} à quo propterea prænomen & nomen accepit. HOMINEM *dignissimum tuis moribus,*} tui simillimum, turpissimum. in Pisonem: Hominem impurum, atq; non modo

facie;

facie, sed etiam oculo tuo dignissimum. Et pro Sextio: Homo iis dignissimus, quibus cum viuit. BONA *patris erepta*} quæ ille pupillis eripuerat, cum propter ea puniendus à te esset, ea tu cum eo partitus es. ID FACTVM *non oportuit.* } auferre signum Apollinis non debuisti. C. MARCELLVS} qui iudex in consilio aderat. infra. SCAPHIA} vasa potoria, quæ scaphæ similitudinem referrent, παρὰ τὸ σκάπτειν. CVM *emblematis*} id, quod in opus aliquod ornamenti gratia includitur, Emblema dicitur. vnde vermiculatum emblema apud Lucilium, dictum ἀπὸ τοῦ ἐμβάλλειν. SPLENDIDVS,} honoratus. TOREVMATA,} argentea vasa cælata. infra. MENTORIS} artificis nobilissimi. NON *inuitus*} festiue, quo Diodorus admodũ delectaretur, id eum habere nõ inuitũ dicit.

ORATIO.

ERIPHYLAM *accepimus in fabulis ea cupiditate, vt, cum vidisset monile, vt opinor, ex auro, & gemmis, pulchritudine eius incensa, salutem viri proderet. similis istius cupiditas, hoc etiã acrior, atq; insanior, quod illa cupiebat id, quod viderat; huius libidines non solum oculis, sed etiam auribus excitabantur. conquiri Diodorũ tota prouincia iubet. ille ex Sicilia castra iã mouerat, et vasa collegerat. homo, vt aliquo modo illũ in prouinciam reuocaret, hanc excogitauit rationem: si hæc ratio potius, quam amentia nominanda est. apponit de suis canibus quendam, qui dicat, se Diodorũ Melitensem rei capitalis reum velle facere. primo mirum omnibus videri, Diodorum reum, hominem quietissimum, ab omni non modo facinore, verum etiã minimi errati suspicione remotissimum: deinde esse perspicuũ, fieri omnia illa propter argentum. iste nõ dubitat iubere, nomẽ deferri. et tum primũ opinor istũ absentis nomẽ recepisse. reclamat Sicilia tota, propter cælati argenti cupiditatẽ reos fieri rerũ capitalium, neq; solũ præsentes, sed etiam absentes. Diodorus Romæ sordidatus, circũ patronos, atq; hospites cursare, rem omnibus narrare. literæ mittuntur isti à patre vehementes, ab amicis itẽ, videret, quid ageret de Diodoro, quo progrederetur; rem claram esse, & inuidiosam; insanire hominem; periturũ hoc vno crimine, nisi cauisset. iste etiã tum patrẽ, si non in parentis, at in hominũ numero putabat: ad iudiciũ nondum se satis instruxerat: primus annus erat prouinciæ, non, vt in Sthenio,*

iam

iam refertus pecunia: itaque furor eius paullulum non pudore, sed metu, ac timore repressus est: condemnare Diodorum non audet, absentem de reis eximit. Diodorus interea, prætore isto, prope triennium prouincia, domoq; caruit. ceteri non solum Siculi, sed etiã ciues R. hoc statuerant, quoniam iste tantum cupiditate progrederetur, nihil esse, quod quisquã putaret se, quod isti paullo magis placeret, cõseruare, aut domi suæ retinere posse. postea vero quam intellexerunt, isti virũ fortem, quem summe prouincia exspectabat, Q. Arrium non succedere, statuerunt se nihil tam clausum, neque tam reconditum posse habere, quod non istius cupiditati apertissimum, promptissimumq; esset. Tum iste ab equite R. splendido, & gratioso, Cn. Calidio, cuius filium sciebat senatorem populi R. et iudicem esse, equuleos argenteos nobiles, qui Q. Maximi fuerant, aufert. imprudens huc incidi, iudices: emit enim, non abstulit. nollem dixisse. iactabit se, & in his equitabit equuleis. emi: pecuniam solui. credo. etiam tabulæ proferentur. est tanti. cedo tabulas. dilue sane crimen hoc Calidianum, dum ego tabulas adspicere possim. verumtamen quid erat, quod Calidius Romæ quereretur, se, cũ tot annos in Sicilia negotiaretur, abs te solo ita esse contemptũ, ita despectũ, vt etiã cũ ceteris Siculis despoliaretur; si emeras? quid erat, quod cõfirmabat se abs te argentũ esse repetiturũ, si tibi sua voluntate vendiderat? tu porro posses facere, vt Cn. Calidio nõ redderes? præsertim cum is L. Sisenna, defensore tuo, tam familiariter vteretur, cum & ceteris familiaribus Sisennæ reddidisses. deniq; non opinor negaturum esse te, homini honesto, sed non gratiosiori, quam Cn. Calidius est, L. Cordio argentum per Potamonem, amicum tuum, reddidisse. qui quidẽ ceterorum caussam apud te difficiliorem fecit. nã cum te compluribus confirmasses redditurũ; postea quam Cordius pro testimonio dixit te sibi reddidisse, finẽ reddendi fecisti; quod intellexisti te præda de manibus amissa, testimoniũ tamen effugere non posse. Cn. Calidio, equiti R. per omnes prætores licuit argentũ habere benefactũ: licuit posse, domesticis copijs, cũ magistratum, aut aliquẽ superiorẽ inuitasset, ornare; & apparare conuiuium. multi domi Cn. Calidij cum imperio, ac potestate fuerũt: nemo inuentus est tam amens, qui illud argentũ, tam præclarum, ac tam nobile, eriperet; nemo tam audax, qui posceret; nemo tã impudens, qui postularet, vt venderet. superbum est enim, iudices, & non ferendum, dicere prætorem in prouincia homini honesto, locupleti, splendido;

splendido, vende mihi vasa cælata. hoc est enim dicere, non es dignus tu, qui habeas, quæ tã bene facta sint: meæ dignitatis ista sunt. tu dignior, Verres, quam Calidius? qui, vt non conferam vitam, atque existimationem tuam cum illius, (neque enim est conferenda) hoc ipsum conferam, quo tu te superiorẽ fingis, quod H S L X X X diuisoribus, vt prætor renunciarere, dedisti; C C C accusatori, ne tibi odiosus esset. ea re contemnis equestrem ordinem, ac despicis? ea re indignum tibi visum est quidquam, quod tibi placeret, Calidium potius habere, quã te? Iactat se iamdudũ de Calidio: narrat omnibus, se emisse. num etiam de L. Papirio, viro primario, locuplete, honestoq́; equite R. thuribulum emisti? qui pro testimonio dixit, te, cum inspiciendum poposcisses, auulso emblemate, remisisse: vt intelligatis, in homine intelligentiam esse, non auaritiam; artificij cupidum, non argenti fuisse. nec solum in Papirio fuit hac abstinentia: tenuit hoc institutum in thuribulis omnibus, quæcumque in Sicilia fuerunt. incredibile est autem, quam multa, & quã præclara fuerint. credo tum, cum Sicilia florebat opibus, & copijs, magna artificia fuisse in ea insula. nam domus erat ante istum prætorem nulla paullo locupletior, qua in domo hæc non essent, etiam si præterea nihil esset argenti, patella grandis, cum sigillis ac simulacris deorum; patera, qua mulieres ad res diuinas vterẽtur; thuribulum. hæc autem omnia antiquo opere, & summo artificio facta: vt hoc liceret suspicari, fuisse a iquãdo apud Siculos peræqua proportione cetera; sed, quibus multa fortuna ademisset, tamen apud eos remansisse ea, quæ religio retinuisset.

EXPLANATIO.

SALVTEM *viri*] Amphiarai vatis: quem latentem, ne ad bellum Thebanum iret, quod ibi se periturum ex augurijs nouerat, aureo monili corrupta vxor Polynici prodidit Seruius in illud Virg. lib. VI. Mæstamq́ue Eriphylen, Crudelis nati monstrantem vulnera, cernit. Attingit hanc fabulam Aeschylus in septem, Euripides in Phœnissis, Plato de rep. lib. IX. Pausanias in Atticis, Cicero in ep. ad Cæcinam, cum ait: Prudens & sciens, tamquam Amphiaraus in fabulis, ad exitium ruerem voluntarium. Et Propertius in eo versu:

Adspice, quid donis Eriphyla inuenit amaris.

DE SVIS *canibus quẽdã*] de suis domesticis, vt lib. I: Mul-

ta sibi opus esse, multa canibus suis, quos circa se haberet. Lib. II: Ista cohors quorũ hominum est? Volusij haruspicis, Cornelij medici, & horum canum, quos tribunal meum vides lambere. CASTRA *iam mouerat,* } argute, pro, discesserat: quia sequitur, Vasa collegerat: nã vasa, id est impedimenta, milites colligunt castra moturi: iocus est: quia sua vasa, id est scyphos, Diodorus abstulerat. TVM *primum*} primo anno præturæ Siciliensis. nã postea Sthenij Thermitani absentis nomen recepit ADIVDICIVM} hoc repetundarũ. INSTRVXERAT: } pecunia, ex furtis, iniquisq; dãnationibus collecta. EQVVLEOS *argenteos nobiles,*} equulei sunt pulli equini. sunt etiã tormenta quædam: hic videntur esse vasa cælata, cum aliqua fortasse equi forma, vnde nomen acceperint. subiungit enim infra, de his ipsis equuleis: Vende mihi vasa cælata. Q. MAXIMI} Fabij, qui de Allobrogibus triumphauit. hunc enim, vt rebus gestis clariorẽ, significari malo, quam alterum, eiusdem ætatis. Q. Maximum, cui cognomen Eburno fuit. IN HIS *equitabit equuleis.*} ex hoc equuleorum crimine defensionẽ arripiet: non se abstulisse dicet, sed emisse. exsultabit, & in his quasi equitabit equuleis, quod hoc se Calidianum crimen facile speret posse diluere. CREDO, *etiam tabulæ proferentur.*} pungit Verrem, qui se tabulas eius temporis confecisse iam negauerat. est enim cum ironia dictum: Credo, etiam tabulæ proferẽtur. & hunc sensum confirmat id, quod sequitur, *Est tanti:*} id est: Expedit tibi: operæpretiũ est: digna res videtur, propter quam tabulas proferas, quas habere te negasti. Eodem respiciunt illa verba: Diluc sane crimen hoc Calidianũ, dum ego tabulas adspicere possim. quod valet: malo tabulas adspicere, quam crimen hoc obtinere. nam, si tabulas videro, ijs ipsis vtar ad probãda, quæ dico, quamplurima. NEGOTIARETVR, } negotiari licebat equitibus Romanis, senatoribus per leges non licebat. vnde in Parad. Propter auiditatem pecuniæ nullum quæstum turpem putas: cum isti ordini ne honestus quidem esse possit vllus. ABS TE *solo*} qui enim antea prætores in Sicilia fuerant, eorũ nemo inuentus est

tam

tam amens, qui illud argentum, tam præclarum, ac tam nobile, eriperet; nemo tam audax, qui posceret; nemo tã impudens, qui postularet, vt venderet. CVM *ceteris Siculis*} Siculi tibi hominis loco fuit: non eius abs te, vt equitis Romani, habita ratio est: eripuisti equuleos argenteos ab eo, vt à Siculis alia, perquam multa. POTAMONEM} L. Papirium Potamonẽ, quo scriba vsus erat Cæcilius, quæstor Verris. in Diuin. & lib. III. bis. DIFFICILIOREM *fecit*.} testimonio suo. cum enim te sibi reddidisse dixit, intellexisti, etiam si ceteris redderes, testimonia tamen eorũ effugere non posse. SVPERIOREM} dignitate, vt senatorem. H.S LXXX *millia*} scutatorum duo millia quadringenti. NE TIBI *odiosus esset*.} ne tibi negotium facesseret, ne te de ambitu accusaret. Non caret lepore, Ne tibi odiosus esset. CVM *imperio, ac potestate*} prætores, & consules. EQVESTREM *ordinem*,} nam equestris ordinis Calidius. Ne quis putet, quia dixit, Quo tu te superiorem fingis, Calidium petijsse preturam cum Verre, & repulsam tulisse. præturã enim, qui senator nõ esset, ei petere non licebat. sed in vno Calidio equestris ordinis vniuersi dignitatem Cicero considerat: eoq; cõtempto, simul vniuersum ordinem contemptum dicit. INTELLIGENTIAM} artificium enim erat in emblemate, non in thuribulo: sed artificium prætij maioris erat, quam argentum. Eodem modo iocatus est infra: Sigillis auulsis, reliquum argentũ sine auaritia reddidit. CVM *Sicilia floreret omnibus opibus, & copijs,*} ante quam à Pœnis vexari cœpta est. Sic de Inuent. lib. Crotoniatæ, cum floreret omnibus copijs. ANTE *istum prætorem*} qui patellas, pateras, thuribula abstulit omnia. Sermo est ad indicandam auaritiam Ciceroni familiaris. cuius exempla quædam in Diuin. recitauimus in eo loco, Quæ mulier ante hunc quæstorem copiosa plane, & locuples fuit. PATELLA *grandis*} cõtraria videntur, Patella, & Grandis. itaque malim, Patera grandis: & post, Patella, nõ, Patera. QVAE *religio retinuisset*.} ergo rebus diuinis pateræ, patellæ, thuribula seruiebant.

ORATIO.

DIXI, iudices, multa fuisse fere apud Siculos omnes: ego idem confirmo, nunc ne verum quidem esse. quid hoc est? quod monstrũ, quod prodigium in prouinciam misimus? nõ ne vobis id egisse videtur, vt non vnius libidinẽ, non suos oculos, sed omnium auarißimorũ insanias, cum Romam reuertisset, expleret? qui simul atque in opidum quoppiam venerat, immittebantur illi continuo Cibyratici canes, qui inuestigabant, & perscrutabantur omnia. si quod erat grande vas, & maius opus inuentum, læti auferebant. si minus eiusmodi quippiam venari poterant, illa quidem certe pro lepusculis capiebantur, patellæ, pateræ, thuribula. hic quos putatis fletus mulierum, quas lamentationes fieri solitas esse in hisce rebus? quæ forsitan vobis paruæ esse videantur; sed magnum & acerbum dolorem commouent, mulierculis præsertim, cũ eripiuntur è manibus ea, quibus ad res diuinas vti consueuerunt, quæ à suis acceperunt, quæ in familia semper fuerũt. Hic nolite exspectare, dum ego hoc crimen agam ostiatim: ab Aeschylo Tindaritano istum pateram abstulisse, à Thrasone itẽ Tindaritano patellam, à Nymphodoro Agragantino thuribulum. cũ testes ex Sicilia dabo, quem volet, eligat, quem ego interrogem de patellis, pateris, thuribulis: non opidum vllum, sed ne domus quidem vlla paullo locupletior expers huius iniuriæ reperietur. quid, cum in cõuiuiũ venisset, si quidquã cælati adspexerat, manũ abstinere, iudices, non poterat. Cn. Pompeius est Philo, qui fuit Tindaritanus. is cenam isti dabat, apud villã in Tindaritano. fecit, quod Siculi nõ audebant ille, ciuis R. quid erat, impunius id se facturũ putauit. apposuit patellã, in qua sigilla erãt egregia. iste cõtinuo, vt vidit, nõ dubitauit illud insigne penatiũ, hospitaliumq́; deorũ ex hospitali mensa tollere: sed tamẽ, quod antea de istius abstinentia dixeram, sigillis auulsis reliquũ argentũ sine vlla auaritia reddidit. Quid? Eupolemo Calatino, homini nobili, Lucullorũ hospiti, ac perfamiliari, qui nũc apud exercitum cum L. Lucullo est, non idem fecit? cenabat apud eum. argentum illi ceterum purum, ne purus ipse relinqueretur, duo pocula non magna, veruntamen cum emblematis, apposuerat. hic. quasi festiuum acroama, ne sine corollario de conuiuio discederet, ibidem conuiuis inspectantibus, emblemata auellenda curauit. Neq; ego nunc istius facta omnia enumerare conor: neq; opus est: nec fieri vllo modo potest: tantummodo vniuscuiusque de varia impro-

improbitate generis indicia apud vos, & exempla profero. neque enim ita se gessit in his rebus, tamquam rationem aliquando esset redditurus; sed prorsus ita, quasi aut reus numquam esse futurus, aut, quo plura abstulisset, eo minore periculo in iudicium esset venturus; qui hæc, quæ dico, iam non occulte, non per amicos, atque interpretes, sed palam de loco superiore ageret, pro imperio, & potestate.(Catinam cum venisset, opidum locuples, honestum, copiosum, Dionysiarchum ad se Proagorum, hoc est summum magistratum, vocari iubet, ei palam imperat, vt omne argentum, quod apud quemque esset Catinæ, conquirendum curaret, & ad se trãsferendum. Philarchum Centuripinum, primarium hominem genere, virtute, pecunia, non hoc idem iuratum dicere audistis? sibi istum negotium dedisse, atque imperauisse, vt Centuripis, in ciuitate totius Siciliæ multo maxima, & locupletissima, omne argentum conquireret, & ad se comportari iuberet. Agyrio similiter istius imperio vasa Corinthia per Apollodorum, quẽ testem audistis, Syracusas deportata sunt, illa vero optima, quod, cum Haluntinum venisset prætor laboriosus, & diligens, ipse, in opidum accedere noluit, quod erat difficili adscensu, atq; arduo: Archagathum Haluntinum, hominem non solum domi suæ, sed tota Sicilia in primis nobilem, vocari iussit: ei negotium dedit, vt, quidquid Haluntii esset argenti cælati, aut si quid etiam Corinthiorum, id omne statim ad mare ex opido deportaretur. adscendit in opidum Archagathus, homo nobilis, qui à suis & amari, & diligi vellet, ferebat grauiter, illam sibi ab isto prouinciam datã: nec, quid faceret, habebat: pronunciat, quid sibi imperatum esset: iubet omnes proferre, q̃ haberent. metus erat summus: ipse enim tyrannus non discedebat longius: Archagathũ & argentum, in lectica cubans, ad mare infra opidum exspectabat. quem concursum factũ in opido putatis? quem clamorem? quẽ porro fletũ mulierum? qui viderent, equum Troianum introductum, vrbem captam esse dicerent. efferri sine thecis vasa, extorqueri alia de manibus mulierum, effringi multorum fores, reuelli claustra. quid enim putatis? scuta si quando conquiruntur à priuatis in bello, ac tumultu, tamẽ homines inuiti dãt, etsi ad salutem communem dari sentiunt: ne quem putetis sine maximo dolore argentũ cælatum domo, quod alter eriperet, protulisse. omnia deferuntur. Cibyratæ fratres vocantur: pauca improbãt: quæ probant, iis crustæ, aut emblemata detrahuntur. sic Halun-

 tini,

tini, excußis delicijs, cũ argento puro domũ reuerterunt. Quod vnquam, iudices, huiuſcemodi euerriculum vlla in prouincia fuit? auertere aliquid de publico quã obſcurißime per magiſtratum ſolebant: etiã aliquid de priuato non numquã occulte auferebant: & illi tamen condemnabantur. & ſi quæritis, (vt egomet mihi detraham) illos ego accuſatores puto fuiſſe, qui huiuſmodi hominum furta odore, aut aliquo leuiter preſſo veſtigio perſequebantur. nã nos quidem quid facimus in Verre, quem in luto volutatũ totius corporis veſtigijs inuenimus? permagnum eſt in eum dicere aliquid, qui præteriens, lectica paulliſper depoſita, non per præſtigia, ſed palam, per poteſtatem, vno imperio, oſtiatim, totum oppidum compilarit? Attamen, vt poßit ſe dicere emiſſe, Archagatho imperat, vt aliquid illis, quorum argentum fuerat, nummorum dicis cauſſa daret. inuenit Archagathus paucos, qui vellent accipere: his dedit: eos nummos tamen iſte Archagatho non reddidit. voluit Romæ petere Archagathus: Cn. Lentulus Marcellinus diſſuaſit, ſicut ipſum dicere audiſtis. atque hac tota de re audiſtis Archagathi, & Lentuli teſtimonium. Et, ne forte hominem exiſtimetis hanc tantam vim emblematum ſine cauſſa coaceruare voluiſſe; videte, quanti vos, quanti exiſtimationem populi R. quanti leges, & iudicia, quanti teſtes Siculos, negotiatoresque fecerit.

EXPLANATIO.

CETERA,} profana. FORTVNA} vis bellorum. INSANIAS} inſanas, cupiditates. de quo ſupra. EXPLERET} vt ijs in iudicio ſuffragatoribus vteretur. ſupra: Multa alijs data, atq; donata. CIBYRATICI *canes*,} Tlepolemus, & Hiero. ſupra: Canes venaticos diceres. ſequuntur verba canũ propria, Inueſtigabant, Perſcrutabantur, Venari, Pro lepuſculis capiebantur. QVI FVIT *Tindaritanus*.} ante quam ciuis Romanus eſſet. ſic in ep. ad Acilium: L. Mallius eſt Soſis, is fuit Catinenſis: poſtea eſt cum reliquis Neapolitanis ciuis Romanus factus. QVOD *antea de iſtius abſtinentia dixeram*,} cum dixit, cum, auulſo emblemate, thuribulum L. Papirio remiſiſſe: & ſubiunxit: Vt intelligatis, in homine intelligentiã eſſe, non auaritiam; artificij cupidũ, non argenti fuiſſe. LVCVLLORVM} Lucij, & Marci, fratrum, conſularium. APVD *exercitũ*} qui degrant in caſtris non militandi, ſed

militiæ

militiæ potius cognoſcendæ gratia, apud exercitum eſſe dicebantur: de quibus Cæſar lib. I, bel. Gall. Qui ex vrbe amicitiæ cauſſa Cæſarē ſecuti. Plinius autē lib. XXXIII. cap. II. Pompeium Paullinum, Arelatēſis equitis Romani filium, paterna quoque gente pulſum, quod XII pondo argenti habuiſſet apud exercitū ferociſſimis gentib⁹ oppoſitum, ſcimus. CVM *L. Lucullo*} Mithridatico bello. ARGENTVM *illi*} malim, Ille: cum ſequatur, Hic. PVRVM} ſine emblematis. NE PVRVS *ipſe relinqueretur,*} ne cum emblematis argentum omne Verres, pro ſua cōſuetudine, auferret. *Purus*: id eſt inanis, nullo cum argento. QVASI *feſtiuum acroama,*} Acroama dicebatur, & qui feſtiue caneret in conuiuio; cui munera dabantur; & res ipſa, quæ canebatur. hic accipitur pro eo, qui caneret. PARDIORVM,} ſenatorum Catinenſium, vt opinor. ILLA *vero optima,*} quæ excellant inter cetera: pro, ſumme improba. SI QVID *etiam Corinthiorum,*} hoc addidit, quaſi viliora eſſent, quia non ex argento, ſed ex ære. VT OMNE *ſtatim*} Vt, videtur, abundare: ſed nō abundat: iterat enim ſæpe hanc particulam Cicero: vt alibi oſtendimus. LABORIOSVS, *&* *diligens,*} ironia. ſequitur enim: In opidum accedere noluit, quod erat adſcenſu arduo. INFRA *opidum*} legit Seruius, Intra mœnia, opidi, id eſt arcis, deinde ſuburbanorum in planitie. Sed in opido habitabāt ij, quibus argentū erat. EXCVSSIS *delicijs,*} detractis cruſtis, & emblematis, quibus argentum in delicijs erat. PER *magiſtratum*} eius ciuitatis. ACCVSATORES} dignos hoc nomine, qui occulta perquirerent, & inuenirent. PER *præſtigia,*} quam obſcuriſſime: vt ſupra dixit. DICIS *cauſſa*} vnde hoc deductum ſit, non plane conſtat: deductū tamē à verbo, Dico, oſtēdit Varro: & hoc, Dicis cauſſa, ętate quoque ſua antiquū ait eſſe. Vſurpatur à veteribus pro, Ad ſpeciem: vt vere, ac ſerio factū videretur id, qđ ſimulatione quadā factū erat. exempla nō deſunt apud iuriſconſultos. Caius: Cū dicis gratia, loco numeratiōis, pecuniæ interuēit. Vlpianus: Si finxit quis auxiliū ferre, vel dicis gratia tulit. Idē:

Qui maturius profectus est, vel dicis gratia cœpit, reip. caussa abesse. Est etiam apud Plinium pontificis mentio dicis gratia epulantis. Horum verborum sententiam à se primum animaduersam, excellentis vir ingenij, iurisprudentiæ laude clarus, Duarenus prodidit. NON *reddidit* } dederat enim Archagathus de suo, tantum sibi Verrē esse redditurum arbitratus, quantum ipse dedisset ijs, quorum argento crustæ & emblemata fuerant auulsa. CN. LENTVLVS *Marcellinus* } de quo diximus in Diuin.

ORATIO.

POSTEA quam tantam multitudinem collegerat emblematum, vt ne vnum quidem cuiquam reliquisset, instituit officinam Syracusis. in regiam maximam palam artifices omnes, cælatores, ac vascularios conuocari iubet: & ipse suos complures habebat. eo cōducit magnam hominum multitudinem. mēses octo continuos opus his non defuit, cū vas nullum fieret, nisi aureum. tum illa, ex patellis, & thuribulis quæ vellerat, ita scite in aureis poculis illigabat. ita apte in scyphis aureis includebat, vt ea ad illam rem nata esse diceres. ipse tamē prætor, qui sua vigilantia pacē in Sicilia dicit fuisse, in hac officina maiorē partē diei cū tunica pulla sedere solebat, & pallio. Hæc ego, iudices, non auderē proferre, ni vererer, ne forte plura de isto ab alijs in sermone, quā à me in iudicio, audisse, vos diceretis. quis enim est, qui de hac officina, qui de vasis aureis, qui de istius pallio, tunica pulla non audierit? quem voles de conuentu Syracusanorū virū bonum nominato: producam: nemo erit, quin hoc se aut vidisse, aut audisse dicat. o tempora: o mores. nihil nimium vetus proferam. sunt vestrum, iudices, quā multi, qui L. Pisonē cognouerūt, huius L. Pisonis, qui prætor fuit, patrē. is cum esse in Hispania prætor, qua in prouincia occisus est, nescio quo pacto, dum armis exercetur, anulus aureus, quē habebat, fractus est, & comminutus. cum vellet sibi anulum facere, aurificem iussit vocari in foro. ad sellā, Cordubæ, & ei palam appendit aurum. hominē in foro sellam iubet ponere, & facere anulū omnibus præsentibus. nimium fortasse dicet aliquis hunc diligentē. hactenus reprehendat, si quis volet. nihil amplius. verū fuit ei concedendum. filius enim L. Pisonis erat eius, qui primus de pecunijs repetundis legem tulit. Ridiculum est nunc de Verre me dicere, cum de Pisone Frugi dixerim, verumtamen, quantū intersit,

sit, videte. Iste cum aliquot abacorum faceret vasa aurea, non laborauit, quin non modo in Sicilia, verum etiam Romæ in iudicio audiretur: ille in auri semuncia totam Hispaniam scire voluit, vnde prætori anulus fieret. nimirum vt hic nomen suum cōprobauit, sic ille cognomen. Nullo modo possum omnia istius facta aut memoria consequi, aut oratione complecti: genera ipsa cupio breuiter attingere: vt hic modo me commonuit Pisonis anulus, quod totū efflu xerat. Quā multis istum putatis hominibus honestis de digitis anulos aureos abstulisse? numquam dubitauit, quotiescumq; alicuius aut gemma, aut anulo delectatus est. incredibilem rem dicam, sed tam claram, vt ipsum negaturum non arbitrer. Cum Valentio, eius interpreti, epistola Agraganto allata esset, casu signū iste animaduertit in cretula: placuit ei: exquisiuit, vnde esset epistola: respondit, Agraganto. iste litteras, ad quos solebat, misit, vt is anulus ad se primo quoque tempore afferretur. ita litteris istius patrifamilias L. Titio cuidam, ciui R. anulus de digito detractus est. Illa vero eius cupiditas incredibilis est. nam, vt in singula conclauia, q̄ iste non modo Romæ, sed omnibus in villis habet, tricenos lectos optime stratos cum ceteris ornamentis conuiuij quæreret, nimium multa comparare videretur nulla domus in Sicilia locuples fuit, vbi iste nō textrinam instituerit. mulier est Segestana, perdiues, et nobilis, Lamia nomine. per triennium isti, plena domo telarū, stragulam vestem confecit, nihil non conchylio tinctū. Attalus, homo pecuniosus, nec vulgo, Lilybæi, Critolaus Ennæ, Syracusis Aeschrio, Cleomenes, Theomnastus, Pelori Archonides, Megistus. vox me citius defecerit, quam nomina. ipse dabat purpuram tantum, amici operas. credo: iam enim non libet omnia criminari: quasi vero hoc mihi non satis sit ad crimen, habuisse tam multū, quod daret; voluisse deportare tam multa: hoc denique, quod concedit, amicorum operis esse in huiuscemodi rebus vsum. Iam vero lectos æratos, & candelabra ænea nū cui, præter istum, Syracusis per triennium facta esse existimatis? Emebat, credo: sed tantum vos certiores, iudices, facio, quid iste in prouincia prætor egerit, ne cui forte nimium negligens fuisse videatur, neque se satis, cum potestatē habuerit, instruxisse, & ornasse.

EXPLANATIO.

OPVS *his non defuit*} nō defuit, quod agerent. CVM *tunica pulla*} non senatoria, quæ à latis purpureis

 clauis

clauis Latus clauus dicebatur. PALLIO} more Græco, non Romana toga. QVAM *multi,*} quasi admirantis, vt lib. III: Fecerunt aliqui alia quam multa. AD SELLAM,} in qua sedebat ipse prætor. HACTENVS} quod nimium se in probanda integritate abstinentiaque sua diligentem ostenderit. NIHIL *amplius.*} nihil adat. rem enim ipsam quis magna laude dignam esse neget? DE VERRE} Pisoni dissimillimo. ALIQVOT *abacorum*} cum singuli abaci vasa multa capiant. AVRI *semunica*} scutatis quattuor, paullo ve amplius. auri enim pretium decuplo argento præstat, vt ait Pollux. NOMEN *suum*} quasi Verres dictus à Verrendo sit. Nomen dixit pro cognomen: quia Verrem semper appellat, omisso gentis nomine, ad maiorem ignominiam, & simul, vt puto, ne gentem Corneliã, è qua Verres fuit, offenderet. QVOD *totum effluxerat.*} mirum Oratoris artificium, in addenda, sine iudicum fastidio, ac satietate, noua re. IN CRETVLA} & cera, & creta in obsignandis litteris veteres vtebantur. Asiaticam cretam, qua publicani vterentur, Cicero nominat in oratione pro Flaco. NIMIVM *multa*} quæ comparauit, ita multa sunt, vt, si in singula sua conclauia tricenos lectos, optime stratos, cum ceteris conuiuij ornamentis quæreret, haud pauca tamen ei superessent. CONCHYLIO *tinctum:*} purpura intertextum. NEC *vulgo,*} nec vulgaris homo, sed honestus. IPSE} Verres. OPERAS.} qui opus facerent, eorum impensa, non Verris. CREDO.} hoc non negauerim, ipsum purpuram dedisse: ne criminari omnia videar. HABVISSE *tam multum, quod daret,*} vnde enim habuit, nisi ex rapinis & furtis? HOC *denique;*} nam & in hoc ipso crimen est. QVOD *concedit,*} quasi licuerit. LECTOS *æratos*} cubiculares, & tricliniares erãt lecti, illi, nocturnæ quietis caussa, hi, vnde cibum accubantes caperẽt: qui primum lignei, vt rude, expersq; deliciarum priscum fæculũ fuit, deinde, corruptis peregrino luxu moribus, ærati, postremo etiam eburnij, argentei, aurei fuere. & cum ait Plinius lib. XXXIV. c. III. Cn. Manlium, deuicta Asia, triclinia ærata, abacos, & monopodia primum inuexisse tri-

ſe triumpho ſuo, quem anno V. C. DLXVII duxit; lectos æratos, qui ponebantur in triclinijs, ſignificat, non ipſa triclinia, quæ partes ædium erant, & conclauia dicebantur, à cubiculis diuerſæ, in quibus non cenabatur. CVM *poteſtatem habuerit*, } cum prætor eſſet: qui ſua poteſtate ad libidinem vti non debuit. hoc & ſupra exagitat his verbis: Sed quid ego tam vehementer inuehor? verbo iam vno repellar. Emi, inquit. O dij immortales præclaram defenſionem. mercatorem cum imperio, ac ſecuribus in prouinciam miſimus, qui omnia ſigna, tabulas pictas, omne argentum, aurum, ebur, gemmas coemeret. Et lib. I: Hic ego non arbitror illum negaturum, ſigna ſeſe plurima, tabulas pictas innumerabiles, habere: ſed, vt opinor, ſolet hæc, quæ rapuit, & furatus eſt, nonnumquam dicere ſe emiſſe: quoniam quidem in Achaiam, Aſiam, Pamphyliam ſumptu publico, & legationis nomine, mercator ſignorum, tabularumque pictarum miſſus eſt.

ORATIO.

VENIO *nunc non iam ad furtum, non ad auaritiam, non ad cupiditatem, ſed ad eiuſmodi facinus, in quo omnia nefaria contineri mihi, atque ineſſe videantur: in quo dij immortales violati, exiſtimatio, atque auctoritas nominis populi R. imminuta, hoſpitium ſpoliatum, ac proditum, abalienati ſcelere iſtius à nobis omnes reges amiciſſimi, nationesque, quæ in eorum regno, ac ditione ſunt. Nam reges Syriæ, regis Antiochi filios, pueros, ſcitis Romæ nuper fuiſſe, qui venerant, non propter Syriæ regnum: nam id ſine controuerſia obtinebant, vt à patre, & à maioribus acceperant: ſed regnum Aegypti ad ſe, & ad Selinem, matrem ſuam, pertinere arbitrabantur. hi poſtquam temporibus populi R. excluſi, per ſenatum agere, quæ voluerant, non potuerunt, in Syriam in regnum patrium profecti ſunt. eorum alter, qui Antiochus vocatur, iter per Siciliam facere voluit: itaque iſto prætore venit Syracuſas. hic Verres hereditatem ſibi veniſſe arbitratus eſt, quod in eius regnum, ac manus venerat is, quem iſte & audierat multa ſecum præclara habere, & ſuſpicabatur. mittit homini munera ſatis large, ad vſum domeſticum, vini, olei, quod viſum erat; etiam tritici, quod ſatis eſſet, de his decumis, de inde ipſum regem ad cenam vocauit, exornat.*

ample, magnificeque triclinium: exponit ea, quibus abundabat, plurima, ac pulcherrima vasa argentea: namque hæc aurea nondum fecerat. omnibus, curat, rebus instructum & paratum vt sit conuiuium. quid multa? rex ita discessit, vt & istum copiose ornatū, & se honorifice acceptum arbitraretur. vocat ad cenam deinde ipse pretorem: exponit suas copias omnes, multum argentum, non pauca etiam pocula ex auro: quæ, vt mos est regius, & maxime in Syria, gemmis erant distincta clarissimis. erat etiam vas vinarium ex vna gemma pergrandi, trulla excauata, cum manubrio aureo; de qua, credo, satis idoneum, satis grauem testem, Q. Minucium dicere audistis. iste vnumquodq; vas in manus sumere, laudare, mirari. rex gaudere, prætori populi R. satis iucundum, & gratum illud esse conuiuium. postea quam inde discessum est, cogitare iste nihil aliud, quam, id quod ipsa res declarauit, quemadmodum regem ex prouincia spoliatum, expilatumque dimitteret. mittit rogatum vasa ea, quæ pulcherrima apud illum viderat: ait se suis cælatoribus velle ostendere. rex, qui istum non nosset, sine vlla suspicione libentissime dedit. mittit etiam trullam gemmeam rogatum; velle eam se diligentius considerare. ea quoque ei mittitur. nunc reliquū, iudices, attendite, de quo & vos audistis, & populus R. nō nunc primū audiet, & in exteris nationibus vsque ad vltimas terras peruagatū est. Candelabrū è gemmis clarissimis, opere mirabili perfectū, reges hi, quos dico, Romā cum attulissent, vt in Capitolio ponerent; quod nondum etiam perfectum templū offenderant, neque ponere, neque vulgo ostendere, ac proferre voluerunt; vt & magnificentius videretur, cum suo tempore in cella Iouis Optimi. Maximi poneretur; & clarius, cū pulchritudo eius recens ad oculos hominum, atq; integra perueniret. statuerunt id secū in Syriam reportare, vt, cum audissent simulacrum Iouis Optimi Maximi dedicatum, legatos mitterēt, qui cū ceteris rebus illud quoque eximium, atque pulcherrimum donum in Capitoliū afferrent. peruenit res ad istius aures nescio quo modo: nam rex id celatum voluerat: non quo quidquam metueret, aut suspicaretur, sed vt ne multi illud ante perciperent oculis, quam populus R. iste petit à rege, & eum pluribus verbis rogat, vti ad se mittat: cupere se dicit inspicere, neq. se alijs videndi potestatem esse facturū. Antiochus, qui animo & puerili esset, & regio, nihil de istius improbitate suspicatus est: imperat suis, vt id in prætoriū inuolutum quam occultis-

occultißime deferrent. quo postea quam attulerunt, inuolucrisq; reiectis constituerunt: iste clamare cœpit, dignam rem esse regno Syriæ, dignam regio munere, dignã Capitolio: etenim erat eo splẽdore, qui ex clarißimis, & plurimis gemmis esse debebat, ea varietate operum, vt ars certare videretur cum copia, ea magnitudine, vt intelligi posset, non ad hominũ apparatum, sed ad amplißimi tẽpli ornamentum esse factum. quod cum satis iam perspexisse videretur, tollere incipiunt, vt referrent. iste ait, se velle illud etiã atq; etiam considerare, nequaquã se esse satiatum. iubet illos discedere, & candelabrũ relinquere. sic illi tũ inanes ad Antiochũ reuertũtur. rex primo nihil metuere, nihil suspicari. dies vnus, alter plures nõ referri. tũ mittit rex ad istum: si sibi videatur, vt reddat. iubet iste posterius ad se reuerti. mirum illi videri. mittit iterum. non redditur. ipse hominem appellat: rogat, vt reddat. os hominis, insignemq; impudentiã cognoscite. quod sciret, quodq; ex ipso rege audisset in Capitolio esse ponẽdũ, quod Ioui Optimo Maximo, quod populo R. seruari videret, id sibi vt donaret, rogare, & vehementer petere cœpit. cũ ille se & religione Iouis Capitolini, & hominũ existimatiõe impediri diceret, quod multæ natiões tessent testes illius operis, ac muneris: iste homini minari acerrime cœpit. vbi videt eum nihilo magis minis, quam precibus permoueri: repente hominem de prouincia iubet ante noctem discedere: ait se comperisse, ex eius regno piratas in Siciliam esse venturos. rex maximo conuentu Syracusis, in foro, ne quis forte me in crimine obscuro versari, atque effingere aliquid suspicione hominum arbitretur; in foro, inquam Syracusis, flens, deos hominesque contestans clamare cœpit, candelabrum factum è gemmis, quod in Capitolium missurus esset, quod in templo clarißimo populo R. monumentum suæ societatis, amicitiæque esse voluisset, id sibi C. Verrem abstulisse. de ceteris operibus ex auro, & gemmis, quæ sua penes illum essent, se non laborare: hoc sibi eripi, miserum esse, & indignum; id etsi antea iam mente, & cogitatione sua fratrisque sui consecratum esset, tamen tum se in illo conuentu ciuium R. dare, donare, dicare, consecrare Ioui Optimo Maximo, testemque ipsum Iouem suæ voluntatis, ac religionis adhibere. Quæ vox? quæ latera? quæ vires huius vnius criminis querimoniam poßint sustinere? rex Antiochus, qui Romæ ante oculos omnium nostrum biennium fere comitatu regio, atque ornatu fuisset, is cum amicus, & socius populi R.

li R. esset, amicißimo patre, auo, maioribus, antiquißimis, et clarißimis regibus, opulentißimo, & maximo regno, praeceps è prouincia populi R. exturbatus est. Quemadmodum hoc accepturas nationes exteras, quemadmodum huius tui facti famam in regna aliorum, atque in ultimas terras peruenturam putasti, cum audierint; à praetore populi R. in prouincia violatum regem, spoliatum hospitem, eiectum socium populi atque amicum? nomen vestrum, populique R. odio, atque acerbitati scitote nationibus exteris, iudices, futurum. si istius haec tanta iniuria impunita discesserit. sic omnes arbitrabuntur, praesertim cum haec omnino fama de nostrorum hominum auaritia, & cupiditate percrebuerit, non istius solius hoc esse facinus, sed eorum etiam, qui approbarint. multi reges, multae liberae ciuitates, multi priuati opulenti, ac potentes habent profecto in animo Capitolium sic ornare, vt templi dignitas, imperijque nostri nomē desiderat: qui si intellexerint, interuerso regali hoc dono, grauiter vos tulisse: grata fore vobis populoque R. sua studia, ac dona arbitrabuntur. sin hoc vos in rege tam nobili, in re tam eximia, in iniuria tam acerba, neglexisse audierint: non erunt tam amentes, vt operam, curam, pecuniam impēdant in eas res, quas vobis gratas fore non arbitrentur.

EXPLANATIO.

TEMPORIBVS *populi Romani*}. fortasse propter duo bella difficillima, quæ tum gerebantur, Mithridaticum in Asia, duce Lucullo: Sertorianum in Hispania, ducibus Metello Pio. Cn. Pompeio Magno. ANTIOCHVS} vide Appianum in Syriaco. IN EIVS *regnum*,} regnabat enim plane Verres in Sicilia. DE HIS *decumis* } quas supra cōmemoraui, per iniuriam ereptis. TRVLLA} vnde vinū effunditur. NISI} videtur abundare. NONDVM *etiam perfectum templum*} quod cum incendio deflagrasset, Sulla mortuo, Q. Catulus refecit, & consecrauit. Plutarchus, Appianus, Florus. VT ARS *certare videretur cum copia*.} similis in laudādo Pompeio sententia in oratione pro Balbo: In quo vno summa fortuna cum summa virtute certauit. Et in vituperādo Pisone: Cuius, vt prouinciam tetigit, sie fortuna cum improbitate certauit, vt nemo posset, vtrum deterior, an infelicior esset, iudicare:

ORA.

ORATIO.

HOC loco, Q. Catule, te appello: loquor enim de tuo clarissimo, pulcherrimoq; monumento. non iudicis solum seueritatem in hoc crimine, sed prope inimici, atq; accusatoris vim suscipere debes. tuus est enim honos in illo templo. senatus populique R. beneficio: tui nominis æterna memoria simul cum templo illo consecratur: tibi hæc cura suscipienda, tibi hæc opera sumenda est, vt Capitolium, quo modo magnificentius est restitutum, sic copiosius ornatum sit, quam fuit: vt illa flamma diuinitus exstitisse videatur, non quæ deleret Iouis Optimi Maximi templum, sed quæ præclarius magnificentiusq; deposceret. audistis Q. Minucium Rufum dicere, domi suæ diuersatum esse Antiochum regem Syracusis, se illud scire ad istum esse delatum, se scire non redditum. audisti, & audies omni è conuentu Syracusano, qui ita dicant, sese audientibus, illud Ioui Optimo Maximo dicatum esse ab rege Antiocho, & consecratum. si iudex non esses, & hæc ad te delata res esset, te potissimum hoc persequi, te petere, & agere oporteret. quare non dubito, quo animo iudex huius criminis esse debeas, qui apud alium iudicem multo acrior, quam ego sum, actor, accusatorq; esse deberes. Vobis autem, iudices, quid hoc indignius, aut quid minus ferendum videri potest? Verres ne habebit domi suæ candelabrum Iouis Optimi Maximi, è gemmis auroq; perfectum? cuius fulgore collucere, atq; illustrari Iouis Optimi Maximi templum oportebat, id apud istum in eiusmodi conuiuijs constituetur, quæ domesticis stupris, flagitijsque flagrabunt? in istius lenonis turpissimi domo simul cum ceteris Chelidonis hereditarijs ornamentis Capitolij ornamenta ponentur? quid huic sacri vmquam fore, aut quid fuisse religiosi putatis, qui nunc tanto scelere se obstrictum esse non sentiat? qui in iudicium veniat, vbi ne precari quidem Iouem Optimum Maximum, atque ab eo auxilium petere more omnium possit? à quo etiam dij immortales sua repetunt in eo iudicio, quod hominibus ad suas res repetundas est constitutum. Miramur Athenis Mineruam, Deli Apollinem, Iunonem Sami, Pergæ Dianam, multos præterea ab isto deos tota Asia, Græciaq; violatos, qui à Capitolio manus abstinere non potuerit? quod priuati homines de suis pecunijs ornant, ornaturiq; sunt, id C. Verres ab regibus ornari non est passus. itaque, hoc nefario scelere concepto, nihil postea tota in Sicilia neque sacri, neq; religiosi esse duxit ita sese in ea prouincia per triennium gessit, vt ab isto non solum

hominibus, verum etiam dijs immortalibus bellum indictum putaretur. Segesta est opidum peruetus in Sicilia, iudices, quod ab Aenea fugiente à Troia, atque in hæc loca veniente conditum esse demonstrant. itaque Segestani non solum perpetua societate, atque amicitia, verum etiam cognatione se cum populo R. coniunctos esse arbitrantur. hoc quondam opidum, cum illa ciuitas cum Pœnis, suo nomine, ac sua sponte, bellaret, à Carthaginiensibus vi captum, atque deletum est, omniaque, quæ ornamento vrbi esse poßent, Carthaginem sunt ex illo loco deportata. fuit apud Segestanos ex ære simulacrum Dianæ, tum summa, atq; antiquißima præditum religione, tum singulari opere, artificioq; perfectũ. hoc translatum Carthaginem, locum tantũ, hominesq; mutarat, religionẽ quidem pristinam conseruabat: nam propter eximiam pulchritudinem etiam hostibus digna, quam sanctißime colerent, videbatur. aliquot sæculis post P. Scipio bello Punico tertio Carthaginem cepit. qua in victoria (videte hominis virtutem, & diligentiã, vt & domesticis præclarißimæ virtutis exemplis gaudeatis, & eo maiore odio dignam istius incredibilem audaciã iudicetis) conuocatis Siculis omnibus, quod diutißime, sæpißimeq; Siciliam vexatam à Carthaginiensibus esse cognorat, iubet omnia conquiri: sibi pollicetur magnæ curæ fore, vt omnia ciuitatibus, quæ cuiusque fuissent, restituerentur. tum illa, quæ quondam fuerant Himera sublata, de quibus antea dixi, Thermitanis sunt reddita. tũ alia Gelensibus, alia Agragantinis, in quibus etiã ille nobilis taurus, quẽ crudelißimus omnium tyrannorum Phalaris habuisse dicitur, quo viuos supplicij caussa demittere homines, & subijcere flammam solebat. quem taurũ Scipio cum redderet Agragantinis, dixisse dicitur. æquum esse illos cogitare, vtrum esset Siculis vtilius, suis ne seruire, an populo R. obtemperare, cum idem monumentum & domesticæ crudelitatis, & nostræ mansuetudinis haberent. illo tempore Segestanis maxima cum cura hæc ipsa Diana, de qua diximus, redditur: reportatur Segestam: in suis antiquis sedibus, summa cũ gratulatione ciuium, & lætitia, & reponitur. hæc erat posita Segestæ, sane excelsa in basi, in qua grandibus litteris P. Africani nomen erat incisum, eumq; Carthagine capta restituisse perscriptum. colebatur à ciuibus: ab omnibus aduenis visebatur. cum quæstor essem, nihil mihi ab illis est demonstratum prius. erat admodum amplum, & excelsum signum cum stola: verumtamen

inerat

inerat in illa magnitudine ætas, atque habitus virginalis: sagittæ pendebant ab humero: sinistra manu retinebat arcum: dextra ardentem facem præferebat. hanc cum iste, sacrorum omnium hostis, religionumq; prædo, vidisset; quasi ipsa illa face percussus esset, ita flagrare cupiditate, atq; amentia cœpit. imperat magistratibus iste vt eam demoliantur, & sibi dent: nihil sibi gratius ostendit futurum. illi vero dicere, id sibi nefas esse, seq; cum summa religione, tum summo metu legum, & iudiciorum teneri. iste tum petere ab illis, tum minari, tum spem, tum metum ostendere. opponebant illi interdum nomen Africani: donum populi R. illud esse dicebant: nihil se in ea potestatis habere, quod imperator clarissimus, vrbe hostium capta, monumentum victoriæ populi R. esse voluisset. cum iste nihilo remissius, atq; etiã multo vehemẽtius instaret quotidie; res agitur in senatu: vehementer ab omnibus reclamatur: itaq; illo tempore, ac primo istius aduentu pernegatur. postea quicquid erat oneris in nautis remigibusq; exigendis, in frumento imperãdo, Segestanis præter cæteros imponebat aliquanto amplius, quam ferre possent. præterea magistratus eorum euocabat: optimum, & nobilissimum quemq; ad se accersebat: circum omnia prouinciæ fora rapiebat: sigillatim vnicuiq; calamitati fore se denunciabat: vniuersam se funditus illã euersurum esse ciuitatẽ minabatur. itaq; aliquando, multis malis, magnoq; metu, victi Segestani, prætoris imperio parendum esse decreuerunt. magno cum luctu, & gemitu totius ciuitatis, multis cum lachrymis, & lamentatione virorũ, mulierumq; omnium, simulacrum Dianæ tollendum locatur. videte, quãta religione fuerit. apud Segestanos repertum esse, iudices, scitote neminem, neq; liberum, neq; seruum, neq; ciuem, neq; peregrinum, qui illud signum auderet attingere: barbaros quosdam Lilybæo scitote aduocatos esse operarios. hi denique illud, ignari totius negotij, ac religionis, mercede accepta sustulerunt. quod cum ex oppido exportaretur, quem conuentum mulierum factum esse arbitramini? quẽ fletum maiorum natu? quorum non nulli etiam illum diem memoria tenebant, cum illa eadẽ Diana, Segestam Carthagine reuecta, victoriam populi R. reditu suo nunciasset. quam dissimilis hic dies illi tempori videbatur? tum imperator populi R. vir clarissimus, deos patrios reportabat Segestanis, ex vrbe hostium recuperatores: nunc ex vrbe sociorum prætor eiusdẽ populi turpissimos, atq; impurissimos eosdẽ illos deos nefario scelere auferebat, quid

hoc tota Sicilia est clarius: quam omnes Segestanas matronas, & virgines cōuenisse, cum Diana exportaretur ex opido? vnxisse vnguentis? complesse coronis, & floribus? thure odoribusque incensis vsq; ad agri fines prosecutas esse? Hanc tu tantam religionē si tum in imperio, propter cupiditatem, atque audaciam, non pertimescebas, ne nunc quidem in tanto tuo, libererumq; tuorum periculo perhorrescis? quem tibi aut hominem, inuitis dijs immortalibus, aut vero deum, tantis eorum religionibus violatis, auxilio futurum putas? tibi illa Diana in pace, atq; in otio religionem nullam attulit, quæ cum duas vrbes, in quibus locata fuerat, captas incensasq; vidisset, bis ex duorum bellorum flamma ferroq; seruata est; quæ, Carthaginiensium victoria loco mutato, religionem tamē nō amisit; P. Africani virtute, religionem simul cum loco recuperauit? quo quidem scelere suscepto, cum inanis esset basis, & in ea P. Africani nomen incisum. res indigna, atq; intoleranda videbatur omnibus, non solum religiones esse violatas, verum etiam P. Africani, viri fortißimi, rerum gestarum gloriam, memoriam virtutis, monumēta victoriæ C. Verrem sustulisse. quod cum isti renunciaretur de basi, ac litteris, existimauit homines in obliuionem totius negotij esse venturos, si etiam basim, tamquam indicem sui sceleris, sustulisset: itaque tollendam istius imperio locauerunt. quæ vobis locatio ex publicis Segestanorum litteris priore actione recitata est.

EXPLANATIO.

LOQVOR *enim de tuo clarißimo, pulcherrimoque monumento.*} de Capitolini Iouis templo. infra. NON *iudicis solum*} iudex erat Catulus in caussa Verris. lib. III. CHELIDONIS} meretricis, quæ Verrem heredem reliquerat. P. SCIPIO} Aemilianus, qui Carthaginē euertit. SVIS NE *seruire,*} vt seruierat Phalari tyranno. CIRCVM *omnia prouinciæ fora rapiebat:*} magno cum eorum incommodo secum ducebat per omnem prouinciam, vbicunque forum acturus esset. Lib. II: Cum prętorem circum omnia fora sectaretur.

ORATIO.

TE nunc, P. Scipio, te, inquam, lectißimum, ornatißimumq; adolescētem, appello: abs te officium tuum, debitum generi, & nomini, requiro, et flagito. cur pro isto, qui laudem, honoremq; familiæ vestræ depeculatus est, pugnas? cur eum defensum

esse

esse vis? cur ego tuas partes suscipio? cur tuum munus sustineo? cur M. Tullius P. Africani monumenta requirit, P. Scipio eum, qui illa sustulit, defendit? cum mos à maioribus traditus sit, vt monumenta maiorum, ita suorum quisque defendat, vt ea ne ornari quidem nomine alieno sinat: tu isti aderis, qui non obstruxit aliqua ex parte monumenta P. Scipionis, sed funditus sustulit, at deleuit? quisnam igitur, per deos immortales, tuebitur P. Scipionis memoriã mortui? quis monumenta, atque indicia virtutis, si tu ea relinquis, ac deseris? neq; solum spoliata illa patiere, sed etiam eorum spoliatorẽ, vexatoremq́; defendes? adsunt Segestani, clientes tui, socij populi R. atque amici: certiorem te faciunt, P. Africanum, Carthagine deleta, simulacrum Dianæ maioribus suis restituisse, idq́ue apud Segestanos eius imperatoris nomine positum, ac dedicatum fuisse, hoc Verrem demoliendum, & asportandum, nomenq́ue omnino P. Scipionis delendum, tollendumq́ue curasse. orant te, atque obsecrant, vt sibi religionẽ, generi tuo laudẽ, gloriamq́; restituas; vt, quod ex vrbe hostium per P. Africanum recuperarint, id per te ex prædonis domo conseruare poßint. quid aut his respondere honeste potes, aut illi facere, nisi vt te, ac fidem tuam implorent? adsunt, et implorãt. potes domesticæ laudis amplitudinem, Scipio, tueri, potes: omnia in te sunt, quæ aut fortuna hominibus, aut natura largiatur. non præcerpo fructum officij tui: non alienam mihi laudem appeto: non est pudoris mei, P. Scipione, florentißimo adolescente, viuo, & incolumi, me propugnatorẽ monumentorum P. Scipionis defensoremq́ue profiteri. quamobrem si suscipis domesticæ laudis patrocinium, me non solum silere de vestris monumentis oportebit, sed etiam lætari, P. Africani eiusmodi esse fortunas mortui, vt eius honos ab ijs, qui ex eadem familia sint, defendatur, neq; vllum aduẽticium requiratur auxilium. sin istius amicitia te impediet, si hoc, quod abs te postulo, minus ad officium tuum pertinere arbitrabere: succedam ego vicarius tuo muneri: suscipiam partes, quas alienas esse arbitrabar: ne ista præclara nobilitas desinat queri populũ R. hominibus nouis, atq; industrijs libenter honores mandare, semperq́ue mandasse. non est querendũ, in ea ciuitate, quæ propter virtutẽ omnibus nationibus imperat, virtutẽ plurimũ posse, sit apud alios imago P. Africani: ornentur alij mortui virtute, ac nomine: talis ille vir fuit, ita de populo R. meritus est, vt nõ vni familiæ, sed vniuersæ ciuitati commendatus esse debeat: est aliqua mea pars virilis,

quod eius ciuitatis ſum, quam ille amplam, illuſtrẽ, claramq; reddidit: præcipue quod in his artibus pro mea parte verſor, quarũ ille princeps fuit, æquitate, induſtria, temperãtia, defenſione miſerorũ, odio improborum: quæ cognatio ſtudiorũ, & artium propemodum non minus eſt coniuncta, quam iſta, qua vos delectamini, generis, & nominis. Repeto abs te, Verres monumentum P. Africani: cauſſam Siculorum, quam ſuſcepi, relinquo iudicium de pecunijs repetundis ne ſit hoc tempore: Segeſtanorum iniuriæ negligantur: baſis P. Africani reſtituatur: nomen inuictiſsimi imperatoris incidatur: ſignum pulcherrimũ, Carthagine capta recuperatũ, reponatur. hæc abs te non Siculorũ defenſor, non tuus accuſator, nõ Segeſtani poſtulant, ſed is, qui laudem gloriamq; P. Africani tuendam, conſeruandamq; ſuſcepit. non vereor, ne hoc officiũ meum P. Seruilio, iudici, non probem: qui, cum res maximas geſſerit, monumentaq; ſuarum rerum maxime conſtituat, atq; in his elaboret, profecto volet hæc non ſolum ſuis poſteris, verum etiã omnibus viris fortibus, et bonis ciuibus defendenda, non ſpolianda improbis, tradere. nõ vereor, ne tibi, Q. Catule, diſpliceat, cuius ampliſsimum in orbe terrarũ, clariſsimumq; monumentum eſt, quam plurimos eſſe cuſtodes monumentorum, & putare omnes bonos alienæ gloriæ defenſionem ad officium ſuum pertinere. et quidẽ cæteris iſtius furtis, atq; flagitijs ita moueor, vt ea reprehẽdenda tantum putẽ: hic vero tanto dolore afficior, vt nihil mihi indignius ferẽdum videatur. Verres Africani monumentis domum ſuam, plenam ſtupri, plenam flagitij, plenam dedecoris, ornabit? Verres temperatiſsimi, ſanctiſsimique viri monumentum, Dianæ ſimulacrum virginis, in ea domo collocabit, in qua ſemper meretricum, lenonumque flagitia verſantur?

EXPLANATIO.

TE NVNC, *P. Scipio,*} qui Verrem defendebat, ſocer poſtea Pompeij Magni. OBTRVSIT} mẽdoſum fortaſſe verbum. niſi ſi quis putet, Obtruſit aliqua ex parte, dictum eſſe pro, Loco mouit. quod placere vix poteſt: ſicuti nec, Obtriuit, admodũ arridet. Quid? ſi nec mendoſum ſit, & hoc ſenſu accipiatur? Obtruſit aliqua ex parte: alieno nomini aliqua ex parte tradidit. ita reſpondebit ad id, quod proxime dictum eſt: Cum mos à maioribus traditus ſit, vt monumenta maiorum, ita ſuorum quiſq; defendat, vt ea ne ornari quidẽ nomine alieno ſi-

no sinat. Sic Terentius in Andr. Ea quoniam nemini obtrudi potest, ad me itur. Et in Hec. Quam mihi obtrudit pater. PARTES,} tuendæ Africani gloriæ. QVAS *alienas esse arbitrabar:*} tuas esse, & reliquæ Scipionũ familiæ arbitrabar. NE ISTA *præclara nobilitas desinat queri,*} confeßam industriam meam ad insectandam improbitatem, beneque de rep. merendum: vt quotidie magis populus R. ad honores mihi mandãdos excitetur. ita habebit cur queratur, quemadmodum solet, ista præclara nobilitas, facile homines nouos & industriosà populo Romano, quos honores petant, obtinere. Ista contemnens dixit: Præclara cum ironia. APVD *alios*} apud Scipiones: quos eius imitari virtutem deceret; cuius imaginem domi habent. ALII} eiusdem familiæ, qui Africani mortui virtute ac nomine ornantur. AMPLISSIMVM *in orbe terrarum,*} templum Iouis Capitolini. DEDECORIS} vnico verbo colligit omnia vitia.

ORATIO.

AT hoc solum Africani monumentum violasti. quid? à Tindaritanis non eiusdem Scipionis beneficio positũ simulacrũ Mercurij, pulcherrime factum sustulisti? at quemadmodũ, dij immortales, quam audacter, quam libidinose, quam impudenter. audistis nuper dicere legatos Tindaritanos, homines honestissimos, ac principes ciuitatis; Mercuriũ, qui sacris anniuersarijs apud eos, ac summa religione coleretur, quem P. Africanus, Carthagine capta, Tindaritanis non solum suæ victoriæ, sed etiã illorũ fidei, societatisq; monumentũ, atq; indicium dedisset, huius vi, scelere, imperioq; esse sublatũ. qui, vt primũ in illud opidũ venit, statim, tamquam ita fieri non solũ oporteret, sed etiam necesse, tamquã hoc senatus mandasset, populusq; R. iußisset; ita, continuo signũ vt demolirentur, & Messanam deportarent, imperauit. quod cum illis, qui aderant, indignũ, qui audiebant, incredibile, videretur, non est ab isto primo illo aduentu perseueratũ. discedens mãdat Proagoro, Sopatro, cuius verba audistis, vt demoliatur. cum recusaret, vehemẽter minatur. et a tum ex illo opido proficiscitur. Proagorus refert rẽ ad senatum: vehementer vndique reclamatur. ne multa: iterum iste aliquanto post ad illos venit, quærit continuo de signo. respondetur ei, senatum non permittere; pœnam capitis constitutam, si iniussu

senatus quisquam attigisset: simul religio cõmemoratur. tum iste, quam mihi religionem narras? quam pœnam? quem senatum? viuũ te non relinquam: moriere virgis, nisi signum traditur. Sopater iterum flens ad senatum refert, istius cupiditatem, minasque demonstrat. senatus Sopatro responsum nullum dat, sed commotus perturbatusque discedit. ille à prætore accersitus nuncio, rem demonstrat, negat vllo modo fieri posse. atque hæc (nihil enim prætermittẽdum de istius impudentia videtur) agebantur in conuentu, palam, de sella, ac de loco superiore. erat hyems summa, tempestas, vt ipsum Sopatrum dicere audistis, perfrigida, imber maximus, cum iste imperat lictoribus, vt Sopatrum de porticu, in qua ipse sedebat præcipitem in forum deijciant, nudumq́; constituant. vix erat hoc plane etiam imperatum, cum illum spoliatum, stipatumque lictoribus videres. omnes ideo putabant, vt miser, atque innocens virgis cæderetur, fefellit hæc homines opinio. virgis iste cæderet sine caussa socium populi R. atque amicum? non vsque eo improbus: non omnia sunt in eo vno vitia: numquam fuit crudelis. leniter hominem, clementerque accepit. equestres sunt medio in foro Marcellorum statuæ, sicuti fere ceteris in opidis Siciliæ. ex quibus iste C. Marcelli statuam delegit: cuius officia in illa ciuitate, totaque prouincia recentissima erant, et maxima. in ea Sopatrum, hominẽ tum domi nobilem, tum summo magistratu præditum, diuaricari, ac deligari iubet. quo cruciatu sit affectus, venire in mentem necesse est omnibus, cum esset vinctus nudus in aere, in imbri, in frigore. neque tamen finis huic iniuriæ, crudelitatique fiebat, donec populus, atque vniuersa multitudo, atrocitate rei, misericordiaq́; commota, senatum clamore coegit, vt ei simulacrũ illud Mercurij polliceretur. clamabant fore, vt ipsi sese dij immortales vlciscerentur: hominem interea perire innocentem nõ oportere. tum frequens senatus ad istum venit, pollicetur signum. ita Sopater de statua C. Marcelli, cum iam pæne obriguisset, vix viuus aufertur. Non possum disposite istum accusare, si cupiam. opus est non solum ingenio, verum etiam artificio quodam singulari. Vnum hoc crimen videtur esse, & à me pro vno ponitur, de Mercurio Tyndaritano. plura sunt: sed, ea quo pacto distinguere, ac separare possim, nescio. est pecuniarum captarum, quod signum à socijs pecuniæ magnæ sustulit: est peculatus, quod publice populi R. signum, de præda hostium captum, positum imperatoris nostri nomine, non dubitauit auferre: est

re: est

re: est maiestatis, quod imperij nostri gloriæ, rerumque gestarum monumenta euertere, atque asportare ausus est: est sceleris, quod religiones maximas violauit: est crudelitatis, quod in hominem innocentem, in socium nostrum, atque amicum, nouum, ac singulare supplicij genus excogitauit. illud vero quid sit, iam non queo dicere: quo nomine appellem, nescio: quod in C. Marcelli statua. quid est hoc? patronus ne quod erat? quid tum? quo id spectat? vtrum ea res ad opem, an ad calamitatem clientium, atque hospitum valere debebat? an vt hoc ostenderes, contra vim tuam in patronis præsidij nihil esse? quis hoc non intelligeret, in improbi præsentis imperio maiorem esse vim, quam in bonorum absentium patrocinio? an vero ex hoc illa tua singularis significatur insolentia, superbia, contumacia? detrahere videlicet aliquid te de magnitudine Marcellorum putasti: itaque nunc Siculorum Marcelli non sunt patroni, Verres in eorum locum substitutus est. quam in te tantam virtutem esse, aut dignitatẽ arbitratus es, vt conarere clientelam tam illustrem, tam splendidæ prouinciæ traducere ad te, auferre à certissimis, antiquissimisque patronis? tu ista stultitia, nequitia, inertia, non modo totius Siciliæ, sed vnius tenuissimi Siculi clientelam tueri potes? tibi Marcelli, statua pro patibulo in clientes Marcellorum fuit? tu ex illius honore in eos ipsos, qui honorem illi habuerant, supplicia quærebas? quid postea? quid tandem tuis statuis fore arbitrabare? an vero id, quod accidit? nam Tyndaritani statuam istius, quam sibi propter Marcellos, altiore etiam basi, poni iusserat, deturbarunt, simul ac successum isti audierunt. dedit igitur tibi fortuna Siculorum C. Marcellum iudicem, vt cuius ad statuam Siculi, te prætore, alligabantur, eius religioni te eundem vinctum, adstrictumque dedamus. Ac primo, indices, hoc signum Mercurij dicebat iste Tyndaritano C. Marcello huic Aesernino vendidisse: atque hoc sua caussa etiam Marcellum ipsum sperabat esse dicturum. quod mihi numquam verisimile visum est, adolescentẽ illo loco natũ, patronũ Siciliæ, nomẽ suum isti ad translationem criminis commodaturum. verumtamen ita res mihi tota præuisa, atque præcauta est, vti, si maxime esset inuentus, qui in se suscipere istius culpam, crimenq; cuperet, tamen is proficere nihil posset. eos enim testes deduxi, & eas litteras deportaui, vt de istius facto dubium nemini esse posset. publicæ litteræ sunt, deportatum esse Mercurium Messanam sumptu publico;

 dicunt,

dicunt, quanti: præfuiſſe huic negotio publice legatū Poleam. quid is? vbi eſt? præſto eſt: teſtis eſt: Proagori Sopatri iuſſu. quis eſt hic? qui ad ſtatuam adſtrictus eſt. quid is? vbi eſt? teſtis eſt. vidiſtis hominem, & verba eius audiſtis. demoliendum curauit Demetrius Gymnaſiarchus, quod is ei loco præerat. quid? hoc nos dicimus? immo vero ipſe præſens, Romæ nuper iſtum eſſe pollicitum, ſeſe id ſignum legatis eſſe redditurum, ſi eius rei teſtificatio tolleretur, cautumque eſſet eos teſtimonium non eſſe dicturos. dixit hoc apud vos Soſippus, & Hiſmenias, homines nobiliſsimi, & principes Tyndaritanæ ciuitatis.

EXPLANATIO.

AT HOC *ſolum*} modus coniungendæ & continuandæ ex diuerſis rebus orationis. vt lib. I: At credo in hiſce ſolis rebus indomitas cupiditates, atq; effrenatas habebat: ceteræ libidines eius ratione aliqua, aut modo continebantur. quam multis iſtum ingenuis, quam multis matribusfamilias in illa tetra atq; impura legatione vim attuliſſe exiſtimatis? PROAGORO} ſummo Tyndaritanorum magiſtratui. infra. QVAM *mihi religionem narras? quam pœnam? quem ſenatum?*} modus reſpuendi per contemptum ea, quæ contra dicantur: vt Phil. I: Quas tu mihi, inquit, interceſſiones? quas religiones? PRAECIPITEM *in forum deijciant,*} pro, raptim in forum trahant. C. MARCELLI} qui Siciliæ paullo ante præfuerat, vt libr. III: & nunc in cauſſa Verris iudex erat. vt infra. DIVARICARI} apertis cruribus diſtendi. IN AERE} ſuſpenſus, in equo æneo vinctus. DE MERCVRIO *Tyndaritano*} aut hoc, vt gloſſema, inducēdum: aut locus ita diſtinguendus. Vnum hoc crimen videtur eſſe, & à me pro vno ponitur, de Mercurio Tyndaritano: plura ſunt. PECVNIAE *magnæ*} eodem modo, Multorum nummorum bibliothecam, dixit in ep. ad Sulpicium, lib. XIII. HVIC *Aeſernino*} M. Marcelli filio, eius, de quo lib. I. mentio fit his verbis: Hi rem ad virum primarium, ſummo officio ac virtute præditum, M Marcellum, quod erat pupilli tutor, deferūt. Nominatur idem, vt huius Aeſernini pater, in Bruto. PROAGORI *Sopatri iuſſu.*} deportatum eſſe Meſſanam, dicunt publicæ litteræ.

ORA.

ORATIO.

QVID Agragantoi? nonne eiusdem P. Scipionis monumentum, signum Apollinis pulcherrimum, cuius in femine litterulis minutis argenteis nomen Myronis erat inscriptum, ex Aesculapij religiosissimo fano sustulisti? quod iste, iudices, cũ clam fecisset, cum ad suum scelus, illud, furtumq; nefarios quosdã homines improbos duces, atq; adiutores adhibuisset, vehementer commota ciuitas est. vno eodem tempore Agragantini beneficium Africani, religionẽ domesticam, ornamẽtum vrbis, indicium victoriæ, testimonium societatis requirebant. itaq; ab illis, qui principes in ea ciuitate erant, præcipitur, & negocium datur quæstoribus, & ædilibus, vt noctu vigilias agerent ad ædes sacras. etenim iste Agraganti (credo propter multitudinẽ illorum hominum, atq; virtutem, & quod ciues R. viri fortes, ac strenui, & honesti permulti in illo opido, coniunctissimo animo cum ipsis Agragantinis viuunt, ac negotiantur) non audebat palam tollere, aut poscere, quæ placebant. Herculis templum est apud Agragãtinos, non longe à foro sane sanctum apud illos, & religiosum. ibi est ex ære simulacrũ ipsius Herculis: quo non facile quidquã dixerim me vidisse pulchrius, (tametsi non tam multum in istis rebus intelligo, quam multa vidi) vsq; eo, iudices, vt rictus eius, ac mẽtum paullo sit attritius, quod in precibus & gratulationibus non solum id venerari, verũ etiam osculari solent. ad hoc templum, cum esset iste Agraganti, duce Timarchide, repente, nocte intempesta, seruorum armatorum fit cõcursus, atq; impetus. clamor à vigilibus, faniq; custodibus tollitur. qui primo cum obsistere, ac defendere conarentur, male multati clauis, ac fustibus repelluntur. postea, conuulsis repagulis, effractisq; valuis, demoliri signum, ac vectibus labefactare conantur. interea ex clamore fama tota vrbe percrebuit, expugnari deos patrios, non hostiũ aduentu, neq; repentino prædonum impetu, sed ex domo, atque cohorte prætoria manum fugitiuorũ instructam, armatamq; venisse. nemo Agraganti neq; ætate tam affecta, neque viribus tam infirmis fuit, qui nõ illa nocte, eo nuncio excitatus surrexerit, telumque, quod cuique sors offerebat, arripuerit. itaq; breui tempore ad fanum ex vrbe tota concurritur. hora amplius iam in demoliendo signo permulti homines moliebãtur: illud interea nulla lababat ex parte, cum alij, vectibus subiectis, conarentur cõmouere, alij deligatum omnibus mẽbris rapere ad se funibus. repente Agragantini

concurrunt: fit magna lapidatio: dant sese in fugam istius praeclari imperatoris nocturni milites. duo tamen signa perparuula tollunt, ne omnino inanes ad istum praedonē religionum reuerterētur. numquam tam male est Siculis, quin aliquid facete, & cōmode dicant, velut in hac re. aiebant in labores Herculis nō minus hunc immanissimum Verrē, quam illum aprum Erymanthiū referri oportere. Hanc virtutē Agragantinorum imitati sunt Assorini postea, viri fortes, et fideles, sed nequaquam ex tam ampla, neq; tam ex nobili ciuitate. Chrysas est amnis, qui per Assorinorum agros fluit. is apud illos habetur deus, & religione maxima colitur. fanum eius est in agro, propter ipsam viā, qua Assero itur Ennam. in eo Chrysae est simulacrum praeclare factum marmore. id iste poscere Assorinos propter singularē eius fani religionē non ausus est. Tlepolemo dat Hieroniq; negotiū. illi noctu facta manu, armatiq; veniunt: fores aedis effringunt: aeditui, custodesq; mature sentiunt: signū, quod erat notum vicinitati, bucina datur: homines ex agris concurrūt: eijcitur, fugaturq; Tlepolemus: neq; quidquam ex fano Chrysae, praeter vnum perparuulum signum ex aere, desideratum est. Matris magnae fanū apud Enguinos est. iam enim mihi nō modo breuiter de vnoquoq; dicendum est, sed etiā praetereunda esse permulta, vt ad maiora istius, et illustriora in hoc genere furta, & scelera veniamus. in hoc fano loricas, galeasq; aeneas caelatas opere Corinthio, hydriasque grandes, simili in genere: atq; eadē arte perfectas, idem ille P. Scipio, vir omnibus rebus praecellentissimus, posuerat, & suum nomen inscripserat, quid iam de isto plura dicam, aut querar? omnia illa, iudices, abstulit: nihil in religiosissimo fano, praeter vestigia violatae religionis, nomenq; P. Scipionis, reliquit: hostiū spolia, monumenta imperatorum, decora, atq; ornamenta fanorum, post hac, his praeclaris nominibus amissis, in instrumento, ac supellectili C. Verris numerabūtur. Tu videlicet solus vasis Corinthijs delectaris? tu illius aeris temperationē, tu operū liniamenta solertissime perspicis? haec Scipio ille nō intelligebat, homo doctissimus, atq; humanissimus? tu, sine vlla bona arte, sine humanitate, sine ingenio, sine literis, intelligis, & indicas? vide, ne illa non solum tēperantia, sed etiam intelligentia te, atq; istos, qui se elegantes dici volunt, vicerit. nā quia, quā pulchra essent, intelligebat, iccirco existimabat ea non ad hominum luxuriē, sed ad ornatum fanorum, atq; opidorum esse facta, vt posteris nostris monumenta religiosa esse videantur.

EXPLA.

EXPLANATIO.

SOCIETATIS} cum populo Romano: cuius imperatoris virtute signum illud recuperauerant. HVNC *immanissimum Verrem*, } illi apro Erymanthio simillimum. Ludit in Verre & Apro. OPERE *Corinthio*, } ære Corinthio. SIMILI *in genere*, } ipsas quoq; cælatas opere Corinthio. VESTIGIA } loca ipsa, in quibus loricæ illæ, galeę, hydrię, statuę fuerant. HIS *præclaris nominibus* } imperatorum, qui de hostibus capta, Siculis dederunt.

ORATIO.

AVDITE *etiam singularem eius, iudices, cupiditatem, audaciam, amentiam, in ijs præsertim sacris polluendis, quæ non modo manibus attingi, sed ne cogitatione quidem violari fas fuit. Sacrarium Cereris est apud Catinenses, eadem religione, qua Romæ, qua in ceteris locis, qua prope in toto orbe terrarum. in eo sacrario intimo fuit signũ Cereris perantiquum: quod viri, non modo cuiusmodi esset, sed ne esse quidem, sciebant. aditus enim in id sacrarium non est viris: sacra per mulieres, ac virgines confici solent. hoc signum noctu clam istius serui ex illo religiosissimo, atq; antiquissimo fano sustulerũt. postridie sacerdotes Cereris, atque illius fani antistitæ, maiores natu, probatæ, ac nobiles mulieres, rem ad magistratus suos deferunt. omnibus acerbum, indignũ, luctuosum denique videbatur. tum iste, permotus illa atrocitate negotij, vt ab se sceleris istius suspicio remoueretur, dat hospiti suo cuidam negotium, vt aliquem reperiret, quem ea fecisse insimularet, daretque operam, vt is crimine damnaretur, ne ipse esset in crimine. res non procrastinatur. nam cum ipse Catinã profectus esset, serui cuiusdam nomen defertur: is accusatur: ficti testes in eum dantur: rem cunctus senatus Catinensiũ legibus iudicat. sacerdotes vocantur: ex his quæritur secreto in curia, quid esset factũ, quemadmodũ arbitrarentur signum esse ablatũ. respondent illæ, prætoris in illo loco seruos esse visos. res, quæ esset antea non obscura, sacerdotum testimonio perspicua esse cœpit. itur in consiliũ: seruus ille innocens omnibus sententijs absoluitur, quo facilius vos hunc omnibus sententijs cõdemnare possetis. quid enim postulas, Verres? quid speras? quid spectas? quem tibi aut deorum, aut hominum auxilio putas futurum? eo ne tu seruos ad spoliandum fanum immittere ausus es, quo liberos adire ne grandi quidem caussa fas erat? his ne*

rebus manus afferre non dubitasti, à quibus etiam oculos cohibere te religionum iura cogebant? tametsi ne oculis quidem captus in hanc fraudem tuam sceleratam, ac tam nefariam decidisti: nam id concupisti, quod numquam videras: id, inquam, adamasti, quod antea non adspexeras. auribus tu tantam cupiditatem concepisti, vt eam non metus, non religio, non deorum vis, non hominum existimatio contineret. at ex viro bono, credo, audieras, et bono auctore. qui id potest? qui ne ex viro quidem audire potueris. audisti igitur ex muliere: quoniam id viri neque vidisse, neque nosse poterant. qualem porro illam feminam fuisse putatis, iudices, quam pudicā, quæ cum Verre loqueretur? quam religiosam, quæ sacrarium spoliandi ostenderet rationem? at minime mirum, quæ sacra per summam castimoniam virorum, ac mulierum fiant, eadē per istius stuprum, ac flagitium esse violata. quid ergo? hoc solum auditione expetere cœpit, cum id ipse non vidisset? immo vero alia complura: ex quibus eligam spoliationem nobilissimi, atq; antiquissimi fani: de qua priore actione testes dicere audistis. nunc eadem illa, quæso, audite, & diligenter, sicut adhuc fecistis, attendite. Insula est Melita, iudices, satis lato ab Sicilia mari, periculosoq; disiuncta: in qua est eodem nomine opidum, quo iste numquam accessit: quod tamē isti textrinum per triennium ad muliebrem vestem conficiendam fuit. ab eo opido non longe in promontorio fanum est Iunonis antiquum: quod tanta religione semper fuit, vt non modo illis Punicis bellis, quæ in his fere locis nauali copia gesta, atq; versata sunt, sed etiā in hac prædonum multitudine semper inuiolatum, sanctumq; fuerit. quinetiam hoc memoriæ proditum est, classe quondā Massanisæ regis ad eum locū appulsa, præfectū regium dentes eburneos incredibili magnitudine è fano sustulisse, & eos in Africā portasse, Massanisæq; donasse: regem quidē primo delectatū esse munere: post, vbi audisset, vnde essent, statim certos homines in quinqueremi misisse, qui eos dentes reportarent: itaq; in his inscriptum litteris Punicis fuit, regē Massanisam imprudentē accepisse; re cognita reponendos, restituendosq; curasse. Erat præterea magna vis eboris, multa ornamenta, in quibus eburneæ victoriæ, antiquo opere, ac summa arte perfectæ. hæc ista omnia, ne multis morer, vno impetu, atq; vno nuncio, per seruos Venerios, quos eius rei caussa miserat, tollenda, atq; asportanda curauit. Pro dij immortales, quem ego hominem accuso? quem legibus ac iudiciali iure persequor? de

quo vos sententiam per tabellam feretis? dicunt legati Melitenses publice, spoliatum templum esse Iunonis, nihil istum in religiosissimo fano reliquisse; quem in locum classes hostiū sæpe accesserant, vbi piratæ ferè quotannis hiemare solebant, quod neq; prædo violarit antea, neq; hostis attigerit, id ab vno isto sic spoliatum esse, vt nihil omnino sit relictum. Hic nunc aut iste reus, aut ego accusator, aut hoc iudiciū, appellabitur? criminibus enim coarguitur, aut suspicionibus in iudiciū vocatur? dij ablati, fana vexata, nudatæ vrbes reperiuntur. earū autem rerum nullam sibi iste neq; infitiandi rationē, neq; defendendi facultatē reliquit: omnibus in rebus coarguitur à me, conuincitur à testibus, vrgetur confeßione sua, manifestis in maleficijs tenetur, & manet etiam, ac tacitus facta mecū sua recognoscit. Nimiū mihi diu videor in vno genere versari criminum: sentio, iudices, occurrendum esse satietati aurium, animorumq; vestrorum: quamobrem multa prætermittam. ad ea autem, quæ dicturus sum, reficite vos, quæso, iudices, per deos immortales, per eos ipsos, de quorum religione iam diu dicimus, dum id eius facinus commemoro, & profero, quo prouincia tota commota est. de quo si paullo altius ordiri, ac repetere memoriam religionis videbor, ignoscite. rei magnitudo me breuiter perstringere atrocitatem criminis non sinit.

EXPLANATIO.

IN HANC *fraudem*} culpam, crimen, flagitium. PER ISTIVS *stuprum*,} stuprata aliqua muliere ex ijs, quę signum illud viderant, sacrisque faciendis interfuerant. Auget culpam Verris, addito ad sacrilegium incestu. AVT HOC *iudicium appellabitur*?} dissimile quiddā est id, quod agitur. nam in iudicio reus accusatur; & defenditur: ab isto autem dij ablati, fana vexata, nudatæ vrbes reperiuntur: nec ei vel infitiandi ratio, vel defendendi facultas vlla relinquitur. ET MANET *etiam* } adhuc sedet, neque abit sua sponte in exsilium, sed ex oratione mea tacitus facta sua recognoscit. MECVM } ille tacitus, ego narrans recognosco.

ORATIO.

VETVS *est hæc opinio, iudices, quæ constat ex antiquissimis Græcorū litteris, atq; monumentis, insulam Siciliam totam esse Cereri, & Liberæ consecratam. hoc cum ceteræ*

gentes

gentes sic arbitrantur, tum ipsis Siculis tã persuasum est, vt animis eorum insitum, atq; innatũ esse videatur. nam & natas esse has in his locis deas, & fruges in ea terra primũ repertas arbitrantur, & raptã esse Liberam, quam eandẽ Proserpinam vocant, ex Ennensium nemore, qui locus, quod in media est insula situs, vmbilicus Siciliæ nominatur. quam cum inuestigare, & conquirere Ceres vellet, dicitur inflãmasse tædas ijs ignibus, qui ex Aetnæ vertice erũpunt: quas sibi cum ipsa præferret, orbẽ omniũ peragrasse terrarũ. Enna autẽ, vbi ea, quæ dico, gesta esse memorantur, est loco præcelso, atq; edito: quo in summo est æquata agri planities, & aquæ perennes: tota vero omni aditu circumcisa, atq; dirempta est; quã circa lacus, luciq; sunt plurimi, & lectißimi flores omni tempore anni: locus vt ipse raptũ illum virginis, quẽ iã à pueris accepimus, declarare videatur. etenim propter est spelunca quædam, conuersa ad aquilonẽ, infinita altitudine, qua Ditem patrẽ ferunt repente cum curru exstitisse, abreptamq; ex eo loco virginẽ secum asportasse, et subito non longe à Syracusis penetrasse sub terras, lacumq; in eo loco repente exstitisse: vbi vsq; ad hoc tempus Syracusani festos dies anniuersarios agunt, celeberrimo virorũ, mulierumq; cõuentu. propter huius opinionis vetustatẽ, quod eorũ his locis vestigia, ac prope incunabula reperiuntur deorũ, mira quædã tota Sicilia priuatim, ac publice religio est Cereris Ennensis. etenim multa sæpe prodigia vim eius, numenq; declarant: multis sæpe in difficillimis rebus præsens auxiliũ eius oblatum est: vt hæc insula ab ea non solum diligi, sed etiam incoli, custodiriq; videatur. nec solum Siculi, verum etiam ceteræ gentes, nationesq; Ennensem Cererem maxime colunt. Etenim, si Atheniensium sacra summa cupiditate expetuntur, ad quos Ceres in illo errore venisse dicitur, frugesq; attulisse: quantam esse religionẽ conuenit eorum, apud quos eam natam esse, & fruges inuenisse constat? itaq; apud patres nostros, atroci, ac difficili reip. tempore, cum, T. Graccho occiso, magnorum periculorum metus ex ostentis portenderetur, P. Mucio, L. Calpurnio cos. aditum est ad libros sibyllinos: in quibus inuentum est, Cererem antiquißimam placari oportere. tum ex amplißimo collegio decemuirali sacerdotes populi R. cum esset in vrbe nostra Cereris pulcherrimum, & magnificentißimum templum, tamen vsq; Ennam profecti sunt. tanta enim erat auctoritas, et vetustas illius religionis, vt, cum illuc irent, nõ ad ædem Cereris, sed ad ipsam Cere-

rem

rem proficisci viderentur. Non obtundam diutius aures vestras: iã dudum vereor, ne oratio mea aliena ab iudiciorũ ratione & quotidiana dicendi consuetudine esse videatur. hoc dico, hanc ipsam Cererem antiquissimã, religiosissimam, principẽ omnium sacrorũ, quæ apud omnes gentes nationesq; fiunt, à C. Verre ex suis templis, ac sedibus esse sublatam. Qui accessistis Ennam, vidistis simulacrũ Cereris è marmore, & in altero templo Liberæ. sunt ea perampla, atq; præclara, sed non ita antiqua. ex ære fuit quoddam modica amplitudine, ac singulari opere, cum facibus, perantiquum, omniũ illorum, quæ sunt in eo fano, multo antiquissimũ. id sustulit: ac tamen eo contentus non fuit. Ante ædẽ Cereris, in aperto, ac propatulo loco, signa duo sunt, Cereris vnum, alterum Triptolemi, & pulcherrima, & perampla. his pulchritudo periculo, amplitudo saluti fuit, quod eorũ demolitio, atq; asportatio perdifficilis videbatur. insistebat in manu Cereris dextra simulacrum pulcherrime factũ, Victoriæ. hoc iste è signo Cereris auellendum, asportandumq; curauit. Qui tandem istius animus est, nunc in recognitione scelerũ suorum, cum ego ipse in commemoratione eorum non solum animo commouear, verum etiam corpore perhorrescam? venit enim mihi fani, loci, religionis illius in mentem: versantur ante oculos omnia, dies ille, quo ego Ennam cum venissem, præsto mihi sacerdotes Cereris cum infulis, ac verbenis fuerunt; concio, conuentusq; ciuium, in quo ego cum loquerer, tanti fletus, gemitusq; fiebant, vt acerbissimus tota vrbe luctus versari videretur. non illi decumarum imperia, non bonorũ direptiones, non iniqua iudicia, non importunissimas istius libidines, nõ vim, non contumelias, quibus operti oppressiq; erant, conquerebantur: Cereris numen, sacrorum vetustatem, fani religionẽ, istius sceleratissimi, atq; audacissimi supplicio expiari volebant: omnia se cetera pati, ac negligere dicebant: hic dolor erat tantus, vt Verres alter Orcus venisse Ennam, & nõ Proserpinam asportasse, sed ipsam abripuisse Cererẽ videretur: etenim vrbs illa, non vrbs videtur, sed fanũ Cereris esse: habitare apud sese Cererẽ Ennenses arbitrãtur: vt mihi non ciues illius ciuitatis, sed omnes sacerdotes, omnes accolæ, atq; antistites Cereris esse videantur. Ennæ tu simulacrũ Cereris tollere audebas? Ennæ tu de manu Cereris Victoriã diripere, & deã deæ detrahere conatus es? quorũ nihil violare, nihil attingere ausi sunt, in quib⁹ erãt omnia, quæ sceleri propiora sunt, quã religioni. tenuerunt n. P. Popillio, P. Rupilio coss. illum

eos.illũ locũ serui, fugitiui, barbari, hostes.sed neq; tã serui illi dominorũ, quã tu libidinũ:neq; tam fugitiui illi à dominis, quã tu à iure et à legibus:neq; tam barbari lingua, & natione illi, quã tu natura, & moribus:ne; illi tam hostes hominibus, quam tu dijs immortalibus.quæ deprecatio est igitur ei reliqua, qui indignitate seruos, temeritate fugitiuos, scelere barbaros, crudelitate hostes, vicerit? audistis Theodorũ, & Numinium, & Nicasionem, legatos Ennenses, publice dicere, sese à suis ciuibus hæc habere mandata, vt ad Verrem adirent, & eum simulacrũ Cereris, & Victoriæ reposcerent:id si impetrassent, tum vt morẽ veterem Ennensium conseruarent, publice in eum, tametsi vexasset Siciliam, tamen, quoniam hæc à maioribus constituta accepissent, testimoniũ ne quod dicerent:sin autem ea non reddidisset, tum vt iudicio adessent, tum uti de eius iniurijs iudices docerent, sed multo maxime de religione quererentur. Quarum illorum querimonias nolite, per deos immortales, aspernari, nolite contemnere, ac negligere, iudices. aguntur iniuriæ sociorum:agitur vis legum:agitur existimatio, veritasque iudiciorũ.quæ sunt omnia permagna.verũ illud maximũ:tanta religione obstricta tota prouincia est, tanta superstitio ex istius facto mentes omniũ Siculorũ occupauit, vt quæcumq; accidant publice, vel priuatim incõmoda, propter eã caussam, scelere istius, euenire videantur. Audistis Centuripinos, Agyrinenses, Catinenses, Herbitenses, Ennenses, complures alios publice dicere, quæ solitudo esset in agris, quæ vastitas, quæ fuga aratorũ, quã deserta, quã inculta, quã relicta omnia.ea tametsi istius multis & varijs iniurijs acciderunt; tamẽ hæc vna caussa in opinione Siculorũ plurimũ valet, quod, Cerere violata, omnes cultus fructusq; Cereris in his locis interijsse arbitrãtur. Medemini religioni sociorũ, iudices:conseruate vestrã auctoritatẽ.neq; enim hæc externa nobis est religio, neq; aliena.quod si esset, si suscipere eã nolletis, tamẽ in eo, qui violasset, sancire vos velle oporteret. nũc vero in cõmuni omniũ gentiũ religione, inq; his sacris, quæ maiores nostri ab exteris nationibus adscita, atq; accersita coluerũt; quæ sacra, vt erant re vera, sic appellari Græca voluerũt, negligẽtes, ac dissoluti si cupiamus esse, qui possumus?

EXPLANATIO.

DIREMPTA] disiuncta, nullus vt ad eam aditus, accessusq; sit. LECTISSIMI *flores omni tempore anni*:] quod elegantissimus poeta, nulli veterum aut ingenio,

ingenio, aut doctrina concedens, lib. V. Met. cum hunc ipsum locum describeret, Ouidius mira breuitate dixit, Perpetuum ver est. Et quod hic Cicero, Quam circa lacus, lucique sunt plurimi: ille eadem breuitate:

Silua coronat aquas: *tũ addidit, ingenio scilicet indulgẽs,*
Cingens latus omne, suisque
Frondibus, vt velo, Phœbæos summouet ignes.

TI. GRACCHO} tribuno pl. remp. nouis legibus perturbante. OCCISO} nobilitatis duce P. Scipione Nasica. COLLEGIO *decemuirali*} quod Sibyllinis libris preerat. PERANTIQVVM,} hoc superuacaneum esse, verba, quæ sequuntur, ostendunt. CVM *infulis, ac verbenis*} quo habitu sacra faciunt. ALTER *Orcus*} alter Pluto, qui Proserpinam asportasse ferebatur. ACCOLAE,} qui cum ipsa Cerere habitarent. SERVI *fugitiui,*} primo seruili bello, ducibus Euno, & Cleone: quorum copias P. Rupilius consul deleuit, Siculisque leges dedit. Cicero, Valerius, Pedianus. VERITAS Q. *iudiciorum.*} vt populus Romanus intelligat, in iudicijs locũ esse veritati. Act. I: Sin istius ingentes diuitiæ iudiciorum religionem, veritatẽque perfregerint. VESTRAM *auctoritatem:*} iam enim hanc religionem, & hæc Cereris sacra adsciuistis, atque comprobastis. NOBIS} quod sequitur, ostendit, Vobis, esse rectius, quam Nobis. SANCIRE} comprobare: ab eo, qui violasset, pœnas persequi. APPELLARI *Græca voluerunt:*} lib. II. de leg. Ne ve initianto, nisi vt assolet Cereri Græco sacro. DISSOLVTI} in ep. ad Metellum: Non humanitas, sed dissolutio quædam animi.

ORATIO.

V*NIVS etiam vrbis omniũ pulcherrimæ, atq; ornatißimæ, Syracusarum direptionẽ commemorabo, & in mediũ proferam, iudices, vt aliquando totam huius generis orationem concludam, ac definiam. Nemo fere vestrum est, quin, quemadmodũ captæ sint à M. Marcello Syracusæ, sæpe audierit, non nũquam etiam in annalibus legerit. cõferte hanc pacẽ cum illo bello, huius prætoris aduentũ cũ illius imperatoris victoria, huius cohortẽ impurã cum illius excercitu inuicto, huius libidines cum illius cõtinẽtiã: ab illo, qui cepit, cõditas, ab hoc, qui cõstitutas accepit, captas*

dicetis Syracusas. ac iam illa omitto, quæ disperse à me multis locis dicentur, ac dicta sunt: forum Syracusanorum, quod introitu Marcelli purum à cæde seruatum est, id aduentu Verris Siculorum innocentium sanguine redundasse: portum Syracusanorum, qui tũ et nostris classibus, & Carthaginiensiũ clausus fuisset, eum isto prætore Ciliciũ myoparoni, prædonibusq; patuisse. mitto adhibitam vim ingenuis, matresfamilias violatas, quæ tum, vrbe capta, cõmissa nõ sunt; neq; odio hostili, neq; licentia militari, neq; more belli, neque iure victoriæ. mitto, inquam, hæc omnia, quæ ab isto per triennium pefecta sunt: ea, quæ cõiuncta cum illis rebus sunt, de quibus antea dixi, cognoscite. Vrbem Syracusas maximam esse Græcarum vrbium, pulcherrimamq; omnium, sæpe audistis. est, iudices, ita, vt dicitur. nam & situ est cum munito, tum ex omni aditu vel terra, vel mari præclaro ad adspectum; & portus habet prope in ædificatione, adspectuq; vrbis inclusos: qui cum diuersos inter se aditus habeant, in exitu cõiunguntur, & cõfluunt. eorũ coniunctione pars opidi, quæ appellatur insula, mari disiuncta angusto ponte rursum adiungitur, & cõtinetur. ea tanta est vrbs, vt ex quattuor vrbib9 maximis cõstare dicatur. quarum vna est ea, quam dixi, insula: quæ duobus portubus cincta, in vtriusque portus ostium, aditumq; proiecta est: in qua domus est, quæ regis Hieronis fuit, qua prætores vti solent. in ea sunt ædes sacræ complures, sed duæ, quæ longe ceteris antecellunt; Dianæ vna, & altera, quæ fuit ante istius aduentum ornatissima, Mineruæ. in hac insula extrema, est fons aquæ dulcis, cui nomen Arethusa est, incredibili magnitudine, plenissimus piscium: qui fluctu totus operiretur, nisi munitione, ac mole lapidum à mari disiunctus esse. altera autem est vrbs Syracusis, cui nomen Acradina est: in qua forum maximum, pulcherrimæ porticus, ornatissimum Prytaneum, amplissima est curia, templumq; egregium Iouis Olympij: ceteræq; vrbis partes vna lata via perpetua, multisq; transuersis diuisæ, priuatis ædificijs continentur. Tertia est vrbs, quæ, quod in ea parte Fortunæ fanum antiquum fuit, Tyche nominata est: in qua & gymnasium amplissimum est, & cõplures ædes sacræ: coliturq; ea pars, & habitatur frequentissime. Quarta autem est vrbs, quæ, quia postrema ædificata est, Neapolis nominatur: quam ad summam theatrum est maximum: præterea duo templa sunt egregia, Cereris vnũ, alterũ Liberæ; signũq; Apollinis, qui Tesmothetes vocatur, pulcherrimum, & maximũ: quod

quòd iste si portare potuisset, nõ dubitasset auferre. Nunc ad Marcellum reuertar, ne hæc à me sine caussa cõmemorata esse videantur. qui cũ tam præclaram vrbem vi, copijsq; cepisset, non putauit ad laudẽ populi R. hoc pertinere, hanc pulchritudinẽ, ex qua præsertim nihil periculi ostenderetur, delere, & exstinguere. itaq; ædificijs omnibus, publicis & priuatis, sacris, & profanis sic pepercit, quasi ad ea defendenda cũ exercitu, non expugnanda, venisset. in ornatu vrbis habuit victoriæ rationẽ, habuit humanitatis. victoriæ putabat esse, multa Romã deportare, q̃ ornamento vrbi esse poßẽt; humanitatis, nõ plane spoliare vrbẽ, præsertim quã cõseruare voluisset. in hac partitiõe ornatus, nõ plus victoria Marcelli populo R. appetiuit, quã humanitas Syracusanis reseruauit. Romã q̃ asportata sunt, ad ædẽ Honoris atq; Virtutis, itemq; alijs in locis videm⁹. nihil ædibus, nihil in hortis posuit, nihil in suburbano. putauit, si vrbis ornamenta domũ suam nõ contulisset, domũ suam vrbi ornamẽto futuram. Syracusis autẽ permulta, atq; egregia reliquit, deum vero nullũ violauit, nullum attigit. Cõferte Verrẽ: nõ vt hominẽ cũ homine comparetis, ne qua tali viro mortuo fiat iniuria: sed vt pacem cum bello, leges cum vi, forum, & iurisdictionem cum ferro, & armis, aduentum, & comitatum cum exercitu, & victoria cõferatis. Aedes Mineruæ est in insula, de qua ante dixi: quam Marcellus non attigit, quam plenam, atque ornatam reliquit: quæ ab isto sic spoliata, atque direpta est, non vt ab hoste aliquo, qui tamẽ in bello religionum, & consuetudinis iura retineret, sed vt à barbaris prædonibus vexata esse videatur. Pugna erat equestri Agathonis regis, in tabulis picta præclare, his autem tabulis interiores templi parietes vestiebantur: nihil erat ea pictura nobilius, nihil Syracusis, quod magis visendum putaretur. has tabulas M. Marcellus, cum omnia illa victoria sua profana fecisset, tamen religiõnẽ impeditus non attigit. iste, cũ illa iam propter diuturnã pacem, fidelitatemq; populi Syracusani sacra, religiosaq; accepisset, omnes eas tabulas abstulit; parietes, quorũ ornatus tot sæcula manserat, tot bella effugerat, nudos, ac deformatos reliquit. & Marcellus, qui, si Syracusas cepisset, duo tẽpla se Romæ dedicaturũ vouerat, quod erat ædificaturus, ijs rebus ornare, quas ceperat, noluit: Verres, qui nõ Honori, neq; Virtuti, vt ille, sed Veneri, & Cupidini vota deberet, is Mineruæ tẽplum spoliare conatus est. ille deos deorũ spolijs ornare voluit: hic ornamẽta Mineruæ virginis in meretriciã

domũ transtulit. viginti & septẽ præterea tabulas, pulcherrime pi ctas, ex eadẽ æde sustulit: in quibus erant imagines Siciliæ regũ, ac tyrannorũ: quæ non solum pictorũ artificio delectabant, sed etiã cõmemoratione hominũ, & cognitione formarum. Ac videte, quanto tætrior hic tyrannus Syracusanis fuerit, quam quisquã superiorũ; cum illi tamen ornarint templa deorũ immortaliũ, hic etiam deorũ monumẽta, atq; oramenta sustulerit. Iã vero, quid ego de valuis illius templi cõmemorẽ? vereor, ne, hæc qui nõ viderũt, omnia me nimis augere, atq; ornare, arbitrentur. quod tamen nemo suspicari debet, tã esse me cupidũ, vt tot viros primarios velim præsertim ex iudicũ numero, qui Syracusis fuerint, qui hæc viderint, esse temeritati, & mendacio meo conscios. confirmare hoc liquido, iudices, possũ, valuas magnificẽtiore ex auro, atq; ebore perfectiores nullas vmquã vllo tẽpore fuisse. incredibile dictu est, quã multi Græci de valuarũ harũ pulchritudine scriptum reliquerint. nimirũ forsitan hæc illi mirentur, atq; efferant. esto: verumtamen honestius est reip. nostræ, iudices, ea q̃ illis pulchra esse videantur, imperatorẽ nostrũ in bello reliquisse, quã prætorẽ in pace abstulisse. ex ebore diligentissime perfecta argumenta erãt in valuis: ea detrahenda curauit omnia: Gorgonis os pulcherrimũ, crinitũ anguibus, reuellit, atq; abstulit: & tamen indicauit, se nõ solũ artificio, sed etiã pretio, quæstuq; duci: nã bullas omnes aureas ex his valuis, q̃ erant & multæ, & graues, nõ dubitauit auferre: quarũ iste nõ opere delectabatur, sed põdere: itaq; eiusmodi valuas reliquit, vt, quæ olim ad ornandũ tẽplum erant maxime, nunc tantum ad claudendũ factæ esse videantur. Etiãne fraxineas hastas? vidi. n. non in hoc non minime, cũ testes dicerent, cõmoueri: quod erant huiusmodi, vt semel vidisse satis esset: in quibus neq; manu factũ quidquã, neq; pulchritudo erat vlla, sed tantũ magnitudo incredibilis: de qua vel audire satis esset: nimiũ, videre plus, quã semel. etiãne id cõcupisti? nã Sappho, quæ sublata de Prytaneo est, dat tibi iustam excusationẽ, prope vt cõcedendũ, atq; ignoscendũ esse videatur. an Syllanionis opus, tã perfectũ, tã elegans, tã elaboratũ, quisquã nõ modo priuatus, sed populus potius haberet, quã homo elegãtissimus, atque eruditissimus Verres? nimirũ cõtra dici nihil potest. nostrũ .n. vnusquisq;, qui tã beati, quã iste est, nõ sumus, tam delicati esse nõ possumus. si quando quis aliquid istiusmodi videre volet, eat ad ædẽ Felicitatis, ad monumentũ Catuli, in porticum Metelli:

celli: det operā, vt admittatur in alicuius istorū Tusculanū: spectet forū ornatū, si quid iste suorū ædilibus accommodauit: Verres hæc habeat domi: Verres ornamentis fanorū, atq; opidorū habeat plenā domū, villas refertas. Etiā ne huius operarij studia, ac delicias, iudices, perferetis? qui ita natus est, ita educatus, ita factus & animo, & corpore, vt multo appositior ad deferēda, quā ad auferēda signa esse videatur. Atq; hæc Sappho sublata quantum desiderium sui reliquerit, dici vix potest. nā tū ipsa fuit egregie facta, tum epigramma Græcū pernobile incisum habuit in basi: quod iste, eruditus homo, & Græculus, qui hæc subtiliter iudicat, qui solus intelligit, si vnā litteram Græcam scisset, certe nō sustulisset. nunc enim, quod inscriptū est inani in basi, declarat quid fuerit, & id ablatū indicat. Quid? signū Pæanis ex æde Aesculapij, præclare factū, sacrū, & religiosum, nō sustulisti? quod oēs propter pulchritudinem visere, propter religionē, colere solebant. Quid? ex æde Liberi simulacrum Aristæi nō tuo imperio palam ablatum est? Quid? ex æde Iouis religiosissimū simulacrū Iouis imperatoris, quē Græci οὔριον nominant, pulcherrime factum, non ne abstulisti? Quid? ex æde Liberi paruū illud caput, pulcherrimū, quod visere solebamus, nū dubitasti tollere? Atq; ille Pæan sacrificijs anniuersarijs simul cū Aesculapio apud illos colebatur: Aristæus, qui, vt Græci ferunt, Liberi filius, inuentor olei esse dicitur, vna cū Libero patre, apud illos eodē erat in tēplo consecratus. Iouem autē imperatorē quāto honori in suo templo fuisse arbitramini? hinc colligere potestis, si recordari volueritis, quanta religione fuerit eadē specie, atq; forma signū illud, quod ex Macedonia captū, in Capitolio posuerat Flamininus. etenim tria ferebantur in orbe terrarū signa Iouis Imperatoris, vno in genere pulcherrime facta, vnū, illud Macedonicū, quod in Capitolio videmus; alterū in Pōti ore, & angustijs; tertiū, quod Syracusis ante Verrē prætorē fuit. illud Flāminus ita ex æde sua sustulit, vt in Capitolio, hoc est in terrestri domicilio Iouis, poneret. quod autē est ad introitū Ponti, id, cū tā multæ ex illo mari belluæ emerserint, tā multæ porro in Pontum inuectæ sint, vsq; ad hāc diē integrū, inuiolatūq; seruatū est. hoc tertiū, quod erat Syracusis quod M. Marcellus, armatus & victor viderat, quod religioni cōcesserat, quod ciues atq; incolæ Syracusani colere, aduenæ nō solū visere, verū etiā venerari solebāt, id Verres ex tēplo Iouis sustulit. Vt sæpius ad M. Marcellum reuertar, iudices, sic habetote, plure

esse à Syracusanis istius aduentu deos, quã victoria Marcelli homines desideratos. etenim ille requisisse dicitur etiam Archimedem illum, summo ingenio hominem, ac disciplina, eumq; cũ audisset interfectum, permoleste tulisse. iste omnia, q̃ requisiuit, non vt seruaret, verum vt asportaret, requisiuit. Iã illa, quia leuiora videbuntur, si hoc loco dicerentur, ideo praeteribo, quod iste mensas Delphicas è marmore, crateras ex aere pulcherrimas, vim maximã vasorum Corinthiorum, ex omnib⁹ aedibus sacris Syracusis abstulit. itaque, iudices, ij, qui hospites, ad ea, q̃ visenda sunt, ducere solent, & vnumquidq; ostendere, quos illi μυσαγωγοὺς vocant, cõuersam iam habent demonstrationem suã: nã, vt ante demonstrabant, quid vbique esset, ita nunc, quid vndiq; ablatum sit, ostendunt. Quid tum? mediocri ne tandẽ dolore eos affectos esse arbitramini? nõ ita est, iudices: primũ, quod omnes religione mouentur, & deos patrios, quos à maioribus acceperunt, colendos sibi diligenter, & retinendos esse, arbitrantur: deinde hic ornatus, haec opera, atq; artificia, signa, tabulae pictae Graecos homines nimio opere delectant. itaque ex illorũ querimonijs intelligere possumus, haec illis acerbissima videri, q̃ forsitan nobis leuia, & cõtemnenda esse videantur. mihi credite, iudices: (tametsi vosmetipsos haec eadẽ audire certo scio) cũ multas acceperint per hosce annos socij, atq; exterae nationes calamitates, & iniurias, nullas Graeci homines grauius tulerũt, nec ferũt, quã huiuscemodi spoliationes fanorũ, atq; opidorũ. licet iste dicat, emisse se, sicuti solet dicere: credite mihi, iudices, nulla vmquã ciuitas tota Asia, & Graecia signũ vllũ, tabulã pictã, vllum deniq; ornamentum vrbis sua voluntate cuiquã vendidit. nisi forte existimatis, postea quam iudicia se uera Romae fieri desierint, Graecos homines haec vẽdere coepisse, q̃ tum nõ modo nõ vendebãt, cũ iudicia fiebant, verum etiam coemebãt. nisi arbitramini L. Crasso, Q. Scaeuolae, C. Claudio, potentissimis hominib⁹, quorum aedilitates ornatissimas vidimus, cõmercium istarum rerũ cũ Graecis hominibus nõ fuisse: his, qui post iudiciorũ dissolutiones aediles facti sunt, fuisse. acerbiorẽ etiam scitote esse ciuitatibus falsam istam, & simulatam emptionẽ, quam si quis clam surripiat, aut eripiat, palã atq; auferat. nam turpitudinem summam esse arbitrantur, referri in litteras publicas, pretio adductam ciuitatẽ, & pretio paruo, ea, quae accepisset à maiorib⁹, vendidisse, atq; alienasse. etenim mirandum in modum Graeci reb⁹ istis, quas nos cõtemnimus, delectantur.

itaq;

itaq; maiores nostri facile patiebãtur, hæc esse quãplurima apud socios, vt imperio nostro quã ornatißimi, florẽtißimiq. essent: apud eos autẽ, quos vectigales, aut stipendiarios fecerant, tamen hæc relinquebant, vt illi, quibus ea iucunda sunt, quæ nobis leuia videbantur, haberent hæc oblectamenta, & solatia seruitutis.

EXPLANATIO.

OMNIVM *pulcherrimæ,*} Liuius lib. XXXV. CONFERTE *hanc pacem cum illo bello,* }mirabilis in hoc toto verborum ambitu vis agnoſcitur eloquentiæ. nam & pluribus membris diſtinguitur ſententia: & ipſa membra cõparatione contrariorũ numerum efficiunt: & ita paucis verbis multa dicuntur, vt apertius tamen ac planius eſſe nihil poſſit. Ipſemet Cicero in libro, qui inſcribitur Orator, cum loquitur de numero, Nos etiã, inquit, in hoc genere frequẽtes, vt illa ſunt in quarto Accuſationis: Conferte hanc pacẽ cum illo bello. INGENVIS} nã ſi peccaretur in libertinis, leuius ferẽdum. propterea ingenui quoq; nominãtur. lib. I: Quam multis, inquit, iſtũ ingenuis, quam multis matribus familias vim attuliſſe exiſtimatis? Et Vatinius ad Ciceronem: Hominẽ vnum omnium crudeliſsimum, qui tot ingenuos, matres familias, ciues Romanos occidit, arripuit, diſperdidit. PRYTANEVM,} quale Athenis fuit, vbi ſumptus publice dabatur bene de rep. meritis. QVAM *ad ſummam*} cuius in extrema parte. QVI *Theſmotes vocatur,*} Temenites, malim legere, diſſentientibus inter ſe antiquis libris. hoc enim cognomine Syracuſis aduectum Appollinẽ Suetonius appellat in Tiberio. Et Syracuſis fons fuit Temenites dictus, auctore Plinio: montis quoque vertex, teſte Thucydide lib. VII. EX QVA *præſertim nihil periculi oſtenderetur,*} nã Carthago periculi metu delata eſt. AD AEDEM *Honoris, atque Virtutis,* }renouatam à Marcello, vt apud Ciceronem lib. II. de Nat. De. legitur: votam, & ædificatam, ſi Liuiũ auctorem ſequimur. NE QVA *tali viro mortuo fiat iniuria,*} ſimiliter in Piſonẽ: Facio iniuriam fortiſſimo viro mortuo, qui illum, cuius paucos pares hæc ciuitas tulit, cum importuna bellua conferam. QVOD *erat ædificaturus,*} Honoris, & Virtutis: vt ea, quæ ſe-

quuntur, verba declarant. renouatũ tamẽ ab eo, non ædificatum, auctor est idem Cicero, lib. II. de Nat. De. Etiã illud miror, Liuium scribere, Marcellũ vouisse hoc templũ Gallico bello ad Clastidiũ, Ciceronẽ autem vouisse eum, si Syracusas cepisset. ARGVMENTA} fabulæ: vt Virgilius lib. VII. Argumentũ ingens. quo loco vide Seruiũ. CRINITVM *anguibus,*} in quo angues essent pro crinibus. AD AEDEM *Felicitatis,*} à L. Lucullo cõsule exstructam. Augustinus de Ciuitate Dei. AD *monumentum Catuli,*} ad templũ Iouis Capitolini, à Catulo refectũ. IN *porticum Metelli*: } Macedonici: qui non modo porticus fecit, sed eũ quoq; locum statuis equestribus, quas Alexandri Magni iussu Lysippus fecerat, ex Macedonia deportatis, exornauit. Velleius lib. I. STVDIA, } cupiditates. DELICIAS } in operario non ferendas, ad signa deferenda potius apposito, quã auferenda. ITA *factus & animo, & corpore,*} eodẽ modo dixit lib. I. Off. Neq; enim ita generati à natura sumus, vt ad ludũ facti esse videamur, sed ad seueritatẽ. Pro Milone: Ad quã legẽ non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus. SIMVLACRVM *Iouis Imperatoris, quẽ Græci Vrion nominant.*} vir exquisitæ ac reconditæ doctrinæ, Ioannes Brodæus in suis Miscellaneis putat mendosum esse, Imperatoris: quod Iouẽ οὔριον vel ὅριον Græci finiũ præsidẽ appellent: idq; Demosthenis, Dionysij, Arriani testimonio probat. Sane verbũ Græcũ, Imperatorẽ, nõ significat: sed aliud fortasse Græcis, aliud Latinis nomẽ fuit: qđ, qui terminis præesset, imperare, & arcere finitimos ab iniuria videretur. nõ enim præesset, nisi imperãdi ius haberet. FLAMININVS}, T. Quinctius Flamininus, q ex Macedonia, de Philippo rege triũphauit. CIVES, *atq; incolæ*} qui ciues non sunt, incolæ dicuntur, vt lib. III. Quid Halycienses, quorũ incolæ decumas dant, ipsi agros immunes habent? NIMIO *opere delectant,*} sic in Parad. Quos signa, quos tabulæ, quos Corinthia opera, quos ædificia magnifica nimio opere delectãt. POSTEAQVAM *iudicia seuera Romæ fieri desierint,*} postea quã iudicare senatores cœperint. supra: Quo damnato, tũ cũ seuera iudicia fiebant. HAEC *vendere cœpisse:*}
quod

quod minime fecerũt. NISI *arbitramini,*} quod arbitrari non debetis. Animaduertendũ, hoc loquendi genere negari semper id, quod sequitur. L. CRASSO, *Q. Scæuolæ, C. Claudio,*} quorũ ædilicia munera nominantur lib. II. Off. COMMERCIVM *istarum rerum cum Græcis hominibus non fuisse;*} fuit: easq; res ad ornandũ forũ & sumebant à Græcis, & reddebant: nihil tamen vmquã emerũt. nec Verrẽ igitur emisse, debetis existimare. ET PRETIO *paruo*} quãti Verres ab Heio Mamertino quattuor pulcherrima signa, Cupidinẽ, Herculẽ, Canephoras, à se empta, ipsius Heij tabulis probare conabatur. QVAS *nos contemnimus,*} contra Verrẽ, qui tamquam Græcus, adamabat illa, quæ Romani contemnebant, quamquã antiquos mores exsuere, & oculorũ oblectamenta quærere, Græca leuitate multi iã cœperãt, priuato dedecore, publico damno: nã delicijs contemnendis imperium Romana seueritas auxerat. Vnde Virgilius lib. VI:

Excudent alij spirantia mollius æra:
Credo equidem, viuos ducent de marmore vultus.
Tu regere imperio populos Romane memento:
Hę tibi erunt artes, pacisq; imponere morem;
Parcere subiectis, & debellare superbos.

FACILE *patiebantur,*} hic loquendi modus æquitatem animi, cum neutram in partẽ laboramus, ostendit. vt in ep. ad Pompeiũ: Plus officij apud aliũ residere, facillime patior. VECTIGALES, *aut stipendiarios*} sociorũ tria genera, immunes, vectigales, stipendiarij: quorũ stipẽdiarij deterrima cõdicione. vectigal. n. certũ, & æquale: stipendiũ à populo Romano pro temporũ ratione imponebatur. QVI IAM *ciues Romani sunt,*} supra: Quã vos Rheginis, quorum ciuitati inuidetis, ciuibus Romanis, ostendere soletis.

ORATIO.

QVID arbitramini Rheginos, qui iã Ciues R. sunt, mereri velle, vt ab ijs marmorea Venus illa ne auferatur? quid Tarentinos, vt ne Europã in Tauro sedentẽ amittant? vt Satyrũ, qui apud illos in æde Vestæ est? vt cetera? quid Thespiẽses, vt Cupidinis signũ, propter quod vnũ visuntur Thespiæ? quid Gnidios, vt Venerẽ marmoreã? quid vt pictã, Coos? quid Ephesios, vt Ale-

xandrũ? quid Cyzicenos, vt Aiacem, aut Medeam? quid Rhodios, vt Ialysum? quid Athenienses, vt ex marmore Iacchum, aut Parhalum pictũ, aut ex ære Myronis buculã? longũ est, & non necessarium commemorare, quæ apud quosq; visenda sunt tota Asia, & Græcia. verũ illud est, quamobrem hæc cõmemorarim; quod existimare vos hoc volo, mirũ quendã dolorẽ accidere ijs, ex quorũ vrbibus hæc auferantur. atq; vt ceteros omittamus, de ipsis Syracusanis cognoscite: ad quos ego cũ venissem, sic primo existimabã, vt Romæ ex istius amicis acceperam, ciuitatẽ Syracusanã propter Heraclij hereditatẽ nõ minus esse isti amicã, quã Mamertinã propter prædarum, ac furtorum omniũ societatẽ: simul & verebar, ne mulierum nobilium, & formosarũ gratia, quarũ iste arbitrio præturam per triennium gesserat, virorumq; quibuscũ illæ nuptæ erãt, nimia in istũ nõ lenitudine, sed etiã liberalitate oppugnarer, si quid ex litteris Syracusanorũ conquirerẽ: itaq; Syracusis cũ ciuibus R. eram: eorum tabulas exscribebam, iniurias cognoscebam: cũ diutius in negotio, curaq; fuerã, vt requiescerẽ, curamq; animi remitterẽ, ad Carpinatij præclaras tabulas reuertebar: vbi cum equitibus R. ex illo conuentu honestissimis illos Verrutios, de quibus ante dixi, explicabã, à Syracusanis prorsus nihil adiumenti neq; publice, neq; priuatim exspectabam, neq; erat in animo postulare. cũ hæc agerem, repente ad me venit Heraclius, is, qui tum magistratum Syracusis habebat, homo nobilis, qui sacerdos Iouis fuisset: quĩ honos apud Syracusanos est amplissimus. agit mecum, & cum fratre meo, vt, si nobis videretur, adiremus ad eorũ senatũ: frequentes esse in curia: se iussu senatꝰ à nobis petere, vt veniremꝰ; primo nobis fuit dubiũ, quid ageremus: deinde cito venit in mentẽ, nõ esse vitandũ nobis illũ conuentũ, & locũ: itaq; in curiã venimꝰ. honorifice sane cõsurgitur. nos rogatu magistratus assedimus. incipit is loqui, qui & auctoritate, & ætate, &, vt mihi visum est, vsu rerũ antecedebat, Diodorus Timarchides: cuius omnis oratio hanc habuit primo sententiã: Senatum populũq; Syracusanũ moleste, grauiterq; ferre, quid ego, cũ in ceteris Siciliæ ciuitatibus senatũ populũq; docuissem, quod eis vtilitatis, quid salutis afferrem, & cum ab omnibus mandata, legatos, litteras, testimoniaq; sumpsissẽ, in illa ciuitate nihil eiusmodi facerẽ. Respondi, neq; Romæ in cõuentu Siculorũ, cũ à me auxiliũ cõmuni omniũ legationũ consilio petebatur, caussaq; totius ad me Siciliæ deferebatur, legatos Syracusanorum

rum affuisse, neque me postulare, vt quidquā contra C. Verrem decerneretur in ea curia, in qua inauratam C. Verris statuam viderē. Quod postea quam dixi, tantus est gemitus factus adspectu statuæ, & commemoratione, vt illud in curia positum monumentū scelerum, non beneficiorū videretur. tum pro se quisque, quantum dicēdo assequi poterat, docere me cœpit ea, quæ paullo ante cōmemoraui: spoliatam vrbē, fana direpta, de Heraclij hereditate, quam palæstritis concessisset, multo maximam partem ipsum abstulisse: neque postulandum fuisse, vt ille palæstritas diligeret, qui etiam inuentorem olei deum sustulisset: neq; illam statuam esse ex pecunia publica, neque publice datam: sed eos, qui hereditatis diripiendæ participes fuissent, faciendam statuendamq; curasse: eosdē Romæ fuisse legatos, illius adiutores improbitatis, socios furtorū, conscios flagitiorum: eo minus mirari me oportere, si illi communi legatorū voluntati, & saluti Siciliæ defuissent. Vbi eorum dolorē ex illius iniurijs non modo minorem, sed prope maiorem, quam ceterorū Siculorum, esse cognoui, tum ego meum animum in illos, tum mei cōsilij, negotijq; totius suscepti caussam, rationemq; proposui: tū eos hortatus sum, vt caussæ communi, salutiq; ne deessent, vt ei illam laudationē, quam se vi, ac metu coactos paucis illis diebus decresse dicebant, tollerent. itaq;, iudices, Syracusani hæc faciunt, istius clientes, atque amici: primum mihi litteras publicas, quas in ærario sanctiore conditas habebant, proferunt: in quibus ostendunt omnia, quæ dixi ablata, esse perscripta, & plura etiam, quam ego potui dicere. perscripta autem hoc modo, quod ex æde Mineruæ hoc & illud abesset, quod ex æde Iouis, quod ex æde Liberi. vt quisque eis rebus tuendis, cōseruandisq; præfuerat, ita perscriptum erat, cum rationem ex lege redderet, &, quæ acceperat, deberet tradere petisse, vt sibi, quod heres abesset, ignosceretur: itaque omnes liberatos discessisse, & esse ignotū omnibus. quas ego litteras obsignādas publico signo, deportandasq; curaui. De laudatione autem ratio sic reddita est: primū, cū à Verre litteræ aliquanto ante aduentū meū de laudatiōe venissent, nihil esse decretū: deinde, cum quidā ex illis amicis cōmonerēt, oportere decerni, maximo esse clamore, & cōuicio repudiatos; &, postea quā meꝰ aduētꝰ appropinquarit, imperasse eū, qui summā potestatē haberet, vt decernerēt: decretū ita esse, vt multo plꝰ illi laudatio mali, quā boni posſit afferre. id adeo, iudices, vt mihi ab illis demōstratū ē, sic vos ex me cognoscite.

Mos

Mos est Syracusis, vt, si qua de re ad senatum referatur, dicat sententiam, qui velit: nominatim nemo rogatur: & tamen, vt quisq; honore, & ætate antecedit, ita primus solet sua sponte dicere; idq; à ceteris ei conceditur: si quando taceant omnes. tunc sortito cogũtur dicere. cum hic mos esset, refertur ad senatum de laudatione Verris, in quo primũ, vt aliquid esset moræ, multi interpellant: de Sex. Peducæo, qui de illa ciuitate, totaq; prouincia optime meritus esset, sese antea, cũ audissent ei negotium facessitum. cumq; eum publice pro plurimis eius, & maximis meritis laudare cuperent, à C. Verre prohibitos esse: iniquũ esse, tametsi Peducæus eorum laudatione iã nõ vteretur, tamẽ non id prius decernere, quod aliquãdo voluissent, quam quod tum cogerentur. conclamant omnes, & approbãt ita fieri oportere. refertur de Peducæo. vt quisq; ætate, et honore antecedebat, ita sententiã dixit ex ordine. id adeo ex ipso S. C. cognoscite: nam principium sententiæ perscribi solet. Recita. QVOD. VERBA. FACTA. SVNT. DE. SEX. PEDVCAEO. *Dicis, qui primi suaserint. decernitur. refertur deinde de Verre. dic, quæso.* QVOD. *quo modo?* QVOD. VERBA. FACTA. SVNT. DE. C. VERRE. *Quid postea scriptum est?* CVM. SVRGERET. NEMO. NEQVE. SENTENTIAM. DICERET. *Quid hoc est?* SORS. DVCITVR. *Quamobrẽ? nemo erat voluntarius laudator præturæ tuæ, defensor periculorũ tuorũ? præsertim cũ inire à prætore gratiã posset nemo. ipsi illi tui conuiuæ, cõsiliarij, & conscij, verbũ facere nõ audebãt. in qua curia statua tua stabat, & nuda filij, in ea nemo fuit, quẽ ne nudus quidẽ filius in nuda prouincia commoueret. Atq; etiã hoc me docent, eiusmodi S. C. sese fecisse laudationẽ, vt oẽs intelligere possent, nõ laudatiõem, sed potius irrisionẽ esse illam, quæ commonefaceret istius turpem, calamitosamque præturam. etenim scriptũ esse ita:* QVOD *iste virgis neminẽ cecidisset, à quo cognoscitis nobilissimos homines, atq; innocentissimos securi esse percussos:* QVOD *vigilanter prouinciam administrasset: cuius oẽs vigilias in stupris cõstat, adulterijsq; esse cõsumptas. hoc autẽ scriptũ etiã, quod proferre non auderet reus, accusator recitare non desineret:* QVOD *prædones procul ab insula Sicilia prohibuisset Verres; quos etiã intra Syracusanã insulam recepisset. Quæ postea quã ex illis cognoui, discessi cũ fratre è curia; vt nobis absentib⁹, si quid vellẽt, decernerẽt. decernunt statim: primũ, vt Lucio fratri hospitium publice fieret; quod is eandẽ voluntatẽ*
erga

erga Syracusanos suscepisset, quã ego sẽper habuiſſẽ. id nõ modo tũ scripserunt, verum etiam in ære incisum nobis tradiderunt. valde hercle te Syracusani tui, quos crebro cõmemorare soles, diligunt; qui cũ accusatore tuo satis iustam caussam cõiungendæ necessitudinis putant, quod te accusaturus sit, & quod ad inquirendum in te venerit. Postea decernitur, ac nõ varie, sed prope cunctis sentẽtijs vt laudatio. q̃ C. Verri decreta esset, tolleretur. At vero, cum iam nõ solum discessio facta esset, sed etiã per scriptũ, atq; in tabulas relatum, prætor appellatur. at quis appellat? magistratus aliquis? nemo senator? ne id quidẽ. Syracusanorum aliquis? minime. quis igitur prætorem appellat? qui quæstor istius fuerat, Cæcilius. o rem ridiculã: o desertũ hominem: o desperatũ, ac relictũ. à magistratu Siculo, ne S. C. Siculi homines facere possent, ne suum ius suis moribus, suis legibus obtinere possent, nõ amicus istius, nõ hospes, nõ deniq; aliquis Siculus, sed quæstor prætorẽ appellat. quis hoc vidit? aut quis audiuit? prætor æquus, & sapiens dimitti iubet senatum. concurrit ad me maxima multitudo. primũ senatores clamare, eripi sibi ius, eripi libertatẽ: populus senatum laudare, gratias agere: ciues R. à me nusquã discedere. quo quidem die nihil ægrius factum est multo labore meo, quã vt manus ab illo appellatore abstinerẽtur. cum ad prætorem in ius adissemus, excogitat sane diligenter, & caute, quid decernat: nã ante quam verbum facerẽ, de sella surrexit, atq; abijt. itaq; tum de foro, cum iam aduesperasceret, discessimus. postridie mane ab eo postulo, vt Syracusanis liceret S. C. quod pridie fecissent, mihi reddere. ille enim vero negat: & ait indignũ facinus esse, quòd ego in senatu Græco verba fecissem: quód quidẽ apud Græcos Græce locutus essem, ferri nullo modo posse. Respõdi homini, vt potui, vt volui, vt debui: tũ multa, tũ etiã hoc me memini dicere: facile esse perspicuũ; quantum inter hunc, & illum Numidicum, verũ, et germanum Metellum interesset: illũ noluisse sua laudatione iuuare L. Lucullum, sororis virum, quicum optime cõuenisset; hũc homini alienissimo à ciuitatibus laudationes per vim, et metum cõparare. quod vbi intellexi, multũ apud illum recentes nuncios, multũ tabulas nõ cõmendaticias, sed tributarias valuisse; admonitu ipsorũ Syracusanorũ impetum in eas tabulas facio, in quibus singula perscripta erant. Ecce autẽ noua turba, atque rixa: ne tamẽ istũ omnino Syracusis sine amicis, sine hospitibus plane nudũ esse, ac desertũ putetis, retinere cœpit tabulas Theomnastus quidam;

dã,homo ridicule insanus:quẽ Syracusani Theoractũ vocãt,qui illic eiusmodi est,vt eũ pueri sectẽtur,vt oẽs, cũ loqui cœperit, irrideãt,hui⁹ tamẽ insania,q̃ ridicula est alijs,mihi tũ molesta sane fuit.nã cum spumas ageret in ore; arderẽt oculi;voce maxima,vim me sibi afferre,clamaret:copulati in ius peruenim⁹.hic ego postulare cœpi,vt mihi tabulas obsignare,ac deportare liceret:ille contra. instare ego,omniũ mihi tabularũ, & litterarũ fieri potestatẽ oportere: cõtra ille furiosus vrgere,nihil ad se nostras leges pertinere. prætor intelligẽs,negare sibi placere,quod S.C.ratũ esse non deberet,id me Romã deportare.quid multa?nisi vehemẽtius homini minatus essem,nisi legũ sanctionẽ, pœnãq; recitassem; tabularũ mihi potestas facta nõ esset.ille autẽ insanus, qui pro isto cõtra me vehemẽtißime declamasset, postquã non impetrauit,credo vt in gratiã mecũ rediret,libellũ mihi dat, in quo istius furta Syracusana perscripta erãt:q̃ ego antea iã ab illis cognoram,& acceperam. Laudẽt te sane iã Mamertini:qui ex tanta prouincia soli sũt,qui te saluũ velint:ita tamẽ laudent,vt Heius,qui eius princeps legationis est,adsit:ita laudẽt,vt ea,q̃ rogati erũt,mihi parati sint respõdere. ac ne subito à me opprimãtur, hæc sũ rogaturus:nauẽ debeant ne? fatebuntur:præbuerint ne prætore C.Verre?negabũt:ædificauerint ne nauẽ onerariam maximam publice,quã Verri dederũt?negare nõ poterũt:frumentum ne ab his sumpserit Verres,quod populo R. mitteret, sicuti superiores? negabũt.quid militũ,aut nautarũ per trienniũ dederũt? nullũ datũ dicent . fuisse Messanã omniũ istius furtorũ,ac prædarũ receptricem?negare nõ poterunt.permulta multis nauibus illinc exportata?hãc deniq; nauem maximã à Mamertinis datã,onustã,cũ isto prætore profectã?fatebuntur. Quamobrẽ tibi habe sane istã laudationẽ Mamertinã:Syracusanã quidẽ ciuitatẽ,vt abs te affecta est,ita in te esse animatã videm⁹:apud quos etiam Verrea illa flagitiosa sublata sunt. etenim minime cõueniebat,ei deorũ honores haberi, qui simulacra deorũ sustulisset. etiã mehercule illud in Syracusanis merito reprehenderetur,si, cũ diẽ festũ ludorũ de fastis suis sustulisset celeberrimum,& sanctißimũ; quod eo ipso die Syracusæ à Marcello captæ esse dicuntur, ijdẽ diẽ festũ Verris nomine agerent, cũ iste Syracusanis,quæ ille calamitosus dies reliquerit , ademisset. at videte hominis impudentiam, atq; arrogantiam,iudices,qui nõ solum Verrea hæc,turpia,ac ridicula,ex Heraclij pecunia cõstituerit,verum etiam Marcellea tolli

impera-

imperarit; vt ei sacra facerēt quotānis, cuius opera omniū annorum sacra, deosq; patrios amiserāt; eius aūt familiæ dies festos tollerēt, per quam ceteros quoq; festos dies recuperarant.

EXPLANATIO.

MERERI} soluere, & impēdere. vt lib. V. Quid cē-setis in hoc fœdere faciūdo voluisse Mamertinos impendere laboris, operæ, pecuniæ, ne hæc biremis adscriberetur, si id vllo modo possent à nostris maiorib. impetrare? *Heraclij*} de quo li. 2. *Non lenitudine,*} placeret: nō modo lenitudine: cū sequatur, Sed etiā liberalitate. *Liberalitate*} qui vxores Verris libidini permitterēt: vt cōmunes viderētur esse. *De quibus ante dixi,*} li. 2. *Monumē-tum scelerum,*} ne scelera Verris quisquā posset obliuisci. *Inuentorē olei deū*} Aristeū, Bacchi filiū, de quo paullo ante. *Hereditatis*} Heraclij. *Non modo minorē,*} pro, nedū minorem: vt in ep. ad Lent. Non modo pmijs, sed ne periculis quidem cōpulsus vllis. Et alibi sępe. Vt ei } non placet, Ei. *Paucis illius diebus*} cū iā appropinquaret aduēt⁹ meus. *Qui summam potestatē haberet,*} prætorē L. Metel. De SEX. *Peducæo,*} patre eius, q Attici amicissimus fuit. *Ei negotiū facessitum,*} reū esse factū. sic ad Ap. Cū est ad nos allatū de temeritate eorū, qui tibi negotiū facesserēt. *Ne nudus quidem filius*} obscenæ libidinis cupiditate. hāc suspicionē sępe excitat de puero Verre: vt in diuin. cursare iste homo potēs cū filio blādo, & gratioso circū trib⁹. li. 2. Hūc n. puerū nō oderāt. li. 3. Vester ille puer ptextat⁹ in prouincijs quēadmodū fuisset; dicerē, si pueri esse illā, culpā, ac non patris existimarē. *In nuda prouincia*} exinanita, exhausta, despoliata. *Cognoscitis*} malim, Cognostis: à testib. videlicet. *Discessio*} eadē, q Romę fieri solebat in S.C. faciēdis, aut im pbādis. *Prætor appellatur.*} q aderat, L. Metell⁹. Appellatur aūt, ne laudationē illā tolli sinat. CAECILIVS.} cū quo Ciceroni de accusando Verre cōtētio fuerat. A *Magistratu Siculo*} Cecilius à magistratu Siculo prętorem appellat: id est, omisso magistratu Siculo, ad ptorē cōfugit. SED *quæstor*} q fuerat, nō q tūc esset. GRAECE *locut⁹*} quasi dignitas in eo senatoris populi Romani minueretur. Verum, *& germanū Metellū*} quasi alij min⁹ hoc digni nomine viderentur.

derētur. Similiter supra: Ille vero cū se Metellū minimè fore putasset, si te vlla in re imitat⁹ esset. I V V A R E} Lucullū reū, sororis suę virū, Luculli patrē, q. de Mithridate & Tigrane triumphauit. Plutarchus. Q V O D *vbi intellexi,*} Quod; pro, Sed, vt lib. I: Quod vos oblitos esset non arbitror, q̄ multitudo, qui ordo ad Pisonis sellā isto p̄tore olit⁹ sit cōuenire. Et lib. II: Quod ego nisi meo aduētu illius conatus aliquātulū repressissem. R E C E N T E S *nuncios*} Lætiliū, de quo lib. I I. T R I B V T A R I A S} quæ Metello munera tribuerēt. Lib. I I. Is epistolas cōplures attulerat, in ijs vnā domo, q̄ totum hominem immutarat. T H E O M N A S T V S} dei memor, Latine valet. Verris familiaris fuerat: vt lib. I I. T H E O R A C T V M} diuino furore cōmotū, à deo perculsum. V O C A N T:} per irrisionem. P R A E T O R *intelligēs,*} cū ironia. L E G V M} de repetūdis. lib. I I. Nisi Glabrionis litteris, ac lege pugnasse; tā multos huc euocare non potuissē. SANCTIONEM,} ne q̄s impediat, quo min⁹ & obsignare & deportare Romā tabulas liceat. POENAMQ.} si quis impedierit. V T *Heius, qui eius princeps legatiōis est, adsit:*} qui si audierit, publico te nomine laudabit, suo lædet. sibi enim è sacrario suo Cupidinem marmoreū, Herculē æneū, Canephoras sublatas esse dicet, quēadmodū priore iam dixit actione. N A V E M *debeant ne?*} populo Romano. S V P E R I O R E S.} qui ante Verrē Siciliæ p̄fuerunt. D I E M *festum*} Marcellea. S V S T V L I S S E N T,} non tamē sua spōte, sed iussu Verris. lib. I I. E X H E R A C L I I *pecunia*} vt erogaretur in sumptū eius diei. E I} Verri, tanq̄ deo. O M N I V M *annorum sacra,*} nā cui deo sacra fierēt, cum Verres omnium deorum simulacra sustulisset: in Diuin. Sese iā ne deos quidē in suis vrbibus, ad quos cōfugerēt, habere: q̄ eorum simulacra sanctissima, C. Verres ex delubris religiosissimis sustulisset. P A T R I O S} quos iampridē colere soliti essent. E I V S *autē familiæ*} Claudiæ Marcellorum. D I E S *festos*} pro, diem festū. R E C V P E R A R A N T.} cū iure belli, victore M. Marcello, omnia amisissent. Familiā Cicero nominauit, cū vnū M. Marcellū nominare posset, vt à iudicibus C. Marcello, & Cn. Lentulo Marcellino gratiam iniret.

IN. LIB.

IN LIBRVM V. ACTIONIS II. CICERONIS IN VERREM.

QVI DE SVPPLICIIS INSCRIBITVR.

PAVLLI MANVTII COMMENTARIVS.

ORATIO X.

NEMINI video dubium esse, iudices, quin apertissime C. Verres in Sicilia sacra, profanaque omnia & priuatim, & publice spoliarit, versatusque sit sine vlla non modo religione, verum etiam dissimulatione, in omni genere furandi, atque prædandi. Sed quædam mihi magnifica, & præclara eius defensio ostenditur: cui quemadmodum resistam, multo mihi antea est, iudices, prouidendum. ita enim caussa constituitur, prouinciam Siciliam virtute eius, & vigilantia singulari, dubijs formidolosisque temporibus, à fugitiuis, atque à belli periculis tutam esse seruatam. quid agam, iudices? quo accusationis meæ rationem conferam? quo me vertam? ad omnes enim meos impetus, quasi murus quidam, boni nomen imperatoris opponitur. noui locum: video, vbi se iactaturus sit Hortensius. belli pericula, tempora reip. imperatorem penuriam commemorabit. tum deprecabitur à vobis tum etiam pro suo iure contendet, ne patiamini talem imperatorem populo R. Siculorum testimonijs eripi, ne ue obteri laudem imperatoriam criminibus auaritiæ velitis. Non possum dissimulare, iudices. timeo, ne C. Verres, propter hanc virtutem eximiam in re militari, omnia, quæ fecit, impune fecerit: venit enim mihi in mētem, in iudicio M. Aquillij quantum auctoritatis, quantum momenti oratio M. Antonij habuisse existimata sit: qui, vt erat in dicēdo non solum

sapiens, sed etiam fortis, caussa prope perorata, ipse arripuit M'. Aquillium, constituitq́; in conspectu omnium, tunicamq́; eius à pectore abscidit, vt cicatrices populus R. iudicesq́; adspicerent aduerso corpore exceptas. simul & de illo vulnere, quod ille in capite ab hostium duce acceperat, multa dixit: eoque adduxit eos, qui erant iudicaturi, vehementer vt vererētur, ne, quem virum fortuna ex hostium telis eripuisset, cum sibi ipse non pepercisset, hic non ad populi R. laudem, sed ad iudicum crudelitatem videretur esse seruatus. Hæc eadem nunc ab illis defensionis ratio; viaq́; tentatur: idem quæritur. sit fur, sit sacrilegus, sit flagitiorum omnium, vitiorumq́; princeps: at est bonus imperator, & felix, & ad dubia reip. tempora reseruandus. Non agam summo iure tecum: non dicam id, quod debeam forsitan obtinere, cum iudicium certa lege sit constitutum, non quid in re militari fortiter feceris, sed quemadmodum manus ab alienis pecunijs abstinueris, abs te doceri oportere. non, inquam, sic agam: sed ita quæro, quemadmodum te velle intelligo, quæ tua opera, & quanta fuerit in bello. quid dices? an bello fugitiuorū Siciliam virtute tua liberatam? magna laus, honesta oratio: sed tamen quo bello? nos enim post id bellum, quod M. Aquillius confecit, sic accepimus, nullū in Sicilia fugitiuorum bellum fuisse. at in Italia fuit. fateor: et magnum quidē, ac vehemēs. num igitur ex bello partem aliquam laudis appetere conaris? num tibi illius victoriæ gloriam cum M. Crasso, aut Cn. Pompeio cōmunicandam putas? nō arbitror hoc etiam deesse tuæ impudentiæ, vt quidquam eiusmodi dicere audeas. Obstitisti videlicet, ne ex Italia transire in Siciliam fugitiuorum copiæ possent. vbi? quādo? qua ex parte? cum aut nauibus, aut ratibus conarentur accedere? nos enim nihil vmquam prorsus audiuimus: & aliud audiuimus, M. Crassi, fortissimi viri, virtute consilioq́; factum, ne ratibus coniunctis freto fugitiui ad Messanam transire possent, à quo illi conatu nō tantopere prohibendi fuissent, si vlla in Sicilia præsidia ad illorum aduentum opposita putarentur. At, cum in Italia bellum tam prope à Sicilia, tamen in Sicilia nō fuit. quid mirum? vt cum in Sicilia quidem fuit, eodem interuallo par eius belli in Italiam vlla peruasit. etenim propinquitas ad vtram partē hoc loco profertur? vtrum, aditum facilem hostibus, an contagionē imitandi eius belli periculosam fuisse? aditus omnibus hominibus sine vlla facultate nauium nō modo disiunctus; sed etiam clausus fuit: vt illis, quibus Siciliam

pro-

propinquã fuisse dicis, facilius fuerit ad Oceanũ peruenire, quã ad Peloridẽ accedere. Contagio aũt ista seruilis belli cur abs te potius, quã ab ijs omnibus, qui ceteras prouincias obtinuerunt prædicatur? quod in Sicilia iam ante bella fugitiuorũ fuerunt: at ea ipsa caussa, est, cur ipsa prouincia minimo in periculo sit, & fuerit. nam postea quã illinc M'. Aquillius decessit, omniũ instituta, atq; edicta prætorum fuerũt eiusmodi, vt ne quis cũ telo seruus esset. vetus est. quod dicam, & propter seueritatẽ exempli nemini fortasse vestrum inauditũ L. Domitiũ prætorẽ in Sicilia cum aper ingens ad eum allatus esset, admiratũ requisisse, quis eũ percussisset: cum audisset, pastorẽ cuiusdã fuisse, eum ad se vocari iussisse: illum cupide ad prætorem, quasi ad laudẽ, atq; præmium, accurrisse: quæsisse Domitium, qui tantã bestiã percussisset? illum respõdisse, venabulo: statim deinde iussu prætoris in crucẽ esse sublatum. durũ hoc fortasse videatur: neq; ego vllã in partẽ disputo: tantũ intelligo, maluisse Domitium crudelẽ in animaduertendo, quam in prætermittendo dissolutũ videri. Ergo his institutis prouinciæ, iam tum, cũ bello fugitiuorũ tota Italia arderet, homo non acerrimus, nec fortissimus, Cn. Norbanus in summo otio fuit: perfacile enim sese Sicilia tuebatur, ne quod in ipsa bellum posset exsistere. etenim cum nihil tam coniunctum sit, q̃ negotiatores nostri cum Siculis vsu, re, ratione, cõcordia; & cum ipsi Siculi res suas ita cõstitutas habeant, vt his pacẽ expediat esse; imperium autẽ populi R. sic diligant, vt id imminui, ac commutari minime velint; cumq; hæc ab seruorum bello pericula et prætorum institutis, et dominorum disciplina prouisa sint: nullum est malum domesticum, quod ex ipsa prouincia nasci possit. Quid igitur? nulline motus in Sicilia seruorum, Verre prætore? nullæ ne consensiones factæ esse dicuntur? nihil sane, quod ad senatum populumq; R. peruenerit: nihil, quod iste Romam publice conscripserit. et tamen cœptum est in Sicilia moueri aliquot locis seruitium suspicor. id adeo nõ tam ex re, quam ex istius factis, decretisq; cognosco. ac videte, quam nõ inimico animo sim acturus. ego ipse hæc, quæ ille quærit, quæ adhuc numquam audistis, commemorabo, & proferam.

EXPLANATIO.

NOVI locum: } qui occasionem & facultatem exaggerandi præbeat oratori: PRO SVO *iure contendet*, } carpit eum, quasi dominari soleret in iudicijs. nam, Pro suo iure, potẽtiam

 signifi-

significat. TIMEO,} hoc totum ironia est. nullam enim esse Verris in re militari virtutē, aut vigilantiam, ostendet. M'. AQVILLII} qui de repetundis ex Sicilia est accusatus à L. Fusiô. lib. II. Offi. FORTIS} magno animo præditus. AD HOSTIVM *duce*} fugitiuorū dux Athenio fuit, quos Aquillius in Sicilia vicit, de quibus etiam ouauit. CVM SIBI *ipse non pepercisset,*} cum in pugna nullam suæ salutis rationem habuisset. AD IVDICVM *crudelitatem*} vt eum iudices necarent, quem seruare fortuna voluisset. SVMMO *iure*} vt nihil afferre tē patiar in iudicium, nisi quod ad crimen repetundarum, de quo reus es, pertinet. CERTA *lege*} de repetundis. AT IN *Italia fuit.*} Spartaco duce, quem vicit M. Crassus. AVT CN. *Pompeio*} cum fugitiuis Pompeius non pugnauit: sed, cum ex Hispania, superato Sertorio, rediret, magnum fugitiuis terrorem eius aduentus iniecit. vnde illa in oratione pro lege Manilia: Testis est iterum, & sæpius Italia: quæ cum seruili bello tetro periculosoque premeretur, ad hoc auxilium absente expetiuit: quod bellum exspectatione Pompeij attenuatum, atq; imminutum est, aduentu sublatum, ac sepultum. TAM *prope à Sicilia,*} tam prope Siciliam esset. TAMEN *in Sicilia non fuit.*} quasi, ne esset, Verres effecerit. ADITVM} in Siciliam. HOSTIBVS} seruorum copijs, quæ erant in Italia. IMITANDI *eius belli*} ne serui, qui erant in Sicilia, imitarētur eos, qui bellum in Italiā excitauerant. SINE *vlla facultate nauium*} qui nauibus omnino carerent. ILLIS} fugitiuis AD PELORIDEM} Siciliæ promontorium, Italiam spectans PRAEDICATVR?} quasi eam ipse prohibueris. IN CRVCEM *esse sublatum*} seruili supplicio affectum. pastor enim ille seruus fuit. CN. NORBANVS} prætor in Sicilia C. Norbanus vocatur lib. III. & fortasse is est, qui cum L. Scipione consul fuit. RATIONE,} quia contrahunt inter se.

ORATIO.

IN Triochalino, quem locum fugitiui iam ante tenuerunt, Leonidæ cuiusdam Siculi familia in suspicionē vocata est coniurationis. res delata ad istum. statim, vt par fuit, iussu eius homines

nes, qui nominati erant, comprehensi sunt, adductique Lilybæum: domino denunciatū est, vt adesset: causa dicta damnati sunt. Quid deinde? quid censetis? furtum fortasse, aut prædam exspectatis aliquam? nolite vsquequaq; eadem quærere. in metu belli, furādi qui locus potest esse? etiam, si qua hic fuit in re occasio, prætermissa est. tum potuit à Leonida nummorum aliquid auferre, cum denunciauit, vt adesset. fuit nundinatio aliqua, & isti non noua ne caussam diceret. etiam alter locus, vt absoluerentur. damnatis quidem seruis, quæ prædandi potest esse ratio? produci ad supplicium necesse est. testes enim sunt; qui in consilio fuerunt: testes publicæ tabulæ: testes splēdidissima ciuitas Lilybætana: testis honestissimus, maximusq; conuentus ciuium R. nihil potest. producendi sunt. itaq; producuntur, & ad palum alligantur. Etiam num mihi expectare videmini, iudices, quid deinde factum sit: quid iste nihil vnquā fecit sine aliquo quæstu, atq; prædą quid in eiusmodi re fieri potuit? quod commodum est, exspectate facinus quam vultis improbum: vincam tamen exspectationem omnium. Nomine sceleris, coniurationisq; damnati, ad suppliciū traditi, ad palum alligati, repente, multis millibus hominum inspectantibus, soluti sunt, & Leonidæ illi domino redditi. Quid hoc loco potes dicere, homo amentissime? nisi id, quod ego non quæro, quod deniq; in re tam nefaria, tametsi dubitari non potest, tamen, ne si dubitetur quidē, quæri oporteat, quid, aut quantum, aut quo modo acceperis. remitto tibi hoc totum, atq; ista te cura libero: neq; enim metuo, ne hoc cuiquam persuadeatur, vt, ad quod facinus nemo, præter te, vlla pecunia adduci potuerit, id tu gratis suscipere conatus sis. verum de ista furandi, prædandiq; ratione nihil dico: de hac imperatoria iam tua laude disputo. Quid ais, bone custos, defensorq; prouinciæ tu, quos seruos arma capere, ac bellū facere in Sicilia voluisse cognoras, & de consilij sententia iudicaras, hos ad supplicium iam more maiorum traditos et ad palum alligatos, ex media morte eripere, ac liberare ausus es, vt, quam damnatis seruis crucē fixeras, hanc indemnatis ciuibus R. reseruares? perditæ ciuitates, desperatis omnibus rebus, hos solent exitiales habere, vt damnati in integrum restituantur, vincti soluantur, exsules reducantur, res iudicatæ rescindātur. quæ cum accidunt, nemo est, quin intelligat ruere illam remp. hæc vbi eueniūt, nemo est, qui vllam spem salutis reliquam esse arbitretur. atq; hæc sicubi facta sunt, facta sunt, vt homines populares, aut nobiles sup-

 plicio,

plicio, aut exsilio leuarentur, at non ab ijs ipsis, qui iudicassent, at non statim, at non eorum facinorũ damnati, q̃ ad vitã, & fortunas omnium pertinerẽt. hoc vero nouum, et eiusmodi est, vt magis propter reum, quam propter rem ipsam, credibile esse videatur, vt homines seruos, vt ipse, qui iudicarat, vt statim, è medio supplicio dimiserit; vt eius facinoris damnatos seruos, quod ad omnium liberorum caput, & sanguinem pertineret.

EXPLANATIO.

IN TRIOCHALINO} Silius: Et mox seruili vastata Triochala bello. FVRTVM} Verris. PRAETERMISSA *est.*} minime prætermissa. sic enim intelligendũ. FVIT *nundinatio aliqua*} id est, esse potuit. NISI ID} te pecuniam accepisse. NE SI *dubitetur quidem*} non dubitatur, quin pecuniam acceperis: sed, si dubitetur, id queri tamen in re tam nefaria non oportet. nam, si pecuniam non accepisti, qua ratione adductus eos liberasti? PROPTER *reum,*} propter ipsum Verrem: à quo tantum sceleris esse commissum, credibile est. IPSE, QVI *iudicarat,*} ipse Verres, qui eos damnauerat. Hoc ad illud supra dictum refertur, Vt non ab ijs ipsis, qui iudicassent. Nam ad quattuor proposita, quattuor item hic subiunguntur: vtraque per particulam, Vt.

ORATIO.

O PRAECLARVM *imperatorẽ, nec iam cum M. Aquillio, fortißimo viro, sed verò cum Paullis, Scipionibus, Marijs conferendum. Tantum ne vidisse in metu, periculoq́; prouinciæ? cum seruitiorum animos in Sicilia suspensos propter bellum Italiæ fugitiuorum videret, ne quis se cõmouere auderet, quantum terroris iniecit? comprehendi iußit: quis non pertimescat? caussam dicere dominos: quid seruis tàm formidolosum? fecisse videri, pronunciauit. exortam videtur flammam paucorum dolore, ac morte restinxisse. quid deinde sequitur? verbera, atq; ignes, et illa extrema ad supplicium damnatorum, metum ceterorum, cruciatus, & crux. hisce omnibus supplicijs sunt liberati. quis dubitet, quin seruorum animos summa formidine oppresserit, cum viderent ea facilitate prætorẽ, vt ab eo sceleris, coniurationisq́; damnatorum vitæ, vel ipso carnifice internuncio, redimeretur? Quid? hoc in Apolloniensi Aristodamo? quid? in Leonte Megarensi nõ idẽ fecisti? quid? iste*

iste motus seruorum, bellíq; subita suspicio vtrũ tibi tandẽ diligentiam custodiendæ prouinciæ, an nouam rationẽ improbißimi quæstus attulit? Halyciensis Eumenidæ, nobilis, hominis, & honesti, magnæ pecuniæ villicus cũ impulsu tuo insimulatus esset, H-S LX *à domino accepisti. quod, nuper ipse iuratus docuit, quemadmodum gestum esset. Ab equite R. C. Matrinio absente, cum is esset Romæ, quod eius villicos, pastoresque tibi in suspicionem venisse dixeras,* H-S C *abstulisti. dixit hoc L. Flauius, qui tibi eam pecuniã numerauit, procurator C. Matrinij: dixit ipse C. Matrinius: dicet clarißimus vir, Cn. Lẽtulus censor, qui, Matrinij honoris caussa, recẽti negotio ad te litteras misit, mittendasq; curauit. Quid? de Apollonio, Dioclis filio, Panhormitano, cui Gemino cognomẽ est, præteriri potest? ecquid hoc tota Sicilia clarius? ecquid indignius? ecquid manifestius proferri potest? quẽ is, vti Panhormum venit, ad se vocari, & de tribunali citari iußit, concursu magno, frequentiaq; conuentus. homines statim, loqui, mirari, quod Apollonius, homo pecuniosus, tamdiu ab isto maneret integer: excogitauit: nescio quid attulit: profecto homo diues repente à Verre non sine caussa citatur: exspectatio summa omniũ, quidnam id esset: cum exanimatus subito ipse occurrit cum adolescente filio: nam pater grandis natu iamdiu lecto tenebatur. nominat iste seruum, quẽ magistrũ pecoris esse diceret: eum dicit cõiurasse, et alias familias concitasse. is omnino seruus in familia nõ erat. eum statim exhiberi iubet. Apollonius affirmat seruum se omnino illo nomine habere neminẽ. iste hominẽ arripi à tribunali, & in carcerẽ conijci iubet. ille clamare, cũ raperetur, nihil se miserum fecisse, nihil cõmisisse, pecuniam sibi esse in nominibus, numeratam in præsentia nõ habere. hæc cũ maxime summa hominum frequẽtia testificaretur, vt quiuis intelligere posset, eum, quod pecuniã nõ dedisset, iccirco illa tam acerba iniuria affici, eum maxime, vt dico, hoc de pecunia clamaret, in vincula coniectus est. videte cõstantiam prætoris, & eius prætoris, qui nunc reus non ita defendatur, vt mediocris prætor, sed ita laudetur, vt optimus imperator. cum seruorum bellum metueretur; quo supplicio dominos indẽnatos afficiebat, hoc seruos damnatos liberabat. Apollonium, locupletißimum hominem, qui, si fugitiui bellum in Sicilia facerent, amplißimas fortunas amitteret, belli fugitiuorũ nomine, indicta caussa, in vincla coniecit: seruos, quos ipse cũ consilio belli faciendi caussa consensisse iudicauit, eos sine consilij sententia,*

sua sponte omni supplicio liberauit. quid, si ab Apollonio aliquid commissum est, quamobrem iure in eum animaduerteretur: tamen hanc rem sic agemus, vt crimini, aut inuidiæ reo putemus esse oportere, si quo de homine seuerius iudicauit? non agam tam acerbe: nõ vtar ista accusatoria consuetudine, si quod est factum clementer, vt dissolute factum criminer; si quid vindicatum seuere est, vt ex eo crudelitatis inuidiam colligam. non agam ista ratione: tua sequar iudicia: tuam defendam auctoritatem, quoad tu voles. simul ac tute cœperis tua iudicia rescindere, mihi succẽsere desinito: meo enim iure contendam, eum, qui suo iudicio condemnatus sit, iuratorum iudicum sententijs damnari oportere. non defendam Apollonij caussam, amici atque hospitis mei: ne tuum iudicium videar rescindere. nihil de hominis frugalitate, virtute, diligentia, dicam. prætermittam illud etiam, de quo antea dixi, fortunas eius ita cõstitutas fuisse, familia, pecore, villis, pecunijs creditis, vt nemini minus expediret, vllum in Sicilia tumultum, aut bellum commoueri. non dicam ne illud quidem; si maxime in culpa fuerit Apollonius, tamen in hominẽ honestissimum, ciuitatis honestissimæ, tam grauiter animaduerti, caussa indicta, non oportuisse. nullam inuidiam in te ne ex illis quidem rebus concitabo, cum esset talis vir in carcere, in tenebris, in squalore, in sordibus, tyrannicis interdictis tuis, patri exacta ætate, et adolescenti filio adeundi ad illum miserum potestatem numquam esse factam. etiam illud præteribo, quotiescumque Panhormum veneris illo anno, & sex mensibus, (nam tamdiu fuit in carcere Apollonius) toties ad te senatum Panhormitanum adisse supplicẽ cum magistratibus, sacerdotibusq́; publicis, orantem, atq; obsecrantem, vt aliquando ille miser, atq; innocens calamitate illa liberaretur. relinquã hæc omnia: quæ si velim persequi, facile ostẽdam, tua crudelitate in alios, omnes tibi additus misericordiæ iudicum iam pridem esse præclusos. omnia igitur ista concedam, & remittam: præuideo enim, quid sit defensurus Hortensius. fatebitur, apud istum neque senectutem patris, neque adolescentiam filij, neq; lacrymas vtriusque plus valuisse, quam vtilitatem, salutemq́ue prouinciæ. dicet remp. administrari sine metu, ac seueritate non posse: quæret, quamobrẽ fasces prætoribus præferantur, cur secures datæ, cur carcer ædificatus, cur tot supplicia sint in improbos more maiorũ constituta. quæ cum omnia grauiter, seuereq́; dixerit, quæram, cur hunc eundem Appolloniũ Verres idem,

repen-

repente, nulla noua re allata, nulla defensione, sine caussa, de carcere emitti iusserit: tantumq; in hoc crimine suspicionis esse affirmabo, vt iam ipsis iudicibus sine mea argumentatione coniecturam facere permittam, quod hoc genus prædandi, quam improbum, quam indignum, quamque ad magnitudinem quæstus immensum, infinitumque esse videatur. nam quæ iste in Apollonio fecit, ea primum breuiter cognoscite, quot, et quanta sint: deinde hæc expēdite, atq; æstimate pecunia: reperietis, iccirco hæc in vno pecunioso tot cōstituta, vt ceteris formidines similium incōmodorum, atque exempla periculorum proponerentur. Primum insimulatio est repentina, capitalis, atq; inuidiosi criminis. statuite, quanti hoc putetis, et quam multos redemisse. deinde crimen sine accusatore, sententia sine consilio, damnatio sine defensiōe. æstimate harum rerum omnium pretia: & cogitate, in his iniquitatibus vnum hæsisse Apollonium, ceteros profecto multos ex his incōmodis pecunia se liberasse. postremo tenebræ, vincla, carcer, inclusum supplicium, atque à conspectu parentum, ac liberum, denique à libero spiritu, & communi luce seclusum. hæc vero, quæ vel vita redimi recte possunt, æstimare pecunia non queo. hæc omnia sero redemit Apollonius, iam mærore, ac miserijs perditus: sed tamen ceteros docuit, ante istius auaritiæ, ac sceleri occurrere, nisi vero existimatis, hominem pecuniosissimum, sine aliqua caussa questus, iniectum ad tam incredibile crimen, aut sine eadem caussa repente è carcere emissum, aut hoc prædandi genus ab isto in illo vno adhibitum, ac tentatum, & non per illum omnibus pecuniosis Siculis metum propositū, et iniectum.

EXPLANATIO.

FECISSE *videri,*} cōdemnationis verba: vt modeste suam sententiam iudices ostenderent. In Lucullo: Quę iurati iudices cognouissent, vt ea nō, esse facta, sed vt, videri, pronunciarent. In ep. ad Att. lib. IV. Drusus, Scaurus, non fecisse videntur. Simile illud lib. II. Sthenium litteras publicas corrupisse videri. Ibidē: Omnium sententia pronunciatum esse, non videri Sthenium impediri edicto, quo minus ei liceret Romæ esse. Et pro Cæcina, & in Pisonem. SVMMA *formidine oppresserit,*} à cōtrario sensu: pro, Omni prorsus formidine liberarit. VEL *ipso carnifice internuncio*} agente de pretio inter Verrem & Leonidam. REDIMERETVR P.} verbo vsus est pe-

cuniam indicante. H. S LX *millia*} scutatos MDCCC. H. S C *millia*} scutatorum tria millia. CENSOR} cum L. Gellio. DIOCLI} antique, pro Dioclis: vt Virgilius, Immitis Vlyssi. vide Carisium. EXCOGITAVIT:} contra Apollonium Verres. Inducit Cicero Panhormitanũ aliquem ita loquentem. NESCIO *quid attulit:*} aliquid omnino attulit, quo Apollonium citaret. IN NOMINIBVS} nomina pro debitoribus ponuntur. NON *habere.*} quam si haberet, petenti Verri dedisset. id enim significatur. SERVOS *damnatos*} Leonidæ: de quo supra. CLEMENTER,} vt in seruis Leonidæ. SEVERE,} vt in Apollonio. EVM,} Verrem. SVO *iudicio*} quia, cum suum de Appollonio iudicium rescidit, ipsese condẽnauit: quę minus vos de eo condemnando dubitare nunc potestis. REDEMISSE. ne accusaretur eiusmodi crimine. VEL *vita*} præstat enim mori, quam hæc pati. OCCVRRERE. pecunia se à Verre ante redimere, quam illa ferant, quæ tulit Apollonius.

ORATIO.

CVPIO *mihi, iudices, ab illo subiici, quoniã de militari eius gloria dico, si quid forte præter eo: nam mihi videor de omnibus iam rebus eius gestis, dixisse, quæ quidẽ ad belli fugitiuorũ pertinerent suspicionẽ: certe nihil sciens prætermisi. Habetis hominis consilia, diligentiã, vigilantiam, custodiam, defensionemq; prouinciæ. summa illuc pertinet, vt sciatis, quoniam plura genera sunt imperatorum, ex quo genere iste sit. ne diutius, in tãta pænuria virorũ fortium, talem imperatorẽ ignorare possitis, nõ ad Q. Maximi sapientiam, neq; ad illius superioris Africani in re gerenda celeritatem, neq; ad huius, qui postea fuit, singulare consilium, neque ad Paulli rationem, ac disciplinam, neq; ad C. Marij vim, atq; virtutem, sed ad aliud genus imperatorum, sane diligenter retinendum, & conseruandum, quæso cognoscite. Itinerum primum laborem, qui vel maximus est in re militari, iudices, & in Sicilia maxime necessarius, accipite, quam facilẽ sibi iste, et iucundũ ratione. consilioq; reddiderit. primũ temporibus hibernis ad magnitudinẽ frigorum, & ad tempestatum vim, ac imbrium præclarum sibi hoc remedium compararat, vrbem Syracusas elegerat; cuius hic situs,*

tus, atque hæc natura esse loci, cælique dicitur, vt nullus vnquam dies tam magna, turbulentaq; tempestate fuerit, quin aliquo tempore solem eius diei homines viderent. hic ita viuebat ille bonus imperator hibernis mensibus, vt eum non facile non modo extra tectum, sed ne extra lectum quidem quisquam videret. ita diei breuitas conuiuijs, noctis longitudo stupris, & flagitijs conterebatur. cum autem ver esse cœperat, cuius initium iste non à Fauonio, neq; ab aliquo astro notabat, sed cum rosam viderat, tunc incipere ver arbitrabatur, dabat se labori, atq; itineribus: in quibus vsq; eo se præbebat patientem, atq; impigrum, vt eum nemo vmquam in equo sedentē videret. nam, vt mos fuit Bithyniæ regibus, lectica octophoro ferebatur: in qua puluinus erat perlucidus, Melitensi rosa farctus. ipse autē coronā habebat vnam in capite, alterā in collo: reticulūq; ad nares sibi admouebat tenuissimo lino, minutisq; maculis, plenū rosæ. sic confecto itinere, cum ad aliquod opidum venerat, eadem lectica vsq; in cubiculum deferebatur. eo veniebat Siculorū magistratus, veniebant equites R. id quod ex multis iuratis audistis: cōtrouersiæ secreto deferebantur: paullo post palā decreta auferebantur. deinde vbi paullisper in cubiculo, pretio, nō æquitate iura descripserat, Veneri iam, & Libero reliquū tempus deberi arbitrabatur. Quo loco mihi non prætermittenda videtur præclari imperatoris egregia ac singularis diligentia. nam scitote esse opidū in Sicilia nullū, ex ijs opidis, in quibus prætores cōsistere, et conuentum agere solēt, quo in opido non isti ex aliqua familia non ignobili delecta ad libidinē mulier esset. itaq; non nullæ ex eo numero in conuiuiū adhibebantur palam: si quæ castiores erant, ad tempus veniebant, lucē, conuentumq; vitabant. erāt autē conuiuia cū illo silentio prætorū, atq; imperatorū, neq; eo pudore, qui in magistratuum conuiuijs versari solet, sed cū maximo clamore, atq; conuicio. nō numquā etiā res ad manus, atq; ad pugnā veniebat. iste enim, prætor seuerus, ac diligēs, qui populi R. legibus nūquam paruisset, illis diligēter legibus, quæ in poculis ponebātur, obtēperabat. itaq; erāt exitus eiusmodi, vt alius inter manus è cōuiuio, tamquā è prælio, auferretur, alius tamquā occisus relinqueretur, pleriq; fusi sine mente, ac sine vllo sensu iacerent, quiuis vt, cum adspexisset, non se prætoris conuiuium, sed vt Cannensem pugnam nequitiæ videre arbitraretur. Cum vero æstas summa esse iam cœperat, quod tempus omnes Siciliæ semper prætores in itineribus consumere consueuerunt,

uerunt,propterea quod tum putant obeundam esse maxime prouinciam,cum in areis frumenta sunt;quod et familiae congregantur, & magnitudo seruitij perspicitur, & labor operis maxime offenditur,et frumenti copia commonet,tempus anni non impedit:tum, inquam,cum concursant ceteri praetores, iste nouo quodam ex genere imperator,pulcherrimo Syracusarum luco statiua sibi castra faciebat.nam ipso aditu,atq; ore portus, vbi primum ex alto sinus ad vrbem ab litore inflectitur,tabernacula carbaseis intenta velis collocabat.huc ex illa domo praetoria, quae regis Hieronis fuit, sic emigrabat, vt per eos dies nemo istum extra illum locum videre posset.in eum autem ipsum locum aditus erat nemini, nisi qui aut socius,aut minister libidinis esse posset. huc omnes mulieres, quibuscum iste consueuerat,conueniebant: quarum, incredibile est, quanta multitudo fuerit Syracusis.huc homines digni istius amicitia.digni vita illa,conuiuijsq; veniebant. inter eiusmodi viros, ac mulieres adulta aetate filius versabatur: vt eum,etiam si natura à parentis similitudine abriperet,consuetudo tamen, ac disciplina patri similem esse cogeret.huc Tertia illa, perducta per dolum, atque insidias ab Rhodio tibicine,maximas in istius castris effecisse turbas dicitur; cum indigne pateretur vxor Cleomenis Syracusani, nobilis mulier,itemq; Aeschrionis honesto loco nata,in conuentum suum mimi Isidori filiam venisse.iste autẽ Hannibal, qui in suis castris virtute putaret oportere,non genere,certari,sic hanc Tertiam dilexit,vt eam secum ex prouincia exportaret. Ac per eos dies,cum iste cum pallio purpureo talarique tunica versaretur in conuiuijs muliebribus,non offendebantur homines in eo, neq; moleste ferebant,abesse à foro magistratum non ius dici, non iudicia fieri:lucum illum litoris percrepare totum mulierum vocibus,cantuque symphoniae,in foro silentium esse summum caussarum, atq; iuris,non ferebant homines moleste.non enim ius abesse videbatur à foro,neque iudicia.sed vis, & crudelitas, & bonorum acerba, atque indigna direptio.

EXPLANATIO.

Q. MAXIMI} Fabij Cunctatoris. SOLEM *eius diei*}scribit idẽ de Alexandria Ammianus Marcellinus li. XXII. EQVITES *Romani*,}qui negotiabantur in Sicilia. AESTAS *summa*} cum summus calor est,infra. CONSVEVERAT,} rem habuerat. Plautus in Cist.

in Cist. En vmquam cum cuiquam viro consueuisti? Ibidem: Consuetudine cœpi amare ego contra illum, atq; ille me. In Pseu. Nunc nostri amores, amores, consuetudines. VIRTVTE *putaret oportere, non genere, certari.*} Hannibalem suos milites ad prælium his verbis adhortantem Ennius inducit:

Hostem qui feriet, mihi erit Carthaginensis,
Quisquis erit.

ORATIO.

HVNC *tu igitur imperatorem esse defendis, Hortensi? huius furta, rapinas, cupiditatem, crudelitatem, superbiam, scelus, audaciam, rerum gestarum magnitudine, atq; imperatoris laudibus tegere conaris: hic scilicet est metuendum, ne ad exitum defensionis tuæ vetus illa Antoniana dicendi ratio, atq; auctoritas proferatur: ne excitetur Verres, ne denudetur à pectore, ne cicatrices populus R. adspiciat, ex mulierum morsu vestigia libidinis, atque nequitiæ. dij faciant, vt rei militaris; vt belli mentionem facere audeas: cognoscentur enim omnia istius æra illa vetera: vt, non solum in imperio, verum etiã in stipendijs qualis fuerit, intelligatis. renouabitur prima illa militia, cum iste è foro abduci, non, vt ipse prædicat, perduci solebat. aleatoris Placentini castra cõmemorabuntur: in quibus cum frequens fuisset, tamen ære dirutus est. multa eius in stipendijs damna proferentur: quæ ab isto ætatis fructu dissoluta, & compensata sunt. Iam vero, cum in eiusmodi patientia turpitudinis, aliena non sua satietate, obduruisset, qui vir fuerit, quot præsidia, quam munita, pudoris, & pudicitiæ, vi, & audacia ceperit; quid me attinet dicere, aut coniungere cum istius flagitio cuiusquam præterea dedecus? non faciam, iudices: omnia vetera prætermittam: duo sola recentia sine cuiusquam infamia ponam, ex quibus coniecturam facere de omnibus possitis: vnũ illud, quod ita fuit illustre, notumq; omnibus, vt nemo tam rusticanus homo L. Lucullo, & M. Cotta cos. Romam ex vllo municipio vadimonij caussa venerit, quin sciret iura omnia populi R. nutu; atq; arbitrio Chelidonis meretriculæ gubernari: alterum, quod, cũ paludatus exisset, votaq; pro imperio suo cõmuniq; populi R. nuncupasset, noctu, stupri caussa, lectica in vrbem introferri solitus est ad mulierem, nuptam vni, propositam omnibus; contra fas, contra auspicia, contra omnes diuinas, atq; humanas religiones. O dij immortales;*

mortales, quid interest inter mentes hominum, & cogitationes. ita mihi meam voluntatem, spemq; reliquæ vitæ vestræ, populique R. existimatio comprobet, vt ego, quos adhuc mihi magistratus populus R. mandauit, sic eos accepi, vt me omnium officiorũ obstringi religione arbitrarer. ita quæstor sum factus, vt mihi honorem illum tum non solum datum, sed etiam creditum, ac commissum putarem. sic obtinui quæsturam in prouincia Sicilia, vt omnium oculos in me vnum coniectos arbitrarer, vt me, quæsturamq; meam, quasi in aliquo orbis terræ theatro versari existimarem; vt omnia semper, quæ iucunda videntur esse, non modo his extraordinarijs cupiditatibus, sed etiam ipsi naturæ, ac necessitati denegarem. nunc sum designatus ædilis: habeo rationẽ, quid à populo R. acceperim: mihi ludos sanctissimos maxima cum cærimonia Cereri, Libero, Liberæq; faciendos, mihi Floram matrem populo, plebiq; R. ludorum celebritate placandam, mihi ludos antiquissimos, qui primi Romani sunt nominati, maxima cum dignitate, ac religione Ioui, Iunoni, Mineruæq; esse faciundos, mihi sacrarum ædium procurationem, mihi totam vrbem tuendam esse commissam: ob earum rerum laborem, & solicitudinem fructus illos datos, antiquiorem in senatu sententiæ dicendæ locum, togam prætextam, sellam curulem, ius imaginis ad memoriam, posteritatemq; prodendam. ex his ego rebus omnibus, iudices, ita mihi deos omnes propitios esse velim, vt, tametsi mihi iucundissimus est honos populi, tamen nequaquam tantum capio voluptatis, quantum solicitudinis & laboris, vt hæc ipsa ædilitas, non quia necesse fuerit, alicui candidato data, sed, quia sic oportuerit, recte collocata, & iudicio populi digno in loco posita esse videatur. Tu, cum esses prætor renunciatus, quoquo modo, (mitto enim, & prætereo, quid tum sit actum) sed cum esses renunciatus, vt dixi, non ipsa præconis voce excitatus es, qui te toties seniorum, iuniorumq; centurijs illo honore affici pronunciauit, vt hoc putares, aliquã reip. partẽ tibi creditã? an num tibi illũ vnũ domo carendũ esse meretricis? cũ tibi sorte obtigisset, vt ius diceres, quantũ negotij, quid oneris haberes, numquã cogitasti; neq; illud rationis habuisti, si forte expergefacere te posses, eã prouinciã quã tueri singulari sapientia, atq; integritate difficile esset, ad summam stultitiã, nequitiamq; venisse. itaq; nõ modo domo tua Chelidonem in prætura extrudere noluisti, sed in Chelidonis domũ præturam tuam totam detulisti.

EXPLA-

EXPLANATIO.

ANTONIANA} cum M. Antonius M. Aquillium defendit: vt in huius orationis principio. AERA *illa vetera:*} veterem militiam, id est, veteres libidines. lib. I. Lucretur indicia veteris infamiæ. E FORO} quo se, virili toga sumpta, adolescentes ad oratores audiendos conferebant. ABDVCI,} vt obscenam libidinẽ pateretur. PERDVCI} ad meretrices: quod Verres ipse prædicabat, vt illam à se alteram longe turpioris libidinis suspicionem remoueret. CVM *frequens fuisset,*} hoc dicit, q̃a per infrequentiã adimi stipendiũ militibus solebat. Festus: Infrequens appellabatur miles, qui abest, abfuit ve à signis. Plautus in Truc. Vbi nihil det, pro infrequente eum mittas militia domũ. Illud prætereo, quod rei militari te infrequentem tradidisti. Gellius lib. XVI. cap. 4. Miles, cum die, qui prædictus est, aberat, neque excusatus erat, infrequẽs dabatur. Scriptor libri de viris ill. Lucano cuidam fortissimo, ob amorem mulieris infrequenti, emptam dono dedit. TAMEN *ære dirutus est.*} ambiguo sensu. nam, cum videatur dicere, Tamen ei stipendium est ademptum: hoc significat, alea Verrẽ, quod habebat, perdidisse. Aere diruti milites, quibus ignominiæ caussa stipendium nõ daretur, appellabantur, vt ait Festus. hinc illud Phil. XIII: Homo dirutus, diruptusque Q. Cœlius. EIVS *in stipendijs.*} dum in aleatoris Placentini castris militauit. AETATIS *fructu*} eo quæstu, quem corpore faciebat. vt, quantum damni alea, tantum lucri faceret Venere præpostera. CREDITVM, *ac commissum*} fidei, diligentiæq; mandatum. OBTINVI *quæsturam in prouincia Sicilia.*} forte. ANTIQVIOREM} supra: omnes non modo senatores, verum etiam magistratus, curulibus exceptis, id est, consulibus, prætoribus, censoribus. IVS, *imagines,*} Nonius legit, Imaginis. quod ita placet, si, Prodendum, infra legatur, hoc modo: Ius imaginis, ad memoriam, posteritatemq; prodendum. QVID, *tum sit actum,*} lib V. H. S LXXX millia diuisoribus, vt prætor renunciarere, dedisti; CCC accusatori, ne tibi odiosus esset. CENTVRIIS} centuriatis comitijs maior magistratus, prætor,

prætor,conſul,cenſor,creabatur.Cicero,Liuius,Dionyſi. us, Gellius. AD SVMMAM *ſtultitiam,nequitiamq́; veniſſe.*]ad te omnium ſtultiſſimum,ac nequiſſimum.

ORATIO.

SECVTA *prouincia eſt:in qua tibi numquam venit in mentem,non tibi iccirco faſces, & ſecures,et tantam imperij vim, tantamq́; ornamentorum omnium dignitatem datam,vt earũ rerum vi & auctoritate omnia repagula iuris,pudoris, & officij perfringeres;vt omnium bona prædam tuam duceres; nullius res tuta, nullius domus clauſa, nullius vita ſæpta; nullius pudicitia munita contra tuam cupiditatem,& audaciam poteſt eſſe: in qua tute ita geſsiſti,vt,cum omnibus teneare rebus, ad bellum fugitiuorum confugias:ex quo iam intelliges, non modo tibi nullam defenſionem,ſed maximam vim criminum exortam.niſi forte Italici belli fugitiuorum reliquias,atq; illud Thempſanum incommodum proferes:ad quod recens cum te peropportune fortuna obtuliſſet, ſi quid in te virtutis,atq; induſtriæ fuiſſet,idem; qui ſemper fueras, inuentus es.Cum ad te Valentini veniſſent,& pro his,homo diſertus,& nobilis M.Marius loqueretur, vt negotium ſuſciperes, vt, cum penes te prætorium imperiũ,ac nomen eſſet, ad illam paruam manum exſtinguendam,ducem te,principemq́; præberes: non modo id refugiſti,ſed eo ipſo tẽpore,cum eſſes in litore, Tertia illa tua, quam tecum deportabas,erat in omnium conſpectu.ipſis autem Valentinis,ex tam illuſtri,nobiliq́; municipio, tantis de rebus reſponſum nullum dediſti,cum eſſes tunica pulla,et pallio. Quid hunc proficiſcentem,quid in ipſa prouincia feciſſe exiſtimatis,qui,cum iam ex prouincia non ad triumphum,ſed ad iudicium decederet, ne illam quidẽ infamiam fugerit,quam ſine voluptate capiebat? O diuina ſenatus frequentis in æde Bellonæ admurmuratio. memoria tenetis, iudices; cum adueſperaſceret, & paullo ante eſſet de hoc Thempſano incõmodo nunciatum,cum inueniretur nemo,qui in illa loca cum imperio mitteretur,dixiſſe quendam, Verrem eſſe non longe à Thempſa; quam valde vniuerſi admurmurarint,quam palam principes contra dixerint. & is,tot criminibus,teſtimonijsq́ue cõuictus,in eorũ tabellis ſpem ſibi aliquam ponit, quorum omnium palã,cauſſa incognita, voce damnatus eſt? Eſto:nihil ex fugitiuorũ bello,aut ſuſpicione belli laudis adeptus eſt, neq; quod bellum eiuſmodi,neq; belli periculum fuit in Sicilia,neq; ab iſto prouiſum eſt, ne quod*

ne quod esset: at vero contra bellum prædonum classẽ habuit ornatam, diligentiamq́; in eo singulárem: itaq; isto prætore præclare defensa prouincia est. Sic de bello prædonum, sic de classe Siciliẽsi, iudices, dicam, vt hoc iam ante confirmem, in hoc vno genere omnes inesse culpas istius maximas, auaritiæ, maiestatis, dementiæ, libidinis, crudelitatis. hæc dum breuiter expono, quæso, vt fecistis adhuc, diligenter attendite. Rem naualem primum ita dico esse administratam, non vti prouincia defenderetur, sed vt classis nomine pecunia quæreretur. superiorum prætorum consuetudo cum hæc fuisset, vt naues ciuitatibus, certusque numerus nautarũ, militumque imperaretur, maximæ, & locupletissimæ ciuitati Mamertinæ nihil horum imperauisti. ob quam rem, quid tibi Mamertini clam dederint pecuniæ, post videbitur: ex ipsorum litteris, & testibus quæremus. nauẽ verò Cybeam maximã, triremis instar, pulcherrimam, atque ornatissimam, palam ædificatam sumptu publico, sciente Sicilia, per magistratum, senatumque Mamertinum, tibi datã, donatamque esse dico: hæc nauis onusta præda Siciliensi, cum ipsa quoque esset ex præda, simul cum iste decederet, appulsa Veliã est cum plurimis rebus, & ijs, quas ante Romã mittere cũ ceteris furtis noluit, quod erãt carissimæ, maximeq́; eum delectabant. eam nauem nuper egomet vidi Veliæ, multiq́; alij viderunt, pulcherrimã, atque ornatissimam, iudices. quæ quidem omnibus, qui eam adspexerant, prospectare iam exsilium, atque explorare fugam domini videbatur. Quid mihi hoc loco respondebis? nisi forte id, quod tametsi probari nullo modo potest, tamen dici quidẽ in iudicio de pecunijs repetundis necesse est, de tua pecunia constare ædificatam esse eam nauem. aude hoc saltem dicere, quod necesse est. noli metuere, Hortensi, ne quærã, qui licuerit ædificare nauẽ senatori. antiquæ sunt istæ leges, et mortuæ, quemadmodũ tu soles dicere, quæ vetant. fuit ista reprehensio quondam, fuit ista seueritas in iudicijs, vt istam rem accusator in magnis criminibus obijciendam putaret. quid enim tibi naue opus fuit? qui si quo publice proficiscereris, & præsidij, & vecturæ caussa, sumptu publico nauigia præbeventur. priuatim aũt nec proficisci quoquã potes, nec accersere res trãsmarinas ex ijs locis, in quib. tibi habere, mercari nihil licet. deinde cur quidquã contra leges parasti? valeret hoc crimẽ in illa veteri seueritate, ac dignitate reip. nũc non modo te hoc crimine nõ arguo, sed ne illa quidẽ cõmuni vituperatione reprehẽdo. postremo tu

tibi hoc numquã criminosum, numquã inuidiosum fore putasti. celeberrimo loco palã tibi ædificari onerariam nauem in ea prouincia, quã tu cũ imperio obtinebas? quid eos loqui, qui videbant, quid existimare eos, qui audiebant, arbitrabare? inanẽ te nauẽ esse in Italiam deducturum? nauiculariam te, cũ Romã venisses, esse facturũ? ne illud quidẽ quisquã poterat suspicari. te habere in Italia maritimum fundum, & ad fructus deportandos onerariam nauẽ comparare. eiusmodi de te voluisti sermonem esse omnium, palam vt loquerentur, te illam nauẽ parare, quæ prædã ex Sicilia deportaret, & quæ ad ea furta, quæ reliquisses, commearet? verum hæc omnia, si doces nauẽ de tua pecunia ædificatã, remitto, atq; concedo. sed hoc, homo amentissime, non intelligis, priore actione ab ipsis Mamertinis, tuis laudatoribus, esse sublatam. nã dixit Heius, princeps ciuitatis, princeps istius legationis, quæ ad tuam laudationem missa est, nauẽ tibi operis publicis Mamertinorũ esse ædificatã, eiq; faciendæ senatorem Mamertinum publice præfuisse. Reliqua est materies: hanc Rheginis, vt ipsi dicũt, (tametsi tu negare nõ potes) publice, quod Mamertini materiem non habent, imperauisti. Si, & ex quo fit nauis, & qui faciunt, imperio tibi tuo, non pretio, præsto fuerũt: vbi tãdẽ istuc latet, quod tu de tua pecunia dicis impensũ? At Mamertini in tabulis nihil habent. Primum video potuisse fieri, vt ex ærario nihil darent: (etenim vel Capitolium, sicut apud maiores nostros factum est, publice gratis coactis fabris, operisque imperatas exædificari, atq; effici potuit) deinde id quoq; perspicio, quod & ostendam, cũ istos produxero, ipsorum ex litteris, multas pecunias isti, erogatas in operum locationes falsas, atq; inanes, esse perscriptas. nam illud minime mirum est, Mamertinos, à quo summũ beneficium acceperant, quem sibi amiciorem, quam populo R. esse cognouerant, eius capiti litteris suis pepercisse. sed si argumẽto est, Mamertinos pecunias tibi non dedisse, quia scriptum non habent: sit argumento, tibi gratis constare nauem, quia, quid emeris, aut quid locaueris, scriptum proferre non potes. At enim iccirco nauem Mamertinis non imperasti, quod sunt fœderati. Dij approbent. habemus hominem in fetialium manibus educatum, vnum præter ceteros in publicis religionibus fœderum sanctum, & diligentẽ. omnes qui ante te prætores fuerunt, dedantur Mamertinis, quod ijs nauem contra pactionem fœderis imperarint. sed tamẽ tu, sancte homo, ac religiose, cur Taurominitanis, item fœderatis, nauem

uem imperasti? an hoc probabis, in æqua caussa populorũ, sine pretio varium ius, & disparem condicionẽ fuisse? quid, si eiusmodi esse hæc duo fœdera duorũ populorum, iudices, doceo, vt Tauromi nitanis nominatim cautũ, & exceptũ sit fœdere, ne nauẽ dare debeãt, Mamertinis in ipso fœdere sanctũ, atq; perscriptum sit, vt nauem dare necesse sit; istum autẽ, contra fœdus, & Tauromimitanis imperasse, & Mamertinis remisisse? num cui dubium poterit esse, quin, Verre prætore, plus Mamertinis Cybea, quam Tauromimitanis fœdus opitulatum sit? Recitentur fœdera. Isto igitur tuo, quemadmodum ipse prædicas, beneficio, vt res indicat, pretio, atq; mercede, minuisti maiestatem reip. minuisti auxilia populi R. minuisti copias, maiorum virtute, ac sapientia comparatas. sustulisti ius imperij, condicionem sociorũ, memoriam fœderis. qui ex fœdere ipso nauem vel vsque ad Oceanum, si imperassemus, sumptu periculoque suo armatam, atq; ornatam mittere debuerunt; hi, ne in freto, ante sua tecta, & domos nauigarent, ne sua mœnia, portusq; defenderent, pretio abs te ius fœderis, & imperij condicionem emerũt. quid censetis in hoc fœdere faciundo voluisse, Mamertinos impendere laboris, operæ, pecuniæ, ne hæc biremis adscriberetur, si id vllo modo possent à nostris maioribus impetrare: nam, cum hoc imponeretur tam graue ciuitati, inerat nescio quo modo in illo fœdere societatis quasi quædam nota seruitutis. quod tum recentibus suis officijs, integra re, nullis populi R. difficultatibus, à maioribus nostris fœdere assequi non potuerunt, id nunc, nullo nouo officio suo, tot annis post, iure imperij nostri quotannis vsurpato, ac semper retento, summa in difficultate nauiũ, à C. Verre pretio assecuti sunt. At nõ hoc solũ assecuti, ne nauem darent: ecquẽ nautã, ecquõ militem, qui aut in classe, aut in præsidio esset, te prætore, per trienniũ Mamertini dederunt? Denique cum ex S.C. itemq; ex lege Terentia, & Cassia frumentum æquabiliter emi ab omnibus Siciliæ ciuitatibus oporteret, id quoque munus leue, atque cõmune Mamertinis remisisti. Dices, frumentum Mamertinos non debere. Quo modo nõ debere? an, vt ne venderent? nõ enim erat hoc genus frumẽti ex eo genere, quod exigeretur, sed ex eo, quod emeretur. te igitur auctore, & interprete, ne foro quidẽ, & commeatu Mamertini populũ R. iuuare debuerũt. q̃ tandẽ ciuitas fuit, q̃ deberet? qui publicos agros arant, certũ est, quid ex lege censoria dare debeant. cur ijs quidquã præterea ex alio genere imperauisti? quid decumani?

numquid præter singulas decumas ex lege Hieronica debent? cur ijs quoque statuisti, quantum ex hoc genere frumenti empti darēt? qui sunt immunes, ij certe nihil debent. at ijs non modo imperasti, verum etiam, quo plus darent, quam poterant, hæc sexagena millia modium, quæ Mamertinis remiseras, addidisti. nec hoc dico, ceteris non recte imperatum esse: Mamertinis, qui erant in eadem caussa & quibus superiores omnes prætores, item vt ceteris, imperarant pecuniam, qui ex S.C. & ex lege dissoluerant, his dico nō recte remissum. At, vt hoc beneficium, quemadmodum dicitur, trabali clauo figeret, cum consilio caussam Mamertinorum cognoscit, & de consilij sententia, Mamertinis se frumentum non imperare, pronunciat. Audite decretum mercenarij prætoris, ex ipsius commentario, & cognoscite, quanta in scribendo grauitas, quanta in constituendo iure, sit auctoritas. Recita. COMMENTARIVM. Libenter ait se facere: itaq; perscribit. quid, si hoc verbo non esses vsus, Libenter? nos videlicet inuitum te quæstum facere putaremus. AC. DE, CONSILII. SENTENTIA. Præclarum recitari consilium, iudices, audistis, vtrum vobis consilium recitari tandem prætoris videbatur, cum audiebatis nominà, an prædonis improbissimi societas, atq; comitatus? En fœderum interpretes, societatis pactores, religionis auctores. numquam in Sicilia frumentum publice est emptum, quin Mamertinis proportione imperaretur, ante quam hoc delectū, præclarumq; consilium iste dedit, vt ab his nummos acciperet ac sui similis esset. itaque tantum valuit istius decreti auctoritas, quantū debuit eius hominis, qui, à quibus frumentū emere debuisset, ijs decretū vendidisset. nam statim L. Metellus, vt isti successit, ex C. Sacerdotis & Sex. Peducæi instituto, ac litteris, frumentū Mamertinis imperauit. tum illi intellexerūt, se id, quod à malo auctore emissēt, diutiꝰ obtinere nō posse.

EXPLANATIO.

FVGITIVORVM *reliquias*} victo iam Spartaco. THEMPSANVM *incommodum*} cum Thempsam opidum in Bruttijs residua Spartaci manus occupauit. TE} qui nō longe aberas. VALENTINI} Thempsanorū vicini. PROFICISCENTEM} in prouinciā. NE ILLAM *quidē infamiā*} cū esses in litore cū Tertia, & cum tunica pulla, & pallio, decedens iā ex prouincia, nec ad triumphū, sed ad iudiciū. CVM *inueniretur nemo*,} nō ꝙ ire

no-

nemo vellet, sed ꝙ in Italia cũ imperio tũc nemo esset: extra ordinem autem decerni, qui contra fugitiuorũ reliquias cum imperio mitteretur, dignitatis publicæ non esse videretur. quam ob caussam facta Verris mentio est, quod is & cum imperio esset, nec longe à Thempsa, iam è prouincia decedens. in quo senatus vniuersus, quid de Verre sentiret, admurmuratione ostendit: senatus vero principes, vt consulares, & prætorij, quiq; magistratum gerebant. palam contradixerunt. TESTIMONIISQ.} recitatis actione prima. EORVM} senatorũ. QVORVM *omnium voce*} & qui admurmurarunt, & qui palam contradixerũt. CAVSSA *incognita*,} testes enim Siculos non audierant, fama tantum ipsa mouebantur, & quod, quis esset Verres, quid in eo virtutis, & industriæ, ex vrbana prætura cognouerãt. ESTO:} orationem ad aliam rem traducere, sic, vt coniungantur ea, quæ diuersa sunt, vulgaris artificij non est, vt hoc loco: Esto: deinde subiungitur, At vero. Eiusdẽ artificij est illud li. I: At credo in hisce solis rebus indomitas cupiditates, atque effrenatas habebat: ceteræ libidines eius ratione aliqua, aut modo cõtinebantur. quam multis istum ingenuis, quam multis matribusfamilias in illa tætra atque impura legatione vim attulisse existimatis? Simile illud lib. III: Priuatim hoc modo: quid publice? ciuitates quemadmodum tractatæ sunt? Idem transitus agnoscitur lib. IV. At hoc solũ Africani monumentum violasti. quid? à Tindaritanis nõ eiusdẽ Scipionis positum simulacrum Mercurij, pulcherrime factũ, sustulisti? cum hoc genere similitudinẽ habet, quod scriptũ est in ep. ad Appium: Atque hæc domestica: quid illa tandẽ popularia? Hoc, quidquid est industriæ, si quis negligit; nimirum is, quanti sit eloquentia, quamq; partes in ea multæ requirantur, simul negligere videtur. NEQVE *ab isto prouisum est, ne quod esset.*} potius opera data est, vt aliquod esset, liberatis post condẽnationem Leonidæ seruis. ex quo illa per ironiam: Quis dubitet, quin seruorum animos summa formidine oppresserit, cum viderent ea facilitate prætorem, vt ab eo seruorum, coniurationisq; damnatorũ, vita, vel ipso carnifice

nifice internuncio, redimeretur? Atque illæ duæ caussæ ad fortunam referuntur. Quod neq; bellum eiusmodi, neq; belli periculum in Sicilia fuit: tertia Verri adscribitur, Neque ab isto prouisum est, ne quod esset. ORNATAM,} instructā remigibus, militibus, duce, rebus ad pugnandum necessarijs. DEMENTIAE,} hic certa crimina exponuntur: dementia vero crimē certū nō est, sed fons qdā, & origo criminū. itaq; vel tollendū censeo, vel immutandū: neutrū tamen, sine veterum librorū auctoritate. nā qđ alij legunt, Maiestatis diminutæ, frigidū videtur. breuis. n. criminū enumeratio non modo maiorē vim, sed numerū quoq; meliorem efficit. REM *naualē*} primo loco exponit auaritiæ crimen, si cuti ex quattuor criminibus auaritiā primā proxime nominauit. NIHIL *horum imperauisti.*} lib. IV: Pro hisce rebus vacatio data ab isto sūptus, laboris, militiæ, rerū deniq; omniū. NAVEM *vero Cybeam*} lib. IV. TRIREMIS *instar,*} quę biremis erat. vt infra. DOMINI} Verris. qui iudicio damnatus in exsiliū ibit, auect⁹ ipsa naui. HABERE,} nec habere, nec mercari sena tori trās mare quidquā licuit. IN OPERVM *locationes falsas,*} vt eius pecuniæ, q̄ in nauē erogauerant, quā, tuo parcentes capiti, in tabulas referre noluerant, exitus aliquis inueniretur. EIVS *capiti litteris suis pepercisse.*} noluisse quidquam in tabulas referre, ne Verri noceret. TIBI *gratis constare nauem,*} tua pecunia factā non esse. Valet argumentum: Si, quod scriptū non est, factū non est: ne tu quidem, quod scriptū proferre non potes, id factū esse dices, emptā videlicet à te nauē illā esse, aut locatam Mamertinis. DII *approbent.*} modus laudandi. sed hic mera ironia est quasi factū Verris eiusmodi nō sit, vt à dijs approbari debeat. NE HAEC *biremis adscriberetur,*} animaduerte, quam supra nauē vocauit, hic biremem dici: vt nauis generale nomen sit. EXIGERETVR,} ex primis decumis: nam alteras emebat populus Romanus, & pręterea quod erat ciuitatibus æqualiter imperatū. lib. IV. EX LEGE *censoria*} lib. IV: Perpaucæ Siciliæ ciuitates sunt bello à maioribus nostris subactę: quarū ager cū esset publicus populi R. factus, tamen illis est redditus. is ager à

cen-

censoribus locari solet. Legem igitur censoriã, ipso interprete Cicerone, accipio pro locatione censoria. IIS} qui publicos agros arant. DECVMANI?} aratores, qui populo Romano decumas Hieronica lege, nullo pretio, darent. STATVISTI,} arbitrio tuo, in secundis decumis, q̃ vendebantur: cũ id statuere Verres ipse nõ deberet. tot enim erant secundæ decumæ, quot primæ. vnde lib. III: Frumẽtum emere in Sicilia debuit Verres ex S.C. & lege Terẽtia & Cassia frumentaria. emundi duo genera fuerũt: vnũ certarũ decumarũ, alterũ, qđ propterea ciuitatibus æqualiter esset distributũ: illius decumani tantum, quantum ex primis decumis fuisset: huius imperati tritici modium DCCC millia. QVI SVNT *immunes,* } tertiũ genus eorũ, quos frumẽti plus, quã debebãt, aut etiã si nihil deberẽt, soluere coegit Verres. TRABALI *clauo figeret,* } maxime confirmaret. CVM *consilio* } cũ sua cohorte. EN FOEDERVM *interpretes.* } quia Verres ideo se Mamertinis nauem non imperasse dicebat, quod essent fœderati. Apostrophe per indignationem expressa, vt illa aliquanto post: En, quod Tindaritani libenter prædicent. Et illa lib. I: En, cui tuos liberos cõmittas: en memoria mortui sodalis. SOCIETATIS *pactores,* } digni, quibus vtamur in paciscenda societate. RELIGIONIS *auctores.* } qui fœderũ religionem tuentur. supra: Habemus hominem in fetialium manibus educatum, vnum præter ceteros in publicis religionibus fœderum sanctum, & diligentem. AC LITTERIS, } id enim in tabulas retulerant. A MALO *auctore* } ab eo, cuius apud Metellũ auctoritas nulla fuit.

ORATIO.

AGE *porro, tu, qui te tã religiosum existimari voluisti interpretem fœderum, cur Taurominitanis frumentum, cur Netinis imperasti? quarũ ciuitatũ vtraq; fœderata est. ac Netini quidẽ sibi nõ defuerũt: nã, simul ac pronunciasti, libenter te Mamertinis quidẽ remittere, te adierũt, & eandẽ suã caussam fœderis esse docuerũt. tu aliter decernere in eadẽ caussa nõ potuisti: prouincias, Netinos frumentũ dare non oportere: & ab his tamen exigis. Cedo mihi eiusdem prætoris litteras & rerum decretarũ, & frumenti imperati, & rerum decretarum tritici empti. Quid*

potius in hac tanta, ac tam turpi inconstantia suspicari possumus, iudices, quam id, quod necesse est, aut isti à Netinis pecuniam, cum posceret, non datam, aut id esse actum, vt intelligerent Mamertini, bene se apud istum tam multa pretia, ac munera collocasse, cũ idem alij iuris ex eadem caussa non obtinerent? Hic mihi etiam audebit mentionem facere Mamertinæ laudationis. in qua quam multa sint vulnera, quis est vestrum, iudices, quin intelligat? primũ, in iudicijs, qui decem laudatores dare non potest, honestius est ei nullum dare, quã illum quasi legitimum numerum consuetudinis nõ explere. tot in Sicilia ciuitates sunt, quibus tu per triennium præfuisti: arguunt ceteræ: paruæ, et paucæ, metu repressæ, silent: vna laudat. hoc quid est, nisi intelligere, quid habeat vtilitatis vera laudatio? Sed tamen ita, Verres, prouinciæ præfuisti, vt hac vtilitate necessario tibi sit carendũ. deinde, id quod alio loco ante dixi, quæ est ista tandem laudatio, cuius laudationis legati principes & publice tibi nauem ædificatam, & priuatim seipsos abs te spoliatos, expilatosq́; esse dixerunt? postremo quid aliud isti faciunt, cum te soli ex Sicilia laudant, nisi testimonio nobis sunt, te omnia sibi esse largitũ, quæ tu de rep. nostra detraxeris? Quæ colonia est in Italia tam bono iure, quod tam immune municipiũ, quod per hos annos tam cõmoda vacatione sit vsum omnium rerum, quam Mamertina ciuitas per triennium? soli, ex fœdere, quod debuerunt, non dederunt: soli, isto prætore, omnium rerum immunes fuerunt: soli istius imperio, ea condicione vitæ fuerunt, vt populo R. nihil darent, Verri nihil denegaren. Verum, vt ad classem, quo ex loco sum digressus, reuertar: accepisti à Mamertinis nauem contra legem, remisisti contra fœdera. ita in vna ciuitate bis improbus fuisti; cum & remisisti, quod non oportebat, & accepisti, quod non licebat. exigere te oportuit nauem, quæ contra prædones, non quæ cum præda nauigaret: quæ defenderet, ne prouincia spoliaretur, non quæ noua prouinciæ spolia portaret. Mamertini tibi & vrbem, quo furta vndique portares, & nauem, qua exportares, præbuerunt. illud tibi opidum receptaculum prædæ fuit: illi homines testes, custodesq́; furtorum: illi tibi & locum furtis, & furtorum vehiculum comparauerunt. itaque ne tum quidem, cum classem, auaritia, ac nequitia tua perdidisti, nauem Mamertinis imperare ausus es. quo tempore, in tanta inopia nauium, tantaque calamitate prouinciæ, etiam si precario essent rogandi, tamen ab ijs impetrare-

tur.

tur. reprimebat enim tibi & imperandi vim, & rogandi conatum praeclara illa non populo R. reddita biremis, sed praetori donata Cybea. ea fuit merces imperij, auxilium iuris, consuetudinis, foederis. habetis vnius ciuitatis firmum auxilium, amissum, ac venditū pretio: cognoscite nunc nouam praedandi rationem, ab hoc primum excogitatam. Sumptum omnem in classem frumento, stipendio, caeterisq; rebus nauarcho suo quaeque ciuitas semper dare solebat. is neq;, vt accusaretur à nautis, committere audebat, et ciuibus suis rationem referre debebat: in illo omni negotio nō modo labore, sed etiam periculo suo versabatur. erat hoc, vt dico, factitatū semper. nec solum in Sicilia, sed in omnibus prouincijs, etiam in sociorū, et Latinorum stipendio, ac sumptu, tum cum illorum auxilijs vti solebamus. Verres, post imperium constitutum, primus imperauit, vt ea pecunia omnis à ciuitatibus sibi adnumeraretur, vt is eam pecuniam tractaret, quem ipse praefecisset. Cui potest esse dubium, quāobrem & omnium consuetudinem veterem primus immutaris, et tantam vtilitatem per alios tractandae pecuniae neglexeris, & tātam difficultatē cū crimine, molestiā cū suspicione susceperis? Deinde alij quaestus instituuntur, ex vno genere nauali, videte quā multi: accipere à ciuitatibus pecunias, ne nautas darent: pretio certo missos facere nautas; missorum omne stipendium lucrari; reliquis, quod deberet, non dare. haec omnia ex ciuitatum testimonijs cognoscite. Recita. TESTIMONIA. CIVITATVM. *Hunccine hominem? hanccine impudentiam, iudices? hanccine audaciam? ciuitatibus pro numero militum pecuniarum summas describere; certum pretium, sexcenos nummos, nautarum missioni constituere. quos qui dederat, commeatum totius aestatis abstulerat. iste, quod & nautae nomine pro stipendio, frumentoque acceperat, lucrabatur. ita quaestus duplex vnius missione fiebat. atq; haec homo amentissimus in tanto praedonum impetu, tantoq; periculo prouinciae sic palam faciebat, vt & ipsi praedones scirent, & tota prouincia testis esset. Cum, propter istius hanc tantam auaritiam, nomine classis esset in Sicilia, re quidem vera naues inanes, quae praedam praetori, non quae praedonibus metum afferrent: tamen, cum P. Caesetius, & P. Tadius decem nauibus his semiplenis nauigarent, nauem quandā piratarum, praeda refertam, non ceperunt, sed abduxerunt, onere suo plane captam, atq; depressam. erat ea nauis plena iuuentutis formosissimae, plena argenti facti, atque signati, multa*

eum stragula veste.hæc vna nauis à classe nostra non capta est,sed inuenta ad Megaridem: qui locus est non longe à Syracusis. quod vbi isti nunciatum est,tametsi noctu cum mulierculis iacebat ebrius,erexit se tamen,& statim quæstori,legatoque suo custodes misit complures,vt omnia sibi integra quamprimũ exhiberentur.appellitur nauis Syracusas:exspectatur ab omnibus:supplicium sumi de captiuis putatur.iste,quasi præda sibi aduecta, non prædonibus captis,si qui senes,aut deformes erant,eos in hostium numero ducit:qui aliquid formæ, ætatis, artificijque habebant, abducit omnes:non nullos scribis suis, filio, cohortique distribuit:symphoniacos sex cuidam amico suo Romam muneri misit: nox illa tota exinaniẽda naui cõsumitur.archipiratam ipsum videt nemo, de quo supplicium sumi oportuit: hodieque omnes sic habent persuasum, (quid eius sit,vos coniectura quoq; assequi debetis,)istum clã à piratis,ob hunc archipiratam pecuniam accepisse,coniectura est:iudex esse bonus nemo potest,qui suspicione certa non mouetur. hominẽ nostis,consuetudinemque omnium tenetis, qui ducem prædonum, aut hostium ceperit,quam libenter eum palam ante oculos omniũ esse patiatur. hominem in tanto conuentu Syracusis vidi neminẽ, iudices,qui archipiratam captum vidisse se,diceret: cum omnes, vt mos est, concurrerent, quærerent, videre cuperent. quid accidit,cur tantopere iste homo occultaretur,vt eum ne casu quidem quisquam adspicere posset? homines maritimi Syracusis, qui sæpe istius ducis nomen audissent, sæpe timuissent, cum eius cruciatu, atque supplicio pascere oculos, animumque exsaturare vellent, potestas adspiciendi nemini facta est. Vnus plures prædonum duces viuos cepit P. Seruilius, quam omnes antea. ecquando igitur isto fructu quisquam caruit, vt videre piratam captum non liceret? at contra,quacumque iter fecit,hoc iucundissimum spectaculum omnibus vinctorum,captorumq; hostium præbebat:itaq; ei cõcursus vndique fiebant,vt non modo ex ijs opidis,qua ducebantur, sed etiam ex finitimis visendi caussa conuenirent. Ipse autem triumphus quamobrem omnium triumphorum gratissimus populo R. fuit, atque iucundissimus? quia nihil est victoria dulcius:nullum est autem testimonium victoriæ certius,quã,quos sæpe metueris,eos te vinctos ad supplicium duci videre. Hoc tu quamobrem non fecisti? quamobrem ita iste pirata celatus est,quasi eum adspicere nefas esset? quamobrem supplicium non sumpsisti? quam ob caus-

caussam hominē reseruasti? ecquem audisti in Sicilia ante captum archipiratam, qui non securi percussus sit? vnum cedo auctorem tui facti: vnius profer exemplum. viuum tu archipiratam seruabas, quem per triumphum, credo, quem ante currum tuum duceres. neque enim quidquam erat iam reliquum, nisi, vt, classe populi R. pulcherrima amissa, prouinciaq; lacerata, triumphus naualis tibi decerneretur. Age porro, custodiri ducem prædonum nouo amore, quam securi feriri omnium exemplo, magis placuit. quæ sunt istæ custodiæ? apud quos homines? quemadmodum est asseruatus? Lautumias Syracusanas omnes audistis, plerique nostis. opus est ingēs, magnificum, regum, ac tyrannorum: totum est ex saxo in mirandā altitudinem depresso, & multorum operis penitus exciso. nihil tā clausum ad exitus, nihil tam septum vndique, nihil tam tutum ad custodias, nec fieri, nec cogitari potest. in has Lautumias, si qui publice custodiendi sunt, etiam ex ceteris opidis Siciliæ deduci imperantur. eo quod multos captiuos ciues R. coniecerat, & quod eodem ceteros piratas contrudi imperarat; intellexit, si hunc subditicium archipiratam in eandem custodiam dedisset, fore, vt à multis, illis in Lautumijs, verus ille dux quæreretur. itaque hominē huic optimæ, tutissimæq; custodiæ non audet committere: denique Syracusas totas timet: amandat hominem, quo? Lilybæum fortasse? video: tamen homines maritimos non plane reformidat. minime, iudices. Panhormum igitur? audio: quamquam Syracusis, quoniam in Syracusano captus erat, maxime, si minus supplicio affici, at custodiri oportebat. ne Panhormum quidem. quid igitur? quo putatis? ad homines à piratarum metu, & suspicione alienissimos, à nauigando, rebusque maritimis remotissimos, ad Centuripinos, homines maxime mediterraneos, summos aratores, qui nomen nūquā timuissent maritimi prædonis; vnū te prætore horruissēt Aproniū terrestrē archipiratā. &, vt quiuis facile perspiceret, id ab isto actū esse, vt ille suppositus facile & libenter se illū, qui nō erat, esse simularet; imperat Cēturipinis, vt is victu, ceterisq; reb. quālibe ralissime, cōmodissimeq; habeatur. Interea Syracusani, homines periti, & humani, qui nō modo ea, quæ perspicua essēt, videre, verū etiā occulta suspicari possēt, habebāt rationē oēs quotidie piratarū, qui securi ferirētur; quā multos esse oporteret, ex ipso nauigio, quod erat factū sex remorū numero, cōijciebāt. iste, propter oēs, qui artificij aliquid habuerant, aut formæ, remouerat, atq; abduxerat, reliquos si, vt

668.

consuetudo est, vniuersos ad palum alligasset, clamorem populi fore suspicabatur; cū tanto plures adducti essent, quam relicti. propter hanc caussam cum instituisset alios alio tempore producere, tamen in tanto conuentu nemo erat, quin rationem, numerumq; haberet, & reliquos non desideraret solum, sed etiam posceret, & flagitaret. cum maximus numerus deesset, tum iste, homo nefarius, in eorum locum, quos domum suam de piratis abduxerat, substituere, & supponere cœpit ciues R. quos in carcerem antea coniecerat. quorum alios Sertorianos milites fuisse insimulabat, & ex Hispania fugientes ad Siciliam appulsos esse dicebat: alios, qui à prædonibus erant capti, cum mercaturas facerent, aut aliam ob caussam nauigarent, sua voluntate cum piratis fuisse arguebat. itaq; alij ciues R. ne cognoscerentur, capitibus obuolutis, è carcere ad palum, atque ad necem rapiebantur: alij, cum à multis ciuibus R. recognoscerentur, ab omnibus defenderentur, securi feriebantur. quorum ego de acerbissima morte crudelissimoq; cruciatu dicam, cum eum locum tractare cœpero, & ita dicam, vt, si me in ea querimonia, quā sum habiturus de istius crudelitate, & de ciuium R. indignissima morte, non modo vires, verū etiam vita deficiat, id mihi præclarum, & iucundum putem. hæc igitur est gesta res, hæc victoria præclara: myoparone piratico capto, dux liberatus:: symphoniaci Romam missi: formosi homines, & adolescentes, & artifices, domū abducti: in eorum locum, & ad eorum numerum ciues R. hostilem in modum cruciati, & necati: omnis vestis ablata: omne aurum, & argentum & ablatum, & auersum. At quemadmodū ipse se se induit priore actione? qui tot dies tacuisset, repente in M. Annij, hominis splendidissimi, testimonio, cum in ciues R. dixisset, & archipiratam negasset securi esse percussum, exsiluit, conscientia sceleris, & furore ex maleficijs cōcepto excitatus: dixit se, quod sciret sibi crimini datum iri, pecuniam accepisse, neq; de vero archipirata sumpsisse supplicium, ideo securi non percussisse: domi esse apud sese archipiratas dixit duos.

EXPLANATIO.

TRITICI *empti.*} fortasse rectius, Et tritici empti: vt illud proxime dictum, Rerum decretarū, & frumenti imperati. INCONSTANTIA} cum idē & pronunciarit, Netinos frumentum dare non oportere; & ab ijsdem tamen exegerit, V T I N *iudicijs,*} subijci debuit, Sic:

Sic:sed eius particulæ vim inclusit Cicero in sententiam proxime sequentem. quasi diceret: Sic, cum tot in Sicilia ciuitates sint, quæ arguāt, paucæ, & paruæ, q̄ sileant, vna, quæ laudet: quid hoc est, nisi. &c. DECEM *laudatores*} id comprobat Pedianus: decem enim, qui Scaurum, à Cicerone defensum, laudauerint, enumerat, nouem consulares, vnum adolescentem Faustū, Scauri fratrem, Sullæ filium. VERA *laudatio?*} quæ multarū testimonio ciuitatum connstat. HAC *vtilitate*} multarum laudantium ciuitatum. LEGATI *principes*} Heium significat, à quo Verres Cupidinē, Herculem, Canephoras abstulerat. lib. VI. TAM *bono iure*,} diuersa coloniarum genera diuerso iure, id est aliæ alijs, pro suis quæque meritis, immuniores fuere. REMISISTI} quam ex fœdere debebant populo Romano. CYBEA.} iam non biremis, q̄ ex fœdere debebatur, sed triremis instat, quo plura posset exportare. Cybea propter latitudinem dicta. AVXILII,} quod ab ijs debebatur. IVRIS,} ita enim iure, consuetudine, fœdere inter eos & populum Romanū conuenerat. VTI *solebamus*.} non quod hoc tempore auxilijs eorū non vterentur: sed ait, Vti solebamus, tum cum assidue bella gerebantur. NEGLEXERIS,} negligere visus es: sed non neglexisti, qui per eū, quē tractandæ pecuniē prēfecisses, eandem ad te pecuniam peruenturā scires. DIFFICVLTATEM} quia tuo periculo tractaretur illa pecunia ab eo, quem ipse præfecisses. supra: In illo omni negotio nō modo labore, sed etiam periculo suo versaretur. CVM *crimine*,} & difficultas erat in tractanda pecunia, cuius q̄cumque iactura fieret, ab eo sarciri debebat, cui esset à ciuitatibus adnumerata: & cum difficultate crimen coniungebatur: quia Verres eius pecuniæ partem ad se ipsum auertebat. HVNCCINE *hominem?*} subaudi, reperiri potuisse? DESCRIBERE:} quantū quæq; solueret: vt in ep. ad Cassium, Immunitates dantur: pecuniæ maximæ describuntur. id est, quantum cuique donaretur. SEXCENTENOS *nummos*.} scutatos XVII cum dimidio. Postulat analogiæ ratio, sexcenos; vt quingenos, septingenos, & similia. COMMEATVM} quod pro victu da-

ctu da-

ctu dabatur. quod erat ipsum quoque lucrum Verris. ABSTVLERAT} illo sumptu Verrem leuabat. QVOD ET *nautæ nomine*} particula, Et, alios quæstus indicat, præter eos, quos missorum nautarum nomine Verres faciebat: quos autem quæstus? quos supra dixit: primũ extra-ctanda pecunia à ciuitatibus accepta: deinde, cum à ciuitatibus, ne nautas darent, pecunias acciperet: postremo, cum id, quod deberet, nautis non daret. PRO *stipendio.*} sexcenos nummos. supra: Pretio certo missos facere nautas, missorum omne stipendiũ lucrari. FRVMENTOQVE} cõmeatu totius æstatis. QVAESTVS *duplex*} pro stipendio, & frumento. PRAEDAM} quæstum. prædabatur enim è socijs Verres, cum ex prædonibus deberet. P. CAESETIVS, & *P. Tadius*} Cæsetius quæstor, Tadius legatus, vt lib. II. ARGENTI *facti, atque signati,*} argentũ factum, vasa sunt, quæque ornamenti & magnificentię gratia elaborantur: signatum, pecunia: signum enim aliquod & erat, & est hodie in nummis. STRAGVLA *veste.*} qua lecti, mensæ, parietesque sternuntur. NOCTV *cum mulierculis iacebat ebrius,*} pro, Noctu, sunt qui legant, in acta, non habita ratione tẽporis, quo Verres in acta; id est in litore fuit. nam æstate summa aliquanto post captam piratarum nauem in litus cum mulierculis se contulit. quod infra perspicuum est. EOS *in hostium numero ducit:*} extremo supplicio afficit. sic veteres loquebantur, vt cædis mentionem vitarent. infra: In hostium numero, locoque ducemini. Cæsar lib. I. bel. Gall. Reductos in hostium numero habuit. QVID *eius sit,*} sensum obscurat præcisa locutio. sed exemplorum similitudo lucẽ affert. Quid eius sit, valet, quid eius rei sit, vera ne sit ea res, an falsa. sic Terentius in Eun. Quidquid huius feci, virginis caussa feci. Vbi Donatus: Quidquid huius: rei, subaudiendum est: quod eum exclusi foras. Idem in Heaut. At mihi fidem apud hunc est, nihil me istius facturum, pater. Ibidẽ: Quidquid ego huius feci, tibi prospexi, & stultitiæ tuæ. In Hæc. Quod te Aesculapi, & te Salus, ne quid sit huius, oro. Noster autẽ in ep. ad Att. lib. XVI. Nõ video sciturũ me, quid eius sit, ni statim aliquid litterarũ. Plau-

tus

tus in Aul. plene dixit: Ibo intro, vt, quid hui⁹ sit rei, sciã. *Verus*} non suppositus. *Video:*} assentientis verbum, vt infra, Audio. *Homines maritimos.*} Lilybætanos. *Non plane reformidat.*} qui Syracusas totas timuit, is, si Lilybæũ archipiratã mittit, Lilybætanos non timet, qui tamen, item vt Syracusani, homines maritimi sunt. quo minus verisimile videtur, quem Verres custodiri noluit Syracusis, eũ Lilybæũ esse missum. *Ille suppositus*} iã igitur Verres, accepta pecunia, archipiratã dimiserat. *Periti*} vsu rerum. non barbari, & indocti, sed moribus & litteris exculti. *Sex remorum*} myoparonẽ infra vocat. cuius in singulis trãstris cũ seni remiges essent; maximũ & celerrimũ fuisse, licet intelligere. *Induit*} indicauit: incurrit, quo minime volebat. Vsitatus loquẽdi modus, Inducere se, pro, in difficultatem sua sponte per imprudentiam conijcere.

EXPLANATIO.

O CLEMENTIAM *populi R. seu potius patientiã mirã, ac singularẽ. ciuem R. securi esse percussum, Annius eques R. dicit: taces. archipiratam negat: fateris, fit in eo gemitus omnium, & clamor, cũ tamen à præsenti supplicio tuo se continuit popul⁹ R. & repressit, & salutis tuæ rationẽ iudicũ seueritati reseruauit. Qui sciebas tibi crimini datũ iri? quãobrem sciebas, quamobrẽ etiam suspicabare? inimicũ habebas neminẽ, si haberes, tamen nõ ita vixeras, vt mecũ iudicij propositũ habere deberes. ante, id quod fieri solet, conscientia timidum, suspiciosumq; faciebat? qui igitur, cũ esses in imperio, iam tũ iudiciũ, & crimen horrebas, reus, cum tot testibus coarguare, potes de damnatiõe dubitare? Verum si crimen hoc metuebas, ne quis abs te suppositum esse diceret, qui pro archipirata securi feriretur: vtrum tandem tibi ad defensionem firmius fore putasti, in iudicio, coactu, atq; efflagitatu meo, producere ad ignotos, tãto post, eũ, quẽ archipiratã esse diceres, an recenti re, Syracusis apud notos, inspectante Sicilia pæne tota, securi ferire? vide, quid intersit, vtrũ faciendũ fuerit. in illo reprehẽsio nulla esse potuit: hic defensio nulla est. itaq; illud sẽper oẽs fecerũt: hoc quis ante te, quis præter te fecerit, q̃ro. Piratã viuũ tẽuisti: quẽ ad finẽ? dũ cũ imperio fuisti quãobrẽ: quã ob caussã? quo exẽplo cur tã diu? cur, inquã, ciuib⁹ R. quos piratæ ceperãt, securi statim percussis, ipsis piratis lucis vsurã tã diuturnã dedisti? Verum esto sit*

sit tibi illud liberum omne tempus, quod cum imperio fuisti: etiam ne priuatus? etiam ne reus? etiam ne pæne damnatus hostium duces priuata in domo retinuisti? vnum, alterum mensem, prope annũ denique domi tuæ piratæ, à quo tempore capti sunt, quoad per me licitum est, fuerunt. hoc est quoad per M' Acilium Glabrionẽ licitum est, qui, postulante me, produci, atque in carcerẽ condi imperauit. quod est huiusce rei ius? quæ consuetudo? quod exemplũ? hostem acerrimum, atq; infestissimum populi R. seu potius cõmunem hostem gentiũ, nationumq; omnium quisquam omnium mortalium, priuatus, intra mœnia, domi suæ, retinere poterit? Quid, si pridie, quam à me tu coactus es confiteri, ciuibus R. securi percussis, prædonum ducem viuere, apud te habitare, si, inquam, pridie domo tua profugisset, si aliquam manum contra populum R. facere potuisset, quid diceres? apud me habitauit: mecum fuit: ego illum ad iudicium meum, quo facilius crimen inimicorum diluere possem, viuum, atque incolumem reseruaui. Ita ne vero? tu tua pericula communi periculo defendes? tu supplicia, quæ debentur hostibus victis, ad tuum, non ad populi R. tempus conferes? populi R. hostis priuatis custodijs asseruabitur? at etiam qui triumphant, eoq̃ue diutius viuos hostium duces seruãt, vt, his per triumphum ductis, pulcherrimum spectaculum, fructumque victoriæ populus R. perspicere posit, tamen, cum de foro in Capitolium currum flectere incipiunt, illos duci in carcerẽ iubent, idemq; dies & victoribus imperij, & victis vitæ finem facit. Est nunc, credo, cuiquam dubium quin tu id commissurus non fueris: præsertim cum statuisses, vt ais tibi caussam esse dicendam: vt ille archipirata non potius securi feriretur, quam, quod erat ante oculos positum, tuo periculo viueret. si enim esset mortuus, tu, qui crimen ais te metuisse, quæro, cui probares? cum constaret istum Syracusis ab nullo visum esse archipiratam, ab omnibus desideratum; cum dubitaret nemo, quin abs te pecunia liberatus esset; cum vulgo loquerentur, suppositum in eius locum, quem pro illo probare velles; cum tute fassus esses, te id crimen tanto ante metuisse: si eum diceres esse mortuum, quis te audiret? nunc cum viuum istum nescio quem produces, tamen ne id credi voles? quid, si aufugisset, si vincla rupisset, ita vt Nico ille nobilissimus pirata fugit, quem P. Seruilius, qua felicitate ceperat, eadem recuperauit, quid diceres? Verum hoc erat: si ille semel verus archipirata securi percussus esset, pecuniam illam nõ haberes: si hic

si hic falsus esset mortuus, aut profugisset, non esset difficile alium in suppositi locum supponere. Plura dixi, quam volui, de illo archipirata: & tamen ea, quae certissima sunt huius criminis argumenta, praetermisi. si volo enim mihi totum esse crime hoc integrum. est certus locus, certa lex, certum tribunal, quo hoc reseruetur. Hac tanta praeda auctus, mancipijs, argento, veste locupletatus, nihilo diligentior ad classem ornandam, milites reuocandos, alendosque esse coepit, cum ea res non solum prouinciae saluti, verum etiam ipsi praedae esse posset. nam aestate summa, quo tempore ceteri praetores obire prouinciam, & concursare consueuerunt, aut etiam in tanto praedonum metu, & periculo ipsi nauigare: eo tempore ad luxuriam, libidinesq; suas domo sua regia, quae regis Hieronis fuit, qua praetores vti solent, contentus non fuit: tabernacula quemadmodum consueuerat temporibus aestiuis, quod antea iam demonstraui, carbaseis intenta velis collocari iussit in litore: quod est litus in insula Syracusis post Arethusae fontem, propter ipsum introitum atq; ostium portus, amoeno sane, & ab arbitris remoto loco. hic dies aestiuos sexaginta praetor populi R. custos, defensorque prouinciae sic vixit, vt muliebria quotidie conuiuia essent, vir accumberet nemo, praeter ipsum, & praetextatum filium. tametsi recte sine exceptione dixeram, virum, cum isti essent, neminem fuisse. nonnumquam etiam libertus Timarchides adhibebatur: mulieres autem nuptae nobiles, praeter vnam mimi Isidori filiam, quam iste, propter amorem, ab Rhodio tibicine abduxerat, Pippa quaedam vxor Aeschrionis Syracusani: de qua muliere plurimi versus, qui in istius cupiditatem facti sunt, tota Sicilia percelebrantur. erat Nice, facie eximia, vt praedicatur, vxor Cleomenis Syracusani. Hanc Cleomenes vir amabat, verumtamen huius libidini aduersari nec poterat, nec audebat: et simul ab isto donis beneficijsque plurimis deuinciebatur. illo autem tempore iste, tametsi ea est hominis impudentia, quam nostis, ipse tamen, cum vir esset Syracusis, vxorem eius parum poterat animo soluto, ac libero, tot in acta noctes ac dies secum habere. itaq; excogitat rem singularem. naues, quibus legatus praefuerat, Cleomeni tradit: classi populi R. Cleomenem Syracusanum praeesse iubet, atq; imperat. hoc eo facit, vt ille non solum abesset a domo, tum cum nauigaret, sed etiam libenter cum magno honore, beneficioq; abesset; ipse autem, remoto, atque ablegato viro, non liberius, quam ante, (quis enim vmquam istius libidini obstitit?) sed paullo solutiore

tamen animo secum illam haberet, si non tamquam virum, ac tamquam æmulũ remouisset. Accipit nauem sociorum, atq; amicorum Cleomenes Syracusanus. quid primum aut accusem, aut querar, iudices? Siculo ne homini, legati, quæstoris, prætoris denique potestatem, honorem, auctoritatem dari? si te impediebat ista conuiuiorum, mulierumque occupatio; vbi quæstores? vbi legati? vbi ternis denarijs æstimatum frumentum? vbi muli? vbi tabernacula? vbi tot, tantaque ornamenta magistratibus, & legatis à senatu populoq; R. permissa, & data? denique vbi præfecti, & tribuni tui? si ciuis R. dignus isto negotio nemo fuit; quid ciuitates, quæ in amicitia, fideq; populi R. perpetuo manserant? vbi Segestana, vbi Centuripina ciuitas? quæ tum officijs, fide, vetustate, tum etiam cognatione populi R. nomen attingunt. O dij immortales, quid, si harum ipsarum ciuitatum militibus, nauibus, nauarchis Syracusanus Cleomenes iussus est imperare? non omnis honos ab isto dignitatis, æquitatis, officij sublatus est? Ecquod in Sicilia bellum gessimus, quin Centuripinis socijs, Syracusanis hostibus vteremur? atq; hæc omnia ad memoriam vetustatis, non ad contumeliam ciuitatis referri volo. itaq; ille, vir clarissimus, summusq; imperator, M. Marcellus, cuius virtute captæ, misericordia cõseruatæ sunt Syracusæ, habitare in ea parte vrbis, quæ insula est, Syracusanum neminem voluit. hodie, inquam, Syracusanum in ea parte habitare nõ licet. est enim locus, quem vel pauci possunt defendere. committere igitur eum nõ fidelissimis hominibus noluit: simul quod ab illa parte vrbis nauibus aditus ex alto est. quamobrẽ, qui nostros exercitus sæpe excluserant, ijs claustra loci committenda non existimauit. Vide, quid intersit inter tuam libidinẽ, maiorumq; auctoritatem; inter amorem, furoremq; tuum, et illorum consilium, atq; prudentiam. illi aditum litoris Syracusanis ademerunt; tu maritimũ imperium concessisti. illi habitare in eo loco Syracusanum, quo naues accedere possent, noluerunt: tu classi, & nauibus Syracusanũ præesse voluisti. quibus illi vrbis suæ partẽ ademerunt, ijs tu nostri imperij partem dedisti: & quorum sociorũ opera Syracusani nobis dicto audientes sunt, eos Syracusanis dicto audiẽtes esse iussisti. Egreditur Centuripina quadriremi Cleomenes è portu: sequitur Segestana nauis, Tyndaritana, Herbitensis, Heracliensis, Apolloniensis, Haluntina, præclara classis in speciem, sed inops, et infirma, propter dimissionem propugnatorum, atq; remigum. tamdiu in imperio suo

classem

classem iste prætor diligens vidit, quamdiu conuiuiū eius flagitiosissimum prætervecta est. ipse se autem, qui visus multis diebus nō esset, tum se tamē in conspectum nautis paulisper dedit. stetit soleatus prætor populi R. cum pallio purpureo, tunicaq; talari, muliercula nixus, in litore. iam hoc ipso istum vestitu Siculi, ciuesq; R. permulti sæpe viderunt. postea quam paullum prouecta classis est, & Pachynum quinto die deniq; appulsa est; nautæ, fame coacti, radices palmarum agrestium, quarum erat in illis locis, sicut in magna parte Siciliæ, multitudo, colligebant, & his miseri, perditique alebantur. Cleomenes autem, qui alterum se Verrem cum luxuria, atq; nequitia, tum etiam imperio putaret, similiter totos dies, in litore tabernaculo posito, perpotabat. ecce autem repente, ebrio Cleomene, esurientibus ceteris, nunciatur, piratarum naues esse in portu Edissæ. nam ita is locus nominatur. nostra autem classis erat in portu Bachyni. Cleomenes autem, quod ibi erat terrestre præsidium non re, sed nomine, sperabat ijs militibus, quos eo loco deduxisset, explere se numerum nautarū & remigum posse. reperta est eadem istius hominis auarissimi ratio in præsidijs, quæ in classibus. nam erant perpauci reliqui, ceteriq; dimissi. princeps Cleomenes in quadriremi Centuripina malum erigi, vela fieri, præcidi anchoras imperauit. & simul, vt se ceteri sequerentur, signum dari iussit. hæc Centuripina nauis erat incredibili celeritate velis: nam scire isto prætore nemo poterat, quid quæq; nauis remis facere posset: etsi in hac quadriremi propter honorē, et gratiā Cleomenis, minime multi remiges, et milites deerāt. euolarat iam è conspectu fere fugiens quadriremis, cum etiā tunc ceteræ naues suo in loco moliebantur. erat animus in reliquis: quamquam erant pauci, quoquo modo sese res habebat, pugnare tamē se velle clamabant, &, quod reliquum vitæ, viriumq; fames fecerat, id ferro potissimū reddere volebant. quod si Cleomenes nō tanto ante fugisset, aliqua tamen ad resistendum ratio fuisset. erat enim sola illa nauis constrata, & ita magna vt propugnaculo ceteris posset esse: quæ, si in prædonum pugna versaretur, vrbis instar habere inter illos piraticos myoparones videretur. sed tunc inopes relictiā duce, præfectoq; classis eundē necessario cursum tenere cœperunt. Pelorū versus, vt ipse Cleomenes, ita ceteri nauigabant. neq; ita tamen tam prædonū fugiebant impetū, quam imperatorem sequebantur. tum vt quisq; in fuga postremus, ita in periculo princeps erat. postremam enim quamque nauem

piratæ primam adoriebantur. ita prima Haluntinorum nauis capitur: cui præerat Haluntinus, homo nobilis, Philarchus, quem ab illis prædonibus Locrenses postea publice redemerunt: ex quo vos priore actione iurato rem omnẽ, caussamq; cognostis. deinde Apolloniensis nauis capitur, & eius præfectus Anthropinus occiditur. hæc dum aguntur, interea Cleomenes iam ad Pelori litus peruenerat, iam sese in terram è naui eiecerat, quadrirememq; in salo fluctuantem reliquerat. reliqui præfecti nauium, cum in terram imperator exisset, cum ipsi neque repugnare, nec mari effugere vllo modo possent, appulsis ad Pelorum nauibus Cleomenem persecuti sunt. tunc prædonum dux Heracleo, repente, præter spem, non sua virtute, sed istius auaritia, nequitiaq; victor, classem pulcherrimam populi R. in litus expulsam, et eiectam, cum primum aduesperasceret, inflammari, incendiq; iußit. O tempus miserum, atq; acerbum prouinciæ Siciliæ: o casum illum multis innocẽtibus calamitosum, atque funestum: o istius nequitiam, ac turpitudinem singularem. vna atque eadem nox erat, qua prætor amoris turpißimi flamma, ac claßis populi R. prædonum incendio conflagrabat.

EXPLANATIO.

O CLEMENTIAM *populi Romani,*} qui cum, hoc audito, vehementer cõmotus esset, à præsenti tamen supplicio se cõtinuit, ac repressit. TIBI *crimini datũ iri*} si archipiratam securi percussisses. NON ITA *vixeras,*} cũ ironia. REPREHENSIO *nulla esse potuit:*} quia mos fuit, vt capti piratæ securi ferirentur. GLABRIONEM} prætorem. IDEMQVE *dies*} in vrbe imperium habere non licebat: itaq; lex ferebatur, vt ijs, qui triumphãtes vrbem inirent, vno tantum triumphi die imperium esset, id est, ius eundi per vrbem cum eo exercitu, quem ex prouincia deduxerant. EST NVNC, *credo cuiquam dubium,*} implicata sententia: sed videtur hoc dici: Nisi, pecunia accẽpta, archipiratam dimisisses, certe eum securi potius percussisses, quam vt eum domi tuæ, tuo cum periculo, viuum custodires; qui præsertim scires, vbi Romam reuertisses, caussam tibi esse dicendam. Cum igitur dicit; Est nunc, credo, cuiquam dubium, quin tu id cõmissurus nõ fueris; hoc, opinor, dicit: Numquam commisisses, vt ille securi non potius feriretur, quam domi tuæ tuo periculo vi-

lo vi-

lo viueret. QVOD *erat ante oculos positum,*} si viueret, tuo periculo viueret. crimen enim maiestatis illud erat : de quo infra: Volo mihi totũ esse crimen hoc integrum: est certus locus, certa lex, certum tribunal, quo hoc reserue-tur. QVID *diceres?*} quæ tua excusatio, quæ defensio es-set? Verũ de fuga archipiratæ non laborabas: vero archi-pirata dimisso pecuniã acceperas: in falsi locum, si fugis-set, posses alium supponere. EST CERTVS *locus,*} certus hic nõ est, vbi de repetũdis agitur, nõ de maiestate. CER-TA *lex,*} de maiestate. CERTVM *tribunal.*} eius prætoris, qui de maiestate quærit. VESTE} stragula. ORNAN-DAM,} instruendam. REVOCANDOS,} quos pre-tio dimiserat. supra. PRAEDAE} ex prædonibus. AE-STATE *summa*} media, cum frumenta sunt in areis. supra. Et Cœlius in ep. ad Ciceronem, Summis Circensibus lu-dis, dixit, pro medijs. CVM ISTI *essent,*} Verres, & filius: quos appellare viros, cum viro nihil dignum agant, mi-nime licet. TOT IN *acta dies*} Acta vocabulum, non satis vsu tritum, loci deprauandi caussam præbuit. est autem, In acta secreto & amœno litore : vt ait Seruius in illud Virgilij lib. V:

At procul in sola secretæ Troades acta
Amissum Anchisen flebant.

Nepos, vel Probus in Agesilai vita: Cum in acta cum suis accubuisset. LEGATVS} P. Tadius. CLASSI *populi Romani*} cui vel prætor ipse, vel legatus, vel quæstor, non Siculus homo, præesse deberet: vt infra. VBI *ternis denarijs æstima-tum frumentum?*} cur enim tibi in cellã datum est frumen-tum illud, quod tu, cum esset H-S binis, ternis denarijs in singulos modios æstimasti, nisi, vt opera tua, tuorumq; populus Romanus pro salute sociorũ vteretur? PERPE-TVO *manserant.*} quam ob caussam immunes erant, ac li-beræ. Duæ tantum hic nominantur, Segestana, & Centu-ripina: sed præterea tres erãt, Halesina, Halyciensis, Pan-hormitana. quarum omnium initio lib. III. mentio fit. COGNATIONE} hoc ad Segestanam pertinet. Segesta e-nim opidum ab Aenea conditum putabatur. DIGNITA-TIS,} nulla, inquit, habita dignitatis ratio est: Classi enim

populi Romani Siculus homo præesse non debuit. nulla æquitatis: nā si homini Siculo, certe Segestano, aut Centuripino potius, quam Syracusano, mandandus honos fuit: cum eæ ciuitates, quæ in amicitia, fideque populi Romani perpetuo manserant, ijs, quæ armis victę fuerāt, omnino præferendæ viderentur. nulla denique officij: cum referri gratiam deceret Centuripinis, quibus in omni bello, quod in Sicilia gestum esset, socijs populus Romanus vsus esset. nam Syracusani semper hostes. VIDE, *quid intersit inter tuam libidinem, maiorumq; auctoritatem, inter amorem furoremq; tuum, & illorum consilium, atq; prudentiam. Illi, &c.*} acrior est ex comparatione reprehensio: lib. III. Vide, inter importunitatem tuam, senatusq; bonitatem quid intersit. Senatus, cum temporibus reip. cogitur vt decernat, vt alteræ decumę exigantur, ita decernit, vt pecunia pro his decumis soluatur aratoribus: vt, quod plus sumitur, quam debetur, idem nō auferri putetur? tu cum tot decumas non S. C. sed nouis edictis tuis, nefarijsque institutis exigeres, & eriperes: magnum te fecisse arbitrabere, si pluris vendideris, quam L. Hortēsius, pater istius Q. Hortensij, quam Cn. Pompeius, quam M. Marcellus, qui ab æquitate, ab lege, ab institutis, non recesserunt? Similiter ibidem infra: Illum viris fortissimis iudicarunt patres conscripti dimittere de summa non potuisse: te mulieri deterrimæ recte remisisse, senatores iudicabunt? Ille, de quo lege populus Romanus iusserat, vt ipsius voluntas & possit esse, & esset pro lege, tamē in hoc vno genere veterum religione legum reprehenditur: tu qui, omnibus legibus implicatus tenebare, libidinē tibi tuam pro lege esse voluisti? In illo reprehenditur, quod ex ea pecunia remiserit, quam ipse quæsierat: tibi concedetur, qui de capite vectigaliū populi R. remisisti? Agr. II. Videte, quid intersit inter Cn. Domitium tribunū pl. hominē nobilissimum, & P. Rullum: qui tentauit, vt opinor, patiētiam vestram, cum se nobilem esse diceret. Domitius, quod, per cæremonias populi fieri non poterat, ratione assecutus est, vt id quoad posset, quoad fas esset, quoad liceret, populo ad partes daret: hic, quod populi proprium

prium semper fuit, quod nemo imminuit, nemo immutauit, quin ij, qui populo agros essent assignaturi, ante acciperent à populo beneficium, quam darent, id totū eripere nobis, atq; è manibus extorquere conatus est. Ille, quod dari populo nullo modo poterat, tamen quodammodo dedit: hic, quod animi nullo pacto poterat potestate, quadā ratione eripere conatus est. Nec minus valet ad obiurgandum idem modus. præclarū habemus exemplum in suasione Maniliæ legis. Maiores vestri sæpe, mercatorib. ac nauiculatoribus iniuriosius tractatis, bella gesserunt: vos, tot ciuium Romanorum millibus vno nuncio, atq; vno tempore necatis, quo tandem animo esse debetis? Et quæ sequuntur. Eodem genere materia conditur irridendi: vt pro Mur. Vigilas tu de nocte, vt tuis consultoribus respondeas: ille, vt, quo intendit, mature, cum exercitu, perueniant. Te gallorū, illum buccinarum cantus exsuscitat. Tu actionem instituis, ille aciem instruit: Tu caues, ne tui consultores, ille, ne vrbes, aut castra capiantur. Ille tenet, & scit, vt hostium copiæ, tu, vt aquæ pluuiæ arceantur. Ille exercitatus est in propagandis finibus, tu in regendis. HABERE} habitare: vt apud Plautum in Truc.

'.Hæc meretrix,
Quæ hic habet.

AMOREM,} quo impulsus, Cleomenem, vt animo soluto ac libero eius vxorem habere posses, classi præfecisti. OPERA} quia Marcellum in expugnandis Syracusis adiuuerant. SYRACVSANIS} Cleomeni Syracusano. SOLEATVS} crepidis muliebribus: quibus tamen & viri vterentur domi. vnde Horatius: Et soleas poscit. QVOD *erat terrestre præsidium*} nihil deest. nam, Erat, est pro, Aderat. Præsidium autem non re, sed nomine, quasi correctio est, cum ignominia Verris: quia, cum præsidium milites significet, re, non nomine; ipse effecerat, vt præsidium illud esset nomine, non re. SCIRE *isto prætore nemo poterat,* } quia remiges pretio Verres dimiserat. MOLIEBANTVR.} satagebant in parāda fuga. Occupationem, & tarditatem significat hoc verbū, vt lib. IV.

Hora amplius iam in demoliendo permulti homines moliebantur. Terentius Heaut. Dum comuntur, dum moliuntur annus est. INOPES} ope carentes. NEQVITIAQVE} hoc ad libidinem refertur. nam statim illa subiunguntur: O istius nequitiam, ac turpitudinem singularem. vna atque eadem nox erat, qua prætor, amoris turpissimi flamma, ac classis populi Romani prædonum incendio conflagrabat. lib. III: Homo inerrior, ignauior, magis vir inter mulieres nequiã, impura inter viros muliercula, præferri non potest.

ORATIO.

AFFERTVR *nocte intempesta grauis huiusce mali nuncius Syracusas: curritur ad prætoriũ, quo istum è conuiuio illo præclaro reduxerãt paullo ante mulieres cũ cantu, atq; symphonia. Cleomenes, quamquã nox erat, tamen in publico esse nõ audet: includit se domi: neq; aderat vxor, quæ consolari hominem in malis posset. huius autẽ præclari imperatoris ita erat seuera domi disciplina, vt, in re tanta, in tam graui nuncio, nemo admitteretur, nemo esset, qui auderet aut dormientẽ excitare, aut interpellare vigilantẽ. iam vero, re ab omnibus cognita, cõcursabat vrbe tota maxima multitudo. nõ enim, sicut antea consuetudo erat, prædonum aduẽtum significabat ignis è specula sublatus, aut tumulo; sed flamma ex ipso incendio nauium & calamitatẽ acceptam, & periculum reliquum nunciabat. cum prætor quæreretur, et constaret ei neminem nũciasse: fit ad domũ eius cum clamore concursus, atq; impetus. tum iste excitatus exit: audit rem omnẽ ex Timarchide: sagũ sumit. lucebat iam fere: procedit in medium, vini, somni, stupri plenus. excipitur ab omnibus eiusmodi clamore, vt ei Lampsaceni periculi similitudo versaretur ante oculos. hoc etiã maius hoc videbatur, quod in odio simili multitudo hominum hæc erat maxima. tum istius acta cõmemorabantur, tum flagitiosa illa conuiuia: tũ appellabãtur à multitudine mulieres nominatim: tum quærebatur ex ipso palã, tot dies cõtinuos, per quos numquã visus esset, vbi fuisset? quid egisset? tũ imperator ab isto præpositus Cleomenes flagitabatur: neq; quidquã propius est factũ, quam vt illud Vticẽse exemplũ de Hadriano trãsferretur Syracusas, vt duo sepulcra duorũ prætorum improborũ, duabusq; in prouincijs constituerẽtur. verum habita est à multitudine ratio tẽporis, habita est tumultus, habita*

etiam dignitatis, æstimationisq; cõmunis; quod is est conuentus Syracusis ciuium R. vt nõ modo illa prouincia, verum etiam hac rep. dignissimus existimetur. confirmant ipsi se, cũ is etiã tum semisomnis stuperet: arma capiunt: totum forum, atq; insulam, quæ est vrbis magna pars, cõplent. vnã illam solam noctẽ prædones ad Pelorum cõmorati, cum fumantes etiam nostras naues reliquissent, accedere incipiunt ad Syracusas. qui videlicet sæpe audissent, nihil esse pulchrius, quam Syracusarũ mœnia, ac portus, statuerant sese, si ea Verre prætore non vidissent, numquã esse visuros. ac primo ad illa æstiua prætoris accedunt, ipsam illam ad partem litoris, vbi iste per eos dies, tabernaculis positis, castra luxuriæ collocarat. quem postea quam inanẽ locum offenderũt, et prætorem cõmouisse ex eo loco castra senserunt, statim sine vllo metu in portũ ipsum penetrare cœperũt. cum in portum dico, iudices, (explanandum est enim diligentius eorum caussa, qui locum ignorant) in vrbem dico, atq; in vrbis intimam partem venisse piratas. nõ enim portu illud opidum clauditur, sed vrbe portus ipse cingitur, et concluditur; non, vt alluantur à mari mœnia extrema, sed influat in vrbis sinum portus. Hic te prætore Heracleo archipirata cum quattuor myoparonibus paruis ad arbitrium suum nauigauit. Pro dij immortales, piraticus myoparo, cum imperium populi R. nomen, ac fasces essent Syracusis, vsque ad forum, & ad omnes vrbis crepidines accessit: quo neque Carthaginiensium gloriosissimæ classes, cum mari plurimum poterant, multis bellis sæpe conatæ, vmquam adspirare potuerunt; neque populi R. inuicta ante te prætorem gloria illa naualis, vmquam tot Punicis, Siciliensibusq; bellis penetrare potuit: qui locus eiusmodi est, vt ante Syracusani in mœnibus suis, in vrbe, in foro hostẽ armatum, ac victorem, quam in portu vllam hostium nauem viderent. hic te prætore prædonum naniculæ peruagatæ sunt, quo Atheniensium classis sola post hominum memoriam CCC nauibus vi, ac multitudine inuasit: quæ in eo ipso portu, loci ipsius, portusq; natura victa, atq; superata est. hic primum opes illius ciuitatis victæ, comminutæ, depressæque sunt: in hoc portu Atheniensium nobilitatis, imperij, gloriæ naufragium factum existimatur. eo ne pirata penetrauit, quo simul atque adesset, non modo à latere, sed etiam à tergo magnã partem vrbis relinqueret? Insulam totam prætervectus est: quæ est vrbis magna pars Syracusis suo nomine, ac mœnibus: quo in loco maiores, vt ante dixi, Syracusanum quem-

quam habitare vetuerunt, quod, qui illam partem vrbis tenerent, in eorum potestatem portum futurum intelligebāt. at quemadmodum est peruagatus? radices palmarum agrestium, quas in nostris nauibus inuenerat, iaciebat, vt omnes istius improbitatem, & calamitatem Siciliæ possent cognoscere. Siculos ne milites, aratorum ne liberos, quorum partes tantū labore suo frumenti exarabant, vt populo R. totiq́; Italiæ suppeditare possent: eos ne, in insula Cereris natos, vbi primum fruges inuentæ esse dicuntur, eo cibo esse vsos, à quo maiores eorum ceteros quoque frugibus inuentis, remouerunt? te prætore Siculi milites palmarum stirpibus, prædones Siculo frumento alebantur. O spectaculum miserum, atque acerbum: ludibrio esse vrbis gloriam, populi R. nomen hominum conuentu, atq; multitudine, piratico myoparone, in portu Syracusano, de classe populi R. triumphum agere piratam, cum prætoris nequissimi, inertissimique oculos prædonum remi respergerent. Postea quam è portu piratæ, non metu aliquo affecti, sed societate exierant, tum cœperunt quærere homines caussam illius tantæ calamitatis: dicere omnes, & palam disputare, minime esse mirandum, si, militibus, remigibusque dimissis, reliquis egestate, & fame perditis, prætore tot dies cum mulierculis perpotante, tanta ignominia, & calamitas esset accepta. Hæc autem istius vituperatio, atque infamia confirmabatur eorum sermone, qui à suis ciuitatibus illis nauibus præpositi fuerant: qui ex illo numero reliqui Syracusas, classe amissa refugerant. dicebant, quos ex sua quisque naui missos sciret esse. res erat clara: neque solum argumentis, sed etiam certis testibus istius audacia tenebatur. homo certior fit, agi nihil in foro, & conuentu, toto die, nisi hoc quæri à nauarchis, quemadmodum classis esset amissa: illos respondere, docere vnumquemque, missione remigum, fame reliquorum, Cleomenis timore, & fuga. quod postea quam iste cognouit, hanc rationem habere cœpit. caussam sibi dicendam esse statuerat iam ante, quam hoc vsu veniret, ita vt ipsum priore actione dicere audistis. videbat, illis nauarchis testibus, tantum hoc crimen sustinere se nullo modo posse. consilium capit primo stultum, verumtamen clemens: Cleomenem, & nauarchos ad se vocari iubet: veniunt. accusat eos, quod huiusmodi de se sermones habuerint: rogat, vt id facere desistant, & in sua quisque naui dicat se tantum habuisse nautarum, quantum oportuerit, neque quemquam esse dimissum. illi enim

enimuero se ostendunt, quod vellet, esse facturos. iste non procrastinat: aduocat amicos statim, quærit ex his sigillatim, quot quisque nautas habuerit. respondit vnusquisque, vt erat præceptum. iste in tabellas refert: obsignat signis amicorum prouidens homo, vt contra hoc crimen, si quando opus esset, hac videlicet testificatione vteretur. Derisum credo esse hominem amentem à suis consiliarijs, & admonitum, hasce ei tabulas nihil profuturas, etiam plus ex nimia prætoris diligentia suspicionis in eo crimine futurum. iam iste erat hac stultitia multis in rebus vsus, vt publica quoque, quæ vellet, in ciuitatum litteris & tolli, & referri iuberet. quæ omnia nunc intelligit sibi nihil prodesse, postea quam certis litteris, testibus, auctoritatibusque conuincitur. Vbi hoc videt, illorum confessionem, testificationem suam, tabellas sibi nullo adiumento futuras; init consilium, non improbi prætoris, (nam id quidem esset ferendum) sed importuni, atque amentis tyranni: statuit, si hoc crimen extenuare vellet, (nam omnino tolli posse non arbitrabatur) nauarchos omnes testes sui sceleris vita esse priuandos. occurrebat illa ratio: quid Cleomeni fiet? potero ne animaduertere in eos, quos dicto audientes esse iussi, missum facere eum, cui imperium, potestatemque permisi? potero ne eos afficere supplicio, qui Cleomenem secuti sunt; ignoscere Cleomeni, qui secum fugere, & se consequi iussit? potero ne in eos esse vehemens, qui naues inanes non modo habuerunt, sed etiam apertas; in eum dissolutus, qui solus habuerit constratam nauem, & minus exinanitam? pereat Cleomenes vna: vbi fides? vbi exsecrationes? vbi dextræ, complexusque? vbi illud contubernium muliebris militiæ in illo delicatissimo litore? fieri nullo modo poterat, quin Cleomeni parceretur. Cleomenem vocat: dicit ei, se statuisse animaduertere in omnes nauarchos: ita sui periculi rationes ferre, ac postulare. tibi vni parcam, & totius istius culpæ crimen, vituperationemque inconstantiæ potius suscipiam, quam aut in te sim crudelis, aut tot, tam graues testes viuos, incolumesque esse patiar. agit gratias Cleomenes: approbat consilium: dicit, ita fieri oportere: admonet tamen illud, quod istum fugerat, Phalargum Centuripinum nauarchum non posse animaduerti, propterea quod secum fuisset vna in Centuripina quadriremi. quid ergo? iste, homo ex eiusmodi ciuitate, adolescens nobilissimus, testis relinquetur? in præsentia, inquit Cleomenes: quoniã ita necesse est: sed post aliquid videbim⁹, ne iste

nobis obstare posit. Hæc postea quam acta, & constituta sunt, procedit iste repente è prætorio, inflammatus scelere, furore, crudelitate: in forum venit: nauarchos vocari iubet. qui nihil metuerent, nihil suspicarentur, statim accurrunt. iste hominibus miseris, innocentibusque iniici catenas imperat. implorare illi fidem populi R. et quare id faceret, rogare. tūc iste hoc caussæ dicit, quod classem prædonibus prodidissent. fit clamor, & admiratio populi, tantā esse in homine impudentiā, atq; audaciam, vt aut alijs caussam calamitatis attribueret, quæ omnis propter auaritiā ipsius accidisset; aut, cum ipse prædonū socius putaretur, alijs proditionis crimen inferret: deinde, hoc quintodecimo die crimen esse natum, postquam classis esset amissa. tum hæc fierent, quærebatur, vbi esset Cleomenes: non quo illum ipsum, cuiusmodi esset, quisquam supplicio propter illud incommodum dignum putaret. nam quid Cleomenes facere potuit, (non enim possum quemquam insimulare falso) quid, inquam, magnopere potuit Cleomenes facere, istius auaritia nauibus exinanitis? atq; eum vident sedere ad latus prætoris, et ad aurem familiariter, vt solitus erat, insusurrare. tum vero omnibus indignißimum visum est, homines honestißimos, electos ex suis ciuitatibus, in ferrum, atque in vincla coniectos, Cleomenem, propter flagitiorum, ac turpitudinis societatem, familiarißimum esse prætoris. apponitur his tamen accusator Næuius Turpio quidam, qui C. Sacerdote prætore iniuriarum damnatus est, homo bene appositus ad istius audaciam: quem iste in decumis, in rebus capitalibus, in omni calumnia præcursorem habere solebat, & emissariū.

EXPLANATIO.

LAMPSACENI *periculi*] cum parum abfuit, quin à Lampsacenis in eā domo, in qua diuersabatur, viuus exureretur. lib. I. ACTA *commemorabantur*,] dolor vocem exprimebat, vt, quæ Verres, cum obire prouinciam, & concursare ceterorum prætorum more deberet, per luxuriam & libidinem egisset, ea libere cōmemorarentur. Lambinus, Commemorabatur, legit: vt, Acta, sit litus. de qua coniectura nihil pronuncio. VTICENSE *exemplum de Hadriano*] Vticę prętor Hadrianus domi suę propter auaritiam viuus exustus est. lib. I. DVO *sepulcra*] vt cremarentur duo prætores improbi, duabus in prouincijs. SVO *nomine*,] quia, si est in vrbe insula, vnde nomē accepit;

accepit, magnam vrbis partē teneat, necesse est. A C *mœnibus*} extrema, vt opinor, ædificia, vocat mœnia. nam duobus quidem portubus Insula cingebatur, in vtriusque portus ostium, aditumq; proiecta, mœnium tamen ambitu carebat. lib. IV. IN EORVM *potestatem*} pro, potestate: vt pro Quinctio: Res esse in vadimoniū cœpit. Quē locum pluribus confirmauimus exemplis. CONVENTV} ciuium Romanorum, qui Syracusis negotiabantur. is enim conuentus appellatur in prouincijs. IN CIVITATVM *litteris & tolli, & referri*} litteras accipi pro eo, quod scribitur testimonij, memoriæq; caussa, sæpe iam dixi. sequitur proxime: Certis litteris, testibus, auctoritatibusq; conuincitur. APERTAS,} nō constratas, nō tectas. MINVS *exinanitam?*} militibus. supra: In hac quaquadriremi, propter honorem, & gratiam Cleomenis, minime multi remiges, & milites deerāt. VBI *fides?*} data Cleomenis vxori. EXSECRATIONES?} Exsecratio pro iureiurando omnium sanctissimo, nonnunquā sumitur. hic quidem aliter accipi non potest, cum inter fidem, & dextras collocetur. in ea vero pro Sextio nō obscure: Hunc vir clarissimus Cn. Pompeius omni cautione, fœdere; exsecratione deuinxerat, in tribunatu nihil cōtrā me esse factutū. Et Sallustius in Catil. Post exsecrationē, id est, post iusiurandum. CONTVBERNIVM} conuictus vxoris Cleomenis. MVLIEBRIS *militiæ*} castra Verris litus illud delicatissimū fuerat. PRAEDONVM *socius*} in quo socius? in perdēda classe populi Romani. CVIVSMODI} malim, Cuiuscuiusmodi, id est, qualiscūq; esset. dicebāt &, Cuicuimodi. FLAGITIORVM, *ac turpitudinis*} cōmunicatam Verri vxorē à Cleomene significat. APPONITVR} dixi iā, hoc verbo malitiā fraudēq; designāri. lib. I. Si res abiret ab eo mancipe, quē ipse apposuisset. Lib. II. apponit, qui petat Verri Erycinæ illam hereditatem. Lib. III. Appositus erat Venuleius quidā, qui emeret. NAEVIVS *Turpio*} nominatus lib. II. IN DECVMIS,} lib. III. Petrini, cum eorum decumæ magno addictæ essent, tamē inuitissimi P. Neuio Turpioni, improbissimo homini, qui iniuriarum Sacerdote prætore damnatus

est, H. S

est, H.S VII millia dare coacti sunt. IN REBVS *capitalibus*, 3 cum Dioni Halesino hereditatem ademit. lib. II.

ORATIO.

VENIVNT *Syracusas parentes, propinquiq; miserorum adolescentium, hoc repentino calamitatis suæ cōmoti nuncio: vinctos aspiciūt catenis liberos suos; cum istius auaritiæ pœnam collo, & ceruicibus suis sustinerent: adsunt, defendunt, proclamant: fidē tuam, quæ nusquā erat, nec vmquam fuit, implorant. pater aderat Dexio Tyndaritanus, homo nobilißimus, hospes tuus, cuius tu domi fueras, quem hospitē appellaras. eum cum illa auctoritate, & miseria videres præditū, non te eius lacrymæ, non senectus, non hospitij ius, atq; nomen à scelere aliquā ad partē humanitatis reuocare potuit? Sed quid ego hospitij iura in hac tam immani bellua cōmemoro? qui Stheniū Thermitanum, hospitē suum, cuius domū per hospitium exhausit, & exinaniuit, absentē in reos retulerit, caussa indicta capite damnarit; ab eo nunc hospitiorū iura atq; officia quæramus? cum homine enim crudeli nobis res est, an cum fera, atq; immani bellua? Te patris lacrymæ de innocentis filij periculo nō mouebant? cum patrē domi reliquisses, filium tecū haberes, te neq; præsens filius, de liberorū caritate, neq; absens pater, de indulgentia patria commonebat? Catenas habebat hospes tuus Aristeus, Dexionis filius. quid ita? prodiderat classem. quod ob præmium? deseruerat exercitū. quid Cleomenes? ignauus fuerat: at eū tu ob virtutē corona aurea donaras, dimiserat nautas: at ab omnibus tu mercedē mißionis acceperas. Alter parens ex altera parte erat Herbitensis Eubulida, homo domi suæ clarus, & nobilis: qui, quia Cleomenē in defendendo filio læserat, nudus pæne est destitutus. quid erat autē, quod quisquā diceret, aut defenderet? Cleomenem nominare nō licet. at caussa cogit. moriere, si appellaris. numquam enim iste est cuiquā mediocriter minatus. at remiges non erant. prætorē tu accusas? frange ceruicē. si neq; prætorē, neq; prætoris æmulū appellare licebit, cū in his duobus tota caussa sit; quid futurū est? Dicit etiā caussam Heraclius Segestanus, homo domi suæ summo loco natus. audite, vt vestra humanitas postulat, iudices: audietis enim de magnis incōmodis, iniurijsq; sociorū. hunc scitote fuisse Heracliū in ea caussa, qui propter grauē morbum oculorum tum non nauigarit, & iussu eius, qui potestatē habuit, cum cōmeatu Syracusis remanserit. iste certe neq; prodidit classem, neq; metu per-*

tu perterritus fugit, neq; exercitum deseruit. etenim tunc esset hoc animaduersum, cum classis Syracusis proficiscebatur. is tamen in eadem caussa fuit, quasi esset in aliquo manifesto scelere deprehensus, in quem ne falso quidẽ caussa conferri criminis potuit. Fuit in illis nauarchis Heracliensis quidam Furius, (nã habent illi non nulla huiuscemodi Latina nomina) homo, quam diu vixit, domi suæ, non solum post mortem, tota Sicilia, clarus, et nobilis. in quo homine tantum animi fuit, non solum vt istum libere læderet, (nam id quidem, quoniam moriendum videbat, sine periculo se facere intelligebat) verum, morte proposita, cum lacrymans in carcere mater noctes diesq; assideret, defensionem caussæ suæ scripsit: quam nunc, nemo est in Sicilia, quin habeat, quin legat, quin tui sceleris, & crudelitatis ex illa oratione cõmonefiat. in qua docet, quot à ciuitate sua nautas acceperit, quot et quanti quemq; dimiserit, quot secum habuerit: item de ceteris nauibus dicit. quæ cũ apud te diceret, virgis oculi verberabantur: ille, morte proposita, facile dolorẽ corporis patiebatur. clamabat, id quod scriptũ reliquit, facinus esse indignum, plus impudicissimæ mulieris apud te de Cleomenis salute, quam de sua vita lacrymas matris valere. deinde etiam illud video esse dictum, quod, si recte vos, populus R. cognouit, non falso ille iam in ipsa morte de vobis prædicauit: non posse Verrem testes interficiendo crimina sua exstinguere: grauiorẽ apud sapientes iudices se fore ab inferis testẽ, quam si viuus in iudicium produceretur: tum, auaritiæ solũ, si viueret, nunc, cũ ita esset necatus, sceleris, audaciæ, crudelitatis testẽ fore: iam illa præclara, non testium modo cateruas, cũ tua res ageretur, sed tñ à diis Manibus innocentium pœnas, sceleratorũq; furias in tuum iudiciũ esse venturas: sese ideo leuiorẽ casum suum fingere, quod iam ante aciẽ securium tuarũ, Sextijq; tui carnificis vultũ, & manũ vidisset, cũ in cõuentu ciuiũ R. iussu tuo securi ciues R. ferirentur. Ne multa, iudices, libertatem quam vos socijs dedistis, hac ille in acerbissimo supplicio miserrimæ seruitutis abusus est, condẽnat omnes de consilij sententia: tamen neque iste in tanta re, tot hominum, totque ciuium caussa, P. Vettium ad se accersit, quæstorẽ suum, cuius consilio vteretur, neque P. Ceruium, talem virum, legatum, qui, quia legatus isto prætore in Sicilia fuit, primus ab isto iudex reiectus est; sed de latronum, hoc est, de comitum suorum sententia condemnat omnes. hic cuncti Siculi, fidelissimi atque antiquissimi socij,

pluri-

plurimis affecti beneficijs à maioribus nostris, grauiter commouentur, & de suis periculis, fortunisque omnibus pertimescunt: illam clementiam, mansuetudinē nostri imperij in tantā crudelitatem, inhumanitatemq; esse conuersam? cōdemnari tot homines vno tempore nullo crimine? defensionē suorū furtorum prætorē improbū ex indignißima morte innocentiū quærere? nihil addi iam videtur, iudices, ad hanc improbitatē, amentiam, crudelitatemq; posse: & recte nihil videtur. nam, si cum aliorum improbitate certet, lōge omnes, multumq; superabit: sed secum ipse certat: id agit, vt semper superius suum facinus nouo scelere vincat. Phalargum Centuripinum dixeram exceptū esse à Cleomene, quod in eius quadriremi Cleomenes vectus esset: tamen, quia pertimuerat adolescens, quod eandē suā caussam videbat esse, quam illorū, qui innocentes peribant, ad hominem accedit Timarchides: à securi negat esse ei periculum: virgis ne cæderetur, monet vt caueat. ne multa: ipsum dicere adolescentē audistis, se ob hunc virgarū metum pecuniam Timarchidi numerasse. Leuia sunt hæc in hoc reo crimina. metū virgarum nauarchus nobilißimæ ciuitatis pretio redemit: humanū. alius, ne condemnaretur, pecuniā dedit: vsitatum est. non vult populus R. obsoletis criminibus accusari Verrē: noua postulat, inaudita desiderat: non de prætore Siciliæ, sed de crudelißimo tyranno fieri iudiciū arbitratur. Includuntur in carcerē condemnati. suppliciū constituitur in illos. sumitur de miseris parentibus nauarchorum: prohibentur adire ad filios suos: prohibētur liberis suis cibum, vestitumq; ferre patres hi, quos videtis, iacebant in limine, matresq; miseræ pernoctabant ad ostiū carceris, ab extremo complexu liberū exclusæ: quæ nihil aliud orabant, nisi vt filiorū extremum spiritum ore excipere sibi liceret. aderat ianitor carceris, carnifex prætoris, mors terrorq; sociorū, & ciuium. lictor Sextius, cui ex omni gemitu, doloreq; certa merces comparabatur. vt adeas, tantum dabis: vt cibum tibi introferre liceat, tantum: nemo recusabat. quid, vt vno ictu securis afferā mortem filio tuo, quid dabis? ne diu crucietur? ne sæpius feriatur? ne cū sensu doloris aliquo, aut cruciatu spiritus auferatur? etiā ob hanc caussam pecuniā lictori? dabatur. o magnū, atq; intolerandum dolorē: O grauē, acerbamq; fortunā. non vitam liberū, sed mortis celeritatem pretio redimere cogebantur parentes. atq; ipsi etiā adolescentes cum Sextio de eadē plaga, & de vno illo ictu loquebantur: idq; postremū parentes suos

liberi

liberi orabant, vt, leuãdi crucitatus sui gratia, lictori pecunia daretur. multi, & graues dolores inuenti parentibus, & propinquis, multi: verumtamen mors sit extrema: nõ erit. est ne aliquid vltra quo progredi crudelitas possit? reperietur: nam illorum liberi cum erunt securi percussi, ac necati, corpora feris obijcientur. hoc si luctuosum est parenti, redimat pretio sepeliendi potestatem. Onasum Segestanum, hominem nobilem, dicere audistis, se ob sepulturam Heraclij nauarchi pecuniam Timarchidi dinumerasse. hoc (ne possis dicere: patres enim veniunt, amissis filijs, irati) vir primarius, homo nobilissimus, dicit, neque de filio dicit. iam hoc, quis tum fuit Syracusis, qui non audierit, quin sciat, has per Timarchidem pactiones sepulturæ cum viuis etiam illis esse factas? non palam cum Timarchide loquebãtur? non omnes omnium propinqui adhibebantur? non palam viuorum funera locabantur? Quibus rebus omnibus actis, atque decisis, producuntur è carcere, & deligantur ad palum. quis tam fuit illo tempore durus, & ferreus, quis tam inhumanus, præter vnum te, qui non illorum ætate, nobilitate, miseria, commoueretur? ecquis fuit, quin lacrymaretur? quin ita calamitatem putaret illorum, vt fortunam tamen non alienam, periculum autem commune agi arbitraretur? Feriuntur securi. lætaris tu in omnium gemitu, & triumphas: testes auaritiæ tuæ gaudes esse sublatos. errabas, Verres, & vehementer errabas, cum te maculas furtorum, & flagitiorum tuorum, sociorum innocentium sanguine eluere arbitrabare: præceps amentia ferebare, qui te existimares auaritiæ vulnera crudelitatis remedijs posse sanare. etenim, quamquam illi sunt mortui, sceleris tui testes, tamen eorum propinqui neque tibi, neque illis desunt; tamen ex illo ipso numero nauarchorum aliqui viuunt, & adsunt; quos, vt mihi videtur, ab illorum innocentium pœna fortuna ad hanc caussam reseruauit. adest Philarchus Haluntinus. qui, quia cum Cleomene non fugit, oppressus à prædonibus, & captus est: cui calamitas saluti fuit: qui nisi captus à piratis esset, in hunc prædonem sociorum incidisset. dicet is pro testimonio de missione nautarum, de fame, de Cleomenis fuga. adest Centuripinus Phalargus, in amplissima ciuitate amplissimo loco natus: eadem dicit: nulla in re discrepat.

EXPLANATIO.

AEMVLVM] cum eandem vterque amaret. supra: Paullo solutiorẽ tamen animo secum illã habe-

ret,si non tamquam virum, at tamquam æmulũ remouisset. Lib. III. Veniunt Herbitam duo prætoris æmuli non molesti. IN EA *caussa.*} eius criminis accusatum. infra: Is tamen in eadem caussa fuit, quasi esset in aliquo manifesto scelere deprehensus. IVSSV *eius*, iussu Cleomenis, qui præfuit classi. IN COMMEATV} vt cũ commeatu, liberatus oculorũ morbo, sequeretur. CVM *classis*} in qua ipse non fuit. quo tempore si cum ceteris nauigasset hoc esset animaduersũ, posse idem q; in ceteros, crimen conferri: cum vero cõstet, eũ non nauigasse; ex eo scilicet animaduertitur, nullam in eo culpã esse. NE FALSO *quidem*} quid enim criminis in eũ, qui abfuit, conferri possit? HOMO, *quamdiu vixit, domi suæ solum, post mortem tota Sicilia clarus, & nobilis.*} aperta, & magnifica sententia. quod si legas, Domi suæ non solum, vt in libris peruulgatis; quis erit sensus? Ego, particula, Non, inducta, distinctione ad sententiam accommodata, locum, vt puto, restitui. Est enim hæc preclara figura ad augendam Furij laudẽ, & vituperationem Verris. Dum vixit Furius, domi suæ tãtum clarus, & nobilis fuit. post mortem vero tota Sicilia. mors. n. eum nobilitauit: nõ modo quia Verrem, præsenti iam morte, libere accusauit, sed etiam, quia suæ caussæ defensionem scripsit in carcere: quæ scelus crudelitatemq; Verris vniuersæ Siciliæ passim lecta patefacit. Habet autem hic transitus ab vna ciuitate, in qua Furius vixit, ad Siciliam totam, quæ post mortem eum cognouit, splendidum quiddam, ac magnificum; vt ille à multis ad omnes lib. II. Sthenius est, is qui nobis assidet, Thermitanus, antea multis, propter summam virtutem, summamq; nobilitatem, nunc propter summam calamitatem, atque istius insignem iniuriam, omnibus notus. Addo illud à copijs ad inopiã eodem libro. (cur enim similia negligamus? cum è contrarijs quoque, nõ modo è similibus, ornate & copiose scribendi facultas augeatur) Heraclius est, Hieronis filius, Syracusanus, homo in primis domi suæ nobilis, & ante hunc prætorem vel pecuniosissimus Syracusanorum, nunc nulla alia calamitate, nisi istius auaritia, atque iniuria,

iuria, pauperrimus. Habet id quoque similitudinem aliquam, quod hic paullo post subiungitur: Grauiorem apud sapientes iudices se fore ab inferis testem, quam si viuus in iudiciũ perduceretur: cum, auaritię solũ, si viueret, nunc, cũ uita esset necatus, sceleris audaciæ, crudelitatis testẽ fore. CVM TVA *res ageretur,*} cũ reus esses. SCELERATORVMQ. *furias*} eas furias, quæ sceleratos homines persequi, & vexare consueuerunt. IDEO *leuiorem casum suum fingere,*} ideo sibi leuiorem videri casum suum. CIVES *Romanos*} eos, de quibus supra his verbis: Cum maximus numerus deesset; tum iste, homo nefarius, in eorum locum, quos domũ suam de piratis abduxerat, substituere, & supponere cœpit ciues Romanos, quos in carcerem antea coniecerat. ILLE} Furius. ABVSVS *est*} quia forti animo dixit omnia: cum tamen pro ea libertate, quam senatus populusque Romanus socijs dedit, miserrimæ seruitutis acerbissimum supplicium perpeteretur. IN ACERBISSIMO *supplicio,*} quia, cum illa diceret, virgis oculi verberabantur. TOT Q. *ciuium*} Siculorum. P. VETTIVM} cuius sororem in matrimonio Verres habebat. prænomen aut in hoc Vettio, aut in altero, eius fratre, qui lib. III. nominatur, mendosum sit, necesse est: nam vterque Publius appellatur. QVIA *legatus isto prætore in Sicilia fuit,*} vt eius omnia scelera cognoscere potuerit COMITVM *suarum*} ex eadẽ cohorte, ex qua in decumarum litibus recuperatores dabat. TOT *homines, vno tẽpore, nullo crimine?*} interpunctis vim sentẽtia maiorẽ acquirit. SECVM *ipse certat:*} tribus partibus sentẽtia tota cõstat: quarũ prima est, alios vincere; altera, secũ certare; tertia, se ipsũ vincere. q conferuntur hic oẽs ad infamiã Verris. du; priores ad laudẽ Dolabellæ in illa luculenta epistola, Etsi cõtentus erã, mi Dolabella, tua gloria. Sic enim eũ Cicero cohortatur. Quid est, ꝙ ego te horter, vt dignitati, & glorię seruias? proponam tibi claros viros? neminẽ habeo clariorẽ, q̃ te ipsũ: te imitere, oportet, tecũ ipse certes. SCELERE} quod est grauius quã facinus. q enim id agit, vt se ipsũ vincat, nõ a scelere ad facin9, yerũ à facinore progreditur ad scelus.

 infra:

infra: Facinus est, ciuem Romanum vinciri: scelus, verberari. OBSOLETIS} cōmunibus, vsitatis. SVMITVR} propter ea, quæ sequuntur. parentibus enim id acerbissimi supplicij loco est, cum adire ad filios suos, cum cibum ijs, vestitumq; ferre prohibentur. MVLTI, *& graues dolores inuenti parentibus, & propinquis, multi: verumtamen mors sit extrema: non erit.* } pluribus modis vsurpatur eiusdem siue nominis, siue verbi, addo etiam particulę, repetitio: sed quocumque modo splendor, & vis additur orationi. habet autem vel in media sententia locum repetitio, vt hic, & infra: Tulit hæc ciuitas; quoad potuit, quoad necesse fuit, regiam istam vestram dominationē in iudicijs, & in omni republica, tulit: sed, quo die populo Romano tribuni pl. restituti sunt, omnia ista vobis, si forte nondum intelligitis, adempta atque erepta sunt. Eiusdē generis illud Terentij in Adel. Non est flagitiū, mihi crede, adolescentulum scortari, neque potare; non est. Eodem loco venustatem habet repetita particula, Non, vt in ep. ad Att. lib. X. Ea vero, quæ sunt ijs ipsis malis, in queis sumus, miseriora, nō sunt ab obsequio nostro, nō: suas radices habent. Et in oratione de harusp. resp. Bonā deam appellat, quia sibi in tanto scelere ignouerit. non ignouit, mihi crede, nō. Varro quoq; lib. III. rei rust. Nō tibi decoquet, non, ornithon: neque hoc accidit his moribus, nisi raro. In ipso autem sententiæ principio verba quoque cum ornatu repetuntur; vel cum aliqua interpositione. vt hic paullo post: Errabas, Verres, & vehemēter errabas, cum te maculas furtorum, & flagitiorum tuorum, sociorum innocentium sanguine eluere arbitrabare. Vel nullo interposito verbo, vt pro Milone: Est, est profecto illa vis. Pro Fonteio: Fuit, fuit in illis iudicibus diuinum ac singulare consilium. Progreditur sæpe repetitio sic, vt tria membra nōnnūquā comprehendat: quale est illud in ep. ad Lentulum: Magna est hominum opinio de te, magna commendatio liberalitatis, magna memoria consulatus tui. Et illud Sulpicij, quo nihil perfectius, præsertim in rogando: Quod si quis etiam inferis sensus est: qui illius amor in te fuit, pietasq; in omnes

suos,

ſuos,hoc certe illa te facere nō vult. da hoc illi mortuę: da ceteris amicis,& familiaribus, q tuo dolore mœrent: da patriæ; vt,ſi qua in re opus ſit,opera,& cōſilio tuo vti poſſit.In quattuor mēbris illud ꝓ Murena:Date hoc ipſi⁹ pudori:date patri mortuo:date generi,& familiæ:date etiā Lanuuino municipio honeſtiſſimo,ꝙ in hac cauſſa frequens mœſtumq; vidiſtis.V T *fortunā tamē nō alienā, periculū autē cōmune agi arbitraretur?* } quod ad omnes pertinere poteſt,eo mouemur magis, quam quod eiuſmodi eſt,vt,etiam ſi graue acerbumq; ſit alijs, ipſi tamē extra periculum ſimus.inde ſumpſit eam ſententiam Cicero Pro Deiotaro: Fugitiui dominum accuſantis, & dominum abſentem, & dominum amiciſſimum noſtræ reip cum os videbam,cum verba audiebam; nō tam afflictam regiam condicionem dolebam, quam de fortunis communibus extimeſcebam.

ORATIO.

PER deos immortales,iudices,quo tandem animo feretis? aut hæc quemadmodū auditis? vtrum ego deſipio,& plus,quam ſatis eſt,doleo in tanta calamitate,miſeriaq; ſociorum,an vos quoq; hic acerbiſſimus innocentium cruciatus,& mæror pari ſenſu doloris afficit? ego enim cum Herbitenſem, cum Heraclienſem ſecuri eſſe percuſſum dico,verſatur mihi ante oculos indignitas calamitatis.eorum ne populorum ciues, eorum ne agrorum colonos, ex quibus maxima vis frumenti quotannis plebi Romanæ illorum operis,ac laboribus quæritur,qui à parētibus ſpe noſtri imperij,noſtræq; æquitatis ſuſcepti, educatiq; ſunt, ad C.Verris nefariā immanitatem,& ad eius ſecurē funeſtā eſſe ſeruatos? Cum mihi Tyndaritani illius venit in mentē,cum Segeſtani,tum iura ſimul ciuitatum,atq; officia conſidero,quas vrbes P. Africanus etiam ornandas eſſe ſpolijs hoſtium arbitratus eſt,eas C.Verres nō ſolū illis ornamentis,ſed etiam viris nobiliſſimis nefario ſcelere priuauit. en quod Tyndaritani libenter prædicent.nos in ſeptemdecim populis Siciliæ non eramus: nos ſemper in omnibus Punicis,Sicilienſibusque bellis amicitiam fidemque populi R.ſecuti ſumus:à nobis omnia populo R.ſemper & belli adiumenta,& pacis ornamenta adminiſtrata ſunt.Multum vero hæc his iura profuerunt in iſtius imperio,ac poteſtate.Veſtros quondā nautas cōtra Carthaginē Scipio

duxit. at nunc naues contra prædones pæne inanes Cleomenes ducit. Vobiscũ Africanus hostium spolia, & præmia laudis communicauit. at nunc per me spoliati, naue à prædonibus abducta, ipsi in hostiũ numero, locoq; ducemini. Quid vero illa Segestanorũ nõ solũ litteris tradita, neq; cõmemorata verbis, sed multis officijs illorũ vsurpata & cõprobata cognatio, quos tandem fructus huiusce necessitudinis in istius imperio tulit? nẽpe hoc fuit iure, iudices, vt ex sinu patris nobilissimus adolescens, & è complexu matris ereptus innocẽs filius istius carnifici Sextio dederetur. cui ciuitati maiores nostri maximos agros, atq; optimos concesserunt, quam immunẽ esse voluerunt; hæc tanta apud te cognationis, fidelitatis, vetustatis auctoritate, ne hoc quidem iuris obtinuit, vt vnius honestissimi atq; innocentissimi ciuis mortem, & sanguinẽ deprecaretur. Quo confugient socij? quem implorabunt? qua spe denique, vt viuere velint, tenebuntur, si vos eos deseritis? ad senatum deuenient, qui de Verre supplicium sumat? non est vsitatũ, non senatoriũ. ad populum R. confugient? facilior est caussa populi: legẽ enim se sociorũ caussa iussisse, & ei legi vos custodes ac vindices præposuisse dicet. hic locus est igitur vnus, quo perfugient: hic portus, hæc arx, hæc ara sociorũ: quo quidem nunc non ita confugiunt, vt antea in suis repetendis rebus solebant: non argentũ, non aurum, non vestẽ, non mancipia repetunt, non ornamenta, quæ ex vrbibus, fanisq; erepta sunt: metuunt homines imperiti, ne iam hæc populus R. concedat, & iam fieri velit. patimur enim iam multos annos, & silemus, cũ videamus ad paucos homines omnes omniũ nationũ pecunias peruenisse. quod eo magis ferre æquo animo, atque concedere videmur, quia nemo istorum dissimulat, nemo laborat, vt obscura sua cupiditas esse videatur. in vrbe nostra pulcherrima, atq; ornatissima quod signum, quæ tabula picta est, quæ non ab hostibus victis capta, atq; apportata sit? at istorũ villæ sociorũ fidelissimorum & plurimis, & pulcherrimis spolijs ornatæ, refertæq; sunt. vbi pecunias exterarum nationum esse arbitramini, quibus nũc omnns egent, cũ Athenas, Pergamum, Cyzicum, Miletũ, Chion, Samon, totam denique Asiam, Achaiam, Græciam, Siciliam iam in paucis villis inclusas esse videtis? sed hæc, vt dico, omnia iam socij vestri relinquunt, & negligunt, iudices: ne publice à populo R. spoliarentur, officijs, ac fide prouiderunt. paucorũ cupiditati, tũ cũ obsistere non poterant, tamen sufficere aliquo modo poterant: nunc vero iã

ad-

ademptа est nō modo resistendi, verū etiam suppeditandi facultas: itaque res suas negligunt: pecunias, quo nomine iudiciū hoc appellatur, nō repetūt, relinquunt, & negligūt: hoc iā ornatu ad vos cōfugiunt. adspicite, adspicite, iudices squalorem, sordesq; sociorum. Est Sthenius hic Thermitanus. cū hoc capillo, atq; veste: domo sua tota expilata, mentionem tuorū furtorū non facit: se se ipsum abs te repetit, nihil amplius. totū enim tua libidine, & scelere ex sua patria, in qua multis virtutibus & beneficijs princeps floruit, sustulisti. Dexio hic, quem videtis, non quæ publice Tyndari, non q̄ priuatim sibi eripuisti, sed vnicum miser abs te filium optimum, atque innocentissimū flagitat. non ex litibus æstimatis tuis pecuniā domū, sed ex tua calamitate cineri atq; ossib' filij sui solatiū vult aliquod reportare. Hic iam grandis natu Eubulida hoc tantū, exacta ætate, laboris, itinerisq; suscepit, non vt aliquid ex suis bonis recuperaret, sed vt, quibus oculis cruentas ceruices filij sui viderat, iisdē te condemnatū videret. Si per L. Metellum licitum esset, iudices, matres illorum, vxores, sororesque veniebant. quarū vna cum ego ad Heracliam noctu accederem, cū omnibus matronis eius ciuitatis, & cū multis facibus mihi obuiam venit; & ita, me suam salutē appellans, te suum carnificem nominans, filij nomen implorans, mihi ad pedes misera iacuit, quasi ego excitare filiū eius ab inferis possem. faciebant hoc idē in ceteris ciuitatibus grandes natu matres, & idem paruuli liberi miserorum: quorū vtrorumq; ætas laborem, et industriam meam, fidem, & misericordiā vestrā requirebat. itaque ad me, iudices, præter ceteras, hāc querimoniā Sicilia detulit lacrymis. ego ad hoc nō gloria inductus accessi, sed ne falsa damnatio, ne carcer, ne catenæ, ne verbera, ne secures, ne cruciatus sociorū, ne sanguis innocentiū, ne deniq; etiam exsanguiā corpora mortuorū, ne mæror parentū, ac propinquorum magistratibus nostris quæstui posset esse. hūc ego si metum Siciliæ, damnatione istius, per vestram fidem, & seueritatē deiecero, iudices; satis officio meo, satis illorum voluntati, qui à me hoc petiuerunt, factum esse arbitrabor. Quapropter, si quem forte inueneris, qui hoc nauale crimen conetur defendere, is ita defendat illa communia, q̄ ad caussā nihil pertinēt, prætermittat, me culpā fortunæ assignare calamitatē crimini dare, me amissionē classis obijcere, cū multi viri fortes in cōmuni, incertoq; periculo belli, & terra, et mari sæpe offēderint. nullā tibi obijcio fortunā: nihil est, quod ceterorum

rum res minus cõmode gestas proferas: nihil est, quod multorum naufragia fortunæ colligas. ego naues inanes fuisse dico: remiges, nautasq; dimissos: reliquos stirpibus vixisse palmarum: præfuisse classi populi R. Siculum, perpetuo socijs, atq; amicis Syracusanũ: te illo tempore ipso, superioribusque diebus omnibus, in litore cum mulierculis perpotasse dico: harũ rerũ omniũ auctores, testesq; produco. nũ tibi insultare, in calamitate, nũ intercludere perfugiũ fortunæ, num casus bellicos exprobrare, aut obijcere videor? tametsi solent ij fortunã sibi obijci nolle, qui se fortunæ commiserunt, qui in eius periculis sunt, ac varietate versati. istius quidem calamitatis tuæ fortuna particeps non fuit. homines enim in prælijs, non in conuiuijs, belli fortunam tentare, ac periclitari solent: in illa autẽ calamitate non Martem fuisse cõmunem, sed Venerem, possumus dicere. quod si fortunã tibi obijci non oportet, cur tu fortunæ illorũ innocentium veniam, ac locũ non dedisti? Etiam illud prædices licet, quod supplicium more maiorũ sumpseris, securiq; percusseris, iccirco à me in crimẽ, & inuidiam vocari, nõ in supplicio crimen meũ vertitur: non ego securi nego quemquã feriri debere: nõ ego metum ex re militari, non seueritatem imperij, non pœnam flagitij tolli dico oportere: fateor, non modo in socios, sed etiã in ciues militesq; nostros persæpe esse seuere, ac vehementer vindicatũ. quare hæc quoq; prætermittas licet. ego culpam non in nauarchis, sed in te fuisse demonstro: pretia milites, remigesque dimisisse arguo. hoc nauarchi reliqui dicunt: hoc Netinorũ fœderata ciuitas publice dicit: hoc Herbitenses, hoc Amestratini, hoc Ennẽses, hoc Agyrinenses, Tyndaritani, Locrenses publice dicunt: tuus deniq; testis, tuus imperator, tuus hospes Cleomenes hoc dicit, sese in terram esse egressum, vt Pachyno è terrestri præsidio milites colligeret, quos in nauibus collocaret. quod certe non fecisset, si suum numerũ naues haberent. ea est enim ratio instructarũ, ornatarumq; nauium, vt non modo plures, sed ne singuli quidem possint accedere. Dico præterea, illos ipsos reliquos nautas fame, atq; inopia rerũ omnium cõfectos fuisse, ac perditos. dico, aut omnes extra culpam fuisse: aut, si vni attribuenda culpa sit, in eo maximam fuisse, qui optimam nauem, plurimos nautas haberet, summum imperium obtineret: aut, si omnes in culpa fuerint, non oportuisse Cleomenem cõstitui spectatorẽ illorum mortis, atq; cruciatus. dico etiam, in illo supplicio mercedẽ lacrymarum, mercedem vulneris, atq; plagæ, mercedem funeris,

ac sepulturæ cõstitui nefas fuisse. Quapropter, si mihi respõdere voles, hæc dicito, classem instructam, atque ornatam fuisse, nullũ propugnatorem abfuisse, nullum vacuum trãstrũ fuisse, remigi rem frumentariam esse suppeditatam, mentiri nauarchos, mentiri tot & tam graues ciuitates, mentiri etiam Siciliam totam: proditum esse te à Cleomene, qui se dixerit exisse in terram, vt Pachyno deduceret milites: animum illis, non copias defuisse: Cleomenẽ acerrime pugnantem ab his relictum esse, atque desertũ: nummum ob sepulturã datum nemini. quæ si dices, tenebere, sin alia dices; quæ à me dicta sunt, non refutabis.

EXPLANATIO.

EN, QVOD *Tyntaridani libenter prædicent.*} cum indignatione, vt lib. I. En, cui tuos liberos committas, en memoria mortui sodalis. Et hic supra: En fœderũ interpretes, societatis pactores, religionis auctores. IN XVII *populis Siciliæ*} qui bellum cum populo Romano gesserunt: qui tamen victi clementiam in eo maximam sunt experti, quod eorum ager ijs redditus est, cum esset iure belli publicus populi Romani factus. li. V. IN HOSTIVM *numero, locoque ducemini.*} vltimo supplicio afficiemini. id enim est, hostium numero ducere. supra: Si qui senes, aut deformes erant, hostiũ numero ducit. VSVRPATA, } renouata. COGNATIO,} origine ducta ab Aenea. supra. HOC FVIT *iure,* } ea condicione fuit. infra: Ne hoc quidem iuris obtinuit. AD SENATVM *deuenient,*} lamentatio epilogis maxime accommodata, ex afflicta miseraque fortuna misericordiam captans. Attigit hunc locum Cicero vel ex ingenij præstãtia, vnus in primis ad omnes oratorias virtutes à natura factus, vel obseruatione veterum: nam lib. III. de Orat. recitat illud Gracchi: Quo me miser conferã? quo vertam? in Capitolium ne? at fratris sanguine redundat. an domum? matrem ne vt miseram, lamentantẽque videam, & abiectam? Quod mihi Cicero ita videtur imitatus in peroratione pro Murena, vt maiore etiam copia locum exornauerit. Si hunc, inquit, vestris sententijs afflixeritis, quo se miser vertet? domũ ne? vt eam imaginem clarissimi viri, parentis sui, quã paucis ante diebus

laureatam in sua gratulatione conspexit, eandem defor matam ignominia, lugentemq; videat? an ad matrem? quæ misera modo consulem osculata filium suum, nunc cruciatur, & sollicita est, ne eundem paullo post spoliatum omni dignitate conspiciat. Sed quid ego matrem, aut domum appello? quem noua pœna legis & domo, & parente, & omnium suorum consuetudine, conspectuq; priuat. Ibit igitur in exsilium miser? quo? ad Orientis ne partes, in quibus annos multos legatus fuit, & exercitus duxit, et res maximas gessit? at habet magnũ dolorẽ, vnde cum honore decesseris, eodem cũ ignominia reuerti. An se in contrariam partẽ terrarum abdet? vt Gallia trãsalpina, quem nuper summo cum imperio libentissime viderit, eundem lugentem, mœrentem exsulem videat? Vidit hanc virtutem & Sallustius, expressitque in Iugurthina historia, opem & misericordiam à senatu Romano cõtra Iugurthæ iniurias Adherbale q̃rente. Exsul patria, inquit, domo, solus, atq; omnium honestarum rerum egens, quo accedam? aut quos appellẽ? nationes ne, an reges? qui omnes familiæ nostræ, ob vestram amicitiam, infesti sunt. An quoquã mihi adire licet, vbi non maiorum meorum hostilia monumenta plurima sint? aut quisquã nostri misereri potest, qui aliquando vobis hostis fuit? Neque vero hęc siue orationis figura, siue sententiæ forma ab oratoribus quidem obseruata, cultaq; est, à poetis autẽ vel ignorata, vel neglecta. agnoscitur eadẽ in Catullo, cũ Ariadnæ, in ignoto litore à Theseo relictæ, desperationẽ indicat his versib⁹:

Nam quo me referam? quali spe perdita nitar?
Idæos ne petam montes? an gurgite vasto
Discernens pontum truculentum vbi diuidit æquor?
An patris auxilium sperem? quem ne ipsa reliqui,
Respersum iuuenem fraterna cæde secuta?
Coniugis an fido consoler memet amore?
Qui refugit lentos incuruans gurgite remos?

Quem locum Virgilius lib. IV. Didonis morituræ vocibus ita expressit:

En quid agam? rursus ne procos irrisa priores

Ex-

Experiar? Nomadumq; petam connubia supplex,
Quos ego sum toties iam dedignata maritos?
Iliacas igitur classes, atque vltima Teucrum
Iussa sequar? quia ne auxilio iuuat ante leuatos,
Et bene apud memores veteris stat gratia facti?

Imitatio fortasse è Sophocle ducta, qui ait in Aiace:

Καὶ νῦν τί χρὴ, δρᾶν ὅστις ἐμφανῶς θεοῖς
Ἐχθαίρομαι; μισεῖ δέ μ' Ἑλλήνων στρατὸς,
Ἔχθει δὲ Τροία πᾶσα, καὶ πεδία τάδε.
πότερα πρὸς οἴκους. &c.

Similis illa sententia Demosthenis Olynth. I. Ἂν δ' ἐκεῖνα Φίλιππος λάβῃ τίς αὐτὸν ἐπικωλύσει δεῦρο βαδίζειν; Θηβαῖοι; μὴ λίαν πικρὸν εἰπεῖν ᾖ, καὶ συνεισβαλοῦσιν ἑτοίμως: ἀλλὰ Φωκεῖς. οἱ τὴν οἰκείαν οὐχ' οἷοί τε ὄντες φυλάττειν, ἐὰν, μὴ βοηθήσητε ὑμεῖς, ἢ ἄλλος τις. NON *senatorium* } reos nocentes punire. audit enim senatus sociorum querellas: crimina vero iudicibus committit. admonet igitur Cicero iudices officij sui. FACILIOR *est caussa populi* : } facilius excusari populus potest. vestrũ enim hoc munus esse dicet: cũ vos legi repetun darũ, quã ipse iussit, præposuerit. IN VRBE *nostra* } nõ in villis, sed locis publicis. NE FALSA *damnatio*, } Verris exemplo, qui nauarchos iniuste dãnauit. ISTA *defendat*: } quæ ego obijcio, quæ proxime nominaui, falsam damnationem, carcerem, catenas. infra: Si mihi respondere voles, hæc dicito, classem instructã, atque ornatam fuisse. ILLA *communia*, } me culpam fortũæ assignare, calamitatẽ crimi in dare. PERPETVO } in classi per aliquot dies, socijs perpetuo: cum in eos, te permittẽte, imperiũ haberet. SVPERIORIBVSQ. *diebus omnibus* } æstiuos dies sexaginta cũ mulierculis in illo delicatissimo litore Verres fuit. INTERCLVDERE *perfugiũ fortunæ*, } ꝓhibere, ne culpã in fortunã cõferas, ne ad fortunã excusandi sceleris tui caussa cõfugias. nõ ego hoc ꝓhibeo. SOLENT *ij fortunã sibi obijci nolle*, } ego nullã tibi obijcio fortunã. noli queri, ꝙ fortunã tibi obijciam. tametsi velle debes eã tibi obijci: nolunt. n. ij, q se fortunæ cõmiserũt: cui tu te nõ cõmisisti, nec in eiꝰ periculis versatꝰ es. CALAMITATIS *tuæ* } ꝙ amiseris clasẽ populi Romani.

VE-

VENEREM} quia mulieres eædem tibi cum alijs cõmunes erant. Nicen Cleomenis, Pipam Aeschrionis vxorem, Tertiã Isidori mimi filiam, à Docimo perductam, præcipue significat. Ideo lib. III. dixit de Aeschrione, & Docimo: Veniunt Herbitam duo prætoris æmuli non molesti. Hoc autem libro æmulum prætoris Cleomenem bis appellauit. CRIMEN meũ} quod à me tibi obijcitur. NON EGO *metum ex re militari,*} qui si tolleretur, periret omnis disciplina militaris. animaduerti igitur in eos milites, qui deliquerint, oportet: vt necessarius in re militari metus maneat. SEVERITATEM *imperij*} quam, vt necessariã, salutaremq; probo. OPTIMAM *nauem,*} quadriremem Centuripinam. SI MIHI *respondere voles, hæc dicito,*} supra: Si quem forte inueneris, qui hoc nauale crimẽ conetur defendere: ista defendat.

ORATIO.

HIC tu etiam dicere audebis: Est in iudicibus ille familiaris meus, est paternus amicus ille? non, vt quisque maxime est, qui cum tibi aliquid sit, ita tui huiuscemodi criminis maxime eum pudet? Paternus amicus est. ipse pater si iudicaret, per deos immortales quid facere posset, cum tibi hæc diceret? Tu in prouincia populi R. prætor, cum tibi maritimũ bellum esset administrandũ, Mamertinis, ex fœdere quã deberent nauem, per triennium remisisti: tibi apud eosdem priuatim nauis oneraria maxima publice est ædificata: tu à ciuitatib. pecunias classis nomine coegisti: tu pretio remiges dimisisti: tu, cũ nauis esset à quæstore, & ab legato capta prædonum, archipiratam ab omnium oculis remouisti: tu, qui ciues R. esse dicerentur, qui à multis cognoscerentur, securi ferire potuisti: tu tuã domũ piratas abducere, in iudicium archipiratã domo producere ausus es: tu in prouincia tam splendida, apud socios fidelissimos, ciues R. honestissimos, in metu periculoq; prouinciæ, dies continuos complures in litore, conuiuijsq; iacuisti: te per eos dies nemo domi tuæ cõuenire, nemo in foro videre potuit: tu sociorum, atq; amicorũ ad ea conuiuia matresfamilias adhibuisti: tu inter eiusmodi mulieres prætextatũ tuum filiũ, nepotem meũ, collocauisti, vt ætati maxime lubricæ, atq; incertæ exempla nequitiæ parẽtis vita præberet: tu prætor in prouincia cũ tunica talari, pallioq; purpureo visus es: tu, propter amorẽ libidinẽq; tuã, impe-

riũ nauiũ legato populi R. ademisti, Syracusano tradidisti: tui milites in prouincia Siciliæ frugibus, frumentoq; caruere: tua luxuria, atq; auaritia classis populi R. capta, et incẽsa est: post Syracusas cõditas quẽ in portum numquã hostis accesserat, in eo te prætore primũ piratæ nauigauerũt: neq; hæc tot, tantaq; dedecora dissimulatione tua, neq; obliuione hominũ, ac taciturnitate tegere voluisti, sed etiã nauiũ præfectos, sine vlla caussa, de complexu parentum suorũ, hospitum tuorũ, ad mortẽ cruciatumq; rapuisti, neq; in parẽtum luctu, atque lacrymis te mei nominis commemoratio mitigauit: tibi hominum innocentium sanguis non modo voluptati, sed enauium quæ fuit. Hæc si tibi tuus parens diceret, posses ab eo veniam petere? posses, vt tibi ignosceret, postulare? Satis est factum Siculis, satis officio, ac necessitudini, iudices, satis promisso nostro, ac muneri recepto reliqua est ea caussa, iudices, quæ nõ iam recepta, sed innata, neque delata ad me, sed in anima, sensuque meo penitus affixa, atq; insita est: quæ non ad sociorum salutẽ, sed ad ciuium R. hoc est ad vniuscuiusq; nostrum vitã, & sanguinem pertinet. in qua nolite à me, quasi dubiũ sit aliquid, argumenta, iudices, exspectare. omnia, quæ dicam de supplicio ciuium R. sic erunt clara, & illustria, vt ad eã probanda totam Siciliam testem adhibere possim. furor enim quidam, sceleris & audaciæ comes, istius effrenatum animum, importunamq; naturam tanta oppressit amẽtia, vt numquam dubitaret in conuentu palam supplicia, quæ in cõuictos maleficij seruos cõstituta sunt, ea in ciues R. exprõmere. virgis quam multos ceciderit, quid ego commemorem? tantũ breuissime dico, iudices: nullũ fuit omnino isto prætore in hoc genere discrimen, itaq; iam consuetudine ad corpora ciuium R. etiam sine istius nutu ferebatur manus ipsa lictoris. Num potes hoc negare, Verres, in foro Lilybæi, maximo cõuentu, C. Seruilium, ciuẽ R. è conuentu Panhormitano veterem negotiatorem, ad tribunal, ante pedes tuos, ad terram virgis & verberibus abiectum? aude hoc primũ negare, si potes. nemo Lilybæi fuit, quin viderit, nemo in Sicilia, quin audierit. plagis confectũ, dico, à lictoribus tuis ciuem R. ante oculos tuos concidisse: ob quam caussam, dij immortales? tametsi iniuriam facio cõmuni caussæ, & iuri ciuitatis. quasi enim possit esse vlla caussa, cur hoc cuiquam ciui R. iure accidat, ita quæro, quæ in Seruilio caussa fuerit. ignoscite in hoc vno, iudices: in ceteris enim nõ magnopere caussas requiram. locutus erat liberius de istius

impro-

improbitate, atq; nequitia. quod isti simul ac renunciatum est, hominem iubet Lilybæum vadimonium Venerio seruo promittere. promittit. Lilybæum venitur. cogere eum cœpit, cũ ageret nemo, nemo postularet, H-S duobus millibus sponsionem facere cũ lictore suo, ni furtis quæstum faceret, recuperatores de cohorte sua dicit daturũ. Seruilius & recusare, & deprecari, ne iniquis iudicibus, nullo aduersario, iudicium capitis in se constitueretur. hæc cũ maxime loqueretur, sex lictores circumsistunt valentissimi, & ad pulsandos verberandosq; homines exercitatissimi: cædunt acerrime virgis: deniq; proximus lictor, de quo sæpe iam dixi, Sextius cõuerso bacillo oculos misero tundere vehementissime cœpit. itaq; illi cũ sanguis os, oculosq; cõplesset, cõcidit cũ illi nihilo minus iacẽti latera tunderentur, vt aliquãdo spondere se diceret. sic ille affectus, illinc tum pro mortuo sublatus, breui postea est mortuus. iste autem, homo Venerius, & affluens omni lepore, & venustate, de bonis illi⁹ in æde Veneris argenteum Cupidinẽ posuit, etiã fortunis hominũ abutebatur ad nocturna vota cupiditatũ suarũ. Nã quid ego de ceteris ciuiũ R. supplicijs sigillatim poti⁹, q̃ generatim atq; vniuerse, loquar? carcer ille, qui est à crudelissimo tyranno Dionysio factus Syracusis, quæ Lautumiæ vocantur, in istius imperio domicilium ciuium R. fuit. vt quisque istius animum, aut oculos offenderat, in Lautumias statim conijciebatur. Indignũ hoc video videri omnibus, iudices, & id iam priore actione, cum hæc testes dicerẽt, intellexi. retineri enim putatis oportere iura libertatis, nõ modo hic, vbi tribuni pl. sunt, vbi ceteri magistratus, vbi plenum forũ iudiciorũ, vbi senatus auctoritas, vbi existimatio populi R. et frequentia: sed, vbicumq; terrarũ, & gentium violatum ius ciuiũ R. sit, statuitis id pertinere ad communẽ caussam libertatis, & dignitatis. In externorũ hominum, & maleficorum, sceleratorumque, in prædonum, hostiumq; custodias tu tãtum numerum ciuium R. includere ausus es? numquã ne tibi iudicij, numquã cõcionis, nũquã huius tantæ frequentiæ, quæ nũc animo te iniquissimo infestissimoq; intuetur, venit in mentẽ? numquã tibi populi R. absentis dignitas, numquã species ipsa huiuscemodi multitudinis in oculis, animoque versata est? numquã te in horum conspectum rediturum numquam in forum populi R. venturum, numquam sub legum & iudiciorum potestatẽ casurum esse putasti? At q̃ erat ista libido crudelitatis exercendæ? q̃ tot scelerum suscipiendorum caussa? nulla,

indi-

iudices, præter prædandi nouam singularemq́; rationem. nam, vt illi, quos à poetis accepimus, sinus quosdā obsediſſe maritimos, aut reliqua promontoria, aut prærupta ſaxa tenuiſſe dicuntur, vt eos, qui eſſent appulſi nauigijs, interficere poſſent: ſic iſte in omnia maria infeſtus ex omnibus Siciliæ partibus imminebat. quæcumq; nauis ex Aſia, quæ ex Syria, quæ Tyro, quæ Alexandria, venerat, ſtatim certis indicibus, & cuſtodibus tenebatur; vectores omnes in Latumias conijciebantur: onera, atq; merces in prætoriā domū deferebantur. verſabatur in Sicilia longo interuallo, nō Dionyſius ille, nec Phalaris, (tulit enim illa quondam inſula multos, & crudeles tyrannos) ſed quoddam nouum mōſtrum, ex vetere illa immanitate, quæ in iiſdem verſata locis dicitur. nō enim Charybdin tā infeſtā, neque Scyllam nautis, quam iſtum in eodem freto fuiſſe arbitror. hoc etiam iſte infeſtior, quod multo ſe pluribus, & maioribus canibus ſuccinxerat. Cyclops alter, multo importunior. hic enim totam inſulam obtinebat: ille Aetnam ſolam, & eam Siciliæ partē tenuiſſe dicitur. At quæ cauſſa tum ſubijciebatur ipſo, iudices, huius tam nefariæ crudelitatis? eadem, quæ nunc in defenſione commemorabitur. quicumque acceſſerant ad Siciliam paullo pleniores, eos Sertorianos milites eſſe, atque à Dianio fugere, dicebat. illi ad deprecandū periculum proferebant alij purpuram Tyriam, thus alij, atq; odores, veſtemq́; lineam, gemmas alij, & margaritas, vina nō nulli Græca, venalesq́; Aſiaticos: vt intelligeretur ex mercib⁹ quib⁹ ex locis nauigarēt. nō intelligebāt, eas ipſas ſibi cauſſas eſſe periculi, quibus adiumētis ſe ad ſalutē vti arbitrabantur. iſte .n. hæc ex piratarū ſocietate adeptos eſſe dicebat: ipſos in Lautumias abduci imperabat. naues eorum atq; onera diligenter aſſeruanda curabat. his inſtitutis, cum completus iā mercatorum carcer eſſet, tū illa fiebant, quæ L. Suetium, equitē R. lectiſſimum virū, dicere audiſtis, q̄ ceteros audietis. ceruices in carcere frangebantur indigniſſime ciuium R. vt etiā illa vox, & illa imploratio: Ciuis R. ſum, quæ ſæpe multis terris opem inter barbaros, & ſalutem tulit, ea mortem illis acerbiorem, & ſupplicium maturius ferret.

EXPLANATIO.

HIC TV *etiam dicere audebis,* } modus admirationis oſtēdendæ, nō ſine reprehenſiōe quadā, vt ſupra: Hic mihi etiā audebit mentionē facere Mamertinæ laudationis. Pro Archia: Hic vt tabulas Heracliēſiū

requi-

requiris scilicet. In ep. ad Lucceium: Hic tu ea me abesse vrbe miraris, in qua domum nihil delectare possit, summum sit odium temporum, hominũ, fori, curiæ? QVICVM *tibi aliquid sit,*} non negotij, sed consuetudinis, & amicitiæ. id enim hoc loquendi modo significari, exemplis intelligitur. in ep. ad Memmium lib. XIII. Cum Patrone Epicureo mihi omnia sunt, nisi quod in philosophia vehemẽter ab eo dissentio. Et ad C. Marcellum lib. XV. Si mihi tecum minus esset, quam est cũ tuis omnibus, allegarem ad te illos, à quibus intelligis, me præcipue diligi. Et in ep. ad Att. lib. XII. Mihi ante ædilitatem meam nihil erat cum Cornificio. Ad eundẽ lib. XIV. Bruto certe tuo nihil deero: idque, etiam si mihi cum eo nihil fuisset, facerem propter eius singularem eximiamq; virtutem. QVID *facere posset*} fore speras; vt, qui paternus amicus est, is te absoluat: at, si pater ipse iudicaret, absoluere te non posset, præsertim cum tibi hæc diceret, quasi se excusans, quod te dãnare cogeretur. A QVAESTORE, & *ab legato*} quæstore Tadio, legato Cæsetio supra nominatis. POTVISTI:} pro ausus es: adduci potuisti, vt ciues Romanos securi ferires. IN IVDICIVM} cum eũ domi tuę esse, ipso iudicio cõfessus es. supra: Domi esse apud sese archipiratas dixit duos. DIES *continuos cõplures*} sexaginta supra. IN LITORE} in amœna, & ab arbitris remota litoris parte, quæ Acta vocatur: vt supra. DOMI *tuæ*} quæ fuerat Hieronis regis, in ea Syracusarum parte, q̃ Insula dicebatur. supra. MATRES *familias*} Aeschrionis vxorem Pipam, Cleomenis Nicen. LVBRICAE} quæ sua sponte, propter inopiam consilij, facile in vitia labitur, eo magis, si exempla nequitiæ parentis vita præbeat. LEGATO *populi Romani*} huius loci testimonio, legatum potius, quam quæstorem, præesse classi debuisse, cognoscitur: cum tamen quæstorem simul cũ legato præfuisse, supra demonstratũ sit. SYRACVSANO} Cleomeni. LVXVRIA,} q̃a, neglecta classe, delicatissimo in litore cũ mulierculis conuiuia faciebas. AVARITIA} q̃a milites & nautas pretio dimisisti. HOSPITVM *tuorum*} Dexionem significat, cuius filiũ

Arist-

Aristeum Verres securi percussit. PROMISSO *& muneri, ac recepto.* } auget: plus enim est, Recipere, quam promittere. Alij, Promisso nostro, ac muneri recepto. quod videtur esse languidius. NON IAM *recepta, sed innata, neq; delata ad me, sed in animo, sensuq; meo penitus affixa, atque insita est:* } similis figura pro Milone, paullo etiam splendidior, ac plenior: Est enim hæc, iudices, non scripta, sed nata lex; quam non didicimus, accepimus, legimus: verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus; ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus; vt, si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, in tela aut latronum, aut inimicorū incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis. FVROR *enim quidā, sceleris, & audaciæ comes,* } vt in Oreste, & Alcmeone, matricidis. inde illa pro Amerino: Nolite putare, quemadmodū in fabulis sæpenumero videtis, eos, qui aliquid impie sceleratéq; commiserint, agitari & perterreri furiarum tedis ardentibus; sua quemque fraus, & suus terror maxime vexat: suum quemq; scelus agitat, amentiaq; afficit: suæ malę cogitationes, conscientiæq; animi terrent. IN CONVENTV } Conuentus dicitur ciuium Romanorū in prouincia negotiantium. SVPPLICIA, } crucē. CVR HOC *cuiquam ciui Romano iure accidat,* } vetabat enim lex Porcia. CONVERSO *bacillo,* } conuersa virga: vt, à qua parte firmior erat, grauius percuteret. HOMO *Venerius,* } qui Venerem præcipue coleret. sic eum lib. II. per irrisionem appellat. DIONYSIO } priore, eius patre, qui regno pulsus Corinthi ludum aperuit, vt aliquam regni speciem, saltē inter pueros obtineret. DOMICILIVM } cum in eo carcere & ita diu, & ita multi essent ciues Romani, vt ibi prorsus habitare viderentur. OMNIBVS } malim; Vobis, aut, Vobis omnibus. TRIBVNI *pl.* } ideo creati, vt populi Romani iura, libertatemq; defenderent. CONCIONIS, } in qua tribuni pl. de tuis sceleribus acturi essent. HORVM } populi Romani, qui ad iudiciū audiendi studio conuenerat. VT ILLI, } Læstrigones: de quibus Homerus, Plinius, Gellius. EX VETERE *illa immanitate,* } Charybdis, & Scyllæ, quæ poetæ monstra fuisse finxerunt. CANIBVS } quos poetæ

Scyllæ tribuũt, nõ Charybdi. Canes Verris nominat eos, quos ille ijſdẽ furtis alebat: de quib. lib. I. Multa ſibi opus eſſe, multa canibus ſuis, quos circa ſe haberet. Et lib. III: Horum canum, quos tribunal meũ vides lambere. SVCCINXERAT.} vſus eſt eodẽ verbo quo Lucretius lib. V:

Aut rapidis canibus ſuccinctas ſemimarinis
Corporibus Scyllas. Nec aliter poſtea Virg. lib. VI:
Scyllam Niſi, quam fama ſecuta eſt,
Candida ſuccinctam latrantibus inguina monſtris,
Dulichias vexaſſe rates. Et Ouidius lib. XIII. Met.
Illa feris atram canibus ſuccingitur aluum,
Virginis ora gerens.

SERTORIANOS} itaque proſcriptos à ſenatu. nam Sertorium ſenatus, vt hoſtem reip. proſcripſit. A DIANIO} Hiſpaniæ opido, quod Sertorius tenebat.

ORATIO.

QVID eſt, Verres? quid ad hæc cogitas reſpondere? num mẽtiri me? num fingere aliquid? num augere crimẽ? num quid horũ dicere iſtis defenſoribus tuis audes? Cedo mihi, quæſo, ex ipſius ſinu litteras Syracuſanorũ, quas iſte ad arbitrium ſummũ confectas eſſe arbitratur. cedo rationem carceris, quæ diligẽtiſſime cõficitur, quo quiſq; die datus in cuſtodiam, quo mortuus, quo necatus ſit. LITTERAE. SYRACVSANORVM. *Videtis ciues R. gregatim coniectos in Lautumias: videtis indigniſſimo loco coaceruatam multitudinem veſtrorum ciuium. quærite nũc veſtigia, quibus exitus illorum ex illo in loco compareant: nulla ſunt. omnes ne mortui? ſi ita poſſet defendere, tamen fides huic defenſioni non haberetur. ſed ſcriptum exſtat in ijſdẽ litteris, quod iſte, homo barbarus, ac diſſolutus, neque attendere vmquam, neque intelligere potuit. ἐδικαιώθησαν, inquit, vt Siculi loquuntur, hoc eſt, ſupplicio affecti, ac necati ſunt. Si quis rex, ſi qua ciuitas exterarum gentium, ſi qua natio feciſſet aliquid in ciuem R. eiuſmodi, non ne publice vindicaremus? non bello perſequeremur? poſſemus hanc iniuriam, ignominiamq; nominis R. inultam, impunitamque dimittere? quot bella maiores noſtros, & quanta ſuſcepiſſe arbitramini, quod ciues R. iniura affecti, quod nauicularij retẽti, quod mercatores ſpoliati dicerentur? at ego retentos nõ queror: ſpoliatos, ferendũ puto: nauibus, mancipijs, mercibus ademptis in vincula coniectos eſſe mercatores,*

tores, & in vinculis cives R. necatos esse, arguo. Si hæc apud Scythas dicerē, non hic in tanta multitudine civium R. non apud senatores lectißimos civitatis, nō in foro populi R. de tot et tam acerbis supplicijs civium Romanorum, tamen animos etiā barbarorum hominum permouerē. tanta enim huius imperij amplitudo, tanta nominis R. dignitas est apud omnes nationes, vt ista in nostros homines crudelitas nemini concessa videatur. Num ego tibi vllam salutem, vllum perfugium putē, cum te implicatū severitate iudicum, circumretitum frequentia populi R. esse videam? si mehercules, id quod fieri intelligo non posse, ex his laqueis te exsueris, ac te aliqua vi ac ratione explicaris, in illas tibi maiores plagas incidēdum est, in quibus te ab eodē me, superiore ex loco confici, et concidi necesse est. Cui si etiam, id quod defendit, velim concedere: tamen illa ipsa defensio nō minus esse ei perniciosa, quam mea vera accusatio, debeat. quid enim defendit? ex Hispania fugiētes se excepisse, et supplicio affecisse dicit. quis tibi id permisit? quo id iure fecisti? quis idē fecit? qui tibi id facere licuit? forū plenum, et basilicas istorū hominum videmus, et animo æquo videmus. ciuilis enim dissensionis, et siue amentiæ, siue fati, seu calamitatis nō est iste molestus exitus: in quo reliquos saltē cives incolumes licet cōseruare. Verres ille vetus proditor cōsulis, translator quæsturæ, aversor pecuniæ publicæ, tantū sibi auctoritatis in rep. suscepit, vt, quibus hominibus per senatum, per populum Romanum, per omnes magistratus in foro, in suffragijs, in hac vrbe, in rep. versari liceret, ijs omnibus mortē acerbam, crudelemq; proponeret, si fortuna eos ad aliquam partē Siciliæ detulisset. Ad Cn. Pompeium, clarißimum virum, & fortißimum, permulti, occiso Perperna, ex illo Sertoriano numero militū confugerunt, quē non ille summo cum studio saluum, incolumemq; seruauit? cui ciui supplici nō illā dexterā inuictā et fidē porrexit, et spem salutis ostendit? Ita ne vero? quibus fuit portus apud eum, cōtra quem arma tulerunt, ijs apud te, cuius nullum in rep. vmquam monumentum fuit, mors, et cruciatus erat constitutus? Vide, quam cōmodam defensionē excogitaris. malo mehercules, id quod tu defendis, his iudicibus, populoq; R. quam id, quod ego insimulo, probari. malo, inquam, te isti generi hominum, quam mercatoribus, & naviculariјs, inimicum, atque infestum putari. meum enim crimē avaritiæ te nimiæ coarguit: tua defensio furoris cuiusdam, & immanitatis, & inauditæ crudelitatis, & pene nouæ proscriptio-

 nis. Sed

nis. Sed non licet me isto tanto bono, iudices, vti, non licet. adsunt enim Puteoli toti: frequentissimi venerunt ad hoc iudiciũ mercatores, homines locupletes, atq; honesti, qui partim socios suos, partim libertos ab isto spoliatos, in vincla coniectos, partim in vinclis necatos, partim securi percussos esse dicent. Hic, vide, quam me sis vsurus æquo. cum ego P. Granium testem produxero, qui suos libertos à te securi percussos esse dicat, qui à te nauẽ suam, mercesq; repetat: refellito, si poteris: meũ testem deserã, tibi fauebo, te, inquam, adiuuabo: ostendito, illos cum Sertorio fugisse, à Dianio fugientes ad Siciliam esse delatos. nihil est, quod te malim probare. nullum enim facinus, quod maiore supplicio dignum sit, reperiri, neq; proferri potest. reducam iterum equitem R. L. Flauium, si voles: quoniam priore actione, vt patroni tui dictitant, noua quadam sapientia, vt omnes intelligunt, conscientia tua, atq; auctoritate meorum testium, testem nullum interrogasti: Interrogetur Flauius, si voles, quinam fuerit L. Herẽnius is, quem ille argentariam Lepti fecisse dicit, qui eum amplius centũ ciues R. haberet ex conuentu Syracusum, qui eum non solum cognoscerent, sed etiam lacrymantes, ac te implorantes defenderent, tamen à te, inspectantibus omnibus Syracusanis, securi percussus est. Hunc quoq; testem meum refelli, & illum Herennium Sertorianũ fuisse, abs te demonstrari, & probari volo. quid de illa multitudine dicemus eorum, qui capitibus inuolutis, in piratarum captiuorumq; numero producebãtur, vt securi ferirentur? Quæ ista noua diligentia? quam ob caussam abs te excogitata? an te L. Flauij, ceterorumq; de L. Herennio vociferatio cõmouebat? an M. Annij grauissimi, atq; honestissimi viri, summa auctoritas paullo diligẽtiorem, timidioremq; fecerat? qui nuper pro testimonio, non aduenam nescio quem, nec alienum, sed eum ciuem R. qui omnibus in illo conuentu notus, qui Syracusis natus esset, à te securi percussum esse dixit. post hanc illorum vociferationem, post hanc communem famam, atq; querimoniam non mitior in supplicio, sed diligentior esse cœpit: capitibus inuolutis ciues R. ad necem producere instituit: quos tamen iccirco necabat palam, quod homines in conuẽtu, id quod antea diximus, nimium diligenter prædonum numerum requirebant.

EXPLANATIO.

EX IPSIVS *sinu*, custoditas à Verre, quasi ei profuturæ essent in iudicio. LITTERAS, tabulas publicas.

cas. AD ARBITRIVM *suum*} quia verbum Græcum, ἐδικαιώθησαν, non intellexit. non enim valet, mortui sunt, vt ipse credidit, homo barbarus, sed supplicio affecti, ac necati sunt. NEQVE *attendere vmquam, neque intelligere potuit.* } neque attendere vmquam potuit: quia dissolutus, & negligens; neque intelligere; quia barbarus, & indoctus. VT SICVLI *loquuntur,* } notat Siculos, Græca lingua mendose vtentes. nam, ἐδικαιώθησαν, non modo Attici, sed nec omnino è ceteris Græcis quisquam diceret. QVOD *nauicularij retenti, quod mercatores spoliati dicerentur,*} idem pro lege Manilia; Maiores vestri sæpe, mercatoribus, ac nauiculatoribus iniuriosius tractatis, bella gesserunt. Retenti, &, Spoliati, ad augendam Verris culpam, dixit, qui non retinuerat, aut spoliauerat, sed, nauibus, mancipijs, mercibus ademptis, mercatores in vincula coniecerat. MAIORES *plagas*} apud populum Romanum, agente eodem me. Plagas, dixit, vt in translatione persisteret. iam enim dixerat, Laqueis, Exsueris, Vi, Explicaris: & subiungit ex eodem genere, Incidendum, Confici, Concidi: quasi de fera loquatur; quæ iam è laqueis elapsa, maiores plagas effugere non possit. SVPERIORE *ex loco* } è Rostris, in quibus ædilis accusabo te de maiestate. ID QVOD *defendit,* } ciues quidem Romanos, sed Sertorianos milites fuisse, ISTORVM *hominum*} qui cum pro Sertorio, Marianisque partibus pugnauerint, clementia tamen senatus, populiq; Romani reditum in patriam impetrarunt. CIVILIS *enim dissensionis,* } prudenter belli nomen euitat, quo leuior eorum culpa videatur, quibus incolumitatem recte donatam esse defendit. quæ ratio Verris defensionem infirmat. IN SVFFRAGIIS,} non tamen in magistratibus. nam proscriptorum etiam filios lege lata victor Sulla petendorum magistratuum potestate priuauit. in Pisonem, & alibi. CN. POMPEIVM,} qui cum Metello Pio, Numidici filio, contra Sertorium pugnauit. PERPERNA} Sertoriani belli duce, qui Sertorium ipsum fraude occiderat. Plutarchus, alij. MONVMENTVM} signum animi tui, non modo meritum, aut factum insigne. QVAM

commodam} ironia. ID QVOD *tu defendis*,} excepiſſe, te, & necaſſe Sertorianos milites, ex Hiſpania fugientes. QVOD *ego inſimulo*,} mercatores à te, ademptis nauibus, mancipijs, mercibus, in vincula coniectos. quod auaritiæ tantum crimen eſt. ISTI *generi hominum*,} Sertorianis militibus. ſupra quoq; dixit, Iſtorum hominum: quos, patriam adeptos, non tamen amari admodum à iudicibus ſenatoribus, qui Sullanarum partium fuerant, intelligebat. NOVAE} quod vna Sullæ proſcriptione contentus non ſis. ISTO *tanto bono*} cuperem enim, hanc defenſionem tuam, quæ te auaritia liberat, inauditæ crudelitatis arguit, probari iudicibus, & populo Romano. VT PATRONI *tui dictitant*, *noua ſapientia*; *vt omnes intelligunt*, *conſcientia tua*, *atque auctoritate meorum teſtium*,} ſimilis figura initio lib. IV: Venio nunc ad iſtius, quemadmodum ipſe appellat, ſtudium; vt amici eius, morbum, & inſaniam; vt Siculi, latrocinium. *Conſcientia tua*: cum ſcires, quidquid in te, ſi interrogarentur, dicerent, id ita verum eſſe, vt refelli nullo modo poſſet. *Auctoritate*: eiuſmodi virorum, quos mentiri poſſe nemo duceret. TESTEM *nullum interrogaſti*:} mos erat, vt, quos accuſator teſtes produxerat, ab reo interrogarentur: Verres autem, vel teſtium auctoritate commotus, vel conſcientia ſua deterritus, nullum interrogauit. de quo ſunt illa lib. III: Quibus rebus id aſſecutus es? innocentia? adſpice ædem Caſtoris: deinde, ſi audes, fac mentionem innocentiæ. diligentia? codicis lituras tui contemplare, in Sthenij Thermitani nomine: deinde aude te dicere diligentem. ingenio? qui teſtes interrogare priore actione nolueris, & ijs tacitum os tuum præbere malueris, quantumuis & te, & patronos tuos ingenioſos eſſe dicito. PROBARI *volo*.} refellito, ſi voles. Fingit ſe fauere Verri in refutandis teſtium dictis, quos minime refutari poſſe non ignorat. CAPITIBVS *inuolutis*} ne ciues Romani cognoſcerentur. ſupra. NOVA *diligentia*?} vt producerentur capitibus inuolutis.

ORA-

ORATIO.

HAECCINE *populi R. te prætore est cõstituta condicio? hæc negotij gerendi spes? hoc capitis, vitæq; discrimen? parũ ne multa mercatoribus sunt necessario pericula subeunda fortunæ, nisi etiã hæ formidines ab nostris magistratibus, atq; in nostris prouincijs impendebunt? ad eã ne rem fuit suburbana ac fidelis prouincia Sicilia plena optimorũ sociorum, & honestißimorũ ciuiũ R. quæ ciues R. omnes suis ipsa sedibus libẽtißime semper accepit, vt, qui vsq; ex vltima Syria, atq; Aegypto nauigarent, qui apud barbaros propter togæ nomen in honore aliquo fuissent, qui ex prædonũ insidijs, qui ex tempestatũ periculis profugißẽt, in Sicilia securi ferirentur, cum se iam domũ venisse arbitrarẽtur? Nam quid ego de P. Gauio, Cõsano municipe, dicã, iudices? aut qua vi vocis, qua grauitate verborũ, quo dolore animi dicam? tametsi dolor me non deficit: vt cetera mihi in dicendo digna re, digna dolore meo suppetãt, magis elaborandum est. quod crimẽ eiusmodi est, vt, cum primum ad me delatum est, vsurũ me illo non putarẽ: tametsi enim verißimum esse intelligebam, tamen credibile fore nõ arbitrabar. coactus lacrymis omniũ ciuium R. qui in Sicilia negotiãtur, adductus Valentinorum, hominũ honestißimorũ, testimonijs, omniumq; Rheginorum, multorũ equitũ R. qui casu tum Messanæ fuerunt, dedi tantum priore actione testiũ, res vt nemini dubia esse posset. quid nunc agã? cum iam tot horas de vno genere, ac de istius nefaria crudelitate dicam, cum prope omnẽ vim verborum eiusmodi, quæ scelere istius digna sunt, alijs in rebus cõsumpserim; neq; hoc prouiderim, vt varietate criminũ vos attẽtos tenerẽ; quemadmodũ de tãta re dicam? opinor, vnus modus, atq; vna ratio est: rẽ in medio ponam: q̃ tantũ habet ipsa grauitatis, vt neq; mea, q̃ nulla est, neq; cuiusquã ad inflammãdos vestros animos eloquẽtia requiratur. Gauius hic, quẽ dico, Cõsanus, cũ illo in numero ab isto in vincla cõiectus esset, et nescio qua ratione clam è Latomijs profugisset, Messanamq; venisset; qui prope iam Italiã, et mœnia Rheginorũ videret, et ex illo metu mortis ac tenebris, quasi luce libertatis, & odore aliquo legũ recreatus reuixisset, loqui Messanæ cœpit, & queri, se ciuem R. in vincla esse coniectũ, sibi recta iter esse Romã, Verri se præsto aduenienti futurũ. nõ intelligebat miser, nihil interesse, vtrum hæc Messanæ, an apud ipsum in prætorio loqueretur. nã, vt ante vos docui, hanc sibi iste vrbẽ delegerat, quam haberet adiutricem scelerum,

furtorum receptricem, flagitiorum omnium sociam. Itaq; ad magistratum Mamertinum statim deducitur Gauius: eoq; ipso die casu Messanam Verres venit. res ad eum defertur, esse ciuem R. qui se Syracusis in Latomijs fuisse quereretur: quem iam ingredientem nauem, & Verri nimis atrociter minitantem, à se retractum esse, & asseruatum, vt ipse in eum statueret, quod videretur. agit hominibus gratias, & eorum erga se beneuolentiam diligentiamque collaudat. ipse inflammatus scelere, & furore, in forum venit. ardebant oculi: toto ex ore crudelitas eminebat: exspectabāt omnes, quo tandem progressurus, aut quidnam acturus esset: cum repente hominem proripi, atq; in foro medio nudari, ac delegari, & virgas expediri iubet. clamabat ille miser, se ciuem esse R. municipem Consanum, meruisse se cum L. Pretio, splendidissimo equite R. qui Panhormi negotiaretur, ex quo hæc Verres scire posset. tum iste se comperisse ait, eum speculandi caussa in Siciliam ab ducibus fugitiuorum esse missum: cuius rei neq; index, neq; vestigium aliquod, neq; suspicio cuiquam esset vlla. deinde iubet vndiq; hominē proripi, vehementissimeq; verberari. Cædebatur virgis in medio foro Messanæ ciuis R. iudices, cum interea nullus gemitus, nulla vox alia illius miseri inter dolorem, crepitumq; plagarum audiebatur, nisi hæc: ciuis R. sum. hac se cōmemoratione ciuitatis omnia verbera depulsurū, cruciatū à corpore deiecturū arbitrabatur. is nō modo hoc nō perfecit, vt virgarū vim deprecaretur: sed cum imploraret sæpius, vsurparetq; nomen ciuitatis, crux, crux, inquam, infelici, et ærumnoso, qui numquam istam potestatem viderat, cōparabatur. O nomen dulce libertatis: o ius eximium nostræ ciuitatis: o lex Porcia, legesq; Semproniæ: o grauiter desiderata, & aliquando reddita plebi Romanæ tribunicia potestas: huccine tandē omnia reciderunt, vt ciuis R. in prouincia populi R. in opido fœderatorum, ab eo, qui beneficio populi R. fasces & secures haberet, deligatus in foro virgis cæderetur? quid, cum ignes, candentesq; laminæ, ceterique cruciatus admouebantur? Si te illius acerba imploratio, et vox miserabilis non inhibebat, ne ciuium quidem Romanorū, qui tum aderant, fletu, & gemitu maximo cōmouebare? in crucē tu agere ausus es quēquam, qui se ciuē R. esse diceret? Noluі tam vehementer agere hoc prima actione, iudices, nolui. vidistis enim, vt animi multitudinis in istum dolore, & odio, & communis periculi metu concitarentur. statui egomet mihi tum modū orationi meæ, & C. Numitorio,

mitorio, equiti R. primario homini, testi meo: & Glabrionem id, quod sapientißime fecit, facere lætatus sum, vt repente consilio in medio testem dimitteret. etenim verebatur, ne populus R. ab isto eas pœnas vi repetisse videretur, quas, veritus esset, ne iste legibus, et vestro iudicio non esset persoluturus. Nunc, quoniam iam exploratum est omnibus, quo loco caussa tua sit, & quid de te futurū sit, sic tecum agam. Gauium istum, quem repētinum speculatorē fuisse dicis, ostendam in Lautumias Syracusis à te esse coniectum: neq; id solū ex litteris ostendam Syracusanorū, ne poßis dicere, me, quia sit aliquis in litteris Gauius, hoc fingere et eligere nomen, vt hunc illum esse poßim dicere: sed secundum arbitrium tuum testes dabo, qui istum ipsum Syracusis abs te in Lautumias coniectum esse dicant. producam etiā Consanos, municipes illius, ac necessarios, qui te nunc sero doceant, iudices nō sero, illum P. Gauium, quem tu in crucem egisti, ciuem R. & municipē Consanum, non speculatorem fugitiuorum fuisse cum hæc omnia, quæ polliceor, cumulate tuis proximis plana fecero: tum istuc ipsum tenebo, quod abs te mihi datur, eo contentum me esse dicam. quid enim nuper tu ipse, cum populi R. clamore atq; impetu perturbatus exsiluisti, quid, inquam, locutus es? illum, quod moram supplicio quæreret, ideo clamitasse, se esse ciuem R. sed speculatorem fuisse. iam mei testes veri sunt. quid enim dicit aliud C. Numitorius, quid M. & P. Cottij, nobilißimi homines, ex agro Taurominitano, quid Q. Lucceius, qui argētariam Rhegij maximam fecit? quid ceteri? adhuc enim testes ex eo genere à me sunt dati, nō qui nouisse Gauium, sed qui se vidisse dicerent, cum is, qui se ciuem R. esse clamaret, in crucē ageretur. hoc tu, Verres, idem dicis, hoc tu confiteris, illum clamitasse, se ciuem esse Romanum, apud te nomen ciuitatis ne tantum quidem valuisse, vt dilationem aliquam crucis, vt crudelißimi tæterrimiq; supplicij aliquam paruam moram saltem posset afferre. hoc teneo, hic hæreo, iudices, hoc sum contentus vno: omitto, ac negligo cetera: sua confeßione induatur, ac iuguletur, necesse est. Qui esset, ignorabas? speculatorē esse suspicabare? non quæro, qua suspicione: tua te accuso oratione. ciuem R. se esse dicebat. si tu apud Persas, aut in extrema India deprehensus Verres, ad supplicium ducerere, quid aliud clamitares, nisi te ciuem esse Romanum? et si tibi ignoto apud ignotos, apud barbaros apud homines in extremis atq; vltimis gentibus positos, nobile et illustre apud omnes nomen tuæ ciuitatis pro-

fuisset: ille quisquis erat, quẽ tu in crucẽ rapiebas, qui tibi esset ignotus, cum ciuẽ se R. esse diceret, apud te pratorẽ si nõ effugium, ne moram quidem mortis, mẽtione atq; vsurpatione ciuitatis assequi potuit? homines tenues, obscuro loco nati, nauigãt, adeunt ad ea loca, quæ numquam antea, viderunt: vbi neq; noti esse ijs, quo venerunt, neq; semper cum cognitoribus esse possunt: hac vna tamen fiducia ciuitatis non modo apud nostros magistratus, qui & legũ, et existimationis periculo continentur, neq; apud ciues solum Romanos, qui et sermonis, & iuris, et multarũ rerũ societate iuncti sunt, fore se tutos arbitrãtur, sed, quocumq; venerint, hanc sibi rem præsidio sperant esse futuram. tolle hanc spem, tolle hoc præsidium ciuibus Romanis: constitue, nihil esse opis in hac voce: Ciuis R. sum: posse impune prætorem, aut alium quemlibet supplicium, quod velit, in eum constituere, qui se ciuem R. esse dicat? quod quis ignoret: iam omnes prouincias, iam omnia regna, iam omnes liberas ciuitates, iam omnẽ orbem terrarum, qui semper nostris hominibus maxime patuit, ciuibus R. ista defensione præcluseris. Quid, si L. Pretium, equitẽ R. qui tum in Sicilia negotiabatur, nominabat? etiam ne id magnum fuit, Panhormum litteras mittere; asseruasse hominem, custodijs Mamertinorum tuorũ vinctum, claussum habuisse, dum Panhormo Pretius veniret? cognosceret hominẽ: aliquid de summo supplicio remitteres. si ignoraret: tum, si ita tibi videretur, hoc iuris in omnes constitueres, vt, qui neq; tibi notus esset, neque cognitorem locupletẽ daret. quamuis ciuis R. esset in crucẽ tolleretur. Sed quid ego plura de Gauio? quasi tu Gauio tũ fueris infestus: ac non nomini, generi, iuri ciuiũ hostis: nõ illi, inquam, homini, sed, caussæ communi libertatis inimicus fuisti. quid enim attinuit, cum Mamertini more atq; instituto suo crucẽ fixissent. post vrbẽ, in via Pompeia, te iubere in ea parte figere, quæ ad fretum spectare, & hoc addere, quod negare nullo modo potes, quod omnibus audientibus dixisti palam, te iccirco illum locum deligere, vt ille, qui se ciuem R. esse diceret, ex cruce Italiam cernere, ac domum suã prospicere posset? itaq; illa crux sola, iudices, post conditam Messanam illo in loco fixa est. Italiæ conspectus ad eam rem ab isto delectus est, vt ille in dolore cruciatuq; moriens, per angusto fretu diuisa seruitutis ac libertatis iura cognosceret, Italia autem alumnum suum, seruitutis extremo summoq; supplicio affectum videret? Facinus est, vincire ciuem R. scelus, verberare: prope parricidium, necare:

quid

quid dicam, in crucem tollere? verbo satis digno tam nefaria res appellari nullo modo potest. nõ fuit his omnibus iste contentus: spectet, inquit, patriam: in conspectu legum libertatisque moriatur. Non tu hoc loco Gauium, non vnum hominem, nescio quem ciuem R. sed cõmunem libertatis, & ciuitatis caussam in illum cruciatum, & crucem egisti. Iam vero videte hominis audaciam non ne eum grauiter tulisse arbitramini, quod illam ciuibus R. crucem nõ posset in foro, nõ in comitio, nõ in rostris defigere? quod enim his locis in prouincia sua celebritate simillimum, regione proximum potuit, elegit: monumentũ sceleris audaciæq; suæ voluit esse in conspectu Italiæ, vestibulo Siciliæ, prætervectione omnium, qui vltro citroq; nauigarent.

EXPLANATIO.

PROPTER *togæ nomen*} soli ciues Romani toga vtebantur: itaq; solũ hoc nomen, Togatus, ciuẽ Romanum designat. lib. I. Erant nõnulli togati, creditores Græcorum. DE VNO *genere*,} de supplicijs. ILLO *numero*} mercatorum: quos Sertorianos esse milites, & ex Hispania profugisse Verres dicebat. Vsitatius esset, In illo numero. quamquã & sine præpositione ferri potest. MOENIA *Rheginorum*} quæ cum videret, in Italia sibi esse videbatur. Rhegini enim ciues Romani. de quibus alio loco: Quã vos Rheginis, quorum ciuitati inuidetis, ciuibus Romanis ostẽdere soletis. Et Phil. I. Municipes appellantur. in ep. ad Cornificiũ eius tribules. PRAESTO *aduenienti futurũ*} Romæ se vlturũ esse iniurias suas apud iudices, ope & auxilio legũ. INFLAMMATVS *scelere, et furore in forũ venit*} in re simili supra: Procedit iste repẽte e prætorio inflãmatus scelere, furore, crudelitate, in forũ venit. EMINEBAT:} legit Quinctilianus, lib. IX. cap. II. Emicabat qđ cũ duobus verbis, Inflãmatus, ardebãt, cõgruere videtur. MERVISSE} fuisse in ijsdẽ castris. nõ enim significat, cum L. Pretio duce, sed cõmilitone. ISTAM *potestatẽ*} in crucẽ adigẽdi ciues Romanos. O LEX *Porcia, legesq; Semproniæ*:} quarũ illa virgas amouit à corpore ciuiũ Romanorũ: hæc de ciuiũ capite iniussu populi Rom. iudicari vetuerunt. Leges Sẽproniæ, dicit, quia plures leges C. Sẽpronius Gracchus pro libertate ciuiũ Rom. tulit. ALIQVANDO *reddita*}

adempta.

adempta à Sulla dictatore, reddita à Pompeio consule hocanno. HVCCINE *tandem omnia reciderunt,*} ita ne hæc à te, Verres, omnia spreta, contemptaq; sunt? NON *inhibebat,*} non aliquem crudelitati tuæ modum non faciebat, non te remouebat à crudelitate. PRIMO *homini,*} primario, vt lib. IV. A Lysone Lilybætano, primo homine. CONSILIO *in medio*} iudicum. VEREBATVR,} nisi testem dimisisset, fore metuebat, ne populus, dolore, & iracundiá concitatus, in Verrem impetum faceret, easq; pœnas per vim sumeret, quas vereretur, ne ille sententijs iudicum non daret. hanc suspicionem, & hanc infamiam Glabrio prætor à se ipso, & à consilio suo remouendam putauit: itaq; testem dimisit, reumq; à multitudinis iracundia vindicatum, legibus & iudicio reseruauit. QVID *de te futurum sit:*} absolui te nullo modo posse. QVI TE *nunc sero doceant,* } cum in vitam restitui Gauius iam non possit. IVDICES *non sero,*} quia satis hoc mature cognouerunt ante finem iudicij. TVIS *proximis*} tuis defensoribus, qui tibi assident. HOC *teneo,*} quod abs te mihi datur, quod tu fateris. INDVATVR,} capiatur. lib. II: Videte, in quos laqueos se induerit. Hic supra: Si te ex his laqueis exsueris. VSVRPATIONE *ciuitatis*} Vsurpare, est nominare. pro Marcello: Soleo sæpe ante oculos ponere, idq; libēter crebris vsurpare sermonibus. Et Phil. I: Græcum etiam verbum vsurpaui. In Parad. pro dicere. Præclare est hoc vsurpatum à doctissimis. Et subiungit: Dictum est igitur ab eruditissimis viris, nisi sapientem liberum esse neminem. HANC *sibi rem præsidio sperant esse futurum.*} vetus locutio, pro, Futuram. simile illud in Vatiniū: Eripueras senatui prouinciæ decernendi potestatem. Et apud Terentium in Hec. Eius videndi. cum de muliere loquatur. vide Gelliū lib. I. cap. I. QVOD *quis ignoret:*} quod qui sciat, nemo adsit. aut ad eū refer, qui supplicium in eo constitueret, qui se ciuem Romanum esse diceret: quem ipse non cognosceret. COGNOSCERET *hominem:*} pro, si cognosceret. SI IGNORARET:} venit in mentem, cum Latini sermonis consuetudinem specto, abundare particulam, Si. est enim elegans

inprimis,

in primis,& veteribus vsitata figura;cum duo contraria proponuntur:vt Phil.XI. Assensus ero : ambitionem induxero in curiam.negaro, videbor suffragio meo, tamquam comitijs,honorem homini amicissimo denegauisse.Et Phil .XIII.Recesseris : vndiq; omnes insequentur. manseris:hærebis. Et apud Terentium in Heaut.

Vel me monere hoc,vel percunctari puta:

Rectum est,ego vt faciam:non est,te vt deterream.

Est enim dictum tãquam:si rectum est,si non est: quemadmodum in duobus locis Ciceronis; proxime recitatis: Si assensus ero,si negaro:Si recesseris,si manseris. HOC *iuris*} quod tamen esset iniquissimũ.LOCVPLETEM} cuius pecunia ciuis ille Roman⁹ crucis supplicio redimeretur:alioqui,si cognitorẽ,non locupletem daret,seruari non posset.Ita cum Verris crudelitate auaritiam Cicero coniungit.AC NON *nomini, generi,iuri ciuium hostis.*} Infra : Non tu hoc loco Gauium, non vnum hominem, nescio quem ciuem Romanum, sed communem libertatis & ciuitatis caussam in illum cruciatum ; & crucem egisti. De eodem lib. IV. Cum videant ius ciuitatis in illo supplicio mactatum. PER ANGVSTO *fretu*} non Freto:vt Peccatu,nõ peccato,lib.II.in extremo. auctor Gellius lib.XIII. cap.19.SCELVS} dixi supra,plus esse in scelere,quam in facinore,in eo loco. Id agit,vt semper superius suum facinus nouo scelere vincat. Vt scelus autem facinore,sic parricidium scelere grauius est. VINCIRI,} legit Quinctilianus,Vincire, verberare,& necare:sed maior quædam inesse vis videtur in patientibus verbis: nec aliter antiqui libri:qui tamen habent omnes,Tollere,nõ Tolli:quod fieri potest: cum à ceteris tribus verbis quodam modo disiũgatur. VERBO *satis digno tam nefaria res appellari nullo modo potest.*} magnam, & inusitatã esse rem oportet,quam verba non æquent. de quo artificio vide quæ diximus initio lib.IV.

ORATIO.

SI hæc non ad ciues R. non ad aliquos amicos nostræ ciuitatis, non ad eos,qui populi R.nomen audissent, denique,si non ad homines,verum ad bestias, aut etiam , vt longius progrediar ,si in aliqua

in aliqua desertissima solitudine ad saxa, & ad scopulos hæc conqueri, & deplorare vellem: tamen omnia muta atque inanima, tanta & tam indigna rerum atrocitate commouerentur. nunc vero cum loquar apud senatores populi R. legum, iudiciorumque & iuris auctores, timere non debeo, ne nō vnus iste ciuis R. illa cruce dignus, ceteri omnes simili periculo indignissimi iudicētur. Paullo ante, iudices, lacrymas in morte misera, atq; indignissima nauarchorum non tenebamus, & recte ac merito. sociorum innocentium miseria commouebamur: quid nunc in nostro sanguine tandē facere debemus? nam ciuiū R. omniū sanguis cōiunctus existimandus est; quoniam id & salutis omnium ratio, & veritas postulat. omnes hoc loco ciues R. & qui adsunt, & qui vbicumq; sunt, vestram seueritatem desiderant, vestram fidem implorant, vestrum auxilium requirunt: omnia sua iura, commoda, auxilia, totam deniq; libertatem in vestris sententijs versari arbitrantur. à me, tametsi satis habent, tamen, si res aliter acciderit, plus habebunt fortasse, quam postulant. nam & si qua vis istum de vestra seueritate eripuerit; id quod neque metuo, iudices, neque vllo modo fieri posse video: sed si in hoc me ratio fefellerit: Siculi caussam suam perisse querentur, & mecum pariter moleste ferent: populus quidem Romanus breui, quoniam mihi potestatem apud se agendi dedit, ius suum, me agente, suis suffragijs ante Kal. Feb. recuperabit. Ac, si de mea gloria & amplitudine quæritis, iudices, non est alienum meis rationibus, istum mihi ex hoc iudicio ereptum ad illud populi R. iudicium reseruari. splendida est illa caussa, probabilis mihi, & facilis, populo grata, atque iucunda. deniq; si videor hic, id quod ego non quæsiui, de vno isto voluisse crescere: isto absoluto quod sine multorum scelere fieri non potest, de multis mihi crescere licebit. sed mehercule vestra reiq; publicæ caussa, iudices, nolo in hoc delecto consilio tantum flagitium esse cōmissum: nolo eos iudices, quos ego probarim, atq; delegerim, sic in hac vrbe notatos isto absoluto ambulare, vt non cera, sed cœno obliti esse videantur. Quamobrem te quoq;, Hortensi, quia monēdi locus est, ex hoc loco moneo, videas etiam atque etiam, & consideres, quid agas, quo progrediare, quem hominē, & qua ratione defendas. neq; de illo quidquam tibi præfinio, quo minus ingenio mecum atque omni dicendi facultate contendas: cetera, si qua putas te occultius extra iudicium, quæ ad iudicium pertinent, facere posse; si quid artificio,

consilio, potentia, gratia, copijs istius moliri cogitas, magnopere censeo desistas, & illa, quæ tentata iã, & cœpta ab isto sunt, à me aũt peruestigata, & cognita, moneo vt exstinguas, & longius progredi ne sinas. magno tuo periculo peccabitur in hoc iudicio, maiore quã putas. quod enim te liberatũ iã existimationis metu, defunctũ honoribus, designatũ consulẽ cogites: mihi crede, ornamenta ista, et beneficia populi R. non minore negotio retinentur, quã comparãtur. tulit hæc ciuitas, quoad potuit, quoad necesse fuit, regiã istã vestrã dominationẽ in iudicijs, & omni republica, tulit: sed, quo die populo R. tribuni pl. restituti sunt, omnia ista vobis, si forte nondũ intelligitis, adẽpta atq; erepta sunt. omniũ nũc oculi cõiecti sunt hoc ipso tẽpore in vnũquemq; nostrũ, qua fide ego accusem, qua religione hi iudicẽt, qua tu ratione defendas. de omnibus nobis, si quis tantulũ de recta regione deflexerit, nõ illa tacita existimatio, quã antea cõtemnere solebatis, sed vehemens ac liberũ populi R. iudiciũ consequetur. nulla tibi, Quincte, cum isto cognatio est, nulla necessitudo: quibus excusationibus antea nimiũ in aliquo iudicio studium tuũ defendere solebas, earũ habere in hoc homine nullã potes. quæ iste in prouincia palã dictitabat, cũ ea, quæ faciebat, tua se fiducia facere dicebat, ea ne vera putẽtur, tibi maxime est prouidendũ. ego mei iã rationẽ officij cõfido esse omnibus iniquissimis meis persolutam. nam istũ paucis horis primæ actionis omniũ mortaliũ sententijs condemnaui. reliquũ iudicium nõ iã de mea fide, quæ perfecta est; neq; de istius vita, quæ damnata est; sed de iudicibus, &, vere vt dicã, de te futurũ est. at quo tẽpore futurum est? (nã id maxime prouidendũ est: etenim cum omnibus in rebus, tum in rep. permagni momenti est ratio, atq; inclinatio temporũ) nẽpe eo, cum populus R. aliud genus hominũ, atq; alium ordinẽ ad res iudicandas requirit, nempe ea lege de iudicijs, iudicibusque nouis promulgata, quam non is promulgauit, cuius nomine proscriptam videtis, sed hic reus. hic, inquam, sua spe, atque opinione, quam de vobis habet, legem illam scribendam, promulgandamque curauit. itaque, cum primo agere cœpimus, non erat promulgata: cum iste, vestra seueritate permotus, multa signa dederat, quamobrem responsurus non videretur, mentio de lege nulla fiebat: postea quam iste recreari, & confirmari visus est, lex statim promulgata est: cui legi, cum vestra dignitas vehementer aduersatur, istius spes falsa & insignis impudentia maxime suffragatur. Hic etiam si quid erit commissum

sum à quoquam vestrum, quod reprehendatur: aut populus R. iudicabit de eo homine, quem iam antea iudicijs indignum putauit: aut ij, qui propter offensionem iudiciorum de veteribus iudicibus lege noua noui iudices erunt constituti. Mihi porro, vt ego non dicam, quis omnium mortalium non intelligit, quam longe progredi sit necesse? potero silere, Hortensi, potero dissimulare, cum tantum resp. vulnus acceperit, vt expilatæ prouinciæ, vexati socij, dij immortales spoliati, ciues R. cruciati, et necati impune me actore esse videantur? potero hoc onus tantum aut in hoc iudicio deponere, aut diutius tacitus sustinere? non agitanda res erit? non in medium proferenda? non populi R. fides imploranda? non omnes, qui tanto se scelere obstrinxerint, vt aut fidem suā corrumpi paterentur, aut iudicium corrumperent, in discrimen, ac iudicium vocādi? Quæret aliquis fortasse: tantum ne igitur laborē, tantas inimicitias, tot hominum suscepturus es? non studio quidem mehercule vllo, neque voluntate: sed non idem mihi licet, quod ijs, qui nobili genere nati sunt, quibus omnia populi R. beneficia dormientibus deferuntur. longe alia mihi lege in hac ciuitate, & condicione viuendum est. venit enim mihi in mentem M. Catonis, hominis sapientissimi: qui cum se virtute, non genere populo R. cōmendari putaret, cum ipse sui generis initium, ac nominis ab se gigni, & propagari vellet, hominum potentissimorum suscepit inimicitias, et maximis in laboribus vsq; ad summam senectutem summa cum gloria vixit. Postea Q. Pompeius, humili atq; obscuro loco natus, non ne plurimis inimicitijs, maximisq; suis periculis, ac doloribus amplissimos honores est adeptus. Modo L. Fimbriam, C. Marium, C. Cælium vidimus nō imediocribus inimicitijs, ac laboribus contendere, vt ad istos honores peruenirent, ad quos vos per ludum, & per negligentiam peruenistis. Hæc eadem est nostræ nationis regio, & via: horum nos hominum sectam, atq; instituta persequimur. videmus, quanta sit inuidia, quantoque in odio apud quosdā homines nobiles nouorū hominū virtus, & industria, si tantulū oculos deiecerimus, præsto esse insidias. si vllum locū aperuerimus suspicioni, aut crimini, accipiendū esse statim vulnus: esse nobis semper vigilandum, semper laborandū videmus. inimicitiæ sunt, subeantur: labores, suscipiantur etenim tacitæ magis, & occultæ inimicitiæ timendæ sunt, quā indictæ, & apertæ. hominum nobiliū nō fere quisquā nostræ industriæ fauet: nullis nostris officijs beneuolentiā illorū allicere possumus:

mus: quasi natura, & genere disiunctis sint, ita dissident à nobis animo, ac voluntate. Quare, quid habent eorum inimicitiæ periculi, quorum animos iam ante habueris inimicos, & inuidos, quam vllas inimicitias susceperis? Quamobrem mihi, iudices, optandum est illud, id hoc reo finem accusandi facere, cum & populo R. satisfactum, & receptum officium Siculis, necessarijs meis, erit persolutum. deliberatum autem est, si res opinionem meam, quam de vobis habeo, fefellerit, non modo eos persequi, ad quos maxime culpa corrumpendi iudicij, sed etiam illos, ad quos conscientiæ contagio pertinebit. proinde, si qui sunt, qui in hoc reo aut potentes, aut audaces, aut artifices ad corrumpendum iudicium velint esse; ita sint parati, vt disceptante populo R. mecum sibi rē videant futurā. & si me in hoc reo, quem mihi inimicum Siculi dederunt, satis vehementem, satis perseuerantem, satis vigilantem esse cognorunt; existiment in ijs hominibus, quorum ego inimicitias populi R. salutis caussa suscepero, multo grauiorem, atq; acriorem futurum.

EXPLANATIO.

TIMERE *non debet, ne non vnus iste*} negantes particulæ acumen addunt, sed eædem sententiam nō nihil interdum obscurant. His Ciceronis verbis hæc subesse res videtur. Timere non debeo, ne caussa Gauij à communi ciuium Romanorum caussa seiungatur, & hic quidem vnus illa cruce dignus, ceteri autē indignissimi iudicentur: sed exploratū habeo, quemadmodum ceteros omnes ciues, ita Gauiū à vobis indignissimū illa cruce iudicari. ciuium enim omniū sanguis coniunctus existimandus est. Quæ ratio subiungitur. VERITAS *omnium*} malim, Omnino. cum enim ijsdē omnes legibus teneantur, & eodē omnes iure sint, postulat nō modo salutis omnium ratio, sed etiam veritas ipsa, vt, quo ceteri supplicio, eodem Gauius indignissimus iudicetur. HOC LOCO} in caussa Gauij, in eo, quod à me vobis de Gauio commemoratum est. vt lib. IV. Hoc loco Q. Catule te appello. TAMETSI *satis habent*,} defendi enim, quantum in me fuit, caussam ciuium Romanorum: eaq; ipsi defensione cōtenti sunt: reliqua à vobis exspectant. SI RES *aliter accid rit*,} si Verrē absoluetis. SI QVA *vis*} pecuniæ supra: Si mehercules, id quod fieri intelligo non posse,

ex his laqueis te exſueris,ac te aliqua vi,ac ratione explicaris;in illas tibi maiores plagas incidendū eſt,in quibus te ab eodē me,ſuperiore ex loco cōfici, & cōcidi neceſſe eſt. *Id quod neq; metuo,*} interpoſitio ad vitandā iudicum offenſionē: vt ſupra:Si mehercules, id ꝙ fieri intelligo nō poſſe,ex his laqueis te exſueris. *Breui*}, primo, menſe ædilitatis meæ.Subiūgit.n.Ante Kal.Feb. *Me agente,*} me Verrē de maieſtate accuſante: quia ciues Romanos vel ſecuri percuſſerit,vel in crucem egerit. *De vno iſte voluiſſe creſcere:*} laus. n. & gloria paritur ex accuſatione improborū pro Sex.Roſcio:Si mihi liberet accuſare,accuſarē alios potius, ex quibus poſſem creſcere. DE MVLTIS} de iudicibus,qui pecunia corrupti Verrē abſoluerint: quos ad populum accuſabo.In Diuin. Nihil erit, quod me agente arbitretur,iudicium ſine magno multorum periculo poſſe corrumpi. PROBARIM, *ac delegerim,*} in reiectione. quos enim non reiecit,eos probare, ac deligere viſus eſt.vnde illud act.1.In reijciēdis iudicibus mea diligentia iſtorum impudentiam vicerat. NOTATOS} infamia. VT NON *cera.*} reſpexit ad eorū tabellas cera illitas,qui pretio reos abſoluerant: de quibus in Diuin. Ceratam vnicuique tabellam dari,cera legitima, non illa infami,ac nefaria.Et act.1.Nulla nota,nullus color, nullæ ſordes videbantur his ſentētijs allini poſſe. SED COENO} quod eſt turpius.Maior,inquit,erit infamia veſtra, quam eorum,qui,notatis cera tabellis,nocentes reos abſoluerunt: vt illi cera, vos cœno obliti, & inquinati eſſe videamini. LOCVS *eſt,*} occaſio eſt: vt pro Quinctio:, Qui locus abſentis defendendi procuratori primus datus eſt.Et ad Appium:Nō nihil loci dare alicui ſecus exiſtimandi. EX HOC *loco moneo,*} cum ago pro Siculis cōtra Verrem. QVO *progrediare,*} carpit Hortenſium, plus audere ſolitum,quam liceret. QVA *ratione*} vt,præter ingenium,& dicēdi facultatē,nihil in iudicium afferas. Eundē,vt recta,laudabiliq.ratione Verrē defendat,obliq; hortatur,& monet in Diuin. Huic ego, inquit, homini iam ante denūcio,ſi à me cauſā hanc vos agi volueritis, rationem illi defendendi totā eſſe mutandam,& ita tamen

men

men mutandam, vt meliore & honestiore cōdicione sit, quā qua ipse esse vult: vt imitetur homines eos, quos ipse vidit, amplissimos, L. Crassum, &, M. Antoniū, qui nihil se arbitrabantur ad iudicia caussasq; amicorū, præter fidem, & ingeniū, afferre oportere. EXTRA *iudiciū, quæ ad iudicium pertinent,*} quæ reum adiuuare possint: quæ statim dicuntur: si quid artificio, cōsilio, potentia, gratia, copijs istius moliri cogitas. hæc enim extra iudicium sunt. nam in iudicio, præter fidem, & ingeniū, nihil requiritur. ARTIFICIO, *consilio,*} quibus in obtinēda nocentium reorum absolutione vti soleret Hortensius. POTENTIA, *gratia*} quibus valeret Hortēsius, quod esset consul designatus. COPIIS *istius*} pecunia Siciliēsi. Ex his quinque nominibus, artificio, consilio, potentia, gratia, copijs, efficitur illa vis, de qua supra: Si ex his laqueis te exsueris, ac te aliqua vi ac ratione explicaris. Et: Si qua vis istum de vestra seueritate eripuerit. PECCABITVR} ab ipso etiam Verre, non modo à te. LIBERATVM *iam existimationis metu,*} quod iam nō times, ne qua res lædere possit existimationē tuā, cū summū honorē consulatū, cuius caussa de existimatione laboramus, obtinueris. QVO AD *necesse fuit,*} vsq; eo necesse fuit, donec tribuniciā potestatē populo Romano Pōpeius cōsul restituit. REGIAM *istā vestrā dominationē in iudicijs,*} nobilitatem insectatur, in q̄ etiā illud cōijcitur li. I. Tantū dicam paucos homines, vt leuissime dicā, arrogātes, hoc adiutore Q. Opimiū per ludū & iocū fortunis omnibꝰ euertisse. TVLIT:} vis est in repetione verbi, de qua supra diximus. *Omnia ista*} q̄, pro vestra libidine, nullo populi Romani metu, in iudicijs, & in omni rep. faciebatis. *Erepta*} inuitis. hoc, n. in verbo vis est. CONIECTI *fuit*} ideo cōiecti, vt, si q̄s peccauerit, in eū populꝰ Romanus animaduertat. *Tacita existimatio,*} cū nō erat, qui ad populū quēq̄ accusare posset, tribunis pl. agēdi iure ac potestate carētibus: quibus nūc restitutis, vehemēs ac liberū populi Romani iudicium erit. NVLLA *necessitudo:* } nulla affinitas. Vettius quoque, cuius sororem habebat Verres in matrimonio, necessarius, pro affinis, appellatur li. III.

NIMIVM} mordet Hortensiũ, qui cognationi, & necessitudini plus interdum, quam iustitię, tribueret. INIQVISSIMIS *meis*} obtrectatoribus, vt in ep. ad Matiũ: Tam defendo, quam me scio à te contra iniquos meos solere defendi. CONDEMNAVI.} id sum assecutus interrogandis testibus, vt omnes eum nocentissimũ iudicarent. ALIVM *ordinem*} equestrem, lege iam à Cotta prætore promulgata. AD RES *iudicandas*} ad iudicia administranda. dixi supra de hoc genere loquẽdi. CVM *primo agere cœpimus*} actione prima. VESTRA *dignitas*} quæ facit, vt lex, tamquam vobis iudicibus minime necessaria, populi suffragijs antiquãda videatur. SVFFRAGATVR.} populus enim, cũ istũ bene sperare videt, & ea præditum esse impudentia, vt à nullo corrumpendi iudicij genere abstineat, suspectos habet iudices, & aliũ omnino ordinem ad res iudicandas noua lege quærit. DE EO *homine*} non dubito, quin, De eo ordine, magis probetur hominibus eruditis. sæpe enim iam dictum est, indignum videri populo Romano, qui iudicaret, ordinem senatoriũ. DE VETERIBVS *iudicibus*} scriptum hoc in lege non arbitror: sed minatur Cicero iudicibus, si quid in Verre iudicando commiserint, quod reprehendatur: quasi periculum ijs, vel à populo Romano, vel à nouis iudicibus impendeat. QVAM *longe progredi sit necesse.*} non in hoc iudicio, si Verres elabetur, actio mea finem inueniet: cogar alio loco, nempe apud populum Romanum, eandem caussam agere: cogar sociorum, deorum immortaliũ, ciuium Romanorum iniurias persequi. HOC ONVS *tantum*} officij, & muneris, quod iam suscepi. In Diuin. Ego in hoc iudicio mihi Siculorum caussam receptam, populi Romani susceptam esse arbitror. DEPONERE,} vel si Verres absoluatur, nõ deponam. TACITVS} nec deponam, nec animo tantum sustinebo: re ipsa meum officium declarabo. AGITANDA} vehemẽtius agẽda. FIDEM *suã corrũpi*} iureiurando datam de seruandis legibus. QVAERET *aliquis fortasse:*} vtitur occasiõe ad ignauiã nobilitatis accusandã. NEQVE *voluntate:*} tantũ abest, vt id cupiã, vt ne velim quidem.

quidem. NON *idem mihi licet,*} desidiose viuere, & honores consequi. DORMIENTIBVS} propterea Næuius poeta in Metellos dixit: Fato Metelli Romæ fiũt cõsules. quo tamquam graui probro, Q. Metellus tum consul, Macedonici pater, iratus, alio versu respondit: Dabunt malum poetæ Næuio poetę. Et quod hic, Populi Romani beneficia dormiẽtibus deferuntur, infra dixit, Per ludum, & negligentiam ad honores peruenistis. M. CATONIS,} Censorij, qui Sapiẽs dictus est: ideoq́. apte subiungitur, hominis sapientissimi. NON GENERE} quia nouus homo erat, Tusculi natus. HOMINVM *potentissimorum suscepit inimicitias*} qui etiam L. Quinctium Flamminium, Titi fratrem, eius qui ex Macedonia triumphauerat, virum consularem, censor senatu mouit. MAXIMIS *in laboribus*} sæpe accusans, sæpius accusatus. POSTEA *Q. Pompeius*} sic legendum putaui, cum esset antea, Posteaq́; Pompeius. cur enim vni Pompeio suũ prę-nomen adimatur, cum tribuatur ceteris hic nominatis, Catoni, Fimbriæ, Mario, Cœlio? HVMILI, *atque obscuro loco natus,*} in Bruto Q. Pompeius, non contemptus orator, qui summos honores, homo per se cognitus, sine vlla cõmendatione maiorum adeptus est. Primus in familiam suam consulatum intulit: vt Velleius lib. II. & Capitolini lapides. INIMICITIIS, *periculis, ac doloribus*} malim, Laboribus, pro Doloribus. Subiungit enim, Nõ mediocrib⁹ inimicitijs, ac laboribus. Et paullo post: Inimicitiæ sunt, subeantur: labores suscipiantur. Lib. I. in Verrem hęc simul tria ponũtur, labores, pericula, inimicitiæ: Quod ego inquit, laboribus, periculis, inimicitijsq́; meis tum, cũ admissum erit, dedec⁹ seuere me persecuturũ esse polliceor, id ne accidat, tu tua sapiẽtia, auctoritate, diligẽtia M'. Glabrio potes prouidere. Pro Murena: Quorũ ego opera illũ in locũ, atq; in hanc celsissimam sedẽ dignitatis, atque honoris multis meis ac magnis laboribus, & periculis adscẽdisse. Pro domo: In vrbe, q̃ suis laboribus, ac periculis cõseruasset. Phil. II. Magno labore, multis periculis, quod cogitabat, effecerat. Labores etiã cũ periculis cõiungit in ea pro Sulla. & lib.

Off.Inimicitias autē nobiliū virorū, præcipue Cipionū & Metellorū,significabat, qui testimoniū in Q. Pōpeiū de repetūdis accusatū,acerrime dixerunt.vide pro Fonteio,& Valeriū Max.lib.IIX.cap.V.L.FIMBRIAM,} mēdū est in prænomine. hic est.n. C.Flauius Fimbria, q cū C.Mario conf.fuit,cū in trib.pl.repulsam passus esset:vt in oratione pro Plancio. INIMICITIIS,} accusatus est repetū darū,& in eū vir nobilissimus M.Scaurus testimo niū dixit: cui tamē iudices nō crediderūt. pro Fonteio. Valerius Max.lib.IIX.cap.V.C.COELIVM}Caldū, nouū hominē.de quo Q. Cicero de Pet. conf.Quanto,inquit, melior tibi fortuna petitionis data est,quā nuper homini nouo,C.Cœlio?ille cū duobus hominibus ita nobilissimis petebat,vt tamē in ijs omnia pluris essent, quā ipsa nobilitas:tamen eorū alterū,cū adesset alter,Cœlius,cū multo esset inferior genere,superior nulla re pæne, superauit.Cōsulatū gessit cū L.Domitio Ahenobarbo.PER LVDVM, *& per negligentiam* } facile,sine labore.Similiter lib.I.Paucos homines,vt leuissime dicā,arrogantes, Q. Opimiū per ludū & iocū fortunis omnib⁹ euertisse.EADEM}quæ Catonis,Fimbriæ,Marij,Cœlij.NOSTRAE *nationis* } nouorū hominū.Sic in Pisonē: Nemo tibi obuiā venit,ne de officiosissima quidē natione candidatorū.Et de har.resp.Deteriores cauete, quorum est magna natio.REGIO,} qua nouis hominib⁹ ad honores eundū esse iudicamus.supra: Si quis tantulum de recta regione deflexerit.SI TANTVLVM *oculos deiecerimus*, } tantū abest,vt dormientibus honores deferātur. Quod paullo ante de nobilitate dixit ACCIPIENDVM *esse statim vulnus*:}pergit in similitudine,& post insidias vulnus nominat.VIGILANDVM *esse*,}ne,si paullulū oculos deiecerimus,præsto sint insidiæ.INDICTAE} vt indicitur bellū id est denunciātur.NATVRA, *& genere*} cū tamē hominem homini maxime natura cōmendet, nec differant homines inter se genere,sed animo sæpe, ac voluntate. ANIMO, *ac voluntate*.}separatim ponuntur, licet motus animi sit voluntas.itaq; cōiunguntur in ep. ad Rufum: Credo me quidē tibi pro animi mei voluntate,proq; ea

spe

ſpe facultatũ, quã tũ habebamus, quã humaniſſime pôtuerim,reſcripſiſſe. Et apud Lucretiũ lib. II. Ex animiq; voluntate id ꝓcedere primũ. QVID *habent inimicitiæ periculi,*} periculi nihilo plus habent, quã habebãt, ante quã indictæ, apertæq; eſſent. idẽ enim sẽper animus fuit, inimicus videlicet, atq; ad nocendũ propenſus. AD QVOS *maxime*} hi ſunt iudices ipſi. CORRVMPENDI *iudicij*, }. Corrupti, vt eſt in antiquo libro, ſẽtẽtia magis probat. POTENTES, auctoritate. AVDACES,} in corrumpendo, nullo legũ metu. ARTIFICES} peritia, & ingenio. hæc enim tria hominũ genera ſi coniunguntur, leges, & iudicia, atq; adeo ſalus i pſa reip. periclitatur. DISCEPTANTE *populo Romano,*} iudice populo Romano. nã, diſceptare, iudicis eſt. ꝓ Milone: Iſte eſt præpoſitus quæſtioni, qui hæc iuſte, ſapienterq; diſceptet. Pro Deiot. Si hãc cauſſã in foro dicerẽ, eodẽ audiente, & diſceptante te. Interdũ valet, litigo, cõtendo. pro Balbo: Qui nõ de ſuo facto, ſed de publico iure diſceptat. Et in Verrẽ lib. II. Vt ſibi cũ palæſtritis æquo iure diſceptare liceat. MVLTO *grauiorẽ*, }. eo grauiorẽ, quo maior populi Romani vniuerſi, q̃ vnius ꝓuinciæ, habenda ratio eſt. ORATIO.

NVNC *te, Iuppiter Optime Maxime, cuius iſte donum regale, dignũ tuo pulcherrimo tẽplo, dignũ Capitolio, atque iſta arce omnium nationum, dignũ regio munere, tibi factũ ab regib⁹, tibi dicatũ atq; promiſſum, per nefariũ ſcelus de regijs manib. extorſit, cuiuſq; ſanctiſſimũ, & pulcherrimũ ſimulacrũ Syracuſis ſuſtulit: teq;, Iuno regina, cuius duo fana duabus in inſulis poſita ſociorum, Melitæ, & Sami ſanctiſſima, & antiquiſſima, ſimili ſcelere idẽ iſte omnib⁹ donis, ornamentiſq; nudauit: teque, Minerua, quã itẽ iſte duob⁹ in clariſſimis, & religioſiſſimis tẽplis expilauit; Athenis, cũ auri grande pondus; Syracuſis, cũ omnia præter tectũ, & parietes, abſtulit: teq;, Latona, & Apollo, et Diana, quorũ iſte Deli nõ fanũ, ſed, vt hominũ opinio, & religio fert, ſedẽ antiquã diuinumq; domiciliũ nocturno latrocinio, atq; impetu cõpilauit: etiã te, Apollo, quẽ iſte Chio ſuſtulit: teq; etiã atq; etiam, Diana, quã Pergæ ſpoliauit. cuius ſimulacrũ ſanctiſſimum Segeſtæ, bis apud Segeſtanos conſecratum, ſemel ipſorum religione, alterũ P. Africani victoria tollendũ, aſportandumq; curauit: teq;,*

Mercuri, quam Verres in villa, & in priuata aliqua palæstra posuit, P. Africanus in vrbe sociorum, & in gymnasio Tyndaritanorũ iuuentutis illorũ custodem, & præsidem voluit esse: teque, Hercules, quem iste Agraganti, nocte intempesta, seruorum instructa & comparata manu conuellere ex suis sedibus, atq; auferre conatus est: teq;, sanctißima mater Idæa, quam apud Enguinos augustißimo, & religiosißimo in templo sic spoliatam reliquit, vt nunc nomen modo Africani, & vestigia violatæ religionis maneant, monumenta victoriæ faniq; ornamenta non exstent: vosque omniũ rerũ forensiũ, cõsiliorũ maximorũ, legũ iudiciorumq; arbitri, & testes, celeberrimo in loco prætorij locati, Castor, & Pollux, quorũ è tẽplo quæstũ sibi iste, & prædã maximã improbißime cõparauit: omnesq; dij, qui vehiculis tẽsarum sollemnes cœtus ludorũ initis, quorũ iter iste ad suũ quæstũ, nõ ad religionũ dignitatẽ faciendũ, exigendumq; curauit: teque, Ceres, & Libera, quarũ sacra, sicut opiniones hominũ, ac religiones ferũt, longe maximis, atque occultißimis cærimonijs cõtinentur, à quibus initia vitæ, atq; victus, legũ, morũ, mansuetudinis, humanitatis exẽpla hominibus, & ciuitatibus data, ac dispertita esse dicuntur: quarũ sacra populus R. à Græcis adscita, & accepta, tanta religione & publice, & priuatim tuetur, nõ vt ab alijs huc allata, sed vt ceteris hinc tradita esse videantur: q̃ ab isto vno sic polluta, & violata sunt, vt simulacrũ Cereris vnũ, quod à viro non modo tangi, sed ne adspici quidẽ fas fuit, è sacrario Catinæ conuellendũ, auertendumq; curauerit; alterũ autẽ Ennæ ex sua sede, ac domo sustulerit; quod erat tale, vt homines, cũ viderent, aut ipsam videre se Cererẽ, aut effigiem Cereris non humana manu factam esse, sed de cælo delapsam arbitrarentur: vos etiam atque etiam imploro, & appello, sanctißimæ deæ, quæ illos Ennenses lacus, lucosq; colitis, cunctæq; Siciliæ, quæ mihi defendenda tradita est, præsidetis, à quibus, inuentis frugibus, & in orbem terrarum distributis, omnes gẽtes, ac natiões vestri religiõe numinis cõtinentur: ceteros itẽ deos, deasque oẽs imploro, atque obtestor, quorũ templis, & religionibus iste nefario quodã furore, & audacia instinctus bellum sacrilegũ semper, impiumq; habuit indictũ, vt, si in hoc reo, atq; in hac caussa omnia mea cõsilia ad salutẽ sociorum, dignitatẽ populi R. fidem meã spectauerunt, si nullum ad rem, nisi ad officium, & veritatem, omnes meæ curæ, vigiliæ, cogitationesque laborarunt; quæ mea mens

mens in suscipienda caussa fuit, fides in agenda, eadem vestra in iudicanda sit; denique, vti C. Verrem, si eius omnia sunt inaudita, & singularia facinora sceleris, audaciæ, libidinis, auaritiæ, crudelitatis, dignus exitus eiusmodi vita, atq; factis vestro iudicio consequatur; vtq; resp. mea fide, vnaq; hac accusatione mea contenta sit; mihique posthac bonos potius defendere liceat, quã improbos accusare necesse sit. EXPLANATIO.

DONVM *regale*} Antiochi regis. lib. IV. SANCTISSIMVM, *& pulcherrimum simulacrũ*} de quo lib. V. Ex æde Iouis Imperatoris, quem Græci Vriōn nominant, pulcherrime factum nonne abstulisti? MELITAE,} lib. IV. SAMI,} lib. I. AVRI *grande pondus,*} lib. I. Athenis, audistis, ex æde Mineruæ grande auri pondus ablatum. dictum hoc est in Dolabellæ iudicio: dictum? etiam æstimatum. huius consilij non modo participem C. Verrem, sed principem fuisse reperietis. OMNIA, *præter tectum, & parietes abstulit.*} lib. IV. Aedes Mineruæ est in Insula, de qua ante dixi; quæ ab isto sic spoliata, atque direpta est, non vt ab hoste aliquo, qui tamen in bello religionis & cõsuetudinis iura retineret, sed vt à barbaris prædonibus vexata esse videatur. SEDEM *antiquam,*} lib. I. Latonam ex longo errore, & fuga, grauidam, & iã ad pariendum vicinam, temporibus exactis fugisse Delum, atq; ibi Apollinem, Dianamque peperisse. qua ex opinione hominum illa insula eorum deorũ sacra putatur. CHIO} lib. I. Chio per vim signa pulcherrima dico abstulisse. PERGAE} lib. I. SEGESTAE,} lib. IV. IN PRIVATA *aliqua palæstra*} erant enim in ædibus quoq; priuatis palæstræ. ep. I. lib. III. ad Q. fr. ad Gallum lib. VII. de leg. I. IN GYMNASIO *Tyndaritanorum*} lib. IV. AGRAGANTI,} lib. IV. ENGVINOS} lib. IV. OMNIVM *rerum forensium,*} Castoris enim & Pollucis templum in foro erat. CONSILIORVM *maximorum,*} significari arbitror cõsilia deliberationesq; populi de maximis rebus: vel hoc ad leges & iudicia pertinet. nã & leges à populo ferebantur, & iudicia fiebant. PRAETORII} hic subesse mendũ cur nõ putem, caussa nulla est. nam, etsi prætores in foro ius dicebant, aut quæstiones publicatas exercebant;

bant:locū tamē in foro fuisse, qui Prętoriū vocaretur, in quo esse templū Castoris, legēdo nondū cōperi. QVAESTVM *sibi iste*, } hæc tota res lib. I. narratur in eo loco: Acdē Castoris P. Iunius habuit tuendā, L. Sulla, Q. Metello cos. is mortu⁹ est: reliquit pupillū paruū filiū. Ex eius igitur pupilli bonis, quasi ædē Castoris sartā tectā non tradidisset, quæstū sibi Verres, prædamq; maximā improbissime cōparauit. EXIGENDVM Q. } ab ijs, quibus faciēdū locauerat. inde .n. q̄stus occasionē capiebat. hæc res ita narratur lib. I. Quis à signo Vertumni in Circū maximū venit, quin is in vnoquoq; gradu de auaritia tua cōmoneretur? quā tu viā tensarū, atq; pompæ eiusmodi exegisti, vt tu ipse illa ire nō audeas. QVARVM *sacra populus Romanus, à Græcis adscita, & accepta, tanta religione & publice, et priuatim tuetur, nō vt ab alijs huc allata, sed vt alijs hinc tradita esse videantur: quæ ab isto vno sic polluta, violataq; sunt, vt simulacrum Cereris vnum, quod à viro nō modo tangi, sed ne adspici quidē fas fuit, è sacrario Catinæ cōuellēdum, auellendumque curauerit*; } lib. IV. Sacrariū Cereris est apud Catinenses, eadē religione, qua Romæ, qua in ceteris locis, qua prope in toto orbe terrarū. in eo sacrario intimo fuit signū Cereris perantiquū: q̄ viri, nō modo cuiusmodi esset, sed ne esse quidē sciebant: aditus .n. in id sacrariū nō est viris: sacra ꝑ mulieres, ac virgines cōfici solēt. ALTERVM *autē Ennæ ex sua sede, ac domo sustulerit*; } lib. IV. Qui accessistis Ennā, vidistis simulacrū Cereris è marmore, & in altero tēplo Liberæ sunt ea perampla, atq; præclara, sed nō ita antiqua. ex ære fuit quoddā modica amplitudine, ac singulari opere, cū facibus, perantiquū, omniū illorū, q̄ sunt in eo fano, antiquissimū, id sustulit. SANCTISSIMAE *deæ*, } Ceres, & Libera. EADEM *vestra in indicanda sit*. } quāquā ita sententiā sit exorsus: Vos etiā atq; etiā imploro, & appello, sanctissimæ deæ: tamē, Vestra, ad iudices refert, ad quos in extremo sermonem cōuertit. RESP. *meaq; fides* } nā & reip. caussa, & vt fidē suā Siculis præstaret promissaq; persolueret, ad accusandū descendit. vt in Diuin. NECESSE *sit*, } quasi Verrem non suo studio, sed ab ipsa rep. suaque fide coactus accusauerit.

IN ORATIONEM CICERONIS PRO M. FONTEIO.

PAVLLI MANVTII COMMENTARIVS.

ARGVMENTVM.

M. FONTEIVS, *Gallia per triennium post præturam administrata, Romam reuersus, postulantibus Gallis repetundarũ accusatur à M. Platorio, defenditur à Cicerone, actione secunda, consulatum gerentibus, quantum consequi coniectura liceat, Q. Hortensio, Q. Metello, cum iudicia per tres ordines Aurelia lege administrarentur.*

M. TVLLII CICERONIS PRO M. FONTEIO.

ORATIO. XI.

Desunt permulta.

Hoc prætore oppressam esse ære alieno Galliam. à quibus versuras tantarum pecuniarum factas esse dicunt? à Gallis? nihil minus. à quibus igitur? à ciuibus R. qui negotiantur in Gallia? cur eorum verba nõ audimus? cur eorum tabulæ nullæ proferuntur? insector vltro, atq; insto accusatori, iudices: insector, inquã et flagito testes plus ego in hac caussa laboris, & operæ consumo in poscendis testi-

les

bus, quam ceteri defensores in refutandis. audacter hoc dico, iudices, non temere confirmo referta Gallia negotiatorum est, plena ciuium R. nemo Gallorum sine ciue R. quidquam negotij gerit: nummus in Gallia nullus, sine ciuium R. tabulis commouetur. videte, quo descendam, iudices, quam longe videar à consuetudine mea, & cautione, ac diligentia discedere. vnæ tabulæ proferantur, in quibus vestigium sit aliquod, quod significet pecuniam Fonteio datam: vnum ex toto negotiatorum, colonorum, publicanorũ, aratorum, pecuariorum numero testem producant: vere accusatũ esse concedam. pro dij immortales, quæ hæc est caussa? quæ defensio? prouinciæ Galliæ M. Fonteius præfuit, quæ constat ex ijs generibus hominum, & ciuitatũ, qui, vt vetera mittã, partim nostra memoria bella cũ populo R. acerba, ac diuturna gesserunt; partim modo ab nostris imperatoribus subacti, modo bello domiti, modo triumphis, ac monumentis notati, modo ab senatu agris vrbibusq; multati sunt; partim, qui cum ipso M. Fonteio ferrum ac manus cõtulerunt, multoque eius sudore, ac labore sub populi R. imperium, ditionemq; ceciderunt. Est in eadem prouincia Narbo Martius, colonia nostrorum ciuium, specula populi R. ac propugnaculũ istis ipsis nationibus oppositum, & obiectum. est itẽ vrbs Massilia, de qua ante dixi, fortissimorum, fidelissimorumq; sociorum, qui Gallicorũ bellorum pericula à populo R. copijs, armisq; propulsarunt. est præterea numerus ciuium R. maximus, atq; hominum honestissimorum. Huic prouinciæ, quæ ex hac gentium varietate constaret, M. Fonteius, vt dixi, præfuit: qui erant hostes, subegit: qui proximi fuerant, eos ex ijs agris, quibus erant multati, decedere coegit: ceteris, qui iccirco magnis sæpe erant bellis superati, vt semper populo R. parerent, magnos equitatus ad ea bella, quæ tum in toto orbe terrarum à populo R. gerebantur, magnas pecunias ad eorum stipendium, maximum frumenti numerum ad Hispaniense bellum tolerandũ imperauit. Hæc qui gessit, in iudicium vocatur: vos, qui in re non interfuistis, caussam vna cum prætore cognoscitis. dicunt contra, quibus inuitissimis impereatũ est: dicunt, qui ex agris ex M. Fonteij decreto decedere sunt coacti: dicunt, qui ex bello, cæde, & fuga nunc primum audent contra M. Fonteium inermẽ cõsistere. Quid coloni Narbonenses, quid volunt? quid existimant? hunc per vos volunt, se per hunc incolumes existimant esse. Quid

Massi-

Massiliensium ciuitas? hunc præsentẽ ijs affecit honoribus, quos habuit amplissimos, vos autem absens orat, atque obsecrat, vt sua religio, laudatio, auctoritas aliquid apud vestros animos momenti habuisse videatur. Quid? ciuium R. quæ voluntas est? nemo est ex tanto numero, quin hũc optime de prouincia, de imperio, de socijs, de ciuibus meritum esse arbitretur. Quoniã igitur videtis, qui oppugnent M. Fonteiũ, cognoscitis, qui defensum velint; statuite nũc, quid vestra æquitas, quid populi R. dignitas postulet: vtrum colonis vestris, negotiatoribus vestris, amicissimis atq; antiquissimis socijs & credere, & consulere malitis; an ijs, quibus neq; propter iracundiã fidẽ, neq; propter infidelitatẽ honorem habere debetis. Quid si maiorẽ etiã hominum honestissimorum copiã affero, qui huius virtuti, atq; innocentiæ testimonio possint esse? tamen ne plus Gallorum consensio valebit, quã summa auctoritas omnium? Cum Galliæ Fonteius præesset, scitis, iudices, maximos populi R. exercitus in duabus Hispanijs, clarissimosq; imperatores fuit. quã multi equites R. quã multi tribuni militum, quales, & quot, & quoties legati ad eos? exercitus præterea Cn. Pompeius maximus, atq; ornatissimus, hyemauit in Gallia, M. Fonteio imperante. Satis ne vobis multos, satis idoneos testes, & conscios videtur ipsa fortuna esse voluisse earum rerum, quæ, M. Fonteio prætore, gererentur in Gallia? quẽ ex tanto hominum numero testẽ in hac caussa producere potestis? quis est ex eo numero, qui vobis auctor placeat? eo nos iã laudatore, & teste vtemur. Dubitabitis etiã diutius, iudices, quin illud, quod initio vobis proposui, verissimum sit? aliud per hoc iudicium nihil agi, nisi vt, M. Fonteio oppresso, testimonijs eorum, quibus multa, reip. caussa, inuitissimis imperata sunt, segniores posthac ad imperandum ceteri sint, cum videant eos oppugnari, quibus oppressis populi Romani imperium incolume esse non possit.

EXPLANATIO.

HOC *prætore oppressam esse ære alieno Galliam.*} cuius æris alieni caussam in Fonteij rapinas Galli cõferebant: vnde orta repetundarũ accusatio. A QVIBVS *versuras tantarum pecuniarum factas esse dicunt?*} confutatio. nã, si oppressa est hoc prætore ære alieno Gallia; vnde pecuniam tantam sumpsit? Versuram facere; est pecuniam ab aliquo accipere, quam alteri des. & quia

datam

datam Fonteio pecuniam à Gallis, dicebat accusator: vnde, inquit Cicero, tanta pecunia sumpta est? sic lib. II. in Verrem: Eos homines versuram à Carpinatio fecisse, q. pecuniam Verri dedissent. Quo perspicue intelligitur, q. Verri pecuniã dare cogerentur, eos illã pecuniã à Carpinatio sumpsisse. NEGOTIATORVM,} Præter publicanos, qui postea nominantur, ciues Romani multi negotiabantur in Gallia. COLONORVM,} vt Narbonensium, de quibus infra. ARATORVM, *pecuariorum,*} hi sunt publicani. tertiũ genus portitores nõ nominant, ꝙ eo fortasse vectigali ante Fonteiũ prætorẽ Gallia caruisset: itaque portorium vini à Fonteio institutũ querebantur. NOSTRA *memoria*} eorũ memoria, q. tũ senes viuebãt, de Gallis triũphauerat M. Fuluius Flaccus anno vrbis DCXXX, C. Sextus Caluinus, & Cn. Domitius Ahenobarbus DCXXXI, Q. Fabius Max. DCXXXII, C. Marius, Q. Catulus DCLII. AGRIS, *vrbibusq; multati*} colonijs in Galliam deductis. NARBO *Martius*} acceptò nomine ab eò, qui deduxit, Q. Martio Rege consule DCXXXV. ATQVE} nõ abundat hæc copula, sed ciuibus Romanis honestatem addit. nõ enim sequitur, vt, quicumque sit ciuis Romanus, idẽ sit honestissimus. QVI *proximi fuerant,*} hostes. MVLTATI,} à senatu. IN TOTO *orbe*} duo præcipue bella significat, vnum contrà Sertorium in Hispania, ducibus Q. Metello Pio, & Cn. Pompeiò, alterum contra Mithridatẽ in Asia, duce L. Lucullo. EX AGRIS} supra: Eos ex ijs agris, quibus erãt multati, decedere coegit. HVNC *per vos volunt,*} incolumem esse. PER HVNC} per huius æquitatem, ac virtutem. LAVDATIO} legatos & coloni Narbonenses, & Massiliensium ciuitas miserat, qui Fonteium in iudicio laudarent. COLONIS} Narbonensibus. NEGOTIATORIBVS} ciuibus Romanis. SOCIIS} Massiliensibus. QVAM *summæ auctoritatis omnium*?} subaudi, consensio: & prò, Omnium, placet, Hominum. IMPERATORES} Q. Metellum Pium, Numidici filium, & Cn. Pompeiũ. LEGATI *ad eos*?} missi à Fonteio ad eos exercitus. QVI VOBIS *auctor placeat*?} cui fidem habendam putetis.

ORA-

ORATIO.

OBIECTVM est etiam, quæstum M. Fonteiũ, ex viarũ munitione fecisse: vt aut ne cogeret munire, aut id, quod munitũ esset, ne improbaret. Si & coacti sunt munire omnes, & multorũ opera improbata sunt: certe vtrumq; falsum est: & ob vacationẽ pretiũ datũ, cũ immunis nemo fuerit; et ob probationẽ, cũ multa improbata sint. Quid, si hoc crimen optimis hominibus delegare poßimus, & ita, vt nõ culpã in alios transferamus, sed vti doceamus, eos isti munitioni præfuisse, qui facile officium suũ & præstare, & probare possunt: tamẽ ne vos omnia in M. Fõteiũ, iratis testibus freti, conferetis: cũ maioribus reip. negotijs M. Fonteius impediretur, & cum ad remp. pertineret, viam Domitiam munire: legatis suis primarijs viris, C. Annio Bellieno, & C. Fonteio negotium dedit itaque præfuerunt, imperauerunt pro dignitate sua, quod visum est, & probauerunt. quod vos, si nulla alia ex re, ex litteris quidẽ vestris, quas scripsistis, & missis, et allatis, certe scire potuistis, quas si ante a nõ legistis, nunc ex nobis, quid de ijs rebus Fonteius ad legatos suos scripserit, quid ad eum illi rescripserint, cognoscite. L. M. AD. C. ANNIVM. LEG. AD. C. FONTEIVM. LEG. L. A. C. ANNIO. LEG. AB. C. FONTEIO LEG. Satis opinor esse perspicuũ, iudices, hanc rationem mutationis neque ad M. Fonteium pertinere, & ab ijs esse tractatã, quos nemo poßit reprehendere. cognoscite nũc de crimine vinario, quod illi inuidiosißimum, & maximum esse voluerunt: Crimen à Plætorio, iudices, ita constitutũ est, Fonteio nõ in Gallia primũ venisse in mentem, vt portorium vini instituueret, sed in Italia, hac proposita ratione, Roma profectum: itaq; Tituriũ Tolosæ quaternos denarios in singulas vini amphoras portorij nomine exegisse, Croduni Porciũ, & Munium ternos victoriatos, Vulchalone seruæ vm binos & victoriatos mille. atq; in his locis se Cruduni & Vulchalone ab his portorium esse exactum, si qui Cobiomacho, qui vicus inter Tolosam & Narbonem est, diuerterentur, neq; Tolosam ire vellent: Elesiodolus tantum senos denarios ab ijs, qui ad hostẽ portarent, exegisset. Video, iudices, esse crimẽ, & genere ipso magnũ: vectigal enim esse impositum fructibus nostris dicitur: & pecuniam permagnam ratione ista cogi potuisse confiteor, & inuidiã: vel maxime .n. inimici hanc rẽ sermonibus diuulgare voluerunt. Sed ego ita existimo; quo maius crimen sit id, quod ostendatur esse

fal-

falsum, hoc maiorẽ ab eo iniuriam fieri, qui id cõfingat. vult enim magnitudine rei sic occupare animos eorũ, qui audiũt, vt difficilis aditus veritati relinquatur.

Desiderantur, quæ de crimine vinario erant reliqua, nec non, quæ ad bellum Vocõtiorum, & dispositionem hibernorum pertinebant.

EXPLANATIO.

OB VACATIONEM} ne munire cogerentur. DATVM} Fonteio. HOC *crimen*} quod aduersarij crimen esse volunt. Similiter infra: Cognoscite nũc de crimine vinario. NOMINIBVS} caussis. DELEGARE} alijs attribuere. VIAM *Domitiam*} quam Cn. Domitius proconsul in Gallia strauerat. QVOD *vos*} alloquitur aduersarios. NOSTRIS,} quibus caussam nostram tuemur. EXSCRIPSISTIS,} vt exemplum earum esset apud vos. CRODVNI} nomẽ loci, vt Vulchalone, Cobio macho. BINOS *& victoriatos M.*} lege, Binos victoriatos: mendi nihil superetit. Victoriatus binis H.S, denariꝰ quaternis valebat. ELESIODOLVS} malim, Elesiodolum: & infra, Exegisse. vt cum superioribus congruat. FRVCTIBVS *nostris*} sociorũ nostrorum: quorũ fructus in nostra potestate sunt.

ORATIO.

AT hoc Galli negant. actio rerum, & vis argumentorum coarguit. potest igitur testibus iudex non credere? cupidis, & iratis, & coniuratis, & ab religione remotis non solum potest, sed etiam debet. etenim si quia Galli dicunt, iccirco M. Fonteius nocens existimandus est: quid mihi opus est sapiẽte iudice? quid æquo quæsitore? quid oratore nõ stulto? dicunt enim Galli: negare non possumus. hic si ingeniosi, & periti, & æqui iudicis has partes esse existimatis, vt, quoniam quidem testes dicunt, sine vlla dubitatione credendum sit: Salus ipsa virorum fortium innocentiam tueri non potest. sin autem in rebus iudicandis nõ minimã partem ad vnamquãque rem existimandam, momentoque suo põderandam sapientia iudicis tenet: næ multo vestræ maiores, grauioresque partes sunt ad cogitandum, quam ad dicendum meæ. mihi enim semper vnaquaque de re testis non solum semel, verum etiam breuiter interrogandus, & sæpe etiam non interrogandus,

ne aut

ne aut irato facultas ad dicendum data, aut cupido auctoritas attributa esse videatur. vos & sæpius eandē rem animis agitare, et diutius vnoquoque de teste cōgitare potestis. & si quē nos interrogare noluimus. quæ caussa nobis tacēdi fuerit, existimare debetis. quamobrem, si hoc iudici præscriptum lege, aut officio putatis, testibus credere: nihil est, cur alius alio iudice melior, aut sapientior existimetur. vnum est enim, & simplex aurium iudicium, & promiscue, et cōmuniter stultis, ac sapientibus ab natura datum. quid est igitur, vbi elucere possit prudentia? vbi discerni stultus auditor, & credulus ab religioso, & sapienti iudice? nimirum illud, in quo ea, quæ dicuntur à testibus, coniecturæ, & cogitationi tradūtur, quanta auctoritate, quanta animi æquitate, quanto pudore, quanta fide, quanta religione, quanto studio existimationis bonæ, quanta cura, quanto timore dicantur. an vero vos id in testimonijs hominum barbarorum dubitabitis, quod persæpe & nostra, et patrum memoria sapientissimi iudices de clarissimis nostræ ciuitatis viris dubitandū nōn putauerunt? qui Cn. & Q. Cæpionibus, L. & Q. Metellis testibus in Q. Pompeium, hominem nouum, nō crediderunt: quorum virtuti, generi, rebus gestis fidem, & auctoritatē in testimonio cupiditatis atque inimicitiarum suspicio derogauit. ecquem hominem vidimus, ecquē vere commemorare possumus parem consilio, grauitate, constantia, ceteris virtutibus, honoris, ingenijq́; rerum gestarū ornamentis M. Aemilio Scauro fuisse? tamen huius, cuius iniuriati nutu prope terrarū orbis regebatur, iurati testimonio neq; in C. Fimbriam, neq; in C. Memmium creditū est. noluerunt ij, qui iudicabant, hanc patere inimicitijs viam, quē quisque odisset, vt eū testimonio posset tollere. Quantus in L. Crasso pudor fuerit, quod ingenium, quanta auctoritas, quis ignorat? tamen is, cuius etiam sermo testimonij auctoritatem habebat, testimonio ipso, quæ in M. Marcellum inimico animo dixit, probare non potuit. Fuit, fuit illis iudicibus diuinum, ác singulare, iudices, consilium, qui se non solum de reo, sed etiam de accusatore, de teste iudicare arbitrabantur, quid fictum, quid fortuna ac tempore allatum, quid pretio corruptum, quid spe, aut metu deprauatum, quid à cupiditate aliqua aut inimicitijs profectū videretur. quæ si iudex non amplectetur omnia consilio, non animo, ac mente circūspiciet; si, vt quidq; ex illo loco dicetur, ex oraculo aliquo dici arbitrabitur: profecto satis erit id, quod dixi anteà, non surdum iudi-

 cem

cem huic muneri, atque officio præesse: nihil erit, quamobrem ille nescio quis, sapiens homo, ac multarum rerum peritus, ad res iudicandas requiritur. an vero illi equites R. quos nos vidimus, qui nuper in rep. iudicijsq; maximis floruerunt, habuerunt tantū animi, tātum roboris, vt M. Scauro testi non crederent: vos Vulgarū, atq; Allobrogū testimonijs non credere timetis? Si inimico testi credi non oportuit: inimicior Marcello Crassus, aut Fimbriæ Scaurus ex ciuilibus studijs, atq; obtrectatione domestica, quam huic Galli? quorum, qui optima in caussa sunt, equites, frumentum, pecuniā semel, atque iterū, ac sæpius inuitissimi dare coacti sunt: ceteri, partim ex veteribus bellis agro multati partim ab hoc ipso bello superati, & oppressi. Si, qui ob aliquod emolumentum suum cupidius aliquid dicere videntur, ijs credi non cōuenit: credo. maius emolumentū Cæpionibus, & Metellis propositum fuisse ex Q. Pōpeij damnatione, cum studiorum suorum obtrectatorem sustulissent, quam cunctæ Galliæ ex M. Fonteij calamitate, in qua illa prouincia prope suam immunitatē, ac libertatem positam esse arbitratur.

EXPLANATIO.

COARGVIT.} Gallos. NON *credere*:} argumentū pro Gallis confutatio proxime sequitur. QVAESITORE:} pretore, qui de repetūdis quærit. NON *stulto.*} modeste de seipso. DICVNT *enim Galli.*} obiectio: quam proxime sequitur solutio SALVS *ipsa*} sumptum ex Terentij Ad. In qua fabula sunt hæc:

..Ipsa si cupiat Salus,
Seruare prorsus non potest hanc familiam.

Similiter in Verrem lib. III. Ecquod iudicium Romæ tam dissolutum, tam perditum, tam nummarium fore putasti, quo ex iudicio te vlla Salus seruare posset? DVBITABITIS,} testimonijs eorum credendum nō esse. CN. ET Q. *Cæpionibus.*} fratribus, Seruiliæ gentis: quorū Cnæus cōsul fuit cum hoc ipso, in quem testimonium dixit, Q. Pompeio, anno vrbis DCXII. Quinctus anno sequenti cū C. Lælio. L. ET *Q. Metellis*} L. Metello Caluo, qui consul fuit DCXI, Q. Metello Macedonico, cōsule DCX Q. POMPEIVM, *hominem nouum.*} lib. V. in Verrem: Q. Pōpeius, humili, atque obscuro loco natus, nōne plurimis inimicitijs, maximisq́. suis periculis, ac laboribꝰ amplissimos honores est adeptus? Pro Murena:

Nec mihi vnquam minus in Q. Pompeio, nouo homine, & fortiſsimo viro, virtutis eſſe viſum eſt, quam in homine nobiliſsimo M. Aemilio. In Bruto: Q. Pompeius, non contemptus orator, qui ſummos honores, homo per ſe cognitus, ſine vlla commendatione maiorum adeptus eſt. Is igitur Pompeius, geſto iam conſulatu, accuſatus repetũdarum, cum in eum duo Cæpiones fratres, conſulares, & duo item Metelli fratres, conſulares, acerrime teſtimoniũ dixiſſent, abſolutus eſt. Valerius Max. lib. IIX. cap. 5. CONSTANTIA,} qua maxime Scaurus virtute excelluit. vnde illud in ep. ad Lentulum: In quo cũ oẽs homines, tũ M. illũ Scaurum, ſingularem virum, conſtantia, & grauitate ſuperaſſet. Eiuſdem conſtantia laudatur act. I. in Verrem. HONORIS,} conſul, cenſor que fuit. INGENII,} valuit eloquentia, qua ſibi gloriã peperit: cum primo dubitaſſet, honores peteret, an argẽtariam faceret: vt eſt in libro de vir. ill. RERVM *geſtarũ*} triumphauit conſul de Liguribus, viam Aemiliam cenſor ſtrauit: vt in eodem libro. NEQVE IN *C. Fimbriam, neque in C. Memmium*} vtrumque de repetundis accuſatũ, auctore Valerio Max. lib. IIX. cap. 5. Fimbria cũ C. Mario conſulatum geſſit. *L.* CRASSO} oratore ſummo. PVDOR} lib. I. de Orat. Fuit enim mirificus quidam in Craſſo pudor: qui tamen non modo non obeſſet eius orationi, ſed etiam probitatis commendatione prodeſſet. M. MARCELLVM} Valerius Max. lib. IIX. cap. 5. FVIT. *fuit illis iudicibus*} mira vis eſt geminato eodẽ verbo, in principio ſententiæ, vt pro Milone: Eſt, eſt profecto illa vis. FORTVNA, *ac tempore*} eius, qui accuſaretur, calamitate, ac tẽpore difficillimo. VT QVIDQVID} pro, Vt quidque. quod qui ignorarunt, pro, Quidquid, ſine cauſſa repoſuerunt, Quidque. exempla nõ deſunt, li. IV. in Verrẽ: Ita odorabantur omnia. & perueſtigabant, vt, vbi quidq. d eſſet, aliqua ratione inuenirẽt. Quo loco plura diximꝰ. EX ILLO *loco*} ab aduerſarijs: ad quos, hæc dicens, digitum intendebat. QVOD *dixi antea*,} dixit hoc: Quid mihi opus eſt ſapiente iudice? QVOS *nos vidimus*} iudices, ex lege C. Gracchi, ante Sullã dictatorẽ.

VVLGARVM,} pars Galliæ in ea prouincia, cui Fonteius præfuerat. Volgas Cæsar appellat lib. I. bel. ci. sunt autem Allobrogibus finitimi. Belgæ vero longe distant, nec tum erant in ditione populi Romani. QVI *optima in caussa sunt,* } qui leuiores habent caussas, cur Fonteio inimici sint. SVAM *immunitatem* } queritur enim, præter cetera, vini portorium à Fonteio primum institutũ.

ORATIO.

AN, si homines ipsos spectare conuenit, id quod in teste profecto valere plurimũ debet, non modo summis ciuitatis nostræ viris, sed cũ infimo ciue R. quisquã amplissim⁹ Galliæ cõparandus est? scit Induciomarus, quid sit testimonium dicere? mouetur eo timore, quo nostrum vnusquisque cũ in eũ locum productus est? recordamini, iudices, quanto opere laborare soleatis, non modo quid dicatis pro testimonio, sed etiã quibus verbis vtamini, ne quod minus moderate positũ, ne quod ab aliqua cupiditate prolapsum verbũ esse videatur. vultu deniq; laboratis, ne qua significari possit suspicio cupiditatis: vt &, cum proditis, existimatio sit quædam tacita de vobis pudoris, ac religionis; &, cum disceditis, ea diligenter conseruata, ac retenta videatur. credo hæc eadem Induciomarũ in testimonio timuisse, aut cogitasse: qui primũ illud verbũ consideratissimũ nostræ cõsuetudinis, Arbitror, quo nos etiã tunc vtimur, cũ ea dicimus iurati, quæ comperta habemus, quæ ipsi vidimus, ex toto testimonio suo sustulit, atque omnia se scire dixit. verebatur enim videlicet, ne quid apud vos populumq; R. de existimatione sua deperderet, ne qua fama consequeretur eiusmodi, Induciomarum, talem virum, tam cupide, tã temere dixisse: non intelligebat, se in testimonio nihil præter vocẽ, & os, & audaciam neque ciuibus suis, neque accusatoribus nostris præstare debere. An vero istas nationes religione iurisiurãdi, ac metu deorum immortalium in testimonijs dicendis commoueri arbitramini? quæ tantum à ceterarum gentium more ac natura dissentiunt, quod ceteræ pro religionibus suis bella suscipiunt, istæ contra omniũ religiones: illæ in bellis gerendis ab dijs immortalibus pacem, ac veniam petunt, istæ cum ipsis dijs immortalibus bella gesserunt. hæ sunt nationes, quæ quondam tam longe ab suis sedibus Delphos vsque ad Apollinem Pythium, atque ad oraculum orbis terræ vexandum, ac spoliandum profectæ sunt. ab iisdẽ

gen-

gentibus, sanctis, & in testimonio religiosis, obsessum Capitolium est, atque ille Iuppiter, cuius nomine maiores nostri sanctam testimoniorum fidem esse voluerunt. postremo, ijs quidquam sanctum ac religiosum videri potest, qui etiam, si quando aliquo metu adducti deos placandos esse arbitrantur, humanis hostijs eorum aras, ac templa funestant? vt ne religionem quidem colere possint, nisi eam ipsam prius scelere violarint. quis enim ignorat, eos vsque ad hanc diem retinere illam immanem ac barbaram consuetudinem hominum immolandorum? quamobrem, quali fide, quali pietate existimatis esse eos, qui etiã deos immortales arbitrentur hominum scelere, & sanguine facillime posse placari? Cũ his vos testibus vestrã religionem coniungetis? ab his quidquam sancte, aut moderate dictum putabitis? hoc vestræ mentes, tam castæ, tã integræ, sibi suscipient, vt, cum omnes legati nostri, qui illo triennio in Galliam venerunt; omnes equites R. qui in illa prouincia fuerunt; oẽs negotiatores eius prouinciæ: denique omnes in Gallia, qui sunt socij populi R. atque amici, M. Fonteium incolumem esse cupiant, iurati priuatim & publice laudent; vos tamen Gallis credere malitis? quid vt secuti esse videamini. voluntatem ne hominũ? grauior igitur erit hostiũ voluntas, quã ciuium? an dignitatẽ testium? potestis igitur ignotos notis, iniquos æquis, alienigenas domesticis, cupidos moderatis, mercenarios gratuitis, impios religiosis, inimicißimos huic imperio, ac nomini, bonis, ac fidelibus & socijs, & ciuibus anteferre? An vero dubitatis, iudices, quin insitas inimicitias istæ gentes omnes & habeãt, & gerant cũ populi R. nomine? sic existimatis eos hic sagatos, brachatosq; versari animo demisso, atq; humili, vt solent ij, qui affecti iniurijs, ad opem iudicũ supplices inferioresq; cõfugiunt? nihil vero minus. hi contra vagantur læti, atque erecti paßim toto foro, cum quibusdam minis, & barbaro atq; immani terrore verborum. quod ego profecto non crederem, nisi aliquoties ex ipsis accusatoribus vobiscum simul, iudices, audissem; cum præciperent, vt caueretis, ne, hoc absoluto, nouum aliquod bellum Gallicum concitaretur. Si M. Fonteium, iudices, in caussa deficerent omnia. si turpi adolescentia, vita infami, magistratibus, quos ante oculos vestros gesßit, conuictis virorum bonorum testimonijs, legationibus flagitiose obitis, inuisus suis omnib⁹ in iudicium vocaretur, si in eo iudicio colonorum populi R. Narbonensium, fidelißimorum sociorum Maßiliensium, ciuium R. omniũ

Off. Inimicitias autē nobiliū virorū, præcipue Cipionū & Metellorū, significabat, qui testimoniū in Q. Pōpeiū de repetūdis accusatū, acerrime dixerunt. vide pro Fonteio, & Valeriū Max. lib. IIX. cap. V. L. FIMBRIAM, } mēdū est in prænomine. hic est. n. C. Flauius Fimbria, q. cū C. Mario conſ. fuit, cū in trib. pl. repulsam passus esset: vt in oratione pro Plancio. INIMICITIIS, } accusatus est repetū darū, & in eū vir nobilissimus M. Scaurus testimoniū dixit: cui tamē iudices nō crediderūt. pro Fonteio. Valerius Max. lib. IIX. cap. V. C. COELIVM } Caldū, nouū hominē. de quo Q. Cicero de Pet. conſ. Quanto, inquit, melior tibi fortuna petitionis data est, quā nuper homini nouo, C. Cœlio? ille cū duobus hominibus ita nobilissimis petebat, vt tamē in ijs omnia pluris essent, quā ipsa nobilitas: tamen eorū alterū, cū adesset alter, Cœlius, cū multo esset inferior genere, superior nulla re pæne, superauit. Cōsulatū gessit cū L. Domitio Ahenobarbo. PER LVDVM, *& per negligentiam* } facile, sine labore. Similiter lib. I. Paucos homines, vt leuissime dicā, arrogantes, Q. Opimiū per ludū & iocū fortunis omnibꝰ euertisse. EADEM } quæ Catonis, Fimbriæ, Marij, Cœlij. NOSTRAE *nationis* } nouorū hominū. Sic in Pisonē: Nemo tibi obuiā venit, ne de officiosissima quidē natione candidatorū. Et de har. resp. Deteriores cauete, quorum est magna natio. REGIO, } qua nouis hominibꝰ ad honores eundū esse iudicamus. supra: Si quis tantulum de recta regione deflexerit. SI TANTVLVM *oculos deiecerimus*, } tantū abest, vt dormientibus honores deferātur. Quod paullo ante de nobilitate dixit ACCIPIENDVM *esse statim vulnus*: } pergit in similitudine, & post insidias vulnus nominat. VIGILANDVM *esse*, } ne, si paullulū oculos deiecerimus, præsto sint insidiæ. INDICTAE } vt indicitur bellū id est denunciatur. NATVRA, *& genere* } cū tamē hominem homini maxime natura cōmendet, nec differant homines inter se genere, sed animo sæpe, ac voluntate. ANIMO, *ac voluntate*. } separatim ponuntur, licet motus animi sit voluntas. itaq; cōiunguntur in ep. ad Rufum: Credo me quidē tibi pro animi mei voluntate, proq; ea

spe

ſpe facultatũ, quã tũ habebamus, quã humaniſſime pótuerim, reſcripſiſſe. Et apud Lucretiũ lib. II. Ex animiq; voluntate id ꝓcedere primũ. QVID *habent inimicitiæ periculi,*} periculi nihilo plus habent, quã habebãt, ante quã indictæ, apertæq; eſſent. idẽ enim sẽper animus fuit, inimicus videlicet, atq; ad nocendũ propenſus. AD QVOS *maxime*} hi ſunt iudices ipſi. CORRVMPENDI *iudicij*, }. Corrupti, vt eſt in antiquo libro, ſentẽtia magis probat. POTENTES, auctoritate. AVDACES,} in corrumpendo, nullo legũ metu. ARTIFICES} peritia, & ingenio. hæc enim tria hominũ genera ſi coniunguntur, leges, & iudicia, atq; adeo ſalus i pſa reip. periclitatur. DISCEPTANTE *populo Romano,*} iudice populo Romano. nã, diſceptare, iudicis eſt. ꝓ Milone: Iſte eſt præpoſitus quæſtioni, qui hæc iuſte, ſapienterq; diſceptet. Pro Deiot. Si hãc cauſsã in foro dicerẽ, eodẽ audiente, & diſceptante te. Interdũ valet, litigo, cõtendo. pro Balbo: Qui nõ de ſuo facto, ſed de publico iure diſceptat. Et in Verrẽ lib. II. Vt ſibi cũ palæſtritis æquo iure diſceptare liceat. MVLTO *grauiorẽ,* }. eo grauiorẽ, quo maior populi Romani vniuerſi, q̃ vniꝰ ꝓuinciæ, habenda ratio eſt.

ORATIO.

NVNC te, *Iuppiter Optime Maxime, cuius iſte donum regale, dignũ tuo pulcherrimo tẽplo, dignũ Capitolio, atque iſta arce omnium nationum, dignũ regio munere, tibi factũ ab regibꝰ, tibi dicatũ atq; promiſſum, per nefariũ ſcelus de regijs manib. extorſit, cuiusq; ſanctiſſimũ, & pulcherrimũ ſimulacrũ Syracuſis ſuſtulit: teq;, Iuno regina, cuius duo fana duabus in inſulis poſita ſociorum, Melitæ, & Sami ſanctiſſima, & antiquiſſima, ſimili ſcelere idẽ iſte omnibꝰ donis, ornamentisq; nudauit: teque, Minerua, quã itẽ iſte duobꝰ in clariſſimis, & religioſiſſimis tẽplis expilauit, Athenis, cũ auri grande pondus, Syracuſis, cũ omnia præter tectũ, & parietes, abſtulit: teq;, Latona, & Apollo, et Diana, quorũ iſte Deli nõ fanũ, ſed, vt hominũ opinio, & religio fert, ſedẽ antiquã diuinumq; domiciliũ nocturno latrocinio, atq; impetu cõpilauit: etiã te, Apollo, quẽ iſte Chio ſuſtulit: teq; etiã atq; etiam, Diana, quã Pergæ ſpoliauit. cuius ſimulacrũ ſanctiſſimum Segeſtæ, bis apud Segeſtanos conſecratum, ſemel ipſorum religione, alterũ P. Africani victoria tollendũ, aſportandumq; curauit: teq;,*

Mercuri, quam Verres in villa, & in priuata aliqua palæstra posuit, P. Africanus in vrbe sociorum, & in gymnasio Tyndaritanorũ iuuentutis illorũ custodem, & præsidem voluit esse: teque, Hercules, quem iste Agraganti, nocte intempesta, seruorum instructa & comparata manu conuellere ex suis sedibus, atq; auferre conatus est: teq;, sanctissima mater Idæa, quam apud Enguinos augustissimo, & religiosissimo in templo sic spoliatam reliquit, vt nunc nomen modo Africani, & vestigia violatæ religionis maneant, monumenta victoriæ faniq; ornamenta non exstent: vosque omniũ rerũ forensiũ, cõsiliorũ maximorũ, legũ iudiciorumq; arbitri, & testes, celeberrimo in loco prætorij locati, Castor, & Pollux, quorũ è têplo quæstũ sibi iste, & prædã maximã improbissime cõparauit: omnesq; dij, qui vehiculis tẽsarum sollemnes cœtus ludorũ initis, quorũ iter iste ad suũ quæstũ, nõ ad religionũ dignitatẽ faciendũ, exigendumq; curauit: teque, Ceres, & Libera, quarũ sacra, sicut opiniones hominũ, ac religiones ferũt, longe maximis, atque occultissimis cærimonijs cõtinentur, à quibus initia vitæ, atq; victus, legũ, morũ, mansuetudinis, humanitatis exẽpla hominibus, & ciuitatibus data, ac dispertita esse dicuntur: quarũ sacra populus R. à Græcis adscita, & accepta, tanta religione & publice, & priuatim tuetur, nõ vt ab alijs huc allata, sed vt ceteris hinc tradita esse videantur: q̃ ab isto vno sic polluta, & violata sunt, vt simulacrũ Cereris vnũ, quod à viro non modo tangi, sed ne adspici quidẽ fas fuit, è sacrario Catinæ conuellendũ, auertendumq; curauerit, alterũ autẽ Ennæ ex sua sede, ac domo sustulerit; quod erat tale, vt homines, cũ viderent, aut ipsam videre se Cererẽ, aut effigiem Cereris non humana manu factam esse, sed de cælo delapsam arbitrarentur: vos etiam atque etiam imploro, & appello, sanctissimæ deæ, quæ illos Ennenses lacus, lucosq; colitis, cunctæq; Siciliæ, quæ mihi defendenda tradita est, præsidetis, à quibus, inuentis frugibus, & in orbem terrarum distributis, omnes gẽtes, ac natiões vestri religiõe numinis cõtinentur: ceteros itẽ deos, deasque oẽs imploro, atque obtestor, quorũ templis, & religionibus iste nefario quodã furore, & audacia instinctus bellum sacrilegũ semper, impiumq; habuit indictũ, vt, si in hoc reo, atq; in hac caussa omnia mea cõsilia ad salutẽ sociorum, dignitatẽ populi R. fidem meã spectauerunt, si nullum ad rem, nisi ad officium, & veritatem, omnes meæ curæ, vigiliæ, cogitationesque laborarunt; quæ mea mens

mens in suscipienda caussa fuit, fides in agenda, eadem vestra in iudicanda sit; denique, vti C. Verrem, si eius omnia sunt inaudita, & singularia facinora sceleris, audaciæ, libidinis, auaritiæ, crudelitatis, dignus exitus eiusmodi vita, atq; factis vestro iudicio consequatur; vtq; resp. mea fide, vnaq; hac accusatione mea contenta sit; mihique posthac bonos potius defendere liceat, quã improbos accusare necesse sit. EXPLANATIO.

DONVM *regale*} Antiochi regis. lib. IV. SANCTISSIMVM, *& pulcherrimum simulacrũ*} de quo lib. V, Ex æde Iouis Imperatoris, quem Græci Vrion nominant, pulcherrime factum nonne abstulisti? MELITAE,} lib. IV. SAMI,} lib. I. AVRI *grande pondus*,} lib. I. Athenis, audistis, ex æde Mineruæ grande auri pondus ablatum. dictum hoc est in Dolabellæ iudicio: dictum? etiam æstimatum. huius consilij non modo participem C. Verrem, sed principem fuisse reperietis. OMNIA, *præter tectum, & parietes abstulit.*} lib. IV. Aedes Mineruæ est in Insula, de qua ante dixi; quæ ab isto sic spoliata, atque direpta est, non vt ab hoste aliquo, qui tamen in bello religionis & cõsuetudinis iura retineret, sed vt à barbaris prædonibus vexata esse videatur. SEDEM *antiquam*,} lib. I. Latonam ex longo errore, & fuga, grauidam, & iã ad pariendum vicinam, temporibus exactis fugisse Delum, atq; ibi Apollinem, Dianamque peperisse. qua ex opinione hominum illa insula eorum deorũ sacra putatur. CHIO} lib. I. Chio per vim signa pulcherrima dico abstulisse. PERGAE} lib. I. SEGESTAE,} lib. IV. IN PRIVATA *aliqua palæstra*} erant enim in ædibus quoq; priuatis palæstræ. ep. I. lib. III. ad Q. fr. ad Gallum lib. VII. de leg. I. IN GYMNASIO *Tyndaritanorum*} lib. IV. AGRAGANTI,} lib. IV. ENGVINOS} lib. IV. OMNIVM *rerum forensium*,} Castoris enim & Pollucis templum in foro erat. CONSILIORVM *maximorum*,} significari arbitror cõsilia deliberationesq; populi de maximis rebus: vel hoc ad leges & iudicia pertinet. nã & leges à populo ferebantur, & iudicia fiebant. PRAETORII} hic subesse mendũ cur nõ putem, caussa nulla est. nam, etsi prętores in foro ius dicebant, aut quæstiones publicatas exercebant;

bant: locũ tamẽ in foro fuisse, qui Pretoriũ vocaretur, in quo esse templũ Castoris, legẽdo nondũ cõperi. QVAESTVM *sibi iste,* } hæc tota res lib. I. narratur in eo loco: Aedẽ Castoris P. Iunius habuit tuendã, L. Sulla, Q. Metello cos. is mortu⁹ est: reliquit pupillũ paruũ filiũ. Ex eius igitur pupilli bonis, quasi ædẽ Castoris sartã tectã non tradidisset, quæstũ sibi Verres, prædamq́; maximã improbissime cõparauit. EXIGENDVM Q. } ab ijs, quibus faciẽdũ locauerat. inde .n. q̃stus occasionẽ capiebat. hæc res ita narratur lib. I. Quis à signo Vertumni in Circũ maximũ venit, quin is in vnoquoq; gradu de auaritia tua cõmoneretur? quã tu viã tensarũ, atq; pompæ eiusmodi exegisti, vt tu ipse illa ire nõ audeas. QVARVM *sacra populus Romanus, à Græcis adscita, & accepta, tanta religione & publice, et priuatim tuetur, nõ vt ab alijs huc allata, sed vt alijs hinc tradita esse videantur: quæ ab isto vno sic polluta, violataq́; sunt, vt simulacrum Cereris vnum, quod à viro nõ modo tangi, sed ne adspici quidẽ fas fuit, è sacrario Catinæ cõuellẽdum, auellendumque curauerit;* } lib. IV. Sacrariũ Cereris est apud Catinenses, eadẽ religione, qua Romæ, qua in ceteris locis, qua prope in toto orbe terrarũ. in eo sacrario intimo fuit signũ Cereris perantiquũ: ꝙ viri, nõ modo cuiusmodi esset, sed ne esse quidẽ sciebant: aditus .n. in id sacrariũ nõ est viris: sacra ꝑ mulieres, ac virgines cõfici solẽt. ALTERVM *autẽ Ennæ ex sua sede, ac domo sustulerit;* } lib. IV. Qui accessistis Ennã, vidistis simulacrũ Cereris è marmore, & in altero tẽplo Liberæ sunt ea perampla, atq; præclara, sed nõ ita antiqua. ex ære fuit quoddã modica amplitudine, ac singulari opere, cũ facibus, perantiquũ, omniũ illorũ, q̃ sunt in eo fano, antiquissimũ, id sustulit. SANCTISSIMAE *deæ,* } Ceres, & Libera. EADEM *vestra in iudicanda sit.* } quãquã ita sẽtẽtiã sit exorsus: Vos etiã atq; etiã imploro, & appello, sanctissimæ deæ: tamẽ, Vestra, ad iudices refert, ad quos in extremo sermonem cõuertit. RESP. *meaq́; fides* } nã & reip. caussa, & vt fidẽ suã Siculis præstaret promissaq; persolueret, ad accusandũ descendit. vt in Diuin. NECESSE *sit,* } quasi Verrem non suo studio, sed ab ipsa rep. suaque fide coactus accusauerit.

IN.

IN ORATIONEM CICERONIS PRO M. FONTEIO.

PAVLLI MANVTII COMMENTARIVS.

ARGVMENTVM.

M. FONTEIVS, *Gallia per triennium post præturam administrata, Romam reuersus, postulantibus Gallis repetundarũ accusatur à M. Platorio, defenditur à Cicerone, actione secunda, consulatum gerentibus, quantum consequi coniectura liceat, Q. Hortensio, Q. Metello, cum iudicia per tres ordines Aurelia lege administrarentur.*

M. TVLLII CICERONIS PRO M. FONTEIO.

ORATIO XI.

Desunt permulta.

Hoc prætore oppressam esse ære alieno Galliam. à quibus versuras tantarum pecuniarum factas esse dicunt? à Gallis? nihil minus. à quibus igitur? à ciuibus R. qui negotiantur in Gallia? cur eorum verba nõ audimus? cur eorum tabulæ nullæ proferuntur? insector vltro, atq; insto accusatori, iudices: insector, inquã et flagito testes plus ego in hac caussa laboris, & operæ consumo in poscendis test-

les

bus, quam ceteri defensores in refutandis. audacter hoc dico, iudices, non temere confirmo referta Gallia negotiatorum est, plena ciuium R. nemo Gallorum sine ciue R. quidquam negotij gerit: nummus in Gallia nullus, sine ciuium R. tabulis commouetur. videte, quo descendam, iudices, quam longe videar à consuetudine mea, & cautione, ac diligentia discedere. vnæ tabulæ proferantur, in quibus vestigium sit aliquod, quod significet pecuniam Fonteio datam: vnum ex toto negotiatorum, colonorum, publicanorũ, aratorum, pecuariorum numero testem producant: vere accusatũ esse concedam. pro dij immortales, quæ hæc est caussa? quæ defensio? prouinciæ Galliæ M. Fonteius præfuit, quæ constat ex ijs generibus hominum, & ciuitatũ, qui, vt vetera mittã, partim nostra memoria bella cũ populo R. acerba, ac diuturna gesserunt; partim modo à nostris imperatoribus subacti, modo bello domiti, modo triumphis, ac monumentis notati, modo à senatu agris vrbibusq́; multati sunt; partim, qui cum ipso M. Fonteio ferrum ac manus cõtulerunt, multoque eius sudore, ac labore sub populi R. imperium, ditionemq́; ceciderunt. Est in eadem prouincia Narbo Martius, colonia nostrorum ciuium, specula populi R. ac propugnaculũ istis ipsis nationibus oppositum, & obiectum. est itẽ vrbs Massilia, de qua ante dixi, fortissimorum, fidelissimorumq́; sociorum, qui Gallicorũ bellorum pericula à populo R. copijs, armisq́; propulsarunt. est præterea numerus ciuium R. maximus, atq; hominum honestissimorum. Huic prouinciæ, quæ ex hac gentium varietate constaret, M. Fonteius, vt dixi, præfuit: qui erant hostes, subegit: qui proximi fuerant, eos ex ijs agris, quibus erant multati, decedere coegit: ceteris, qui iccirco magnis sæpe erant bellis superati, vt semper populo R. parerent, magnos equitatus ad ea bella, quæ tum in toto orbe terrarum à populo R. gerebantur, magnas pecunias ad eorum stipendium, maximum frumenti numerum ad Hispaniense bellum tolerandũ imperauit. Hæc qui gessit, in iudicium vocatur: vos, qui in re non interfuistis, caussam vna cum prætore cognoscitis. dicunt contra, quibus inuitissimis impereatũ est: dicunt, qui ex agris ex M. Fonteij decreto decedere sunt coacti: dicunt, qui ex bello, cæde, & fuga nunc primum audent contra M. Fonteium inermẽ cõsistere. Quid coloni Narbonenses, quid volunt? quid existimant? hunc per vos volunt, se per hunc incolumes existimant esse. Quid

Massi-

Maßilienſium ciuitas? hunc præſentē ijs affecit honoribus, quos habuit ampliſsimos, vos autem abſens orat, atque obſecrat, vt ſua religio, laudatio, auctoritas aliquid apud veſtros animos momenti habuiſſe videatur. Quid? ciuium R. quæ voluntas eſt? nemo eſt ex tanto numero, quin hūc optime de prouincia, de imperio, de ſocijs, de ciuibus meritum eſſe arbitretur. Quoniā igitur videtis, qui oppugnent M. Fonteiū, cognoſcitis, qui defenſum velint, ſtatuite nūc, quid veſtra æquitas, quid populi R. dignitas poſtulet: vtrum colonis veſtris, negotiatoribus veſtris, amiciſsimis atq; antiquiſsimis ſocijs & credere, & conſulere malitis, an ijs, quibus neq; propter iracundiā fidē, neq; propter infidelitatē honorem habere debetis. Quid ſi maiorē etiā hominum honeſtiſsimorum copiā affero, qui huius virtuti, atq; innocentiæ teſtimonio poßint eſſe? tamen ne plus Gallorum conſenſio valebit, quā ſumma auctoritas omnium? Cum Galliæ Fonteius præeſſet, ſcitis, iudices, maximos populi R. exercitus in duabus Hiſpanijs, clariſsimosq; imperatores fuit. quā multi equites R. quā multi tribuni militum, quales, & quot, & quoties legati ad eos? exercitus præterea Cn. Pompeius maximus, atq; ornatiſsimus, hyemauit in Gallia, M. Fonteio imperante. Satis ne vobis multos, ſatis idoneos teſtes, & conſcios videtur ipſa fortuna eſſe voluiſſe earum rerum, quæ, M. Fonteio prætore, gererentur in Gallia? quē ex tanto hominum numero teſtē in hac cauſſa producere poteſtis? quis eſt ex eo numero, qui vobis auctor placeat? eo nos iā laudatore, & teſte vtemur. Dubitabitis etiā diutius, iudices, quin illud, quod initio vobis propoſui, veriſsimum ſit? aliud per hoc iudicium nihil agi, niſi vt, M. Fonteio oppreſſo, teſtimonijs eorum, quibus multa, reip. cauſſa, inuitiſsimis imperata ſunt, ſegniores poſthac ad imperandum ceteri ſint, cum videant eos oppugnari, quibus oppreßis populi Romani imperium incolume eſſe non poßit.

EXPLANATIO.

HOC *prætore oppreſſam eſſe ære alieno Galliam.* } cuius æris alieni cauſſam in Fonteij rapinas Galli cōferebant: vnde orta repetundarū accuſatio. A QVIBVS *verſuras tantarum pecuniarum factas eſſe dicunt?* } confutatio. nā, ſi oppreſſa eſt hoc prætore ære alieno Gallia; vnde pecuniam tantam ſumpſit? Verſuram facere; eſt pecuniam ab aliquo accipere, quam alteri des. & quia datam

ORATIO.

OBIECTVM *est etiam, quæstum M. Fonteiũ, ex viarũ munitione fecisse: vt aut ne cogeret munire, aut id, quod munitũ esset, ne improbaret. Si & coacti sunt munire omnes, & multorũ opera improbata sunt: certe vtrumq; falsum est: & ob vacationẽ pretiũ datũ, cũ immunis nemo fuerit; et ob probationẽ, cũ multa improbata sint. Quid, si hoc crimen optimis hominibus delegare poßimus, & ita, vt nõ culpã in alios transferam⁹, sed vti doceamus, eos isti munitioni præfuisse, qui facile officium suũ & præstare, & probare possunt: tamẽ ne vos omnia in M. Fõteiũ, iratis testibus freti, conferetis: cũ maioribus reip. negotijs M. Fonteius impediretur, & cum ad remp pertineret, viam Domitiam munire: legatis suis primarijs viris, C. Annio Bellieno, & C. Fonteio negotium dedit itaque præfuerunt, imperauerunt pro dignitate sua, quod visum est, & probauerunt. quod vos, si nulla alia ex re, ex litteris quidẽ vestris, quas scripsistis, & mißis, et allatis, certe scire potuistis, quas si antea nõ legistis, nunc ex nobis, quid de ijs rebus Fonteius ad legatos suos scripserit, quid ad eum illi rescripserint, cognoscite.* L. M. AD. C. ANNIVM. LEG. AD. C. FONTEIVM. LEG. L. A. C. ANNIO. LEG. AB. C. FONTEIO LEG *Satis opinor esse perspicuũ, iudices, hanc rationem mutationis neque ad M. Fonteium pertinere, & ab ijs esse tractatã, quos nemo poßit reprehendere. cognoscite nũc de crimine vinario, quod illi inuidiosißimum, & maximum esse voluerunt: Crimen à Plætorio, iudices, ita constitutũ est, Fonteio nõ in Gallia primũ venisse in mentem, vt portorium vini instiueret, sed in Italia, hac proposita ratione, Roma profectum: itaq; Tituriũ Tolosæ quaternos denarios in singulas vini amphoras portorij nomine exegisse, Croduni Porciũ, & Munium ternos victoriatos, Vulchalone seruæ vm binos & victoriatos mille. atq; in his locis se Croduni & Vulchalone ab his portorium esse exactum, si qui Cobiomacho, qui vicus inter Tolosam & Narbonem est, diuerterentur, neq; Tolosam ire vellent: Elesiodolus tantum senos denarios ab ijs, qui ad hostẽ portarent, exegisset. Video, iudices, esse crimẽ, & genere ipso magnũ: vectigal enim esse impositum fructibus nostris dicitur: & pecuniam permagnam ratione ista cogi potuisse confiteor, & inuidiã: vel maxime. n. inimici hanc rẽ sermonibus diuulgare voluerunt. sed ego ita existimo; quo maius crimen sit id, quod ostendatur esse*

fal.

falsum, hoc maiorẽ ab eo iniuriam fieri, qui id cõfingat. vult enim magnitudine rei sic occupare animos eorũ, qui audiũt, vt difficilis aditus veritati relinquatur.

Desiderantur, quæ de crimine vinario erant reliqua, nec non, quæ ad bellum Vocõtiorum, & dispositionem hibernorum pertinebant.

EXPLANATIO.

OB VACATIONEM} ne munire cogerentur. DATVM} Fonteio. HOC *crimen*} quod aduersarij crimen esse volunt. Similiter infra: Cognoscite nũc de crimine vinario. NOMINIBVS} caussis. DELEGARE} alijs attribuere. VIAM *Domitiam*} quam Cn. Domitius proconsul in Gallia strauerat. QVOD *vos*} alloquitur aduersarios. NOSTRIS,} quibus caussam nostram tuemur. EXSCRIPSISTIS,} vt exemplum earum esset apud vos. CRODVNI} nomẽ loci, vt Vulchalone, Cobio macho. BINOS *& victoriatos M.*} lege, Binos victoriatos: mendi nihil superérit. Victoriatus binis H-S, denari⁹ quaternis valebat. ELESIODOLVS} malim, Elesiodolum: & infra, Exegisse. vt cum superioribus congruat. FRVCTIBVS *nostris*} sociorũ nostrorum: quorũ fructus in nostra potestate sunt.

ORATIO.

AT hoc Galli negant. actio rerum, & vis argumentorum coarguit. potest igitur testibus iudex non credere? cupidis, & iratis, & coniuratis, & ab religione remotis non solum potest, sed etiam debet. etenim si quia Galli dicunt, iccirco M. Fonteius nocens existimandus est: quid mihi opus est sapiẽte iudice? quid æquo quæsitore? quid oratore nõ stulto? dicunt enim Galli: negare non possumus. hic si ingeniosi, & periti, & æqui iudicis has partes esse existimatis, vt, quoniam quidem testes dicunt, sine vlla dubitatione credendum sit: Salus ipsa virorum fortium innocentiam tueri non potest. sin autem in rebus iudicandis nõ minimã partem ad vnamquãque rem existimandam, momentoque suo põderandam sapientia iudicis tenet: næ multo vestræ maiores, grauioresque partes sunt ad cogitandum, quam ad dicendum meæ. mihi enim semper vnaquaque de re testis non solum semel, verum etiam breuiter interrogandus, & sæpe etiam non interrogandus,

ne aut

ne aut irato facultas ad dicendum data, aut cupido auctoritas attributa esse videatur. vos & sæpius eandē rem animis agitare, et diutius vnoquoque de teste cogitare potestis. & si quē nos interrogare noluimus, quæ caussa nobis tacēdi fuerit, existimare debetis. quamobrem, si hoc iudici præscriptum lege; aut officio putatis, testibus credere: nihil est, cur alius alio iudice melior, aut sapientior existimetur. vnum est enim, & simplex aurium iudicium, & promiscue, et cōmuniter stultis, ac sapientibus ab natura datum. quid est igitur, vbi elucere possit prudentia: vbi discerni stultus auditor, & credulus ab religioso, & sapienti iudice? nimirum illud, in quo ea, quæ dicuntur à testibus, coniecturæ, & cogitationi tradūtur, quanta auctoritate, quanta animi æquitate, quanto pudore, quanta fide, quanta religione, quanto studio existimationis bonæ, quanta cura, quanto timore dicantur. an vero vos id in testimonijs hominum barbarorum dubitabitis, quod persæpe & nostra, et patrum memoria sapientissimi iudices de clarissimis nostræ ciuitatis viris dubitandū non putauerunt? qui Cn. & Q. Cæpionibus; L. & Q. Metellis testibus in Q. Pompeium, hominem nouum, nō crediderunt: quorum virtuti, generi, rebus gestis fidem, & auctoritatē in testimonio cupiditatis atque inimicitiarum suspicio derogauit. ecquem hominem vidimus, ecquē vere commemorare possumus parem consilio, grauitate, constantia, ceteris virtutibus, honoris, ingenijq́; rerum gestarū ornamentis M. Aemilio Scauro fuisse? tamen huius, cuius iniuriati nutu prope terrarū orbis regebatur; iurati testimonio neq; in C. Fimbriam, neq; in C. Memmium creditū est. noluerunt ij, qui iudicabant, hanc patere inimicitijs viam, quē quisque odisset, vt eū testimonio posset tollere. Quantus in L. Crasso pudor fuerit, quod ingenium, quanta auctoritas, quis ignorat? tamen is, cuius etiam sermo testimonij auctoritatem habebat; testimonio ipso, quæ in M. Marcellum inimico animo dixit, probare non potuit. Fuit, fuit illis iudicibus diuinum, ac singulare, iudices, consilium, qui se non solum de reo, sed etiam de accusatore, de teste iudicare arbitrabantur, quid fictum, quid fortuna ac tempore allatum, quid pretio corruptum, quid spe, aut metu deprauatum, quid à cupiditate aliqua aut inimicitijs profectū videretur. quæ si iudex non amplectetur omnia consilio, non animo, ac mente circūspiciet; si, vt quidq; ex illo loco dicetur, ex oraculo aliquo dici arbitrabitur: profecto satis erit id, quod dixi anteà, non surdum iudicem

 cem

cem huic muneri, atque officio præesse: nihil erit, quamobrem ille nescio quis, sapiens homo, ac multarum rerum peritus, ad res iudicandas requiritur. an vero illi equites R. quos nos vidimus, qui nuper in rep. iudicijsq; maximis floruerunt, habuerunt tantũ animi, tãtum roboris, vt M. Scauro testi non crederent: vos Vulgarũ, atq; Allobrogũ testimonijs non credere timetis? Si inimico testi credi non oportuit: inimicior Marcello Crassus, aut Fimbriæ Scaurus ex ciuilibus studijs, atq; obtrectatione domestica, quam huic Galli? quorum, qui optima in caussa sunt, equites, frumentum, pecuniã semel, atque iterũ, ac sæpius inuitissimi dare coacti sunt: ceteri, partim ex veteribus bellis agro multati partim ab hoc ipso bello superati, & oppressi. Si, qui ob aliquod emolumentum suum cupidius aliquid dicere videntur, ijs credi non cõuenit: credo maius emolumentũ Cæpionibus, & Metellis propositum fuisse ex Q. Põpeij damnatione, cum studiorum suorum obtrectatorem sustulissent, quam cunctæ Galliæ ex M. Fonteij calamitate, in qua illa prouincia prope suam immunitatẽ, ac libertatem positam esse arbitratur. EXPLANATIO.

COARGVIT.} Gallos. NON *credere?*} argumentũ pro Gallis. confutatio proxime sequitur. QVAESITORE?} pretore, qui de repetũdis quærit. NON *stulto.*} modeste de seipso. DICVNT *enim Galli.*} obiectio: quam proxime sequitur solutio SALVS *ipsa*} sumptum ex Terentij Ad. In qua fabula sunt hæc:

..Ipsa si cupiat Salus,
Seruare prorsus non potest hanc familiam.

Similiter in Verrem lib. III. Ecquod iudicium Romæ tam dissolutum, tam perditum, tam nummarium fore putasti, quo ex iudicio te vlla Salus seruare posset? DVBITABITIS,} testimonijs eorum credendum nõ esse. CN. ET Q. *Cæpionibus.*} fratribus, Seruiliæ gentis: quorũ Cnæus cõsul fuit cum hoc ipso, in quem testimonium dixit, Q. Pompeio, anno vrbis DCXII. Quinctus anno sequenti cũ C. Lælio. L. ET *Q. Metellis*} L. Metello Caluo, qui consul fuit DCXI, Q. Metello Macedonico, cõsule DCX Q. POMPEIVM *hominem nouum.*} lib. V. in Verrem: Q. Põpeius, humili, atque obscuro loco natus, nõne plurimis inimicitijs, maximisq́ suis periculis, ac laboribꝰ amplissimos honores est adeptus? Pro Murena:

Nec mihi vmquam minus in Q. Pompeio, nouo homine,& fortisſimo viro, virtutis eſſe viſum eſt, quam in homine nobiliſſimo M. Aemilio. In Bruto: Q. Pompeius, non contemptus orator, qui ſummos honores, homo per ſe cognitus, ſine vlla commendatione maiorum adeptus eſt. Is igitur Pompeius, geſto iam conſulatu, accuſatus repetũdarum, cum in eum duo Cæpiones fratres, conſulares,& duo item Metelli fratres, conſulares, acerrime teſtimoniũ dixiſſent, abſolutus eſt. Valerius Max. lib. IIX. cap. 5. CONSTANTIA,} qua maxime Scaurus virtute excelluit. vnde illud in ep. ad Lentulum: In quo cũ oẽs homines, tũ M. illũ Scaurum, ſingularem virum, conſtantia,& grauitate ſuperaſſet. Eiuſdem conſtantia laudatur act. I. in Verrem. HONORIS,} conſul, cenſorque fuit. INGENII,} valuit eloquentia, qua ſibi gloriã peperit: cum primo dubitaſſet, honores peteret, an argẽtariam faceret: vt eſt in libro de vir. ill. RERVM *geſtarũ*} triumphauit conſul de Liguribus, viam Aemiliam cenſor ſtrauit: vt in eodem libro. NEQVE IN *C. Fimbriam, neque in C. Memmium*} vtrumque de repetundis accuſatũ, auctore Valerio Max. lib. IIX. cap. 5. Fimbria cũ C. Mario conſulatum geſſit. *L.* CRASSO} oratore ſummo. PVDOR} lib. I. de Orat. Fuit enim mirificus quidam in Craſſo pudor: qui tamen non modo non obeſſet eius orationi, ſed etiam probitatis commendatione prodeſſet. M. MARCELLVM} Valerius Max. lib. IIX. cap. 5. FVIT. *fuit illis iudicibus*} mira vis eſt geminato codẽ verbo, in principio ſententiæ, vt pro Milone: Eſt, eſt profecto illa vis. FORTVNA, *ac tempore*} eius, qui accuſaretur, calamitate, ac tẽpore difficillimo. VT QVIDQVID} pro, Vt quidque. quod qui ignorarunt, pro, Quidquid, ſine cauſſa repoſuerunt, Quidque. exempla nõ deſunt, li. IV. in Verrẽ: Ita odorabantur omnia. & perueſtigabant, vt, vbi quidq̃ d eſſet, aliqua ratione inuenirẽt. Quo loco plura dixim⁹. EX ILLO *loco*} ab aduerſarijs: ad quos, hæc dicens, digitum intendebat. QVOD *dixi antea*,} dixit hoc: Quid mihi opus eſt ſapiente iudice? QVOS *nos vidimus*} iudices, ex lege C. Gracchi, ante Sullã dictatorẽ.

VVLGARVM,} pars Galliæ in ea prouincia, cui Fonteius præfuerat. Volgas Cæsar appellat lib. I. bel. ci. sunt autem Allobrogibus finitimi. Belgæ vero longe distant, nec tum erant in ditione populi Romani. QVI *optima in caussa sunt,* } qui leuiores habent caussas, cur Fonteio inimici sint. SVAM *immunitatem* } queritur enim, præter cetera, vini portorium à Fonteio primum institutũ.

ORATIO.

AN, si homines ipsos spectare conuenit, id quod in teste profecto valere plurimũ debet, non modo summis ciuitatis nostræ viris, sed cũ infimo ciue R. quisquã amplißim⁹ Galliæ cõparandus est? scit Induciomarus, quid sit testimonium dicere? mouetur eo timore, quo nostrum vnusquisque cũ in eũ locum productus est? recordamini, iudices, quanto opere laborare soleatis, non modo quid dicatis pro testimonio, sed etiã quibus verbis vtamini, ne quod minus moderate positũ, ne quod ab aliqua cupiditate prolapsum verbũ esse videatur. vultu deniq; laboratis, ne qua significari poßit suspicio cupiditatis: vt & , cum proditis, existimatio sit quædam tacita de vobis pudoris, ac religionis; & , cum disceditis, ea diligenter conseruata, ac retenta videatur. credo hæc eadem Induciomarũ in testimonio timuisse, aut cogitasse: qui primũ illud verbũ consideratißimũ nostræ cõsuetudinis, Arbitror, quo nos etiã tunc vtimur, cũ ea dicimus iurati, quæ comperta habemus, quæ ipsi vidimus, ex toto testimonio suo sustulit; atque omnia se scire dixit. verebatur enim videlicet, ne quid apud vos populumq; R. de existimatione sua deperderet; ne qua fama consequeretur eiusmodi, Induciomarum, talem virum, tam cupide, tã temere dixisse: non intelligebat, se in testimonio nihil præter vocẽ, & os, & audaciam neque ciuibus suis, neque accusatoribus nostris præstare debere. An vero istas nationes religione iurisiurãdi, ac metu deorum immortalium in testimonijs dicendis commoueri arbitramini? quæ tantum à ceterarum gentium more ac natura dissentiunt, quod ceteræ pro religionibus suis bella suscipiunt, istæ contra omniũ religiones: illæ in bellis gerendis ab dijs immortalibus pacem, ac veniam petunt, istæ cum ipsis dijs immortalibus bella gesserunt. hæ sunt nationes, quæ quondam tam longe ab suis sedibus Delphos vsque ad Apollinem Pythium, atque ad oraculum orbis terræ vexandum, ac spoliandum profectæ sunt. ab ijsdẽ gen-

gentibus, sanctis, & in testimonio religiosis, obsessum Capitolium est, atque ille Iuppiter, cuius nomine maiores nostri sanct am testimoniorum fidem esse voluerunt. postremo, ijs quidquam sanctum ac religiosum videri potest, qui etiam, si quando aliquo metu adducti deos placandos esse arbitrantur, humanis hostijs eorum aras, ac templa funestant? vt ne religionem quidem colere possint, nisi eam ipsam prius scelere violarint. quis enim ignorat, eos vsque ad hanc diem retinere illam immanem ac barbaram consuetudinem hominum immolandorum? quamobrem, quali fide, quali pietate existimatis esse eos, qui etiã deos immortales arbitrentur hominum scelere, & sanguine facillime posse placari? Cũ his vos testibus vestrã religionem coniungetis? ab his quidquam sancte, aut moderate dictum putabitis? hoc vestræ mentes, tam castæ, tã integræ, sibi suscipient, vt, cum omnes legati nostri, qui illo triennio in Galliam venerunt; omnes equites R. qui in illa prouincia fuerunt; oẽs negotiatores eius prouinciæ: denique omnes in Gallia, qui sunt socij populi R. atque amici, M. Fonteium incolumem esse cupiant, iurati priuatim & publice laudent; vos tamen Gallis credere malitis? quid vt secuti esse videamini. voluntatem ne hominũ? grauior igitur erit hostiũ voluntas, quã ciuium? an dignitatẽ testium? potestis igitur ignotos notis, iniquos æquis, alienigenas domesticis, cupidos moderatis, mercenarios gratuitis, impios religiosis, inimicissimos huic imperio, ac nomini, bonis, ac fidelibus & socijs, & ciuibus anteferre? An vero dubitatis, iudices, quin insitas inimicitias istæ gentes omnes & habeãt, & gerant cũ populi R. nomine? sic existimatis eos hic sagatos, brachatosq; versari animo demisso, atq; humili, vt solent ij, qui affecti iniurijs, ad opem iudicũ supplices inferioresq; cõfugiunt? nihil vero minus. hi contra vagantur læti, atque erecti passim toto foro, cum quibusdam minis, & barbaro atq; immani terrore verborum. quod ego profecto non crederem, nisi aliquoties ex ipsis accusatoribus vobiscum simul, iudices, audissem; cum præciperent, vt caueretis, ne, hoc absoluto, nouum aliquod bellum Gallicum concitaretur. Si M. Fonteium, iudices, in caussa deficerent omnia. si turpi adolescentia, vita infami, magistratibus, quos ante oculos vestros gessit, conuictis virorum bonorum testimonijs, legationibus flagitiose obitis, inuisus suis omnib⁹ in iudicium vocaretur, si in eo iudicio colonorum populi R. Narbonensium, fidelissimorum sociorum Massiliensium, ciuium R. omniũ

testimonijs tabulisque premeretur: tamen esset vobis magnopere prouidendum, ne, quos ita afflictos à vestris patribus maioribusq; accepissetis, vt contemnendi essent, eos pertimuisse, & eorũ minis & terrore commoti esse videremini. nunc vero, cum lædat nemo bonus, laudent omnes vestri ciues, atque socij oppugnent ij, qui sæpissime hanc vrbem, & hoc imperium oppugnarunt; cumq; inimici M. Fonteij vobis, ac populo R. minentur, amici, ac propinqui supplicent vobis: dubitabitis, non modo vestris ciuibus, qui maxime gloria, ac laude ducuntur, verum etiam exteris nationibus, ac gentibus ostendere, vos in sententijs ferendis ciui parcere, quam hosti cedere, maluisse?

EXPLANATIO.

SCIT *Induciomarus,*} is fortasse, quem in Treuirorũ ciuitate principẽ Cæsar appellat, lib. V. bel. ci. ARBITROR,} testes, licet iurati, nihil tamen affirmabant, arbitrari se dicebant. id Cicero plane docet in Lucullo, in extremo. VEREBATVR *enim videlicet,*} ironia quod enim alij testes apud nos vereri solent, is nihil prorsus tale verebatur. NON *intelligebat,*} & hic ironia est. maxime enim intelligebat, se & suis ciuibus, qui Romã cõtra Fõteiũ venerant, & accusatoribus Fonteij, satis esse factũ, si vocẽ, os, & audaciam ad testimonium dicendũ attulisset. DELPHOS *vsque*} nota historia ex Liuio, Iustino, Pausania. SANCTIS, *& in testimonio religiosis*} aperta ironia. VSQVE *ad hanc diem*} Cæsar lib. VI. ILLO *triennio*} diximus iam, per triennium Galliæ Fonteium præfuisse. GALLIS *credere malitis*} sic malo, quã, vt alijs placere video, Cum Gallis iurare. SAGATOS, *brachatosq;*} ex Gallia transalpina: nam in cisalpina togis vtebantur, vnde togata Gallia. Brachas vero Narbonensis Gallię proprias fuisse, auctor est Plinius. LAEDAT} vituperet. id enim est, Lædere: & sequitur, Laudet, vt contrarium. quo modo & Phil. III. Nã me ijsdem edictis nescit, lædat, an laudet, supra de hoc verbo diximus.

ORATIO.

M AGNA *mehercule caussa, iudices, absolutionis cũ ceteris caussis hæc est, ne qua insignis huic imperio macula, atque ignominia suscipiatur, si hoc ita perlatum erit in Galli-*

Galliam, senatum, equitesq; populi R. non testimonijs Gallorum, sed minis commotos, rē ad illorum libidinem iudicasse. ita vero, si illi bellum facere conabuntur, excitandus nobis erit ab inferis C. Marius, qui Induciomaro isti minaci, atq; arroganti par in bellige rando esse posśit: excitandus Cn. Domitius, et Q. Maximus, qui natiōnē Allobrogum, & reliquias suis iterū armis conficiat, atq; opprimat: aut, quoniam id quidem non potest, orandus erit nobis ami cus meus M. Pletorius, vt suos nouos clientes à bello faciendo deterreat, vt eorum iratos animos, atq; horribiles impetus deprecetur: aut, si non poterit, M. Fabium subscriptorē eius rogabimus, vt Allobrogum animos mitiget: quoniam apud illos Fabiorum nomen amplisśimum, vt velint isti aut quiescere, id quod victi ac subacti solent, aut, cū minantur, intelligere, se populo R. non metū belli, sed spem triumphi ostendere. quod si in turpi reo patiendum non esset, vt quidquā isti se minis profecisse arbitrarentur: quid faciendū vobis in M. Fonteio arbitramini? de quo homine, iudices, (iam enim mihi videor hoc prope caussa duabus actionibus perorata, debere dicere) de quo vos homine, iudices, ne ab inimicis quidē vllum fictū probrosum nō modo crimen, sed ne maledictū quidem audistis. ecquis vmquā reus, præsertim in hac vitæ ratione versatus, in honoribus petēdis, in potestatibus, in imperijs gerendis, sic accusatus est, vt nullū probrū, nullū facinus, nulla turpitudo, q̄ à libidine, aut à petulantia, aut ab audacia nata esset, ab accusatore obijceretur; si nō vera, attamen ficta, cū aliqua ratione, ac suspicione? M. Aemiliū Scaurū, summū nostræ ciuitatis virū, scimus accusatū à M. Bruto. exstant oratiōes, ex quibus intelligi potest, multa in illū ipsū Scaurū esse dicta, falso, quis negat? verūtamen ab inimico dicta, & obiecta. Quā multa M'. Aquillius audiuit in suo iudicio? quā multa L. Cotta? deniq; P. Rutilius? qui etsi damnatus est, mihi videtur tamē inter viros optimos, atq; innocentisśimos esse numerādus. ille igitur ipse, homo sanctisśimus, ac tēperantisśimus, multa audiuit in sua caussa, q̄ ad suspicionē stuprorū, ac libidinē pertinerent. Exstat oratio hominis, vt opinio mea fert, nostrorum hominum lōge ingeniosisśimi, atque eloquentisśimi, C. Gracchi: qua in oratione permulta in L. Pisonē turpia, ac flagitiosa dicuntur: at in quē virum? qui tanta virtute, atque integritate fuit, vt etiam illis optimis temporibus, cum hominem inuenire nequam neminem posses, solus tamen Frugi nominaretur. quem cum in concionem

Gracchus vocari iuberet; & viator quæreret, quem Pisonem quod erant plures: cogis me, inquit, dicere inimicũ meum Frugi. is igitur, quem ne inimicus quidem satis in appellando significare poterat, nisi ante laudasset; qui vno cognomine declarabatur, non modo quis esset, sed etiam qualis esset; tamen in falsam, atq; iniquam probrorum insimulationem vocabatur. M. Fonteius ita duabus actionibus accusatus est, vt obiectũ nihil sit, quo significari vestigium libidinis, petulantiæ, crudelitatis, audaciæ possit. nõ modo nullum facinus huius protulerunt, sed ne dictum quidem aliquod reprehenderunt. quod si aut quantam voluntatem habent ad hunc opprimendum, aut quantam ad maledicendum licentiã, tantum haberent aut ad ementiendum animi, aut ad fingendum ingenij, non meliore fortuna ad probra nunc audienda Fonteius, quam illi, de quibus antea commemoraui, fuisset.

EXPLANATIO.

M. PLETORIVS,} Fõteij accusator. SVOS *nouos clientes*} per iocum hæc dixit. nam cliẽtes Fabiorum, quod à Q. Fabio Max. deuicti essent, Allobroges erant. infra, & Sallustius in Catil. ID QVOD *victi ac subacti solent*} quod alioqui non solent. A M. BRVTO.} iurisconsulto, accusationibus dedito. propterea de eo dixit Cicero in lib. de clar. orat. In quo magnum decus, Brute, fuit generi vestro. M'. AQVLLIVS} accusatus de repetundis à P. Lentulo, eo, qui senatus princeps fuit: vt in Diuin. Fuit alter M' Aquillius & ipse de repetundis, sed post multos annos, accusatus, nec à P. Lentulo, sed à L. Fusio: vt lib. II. Off. & in Bruto. atq; hic posterior Aquillius is est, quẽ cũ defenderet orator ille summus M. Antonius, caussa ꝓpe perorata, tunicã eius à pectore abscidit, vt cicatrices populus Romanꝰ iudicesque adspicerẽt aduerso corpore exceptas qua de re lib. V. in Verrẽ. L. COTTA} de repetundis accusatus ab Africano minore: vt in Diuin. in orat. ꝓ Murena, apud Valerium Max. lib. IIX. cap. I. P. RVTILIVS;} Rufus, q. cõsul fuit cũ Cn. Mallio. is cũ in Asia quæstor Q. Mucij Scæuolæ ꝓuinciam ab iniurijs publicanorũ defendisset, inuisus equestri ordini, penes quem iudicia erãt, repetũdarum damnatus in exsilium missus est; &, cum redire posset, victore Sul-

re Sulla, equitibus inimico, exsulare maluit, ne contra leges fecisse videretur. In Pisonem, in Bruto: Valerius Max.lib.II.cap.10.lib.VI.cap.4. Asconius in Diuin. & pro Scauro, epitome Liuiana lib.LXX. QVI ETSI *damnatus est*,} hoc dicit, quia ceteri, quos supra nominauit, Scaurus, Aquillius, Cotta, absoluti sunt. AC *libidinem*} alij legunt, Libidinum. vtraque lectio sensum habet. L. PISONEM} qui cum consul fuisset, quo anno Tib. Gracchus occisus est, postea C. Gracchi legem frumentariam dissuasit. Tuscul. III. AD PROBRA *non audienda*} ideo meliore fortuna vtitur Fonteius, quam Scaurus, Aquillius, Cotta, Rutilius, quia illi probra audierunt, hic non audit.

ORATIO.

FRVGI *igitur hominem, iudices, frugi, inquã, & in omnib⁹ vitæ partibus moderatum, ac tẽperantem, plenum pudoris, plenum religionis, videtis positum in vestra fide, ac potestate, atque ita, vt commissus sit fidei, permissus potestati. videte igitur, vtrum sit æquius, hominem honestissimum, virum fortissimũ, ciuem optimum dedi inimicissimis, atque immanissimis nationib⁹, an reddi amicis; præsertim cum tot res sint, quæ vestris animis pro huius innocentis salute supplicent: primum generis antiquitas, quã Tusculo, ex clarissimo municipio, profectam, in monumentis rerum gestarum incisam, ac notatam videmus; tum autẽ continuæ præturæ, quæ & ceteris ornamentis, & existimatione innocentiæ maxime floruerunt; deinde recens memoria parentis, cuius sanguine non solum Asculanorum manus, à qua interfectus est, sed totum illud sociale bellum macula sceleris imbutum est; postremo ipse, cum in omnibus vitæ partibus honestus, atque integer, tũ in re militari cũ summi consilij, & maximi animi, tũ vero vsu quoque bellorum gerendorum in primis eorum hominũ, qui nũc sunt, exercitatus. Quare, si etiam monendi estis à me, iudices, quod non estis videor hoc leuiter pro mea auctoritate vobis præcipere posse, vt ex eo genere homines, quorum cognita virtus, industria, felicitas in re militari sit, diligenter vobis retinendos existimetis. fuit enim maior talium virorum in hac rep. copia: quæ cum esset, tamen eorum nõ modo saluti, sed etiam honori consulebatur. quid nunc vobis faciendum est, studijs militaribus apud iuuentutem*

obsoletus, hominibus autem ac summis ducibus partim ætate, partim ciuitatis discordijs, hac reip. calamitate consumptis, cum tot bella aut à nobis necessario suscipiantur, aut subito atque improuisa nascantur. non ne & hominem ipsum ad dubia reip. tempora reseruandum, & ceteros studio laudis, ac virtutis inflammandos putatis? recordamini, quos legatos nuper in bello L. Iulius, quos P. Rutilius, quos L. Cato, quos Cn. Pompeius habuerit: scietis fuisse tum M. Cornutum, L. Cinnam, L. Sullam, prætorios homines, belli gerendi peritissimos, præterea C. Marium, P. Didium, Q. Catulum, P. Crassum, non litteris homines ad rei militaris scientiam, sed rebus gestis ac victorijs eruditos. age vero nunc inferte oculos in curiam, introspicite penitus in omnes reip. partes: vtrum videris, nihil posse accidere, vt tales viri desiderandi sint; an, si acciderit, eorum hominum copia populum R. abundare? quæ si diligenter attẽdetis, profecto, iudices, virum ad labores belli impigrũ, ad pericula fortẽ, ad vsum ac disciplinã peritũ, ad consilia prudentẽ, ad casum fortunamq; felicem, domi vobis ac liberis vestris retinere, quam inimicissimis populi R. nationibus, & crudelissimis tradere, & condemnare, maletis.

EXPLANATIO.

IN *monumentis rerum gestarum incisam,*} in marmoribus incisam, in quibus & rerum à Fonteijs gestarum, & antiqui generis memoria exstaret. CONTINVAE *præturæ,*} in Fonteiorum familia, sed oratorie dictum, Continuæ, pro, fere continuæ. nam huius Fonteij pater in legatione obijt, præturam nondum adeptus. PARENTIS,} belli socialis initio Q. Seruilius proconsul ad sedandos motus Asculum profectus, cum legato Fõteio, omnibusq; Romanis ciuibus est interemptus. epitome lib. LXXII. CIVITATIS *discordijs,*} ciuilibus bellis. IN BELLO} sociali, exorto L. Iulio, P. Rutilio cos. L. IVLIVS,} nominat duorum annorum consules, primi Iuliũ, & Rutilium, secundi Catonem, & Pompeium. C. MARIVM,} post prætorios nominat consulares. nam & Marius, & Didius, & Catulus, & Crassus ante bellum sociale consulatũ gesserunt. P. DIDIVM,} pro P. reposui T. ex lapidibus Capitolinis. Q. CATVLVM,} si cõsulatuum ratio habeatur, Catulus post Marium statim collocandus

fuit.

fuit. NON *litteris* } eruditum tamen Catulum fuisse, in oratorijs libris, & in Bruto Cicero significat. AD CASVM, *fortunamq́; felicem,* } felicitas in imperatore considератur. vide ꝑ lege Manilia. CONDEMNARE, } nō video, cur Færnus, contra veteres omnes libros, Codnonare, maluerit, quam, Condemnare.

ORATIO.

AT *infestis prope signis inferuntur Galli in Fonteium, & instant, atq; vrgent summo cum studio, summa cū audacia: nos vero, iudices, non & multis, & firmis præsidijs, vobis adiutorib⁹, isti immani, atq; intolerandæ barbariæ resistemus? Primū obijcitur contra istorū impetus Macedonia, fidelis & amica populo R. prouincia: quæ cū se, ac suas vrbes non solum cōsilio, sed etiam manu Fonteij conseruatā esse dicat, vt illa per hūc à Thracū aduentu, ac depopulatione defensa est, sic ab huius nunc capite Gallorū impetus, terroresq́; depellit. Constituitur ex altera parte vlterior Hispania: q̄ profecto nō modo religione sua resistere istorum cupiditati potest, sed etiam sceleratorum hominū periuria testimonijs, ac laudationib⁹ suis refutare. Atq; ex ipsa etiā Gallia, fidelissima, & grauissima, auxilia sumuntur. venit huic subsidio misero, atque innocenti Massiliensium cūcta ciuitas: quæ nō solum ob eam caussam laborat, vt huic, à quo ipsa seruata est, parē gratiā referre videatur, sed etiam, quod ea condicione, atq; eo fato se in ijs terris collocatam esse arbitratur, ne quid nostris hominibus istæ gentes nocere possint. Pugnat pariter pro salute M. Fonteij Narbonensis colonia: quæ per hunc ipsa nuper obsidione hostium liberata, nunc eiusdē miserijs, ac periculis commouetur. Denique, vt oportet bello Gallico, vt maiorum iura, moresq́; præscribunt, nemo est ciuis R. qui sibi vlla excusatione vtendū putet. omnes illius prouinciæ publicani, agricolæ, pecuarij, ceteri negotiatores vno animo, M. Fonteiū, atq; vna voce defendunt. Quod si tantas auxiliorum nostrorū copias Induciomarus ipse despexerit, dux Allobrogum ceterorumq́; Gallorū: num etiam de matris hunc complexu, lectissimæ, miserrimæq́; feminæ, vobis inspectantibus auellet, atq; abstrahet? p̄sertim cū virgo Vestalis ex altera parte germanū fratrē cōplexa teneat, vestrāq́; iudices, ac populi R. fidē imploret: q̄ ꝓ vobis liberisq́; vestris tot annos in dijs immortalib⁹ placādis occupata est, vt ea nūc pro salute sua, fratrisq́; sui animos vestros placare possit.*

cui

cui miseræ quod præsidium, quod solatium reliquum est, hoc amisso? nam ceteræ feminæ gignere ipsæ sibi præsidia, & habere domi fortunarum omnium socium participemq; possunt: huic vero virgini quid est, præter fratrẽ, quod aut iucundũ, aut carũ esse posit? nolite pati, iudices, aras deorũ immortaliũ, Vestæq; matris, quotidianis virginis lamentationibus de vestro iudicio cõmoneri. prospicite, ne ille ignis æternus, nocturnis Fonteiæ laborib⁹ vigilijsq; seruatus, sacerdotis Vestæ lacrymis exstinctus esse dicatur. tendit ad vos virgo Vestalis manus supplices easdem, quas pro vobis dijs immortalibus tendere consueuit. cauete, ne periculosum, superbũq; sit, eius vos obsecrationem repudiare, cuius preces si dij aspernarẽtur, hæc salua esse non possent. Videtis ne subito, iudices, virũ fortissimum, M. Fonteium parentis, & sororis commemoratione lacrymas profudisse? qui numquam in acie pertimuerit, qui se armatus sæpe in hostium manum immiserit, cum in eiusmodi periculis eadẽ se solatia suis relinquere arbitraretur, quæ suus pater sibi reliquisset, idem nunc perturbato animo pertimescit, ne non modo ornamento, & adiumento non sit suis, sed etiam cũ acerbissimo luctu dedecus æternum miseris, atque ignominiam relinquat. O fortunã longe disparem, M. Fontei, si deligere potuisses, vt potius telis tibi Gallorum, quam periurijs, intereundũ esset. tũ enim vitæ socia virtus, mortis comes gloria fuisset: nunc vero qui est dolor? victoriæ te, atque imperij pœnas ad eorum arbitrium sufferre, qui aut victi armis sunt, aut inuitissimi paruerunt? à quo periculo defendite, iudices, ciuem fortem, atque innocentem: curate, vt nostris testibus plus, quam alienigenis credidisse videamini; plus saluti ciuiũ, quã hostiũ libidini consuluisse; grauiorem duxisse eius obsecrationẽ, quæ vestris sacris præest, quã eorum audaciam, qui cum omnium sacris, delubrisq; bella gesserunt. postremo prospicite, iudices, id quod ad dignitatem populi R. maxime pertinet, vt plus apud vos preces virginis Vestalis, quam minæ Gallorum valuisse videantur.

EXPLANATIO.

MACEDONIA, } videtur Fonteius in Macedonia & Hispania legatus fuisse. nam quæsturæ nulla mentio. legationes autẽ supra nominantur. sic Fonteij probitatẽ, ac virtutẽ vtraq; prouincia cognouit & in

& in eius periculo testes, laudatoresque Romam misit. AQVO *ipsa seruata est,*} cōtra reliquorū Gallorū arma. nam Fonteium cum Gallis pugnasse, supra dictum est: idque mentio comprobat Narbonensis coloniæ, à Fonteio obsidione liberatę. VT *oportet bello Gallico,*} quo vacationes non dantur. Phil. IIX VLLA *excusatione*} venerunt omnes ad hoc iudicium, soliciti de Fonteij salute. PVBLICANI,} quattuor genera commemorat ciuiū Romanorū. MATRIS} quæ supplex aderat in iudicio, ex altera parte soror Fonteij, virgo Vestalis. PRO *salute sua,*} sita in salute fratris. VESTRAE} quę pro vobis, liberisque vestris assidue sacra facit. EADEM *solatia*} decus, & hōnestæ mortis memoriam. SVVS *pater*} cum Asculi pro patria mortem oppeteret.

IN ORATIONEM. CICERONIS. PRO. A. LICINIO. CAECINA.

PAVLLI. MANVTII. COMMENTARIVS.

ARGVMENTVM.

HERES *vxoris suæ Cæsenniæ A. Licinius Cæcina Volaterranus, fundū repetit à Sex. Aebutio, qui, viua Cæsennia, cum eius cognitor esset, in actione fundum illum emerat, nec tamen ante obitū Cæsenniæ possederat; ea vero mortua, statim in eum, tamquā suum, venerat. Cæcina, cum in rem præsentem ex conuentu cum amicis venisset, vt de fundo moribus*

moribus deduceretur, vi hominibus armatis repulsus ac prohibitus, impetrat à pratore interdictum, De vi hominibus armatis, *vt, vnde deiectus esset, eo restitueretur. Aebutius contra deiectum esse negat, eiectum ait. inde oritur quæstio de verbis interdicti, aliter ea Cicerone, aliter Aebutio interpretante: in eo facta sponsio est. de quo sic in* Oratore: *Tota mihi caussa pro Cæcina de verbis interdicti fuit. Hæc pro argumento sufficiant. non enim totã orationem in argumentum includere, consilium est. Acta caussa est apud recuperatores à pratore datos, incertum quo anno, sed omnino post Aureliam legem, iudicijs inter tres ordines communicatis: quod factũ esse constat Pompeio & Crasso primum cos.*

M. TVLLII CICERONIS PRO A. LICINIO CAECINA.

ORATIO XI.

SI, quantũ in agro, locisq; desertis audacia potest, tantũ in foro, atq; in iudicijs impudentia valeret; non minus nũc in caussa cederet A. Cæcina Sex. Aebutij impudẽtiæ, quã tũ in vi faciẽda cessit audaciæ. verũ & illud cõsiderati hominis esse putauit, qua de re iure decertari oporteret, armis nõ cõtendere; & hoc cõstantis, quicũ vi et armis certare voluisset, eũ iure iudicioq; superare. Ac mihi quidẽ cũ audax præcipue fuisse videtur Aebutius in cõuocandis hominibꝰ, et armandis, tũ impudẽs in iudicio nõ solũ, quod in iudiciũ venire ausus est; (nã id quidẽ, tametsi improbe fit, in aperta re, tamẽ malitia est iã vsitatũ) sed quod nõ dubitauit id ipsũ, quod arguitur, confiteri, nisi forte hoc rationis habuit, quoniã, si facta vis esset moribus, superior in possessiõe retinẽda nõ fuisset: quia cõtra ius moremq; facta sit. A. Cæcinã cũ amicis metu perterritũ profugisse: nũc quoq; in iudicio, si caussa more instituto q; omniũ defendatur, nos inferiores in agẽdo nõ futuros: sin è cõsuetudine recedatur, se, quo impudentius egerit, hoc superiorẽ discessurũ, quasi vero aut in iudicio possit idẽ im-

 pre-

probitas, quod in vi confidētia: aut non eo libentius tū audaciæ cessérim⁹, quo nūc impudētiæ facilius obsisteremus. itaq; longe alia ratione, Recuperatores, ad agendā caussā hac actione venio, atq; initio venerā. tū.n. nostræ caussæ spes erat posita in defensiōe mea, nūc in confessione aduersarij; tū in nostris, nūc vero in illorū testibus. de quib⁹ ego antea laborabā, ne, si improbi essent, falsi aliquid dicerēt: si probi existimarētur, quod dixissent, probarēt. nūc sum animo æquissimo. si.n. sunt viri boni, me adiuuant, cū id iurati dicūt, quod ego iniuratus insimulo: sin autē minus idonei me nō lædūt, cū, siue creditur ijs hoc ipsū, quod nos arguimus, confitentur, siue fides non habetur, de aduersarij testū fide derogatur. verūtamē, cū illorū caussæ actionē cōsidero, nō video, quid impudentius dici possit: cū autē vestrā in iudicando dubitationē; vereor, ne id, quod videntur impudenter fecisse, astute, & callide fecerint. nā, si negassent vim hominibus armatis esse factā, facile honestissimis testibus in re perspicua tenerētur: sin confessi essent, et id, quod nullo tēpore iure fieri potest, tū ab se iure factū esse defenderēt, sperarūt id, quod assecuti sunt, se iniecturos vobis caussā deliberādi, & iudicandi iustā morā, ac religionē simul illud, quod indignissimū est, futurū arbitrati sunt, vt in hac caussa nō de improbitate Sex. Aebutij, sed de iure ciuili iudiciū fieri videretur. Qua in re si mihi esset vnius A. Cæcinæ caussa agenda, profiterer satis idoneū esse me defensorē, propterea quod fidē meā diligentiamq; præstarē: quæ cū sunt in actore caussæ, nihil est, in re præsertim aperta ac simplici. quod excellēs ingeniū requiratur. sed, cū de eo iure mihi dicēdū sit, quod pertineat ad oēs, quod constitutū sit à maioribus, cōseruatū vsq; ad hoc tēpus, quo sublato nō solū pars aliqua iuris deminuta, sed etiā vis ea, q̄ iuri maxime est aduersaria, iudicio cōfirmata esse videatur; video summi ingenij caussā esse; non vti demonstretur, quod ante oculos est: sed ne, si quis vobis error in tāta re sit obiectus, oēs potius me arbitrētur caussæ, q̄ vos religioni vestræ defuisse. Quāquā ego mihi sic persuadeo, Recuperatores, non vos tā propter iuris obscurā dubiāq; rationē bis iā de eadē caussa dubitasse, quā, quod videtur ad summā illius existimationē hoc iudicium pertinere, morā ad cōdemnādū acquisisse, simul & illi spatium ad sese colligendū dedisse. quod quoniā iā in consuetudinē venit, & id viri boni vestri similes in iudicando faciūt, reprehendendū fortasse minus, querendum vero magis etiam videtur; ideo quod om-

nia in.

nia iudicia aut distrahendarum controuersiarum, aut puniendorũ maleficiorum caussa reperta sunt: quorum alterum leuius est, propterea quod & minus lædit, & persæpe disceptatore domestico dijudicatur: alterum est vehementißimum, quod & ad grauiores res pertinet, & non honorariã operam amici, sed seueritatem iudicis, ac vim requirit. quod est grauius, & cuius rei caussa maxime iudicia constituta sunt, id iã mala cõsuetudine dissolutũ est. nam, vt quæq; res est turpißima, sic maxime, & maturißime iudicanda est: at ea, in qua existimationis periculũ est, tardißime iudicatur. qui igitur conuenit, quæ caussa fuerit ad constituendũ iudiciũ, eandem moram esse ad iudicandũ? si quis, quod spopondit, qua in re verbo se vno obligauit, id nõ facit; maturo iudicio, sine vlla religione iudicis condemnatur: qui per tutelam, aut societatẽ, aut rem mãdatam, aut fiduciæ rationem fraudauit quempiã, in eo, quo delictum maius est, eo pœna est tardior. est enim turpe iudicium, & factum quidem turpe. videte igitur, quã inique accidat, quia res indigna sit, ideo turpem existimationem sequi; quia turpis existimatio sequatur, ideo rem indignam non iudicari. At, si quis mihi hoc iudex, Recuperator ne dicat; potuisti enim leuiore actione confligere: potuisti ad tuum ius faciliore & commodiore iudicio peruenire: quare aut muta actionẽ; aut noli mihi instare, vt iudicẽ: tamen is aut timidior videatur, quã fortẽ, aut cupidior, quã sapientem iudicem esse æquum est, si aut mihi præscribat, quẽadmodum meum ius persequar, aut ipse id, quod ad se delatũ sit, nõ audeat iudicare. etenim, si prætor, is, qui iudicia dat, numquam petitori præstituit, quã actione illum vti velit: videte; quam iniquum sit, cõstituta iã re, iudicẽ, quid agi potuerit, aut quid poßit, nõ quid actum sit, quærere. verumtamẽ nimiæ vestræ benignitati pareremus, si alia ratiõe ius nostrum recuperare possemus: nunc vero quis est, qui aut vim, armatis hominibus factã, relinqui putet oportere, aut eius rei leuiorem actionem nobis aliquam demostrare poßit? ex quo genere peccat, vt illi clamitant, vel iniuriarum, vel capitis iudicia constituta sunt, in eo potest is atrocitatem nostrã reprehendere? cum videatis nihil aliud actum, nisi possessionem per interdictum esse repetitã? verum, siue vos existimationis illius periculum, siue iuris dubitatio tardiores fecit; adhuc ad iudicandũ, alterius rei caussam vosmet ipsi iam vobis, sæpius prolato iudicio, sustulistis; alterius ego vobis hodierno die caussam profecto auferam,

ram, ne diutius de controuersia nostra, ac de communi iure dubitetis, & si forte videbor altius initium rei demonstrandæ petisse, quã me ratio iuris, & ius, de quo iudicium est, & natura caussæ coegerit, quæso, vt ignoscatis: non enim minus laborat A. Cæcina, ne summo iure egisse, quam ne certum ius non obtinuisse videatur.

EXPLANATIO.

PRO A. *Cæcina.* } Liciniæ gentis Cæcinã esse, docet Gellius lib. VI. cap. 16. QVANTVM *in agro.* } orditur ab iniuria aduersarij, qui Cæcinam vi hominibus armatis de fundo deiecerit. ARMIS *non contendere,* } cessit enim audaciæ. CONSTANTIS, } qui caussam deserere, suoq; de iure decedere noluerit. MALITIA } venit enim in iudicium, q malam caussam habet; vt bonam habere videatur CONFITERI } coactis, armatisq; hominibus à se de fundo esse deiectum. MORIBVS; } non ferro, vt ab ipso facta est, sed vetere iudiciaria consuetudine, cum litigantes in rem præsentem, id est, in eum agrum; de quo lis erat, communi consilio venirent; ibiq; alter alterum vi quadam non vera, & solida, sed ficta, & adumbrata; repelleret; & qui repulsus erat, interdictum à prætore de armatis hominibus impetraret, vt, vnde deiectus erat, restitueretur. Infra: Placuit Cæcinæ de amicorũ sententia constituere, quo die in rem præsentem veniretur, & de fundo Cæcina moribus deduceretur. Et post: Cum & constitutam diem, tempusq; venisset, vt vis ac deductio moribus fieret, pulsum, prohibitumq;, esse vi, coactis hominibus, & armatis. QVO *impudentius egerit,* } qui non dubitet id ipsum, quod arguitur, de vi scilicet armis facta, cõfiteri. HAC *actione* } ampliata bis iam caussa erat: cũ recuperatores nõ liquere, iudicassent. SIVE *creditur ijs,* } ve minus idoneis. DEROGATVR. } vel quia sint minus idonei. vel quia mentiuntur, vtroque enim modo, si vis ri boni nõ sunt, de illorum fide derogatur. DVBITATIONEM, } iudicatã in eo. cũ, Amplius, pronunciastis. NON DE *improbitate Sex. Aebutij,* } qui alienum fundũ occuparit, dominumq; hominibus armatis & deiecerit, & deie-

ctum fateri non dubitet. ILLIVS} Acbutij. DISCEPTATORE}iudice. QVOD *est grauius,*}de puniẽdis maleficijs. IVDICIA *maxima constituta sunt,*} nam illud alterũ, quod est leuius,& in quo distrahuntur, ac dirimũtur, controuersiæ, persæpe disceptatore domestico transigitur. DISSOLVTVM *est.*}neglectũ. AT EA,} hæc, quæ nũc agitur. EXISTIMATIONIS *periculum*} existimationis Aebutij. paullo ante:quod videtur ad summã illius existimationem hoc iudiciũ pertinere. QVAE *caussa fuerit ad cõstituẽdum iudicium,*}caussa puniendi maleficij, quod Aebutius Cæcinã vi & armis de fundo deiecisset. proxime dixit: Quod est grauius,&c, Cuius rei gratia maxime iudicia cõstituta sunt. EANDEM}quod existimationis in ea periculũ sit. SINE *vlla religione iudicis,*}mature eum condemnare iudici religio non est. EST *enim turpe iudicium.*} quo damnatum sequitur infamia. ET TVRPE *quidem factũ*} id, quod cõmissum est, ex quo oritur iudiciũ. QVIA *res indigna sit*}quia turpe sit illud, q̃d cõmissum est. SEQVI;} si reus dãnetur. IDEO *rẽ indignã non iudicari.*}notat recuperatores, qui serius ideo iudicẽt, bis iã ampliata caussa, ꝙ ex eo iudicio turpẽ existimationẽ sequi videant. Inique accidit, inquit, cum indigna & flagitiosa res ideo non iudicatur, id est ideo differtur, ac sero iudicatur, quia turpis existimatio sequatur? cum existimatio turpis ideo sequatur, quia res indigna, flagitiosaq; sit. LEVIORE *actione*} qua turpis existimatio non sequeretur. CONFLIGERE:} Confligere,& Conflictari, de litibus vsurpantur. PRAETOR.}vrbanus. QVA ACTIONE *illum vti velit:*}liberum ei relinquit, vt suum ius, quo velit iudicio, persequatur. CONSTITVTA *iam re*} cõstituto inter Cæcinã & Aebutium iudicio. IVDICEM,} eum, de quo supra. At, si quis mihi hoc iudex, recuperatorue dicat. QVID *agi potuerit,*} quia potuerim leuiori actione confligere. Hoc refertur ad illud supradictum. Potuisti enim leuiore actione cõfligere: potuisti ad tuum ius faciliore, & commodiore iudicio peruenire. AVT *quid possit*} quasi adhuc mutari actio possit. supra: Aut muta actionem: aut noli mihi instare, vt iudicem. NON QVID *assumsit,*} non quæ

sit actio iam instituta. venimus enim ad hoc iudicium, vt contra Aebutium interdicto ageremus de vi hominibus armatis. NIMIAE} erga Aebutium. RELINQVI} sileri à nobis. EX QVO *genere peccati,*} ex illa vi. VT ILLI *clamitant,*} de nobis expostulantes, quasi atrociores, quã oporteat, simus. CVM *videatis nihil aliud actum,*} à nobis. ESSE *repetitũ*} in quo quæ atrocitas est? an non suã cuique possessionẽ per interdictum prætoris licet repetere? ALTERIVS *rei caussam*} existimationis Aebutij periculum, VOSMETIPSI} non enim iudicium amplius proferre vobis licet. SAEPIVS} oratorie. nam bis tantum prolatum erat iudicium. ALTERIVS *caussam*} iuris dubitationem. IVS, *de quo iudiciũ est,*} res ipsa, de qua constitutũ iudiciũ est. *Non enim minus laborat*} ita suũ ius persequtur Cęcina, vt humanitati tamẽ satisfactũ à se velit. laborat ille quidẽ, vt certũ ius obtineat, fundũq; suũ recuperet, nõ min⁹ tamẽ, ne sũmo iure egisse videatur. *summo iure*} ꝙ reprehẽdi solet. vnde illud: Summũ ius, summa iniuria.

ORATIO.

M.*Fulcinius fuit, Recuperatores è municipio Tarquiniensi: qui et domi suæ cũ primis honestus existimatus est, & Romæ argentariã nõ ignobilẽ fecit. is habuit in matrimonio Cæsenniã, eodem è municipio, summo loco natã, & probatissimã feminã, sicut & viuus multis ipse reb. ostẽdit, & in morte sua testamẽto declarauit. huic Cæsenniæ fundũ in agro Tarquiniẽsi vẽdidit tẽporibus illis difficillimis solutionis. cũ vteretur dote vxoris numerata, quo mulieri esset res cautior, curauit vt in eo fundo dos collocaretur. aliquãdo post, iã argentaria dissoluta, Fulcinius huic fundo vxoris continẽtia q̃dam prædia, atq; adiũcta mercatur. moritur Fulcini⁹: (multa enim, q̃ sunt in re, quia remota sunt à causa, prætermittã) testamẽto facit heredẽ, quẽ habeat è Cæsennia, filiũ: vsumfructũ omniũ bonorũ suorũ Cæsenniæ legat, vt frueretur vna cũ filio. magnus honos viri iucũdus mulieri fuisset, si diuturnũ esse licuisset. frueretur. n. bonis cũ eo, quẽ suis bonis heredẽ esse cupiebat, & ex quo maximũ fructũ ipsa capiebat: sed hũc fructũ maturà fortuna ademit: nã breui tẽpore M. Fulcini⁹ adolescẽs mortu⁹ est: heredẽ P. Cæsenniũ fecit: vxori grande põdus argẽti, matriq; partẽ bonorũ maiorẽ legauit: itaq; in partẽ mulieres vocatæ sunt.*

cum esse hæc auctio hereditaria constituta, Aebutius iste, qui iam diu Cæsenniæ viduitate, ac solitudine aleretur, ac se eius in familiaritatē insinuasset hac ratione, vt cum aliquo suo compendio negotia mulieris, si qua acciderent, controuersiasque susciperet: versabatur quoque eo tempore in his rationibus auctionis, & partitionis, atque etiam se ipse inserebat, & intrudebat, & in eam opinionem Cæsenniam adducebat, vt mulier imperita nihil putaret agi callide posse, vbi non adesset Aebutius, quam personam iam ex quotidiana cognoscitis vita, Recuperatores, mulierum assentatoris, cognitoris viduarum, defensoris nimium litigiosi, conciti ad rixam, inepti ac stulti inter viros, inter mulieres periti iuris, & callidi, hanc personam imponite Aebutio: is enim Cæsenniæ fuit Aebutius, ne forte quæratis, non propinquus? nihil alienius. amicus aut à patre, aut à viro traditus? nihil minus. quis igitur? ille, quē supra deformaui, voluntarius amicus mulieris, non necessitudine aliqua, sed ficto officio, simulataque sedulitate coniunctus, magis opportuna opera nō numquam, quam aliquando fideli. Cum esset, vt dicere institueram, constituta auctio Romæ; suadebant amici cognatique Cæsenniæ id, quod ipsi quoque mulieri in mentem veniebat: quoniam potestas esset emendi fundum illum Fulcinianū, qui fundo eius antiquo continens esset, nullam esse rationem, amittere eiusmodi occasionem, cum præsertim pecunia ex partitione deberetur: nusquam eam posse melius collocari. itaque mulier facere constituit. mandat, vt fundum sibi emat. cui tandem? cui putatis? an non in mentem venit hominis illius ad hoc munus, & ad omnia mulieris negotia parati, sine quo nihil satis caute, nihil satis callide agi posset? recte attenditis. Aebutio negotium datur. adest ad tabulam, licetur Aebutius: deterrentur emptores multi, partim gratia Cæsenniæ, partim etiam pretio: fundus addicitur Aebutio: pecuniam argentario promittit Aebutius. quo testimonio nunc vir optimus vtitur, sibi emptum esse. quasi vero aut nos ei negemus addictum; aut tum quisquam fuerit, qui dubitarit, quin emeretur Cæsenniæ, cum id plerique scirent, omnes fere audissent, hi coniectura assequi possent: cum pecunia Cæsenniæ ex illa hereditate deberetur; eam porro in prædijs collocari maxime expediret; essent autē prædia, quæ mulieri maxime conuenirēt, ea venirent; liceretur is, quem Cæsenniæ dare operam nemo miraretur, sibi emere nemo posset suspicari. hac emptione facta, pecunia soluitur

soluitur à Cæsennia. cuius rei putat iste rationem reddi non posse, quod ipse tabulas auerterit: se autem habere argentarij tabulas, in quibus sibi expensa pecunia lata sit, acceptaq́, relata: quasi id aliter fieri oportuerit. cū omnia ita facta essent, quemadmodum nos defendimus, Cæsennia fundum possedit, locauitq́;, neq; ita multo post A. Cæcinæ nupsit. vt in pauca cōferam, testamento facto mulier moritur. facit heredem ex deunce, & semuncia Cæcinam, ex duabus sextulis M. Fulcinium, libertum superioris viri, Aebutio sextulā adspergit. hanc sextulam illa mercedē isti esse voluit assiduitatis, & molestiæ, si quā susceperat. iste autem hac sextula se ansam retinere omnium controuersiarū putat. iam principio ausus est dicere, non posse heredem esse Cæsenniæ Cæcinam, quod is deteriore iure esset, quam ceteri ciues, propter incommodum Volaterranorum, calamitatemq́; ciuilem. itaq; homo timidus, imperitusq́;, qui neq; animi, neq; consilij satis haberet, non putauit esse tanti hereditatem, vt de ciuitate in dubium veniret: concessit, credo, Aebutio, quantū vellet de Cæsenniæ bonis vt haberet, immo vt viro forti, ac sapienti dignum fuit, ita calumniam stultitiamq́; obtriuit ac contudit. in possessione bonorum cū esset, & cum ipse sextulam suam nimium exaggeraret, nōmine heredis arbitrum familiæ erciscundæ postulauit. atque illis paucis diebus, post ea quam videt nihil se ab A. Cæcina posse litium terrore abradere, homini Romæ in foro denunciat, fundū illum, de quo ante dixi. cuius istum emptorē demonstraui fuisse mandato Cæsenniæ, suū esse, seque sibi emisse. quid ais? tuus ille fundus est, quē sine vlla controuersia quadrienniū, hoc est, ex quo tempore fundus venijt, quoad vixit, possedit Cæsennia? Vsus enim, inquit, eius, & fructus fundi testamento viri fuerat Cæsenniæ. Cū hoc nouæ litis genus tā malitiose intenderet, placuit Cæcinæ de amicorum sententia constituere, quo die in rem præsentem veniretur, & de fundo Cæcina moribus deduceretur. colloquuntur: dies ex vtriusq; cōmodo sumitur. Cæcina cū amicis ad diē venit in castellum Axiam: ex quo loco fundus is, de quo agitur, non longe abest. ibi certior fit à pluribus, homines permultos liberos, atq; seruos coegisse, & armasse Aebutium. cum id partim mirarentur, partim non crederent, ecce ipse Aebutius in castellum venit, denunciat Cæcinæ, se armatos habere, abiturum eum non esse, si accessisset. Cæcinæ placuit, & amicis, quoad videretur saluo capite fieri posse, experiri. tum de castello descendunt,

in fundũ proficiſcuntur. videtur temere commiſſum. verum vt opinor, hoc fuit cauſſæ: tam temere iſtum re commiſſurum, quam verbis nunciabatur, nemo putauit. atque iſte ad omnes introitus, qua adiri poterat, non modo in eũ fundum, de quo controuerſia fu erat, ſed etiam in illum proximũ, de quo nihil ambigebatur, armatos homines opponit. itaque primo cum in antiquũ fundũ ingredi vellet, quod ea proxime accedi poterat; frequentes armati obſtiterunt. quo loco depulſus Cæcina, tamen qua potuit, ad eũ fundum profectus eſt, ex quo ex conuentu vim fieri oportebat. eius au tẽ fundi extremã partem oleæ directo ordine definiunt. ad eas cũ accederetur, iſte cũ omnibus copijs præſto fuit ſeruumq; ſuũ nomine Antiochũ ad ſe vocauit, & clara voce imperauit, vt eũ, qui illũ olearũ ordinẽ intraſſet, occideret. homo mea ſentẽtia prudẽtiſſimus, Cæcina, tamen in hac re plus mihi animi, quã conſilij, videtur habuiſſe. nã, cũ & armatorũ multitudinẽ videret; & eã vocẽ Aebutij, quã cõmemoraui, audiſſet; tamen acceſſit propius; & id ingrediens intra finẽ eius loci, quẽ oleæ terminabãt, impetũ armati Antiochi, ceterorumq; tela, atq; incurſus refugit. eodẽ tẽpore ſe in fugã cõferunt vna amici, aduocatiq; eius metu perterriti; quẽadmodũ illorum teſtẽ dicere audiſtis. His rebus ita geſtis, P. Dolabella prætor interdixit, vt eſt cõſuetudo, de vi hominib⁹ armatis, ſine vlla exceptione, tantũ, vt, vnde deieciſſet, reſtitueret. reſtituiſſe ſe dixit. ſponſio facta eſt. hac de ſponſione vobis iudicandũ eſt.

EXPLANATIO.

CERTVM *ius* } nã, dubio iure, non litigaret. VENDIDIT } dotalem eſſe voluit: ipſe ex dote pecuniã accepit. TEMPORIBVS *illis* } ciuilium bellorũ tẽpora ſine dubio ſignificantur. DIFFICILLIMIS } cum iacerent pretia prædiorũ. pro Q. Roſcio: Accepit agrum temporibus ijs, cum iacerent pretia prædiorum. Hoc ideo Cicero dicit, ne videatur Fulcinius vxori ſuæ magno fundũ vendidiſſe. nã, ſi vendit temporibus difficillimis, certe non magno vendit, nec vt ſibi lucrũ paret, ſed vt res mulieri ſit cautior. SOLVTIONIS. } ferri poteſt: Latinum enim, difficile ſolutionis tẽpus: gloſſema tamen eſſe potuit. VT *frueretur vna cum filio.* } hoc niſi eſſet additum, ex vſufructu detractus eſſet triens. Nouell. Conſtit. Iuſt. lib. IV. MAGNVS *honos viri* } in legando ei

vſu.

vſufructu bonorum omnium.honorat enim is,qui moritur,eũ,cui aliquid legat:quippe nihil legaret, niſi mores eius,& amorem erga ſe probaret. Propterea dixit in ea pro Quinctio: Heredem reliquit hunc P. Quinctium: vt,ad quem ſummus mæror morte ſua veniebat,ad eũdem ſummus honos quoque perueniret. MAXIMVM *fructum*} pro,maximam voluptatem:aut,Maximum fructum, quem ex filio mater multis rebus caperet. COGNITORIS *viduarum*,} qui viduarum negotia curet: quo facilius lucrum ſibi paret ex mulierculis imperitis, quã ſi cognitor virorum eſſet. DEFORMAVI,} non, deſcripſi,aut,deſignaui,ſed probroſis verbis,pro eius merito,deformaui. ANTIQVO} quem ipſa emerat à viro. AD TABVLAM,} in qua ſcripta bona eſſent, quorum auctio fieri deberet, prope argentarias tabernas in foro. HI} argentarius,& qui aderant,vel qui audierant. DARE *operam*} vt cognitorem. SOLVITVR} Aebutio datur,argentaria ſoluenda. A CAESENNIA }non,ſoluitur à Cæſennia, ſed, ſoluitur, accepta à Cæſennia. eſt enim loquendi modus,exemplis ſatis notus. vt ep. ad Att. lib. VII: Frater laborat,vt tibi,quod debet,ab Egnatio ſoluat. TABVLAS} Cæſenniæ. SIBI *expenſa lata ſit,acceptaque relata*:} ſibi expenſa lata,tamquam debitori: accepta relata, tamquam creditori, pecunia argentario ſoluta. EX DEVNCE, *& ſemuncia*} vndecim hereditatis partes cum dimidia ſignificantur. nam, deunx, vndecim vnciæ ſunt. As autem totam hereditatem oſtendit. DVABVS *ſextulis*} ſextula vnciæ ſexta pars fuit. tres igitur ſextulæ dimidium vnciæ. SEXTVLAM *adſpergit.*} feſtiue,tamquam de aqua.nam & ſextula menſura fuit. ANSAM *retinere*} locutus de ſextula,tamquã de vaſe,apte ſubiunxit, Anſam retinere: cum ſignificet, occaſionem habere INCOMMODVM *Volaterranorum*,} quos victor Sulla, vt ſtudioſos Marianorum partium, multis affecerat incommodis. HOMO *timidus*,} Cæcina. ironia eſt. IN POSSESSIONE *bonorum cum eſſet*,} Aebutius. FAMILIAE *herciſcundæ*} rei diuidendæ. TAM *malitioſe*} qui vſumfructum Fulcinij teſtamento, non Cæſenniæ

emptioni tribueret, MORIBVS} vt solet inter bonos viros, non vi, & armis. Sic in exordio: Si facta vis non esset moribus. Et infra: Vt vis, ac deductio moribus fieret. DEDVCERETVR} Si restituere Aebutius nollet. Apparet igitur, nouo litis genere iam occupatum esse fundum illum ab Aebutio, sibi emptũ esse dicente, & argentarij tabulis probante. IN FVNDVM} qui tamen ingressi non sunt, armatis obsistentibus. ANTIQVVM} quem a viro suo Cesennia emerat. EX CONVENTV} vt inter eum & Aebutium conuenerat. VIM *fieri*} moribus. supra: Placuit Cæcinæ de amicorum sententia constituere, quo die in rem præsentem veniretur, vt de fundo Cæcina morib⁹ deduceretur. INTERDIXIT,} interdictum de vi hominibus armatis Cæcinæ dedit, vt, vnde eum deiecisset Aebutius, eo restitueret. SINE *vlla exceptione*,} interdictis addi interdum solebant exceptiones: vt si Dolabella prætor interdixisset, vt, vnde Cæcinam Aebutius deiecisset, eo restitueret, ac addita exceptione, Extra quam si deiecisset, ex eo loco, quẽ ipse possideret. Harum exceptionum tribus Cicero vtitur exẽplis, in in libris de Inuẽt. in primo his verbis: Si, iudices, id, quod Epaminundas ait legis scriptorem sensisse, adscribat ad legem, Extra quam si quis reipublicæ caussa exercitum nõ tradiderit, patiemini? Altera exceptio hæc est lib. II. Cum ad vim faciendam quidam armati venissent, armati contra præsto fuerunt. & cuidã equiti Romano quidam ex armatis resistenti gladio manum præcidit. agit is, cui manus præcisa est, iniuriarum. postulat is, quicum agitur, à prætore exceptionem, Extra quàm si in reum capitis præiudiciũ fiat. Hic is, qui agit, iudicium purum postulat: ille, quicum agitur, exceptionem addi ait oportere. Tertia est in eodẽ extremo libro. Homines mortales necesse est interire sine adiũctione: vt cibo vtãtur, non necesse est: nisi cũ illa exceptiõe. Extra q̃ si nolint fame perire. Iã in epad. Att. lib. V. De Bibuli, inquit, edicto nihil noui, p̃ter illã exceptionem, de qua tu ad me scripseras, Nimis graui præiudicio in ordinẽ nostrum. ego tamẽ habeo ἰσοδυναμοῦσαν, sed tectiorem,

rem,ex Q. Mucij P.F. edicto Asiatico,Extra quā si ita negotium gestum est,vt eo stari non oporteat,ex fide bona.Cæcina igitur purū interdictū,sine vlla exceptione, impetrauerat à prætore:Ne quid afferretur moræ,quo minus,vnde esset deiectus,eo statim restitueretur.infra: Vim,q̄ ad caput, & ad vitā pertinet, restitui sine vlla exceptione voluerunt.RESTITVISSE *se dixit.*} hoc falsum est:sed,cum significare vellent,deiectū aliquē non esse, ideoque nec restituendum,restituisse se dicebāt, modestiæ caussa, vt prætoris decreto paruisse viderētur. infra quoque:Si me villicus tuus solus deiecisset; non familia deiecisset,vt opinor, sed aliquis de familia; recte igitur diceres te restituisse? Et:Si glebis,aut saxis, aut fustibus aliquem de fundo præcipitē egeris,iussusq́.sis, quem hominibus armatis deieceris,restituere,restituisse te dices? SPONSIO *facta est.*}à Cęcina sic, Si hominibus armatis deiectus sum: ab Aebutio sic, Si hominibus armatis Cæcinā deieci.

ORATIO.

M AXIME *fuit optandum Cæcinæ, Recuperatores, vt controuersiæ nihil haberet; secundo loco, vt ne cum tam improbo homine; tertio, vt cum tam stulto haberet. etenim nō minus nos stultitia illius subleuat, quam lædit improbitas. improbus fuit, quod homines coegit, armauit, coactis, armatisque vim fecit. læsit in eo Cæcinam: subleuauit ibidem. nam in eas ipsas res, quas improbissime fecit, testimonia sumpsit, & eis in caussa testimonijs vtitur. itaque mihi certū est, Recuperatores, ante quam ad meam defensionem, meosq́. testes venio, illius vti confessione, & testimonijs. quid confitetur? atq; ita libenter confitetur, vt non solum fateri, sed etiam profiteri videatur, Recuperatores? conuocaui homines, coegi, armaui: terrore mortis, ac periculo capitis, ne accederes, obstiti. ferro, inquit, ferro (& hoc dicit in iudicio) te reieci, atq; perterrui. Quid? testes quid aiunt? P. Vettilius propinquus Aebutij, se Aebutio cum armatis seruis venisse aduocatum: quid præterea? fuisse complures armatos. quid aliud? minatum esse Aebutiū Cæcinæ. Quid ego de hoc teste dicam, nisi hoc, Recuperatores? vt iccirco non minus ei credatis, quod homo minus idoneus habetur, sed ideo credatis, quod ex illa parte id dicit, quod illi caussa maxime est alienum. A. Terentius, alter testis, non*

stis,non modo Aebutium,sed etiam se ipsum arguit.in Aebutium hoc dicit,armatos homines fuisse:de se autem hoc prædicat Antiocho, Aebutij seruo,imperasse, vt in Cæcinam aduenientem cum ferro inuaderet.quid loquar amplius hoc de homine?in quem ego dicere,cũ rogarer à Cæcina, numquam volui, ne arguere illũ rei capitalis viderer:de eo dubito nunc,quo modo aut loquar, aut taceam,cum ipse hoc de se iuratus prædicet. Deinde L. Cælius non solum Aebutium cum armatis dixit fuisse compluribus, verũ etiam cũ aduocatis perpaucis eo venisse Cæcinam. de hoc ego teste detraham,cui,æque atq; meo testi,vt credatis,postulo.? P. Memmius secutus est, qui suum nõ paruum beneficium commemorauit in amicos Cæcinæ,qui sese viam per fratris sui fundum dedisse dixit,qua effugere possent,cũ essent metu omnes perterriti. huic ego testi gratias agam,quod & in re misericordem se præbuit, & in testimonio religiosum. A.Atilius,& eius filius L.Atilius,& armatos ibi fuisse, & se suos armatos adduxisse, dixerunt, etiã hoc amplius,cum Aebutius Cæcinæ malum minaretur,ibi tum Cæcinam postulasse, vt moribus deductio fieret.Hoc idem P. Rutilius dixit, & eo libentius dixit, vt aliquo in iudicio eius testimonio creditũ putaretur. Duo præterea testes nihil de vi,sed de ipsa emptione fundi dixerunt,P.Cæsennius, auctor fundi,non tã auctoritate graui,quam corpore,& argentarius Sex.Clodius, cui nomen est Phormio,nec minus niger, nec minus confidens,quam ille Terentianus est Phormio: nihil de vi dixerunt,nihil præterea, quod ad vestrum iudicium pertineret. Decimo vero loco testis exspectatus,& ad extremum reseruatus dixit, senator populi R. splendor ordinis,decus atq; ornamentũ iudiciorum,exemplar antiquæ religionis,Fidiculanius Falcula:qui cũ ita vehemens, acerq; venisset,vt non modo Cæcinam periurio suo læderet,sed etiam mihi videretur irasci:ita eũ placidum,mollemq; reddidi, vt nõ auderet, sicut meministis,iterum dicere, quot millia fundus suus abesset ab vrbe.nã,cum dixisset,minus abesse LIII, populus cum risu acclamauit ipsa esse:meminerant enim omnes,quantum in Albiano iudicio accepisset.In eum quid dicam,nisi id,quod negare non possit?venisset in consilium publicæ quæstionis,cum eius cõsilij iudex non esset; & in eo consilio,cum caussam non audisset, & potestas esset ampliandi,dixisse,sibi liquere,dum,incognita re,iudicare voluis-

luisset, maluisse condemnare, quam absoluere: cum, si vno minus damnarent, condemnari reus non posset, non ad cognoscendã caussam, sed ad explendam damnationẽ præsto fuisse. vtrum grauius aliquid in quempiam dici potest, quam ad hominem condemnandum, quem numquã vidisset, neq; audisset, adductum pretio esse? an certius quidquã obijci potest, quam quod is, cui obijcitur, nè nutu quidem infirmare conatur? verumtamen is testis, (vt facile intelligeretis, eum non affuisse animo, cum ab illis caussa ageretur, testesq; dicerent, sed tantisper de aliquo reo cogitasse) cum omnes ante eum dixissent, [illegible]es armatos cum Aebutio fuisse complures, solus dixit, non fuisse. visus est mihi primo veterator intelligere præclare, quid caussa optaret, & tantummodo errare, quod omnes testes infirmaret, qui ante eum dixissent: cum subito ecce idẽ qui solet, suos solos seruos armatos fuisse dixit. Quid huic tu homini facias? nonne cõcedas interdum, vt excusatione summæ stultitiæ, summæ improbitatis odium deprecetur? Vtrum, Recuperatores, his testibus non credidistis, cum, quid liqueret, non habuistis? At controuersia non erat, quin verum dicerent. An in coacta multitudine, in armis, in telis, in præsenti metu mortis, perspicuo periculo cædis, dubium vobis fuit, an esse vis aliqua videretur, nec ne? quibus igitur in rebus vis intelligi potest, si in his non intelligetur? An vero illa defensio vobis præclara visa est? non deieci, sed obstiti: non enim te sum passus in fundum ingredi, sed armatos homines opposui: vt intelligeres, si in fundo pedem posuisses, statim tibi esse pereũdum. Quid ais? is, qui armis perterritus, fugatus, pulsus est, non videtur esse deiectus? posterius de verbo videbimus: nunc rem ipsam ponamus, quam illi non negant, & eius rei ius, actionemq; quæramus. Est hæc res posita, q̃ ab aduersario non negatur, Cæcinam, cum ad constitutam diẽ, tẽpusque venisset, vt vis ac deductio moribus fieret, pulsum prohibitumq; esse vi coactis hominibus, & armatis. cum hoc constet, ego, homo imperitus iuris, ignarus negotiorum, ac litium, hac puto me habere actionem, vt per interdictum, meum ius teneam, atque iniuriam tuam persequar. fac in hoc errare me; nec vllo modo posse per hoc interdictũ id assequi, quod velim: te vti in hac re magistro volo. quæro, sit ne aliqua hui⁹ rei actio, an nulla? cõuocari homines propter possessionis controuersiam non oportet: armari multitudinem iuris

retinen-

retinendi caussa non conuenit: nec iuri quidquam tam inimicum, quam vis: nec æquitati quidquam tam infestum est, quam conuocati homines, & armati. Quod cum ita sit, resq; eiusmodi sit, vt in primis à magistratibus animaduertenda esse videatur; iterū quæro, sit ne eius rei aliqua actio, an nulla? nullam esse dices: audire cupio, qui in pace & otio cum manū fecerit, copias pararit, multitudinem hominū coegerit, armarit, instruxerit, homines inermes, qui ad constitutum, experiundi iuris gratia, venissent, armis, viris, terrore, periculoq; mortis repulerit, fugarit, auerterit, hoc dicat: Feci equidem, quæ dicis, omnia. & ea sunt ● turbulenta, & temeraria, & periculosa: quid ergo est? impune feci: nā, quid agas mecum ex iure ciuili, ac prætorio, non habes. Ita ne vero, Recuperatores: hoc vos audietis? & apud vos dici patiemini sæpius? cum maiores nostri tanta diligentia, prudentiaq; fuerint, vt omnia omniū nō modo tantarū rerū, sed etiā tenuissimarū iura statuerint, persecutiq; sint, vt hoc genus vnū vel maximū prætermitterēt, vt, si qui me exire domo mea coegisset armis, haberem actionem; si qui introire prohibuisset, non haberem? Nondum de Cæcinæ caussa disputo: nondum de iure possessionis nostræ loquor: tantum de tua defensione, C. Piso, queror. Quando ita dicis, & ita constituis; Si Cæcina, cum in fundo esset, inde deiectus esset tum per hoc interdictum eum restitui oportuisse; nunc vero deiectum nullo modo esse inde, vbi non fuerit; hoc interdicto nihil nos assecutos esse: quæro, si te hodie domū tuam redeuntem coacti homines, & armati non modo limine tectoq; ædium tuarum; sed primo aditu vestibuloq; prohibuerint, quid acturus sis? monet amicus meus te L. Calpurnius, vt idem dicas, quod ipse antea dixit, iniuriarū. quid ad caussam possessionis? quid ad restituendum eū, quem oportet restitui? quid deniq; ad ius ciuile, aut ad actoris animaduersionem ages actionē, & ad iniuriarum? plus tibi ego largiar. non solum egeris, verumetiam condemnaris licet: numquid magis possidebis? actio enim iniuriarum non ius possessionis assequitur, sed dolorem imminutæ libertatis, iudicio pœnaque mitigat. prætor interea Piso tanta de re tacebit? quēadmodum te restituat in ædes tuas, non habebit? qui dies totos aut vim fieri vetat, aut restitui factā iubet, qui de fossis, de cloacis, de minimis aquarū itinerumq; controuersijs interdicit, is repente obmutescet? in atrocissima re quid faciat, nō habebit? et, C. Pisone domo tectisq; suis prohibito, prohibito, inquā, per ho-

per homines coactos, & armatos, prætor, quemadmodum more & exemplo opitulari poßit, nõ habebit? quid enim dicet? aut quid tu, tam insigni accepta iniuria. postulabis? vnde vi prohibitus sis, nemo vnquam interdixit. nouum est, non dico inusitatũ, verũ omnino inauditum. Vnde deiectus? quid proficies, cũ illi hoc respondebunt tibi, quod tu nunc mihi? armatos se tibi obstitisse; ne in ædes accederes: deijci porro nullo modo potuisse, qui non accesserit.

EXPLANATIO.

SVMPSIT,} id Cicero tranfert ad cõmodum caussæ suæ: quasi testibus Aebutij probare posset, Cæcinã esse deiectum: cum tamen ijs vteretur Aebutius, vt prohibitum esse, non deiectum, probaret. MINVS *idoneus*} non bonus. nam & supra, cum loqueretur de testibus, opposuit, viri boni, &, minus idonei. EX ILLA *parte*} Aebutij. REI *capitalis*} quod Antiocho imperauerit, vt in Cæcinam aduenientem cum ferro inuaderet. VT ALIQVO *in iudicio*} quasi reliquis in iudicijs ei credi nõ soleret. AVCTOR *fundi,*} venditor, alienator. idẽ. n. valet Auctor. vnde Festus: Fuit dicitur populus esse rei, quã alienat, hoc est auctor. NEC *minus niger, nec minus confidens*,} Confidens quidem apud Terentium appellatur parasitus ille Phormio, non tamen niger: sed habet rationem Cicero histrionis, colore nigro parasitum agentis in scena. SENATOR} solus senator ex Aebutij testibus. IVDICIORVM} corruptum significat in Oppianici iudicium. vt in or. pro Cluentio. EXEMPLAR *antiquæ religionis,*} qui nihil aut in dictis, aut in factis, cõtra quam religio præscribit, committeret: qui talis est in religione seruanda, quales fuisse veteres illos memoriæ proditum est. IPSA *esse.*} tot plane esse: ambiguo sensu: nam, cum de fundo videretur dicere, de pecunia dicebat, quã in Oppianici iudicio acceperat. PVBLICAE *quæstionis,*} cum veneficij accusaretur Oppianicus. NON *affuisse animo,*} alias res egisse, alia cogitasse. DE *aliquo reo*} quem, accepta pecunia, vel absoluere, vel condemnare posset. VETERATOR} homo callidus & astutus. In Verrem lib. III Deinde in hoc homo luteus, etiam callidus ac veterator esse vult. QVID *caussa optaret*}

ret } optabat enim, vt diceretur, quod ille dixit, armatos cum Aebutio non fuisse. TANTVMMODO *errare*, } festiue: quasi leuis quidam error esset, omnes testes, qui ante dixerant, infirmare. SVOS *solos seruos* } ita suum ipse testimonium infirmauit: & qui visus fuerat, quid caussa optaret, intelligere, postea, quod contra caussam esset, dixit. QVID *huic tu homini facias*? } antiqua locutio. In Verrem lib. II: Quid huic homini facitatis? lib. V: Quid Cleomeni fiet? CVM, *quid liqueret, non habuistis*? } cum bis, non liquere, iudicastis. QVIN *verum dicerent*, } cum eorum testimonio consentirent. EST HAEC *res posita*, } constat hoc iam. NON *negatur*. } id enim testes eius dicunt. In quo se ita excusabat Aebutius, non à se Cæcinam de fundo deiectum, sed repulsum, ne, quem ipse fundum possidebat, in eum ingrederetur. VIS } vis illa ciuilis sine armis. MORIBVS } in prooemio: Si facta vis non esset moribus. Et alio loco: Quo die in rem præsentem veniretur, & de fundo Cæcina moribus deduceretur. EGO *homo imperitus iuris*, } non loquitur de seipso, sed vtitur exemplo extrinsecus assumpto: quasi dicat: cum hoc constaret, quid facere potuit quiuis homo imperitus iuris, nisi quod à nobis factum est, vt per interdictum & suum ius teneret, & iniuriam acceptam persequeretur? EX IVRE *ciuili, ac prætorio*, } aliæ sunt I. C. aliæ prætorum actiones, ex quibus duplex ius constituitur. HOC *genus vnum* } cum indignatione. id enim significat. An maiores nostri tenuissimarum rerum iura persecuti sunt, vt hoc genus vel maximum prætermitterent? DOMVM *tuam* } facile poterat Aebutius, quique pro illo agebant, hoc refellere. Si domus tua est; qui te aditu prohibuerunt, recte contra eos ex interdicto ages. at fundum, quo prohibitus, ac repulsus es, tuum esse non constat. mea possessio est: eam si defendo, cur, quasi de tuo fundo deiectus, mecum agis? INIVRIARVM } acturus es hæc tamen actio, inquit Cicero, te non restituet. ACTORIS } eius, qui domo sua repulsus est. nam ad eum actio pertinet. AD ANIMADVERSIONEM, } vt animaduertatur, & cognoscatur id, quod commis-

sum

sum est. TACEBIT?} non dabit interdictum, vt, vnde vi prohibitus sis, eo restituaris? C. PISONE} C. Calpurnio Pisone, Aebutij defensore. VNDE VI *prohibitus sis,*} vt eo restituaris, nemo vmquam prætor interdixit? hoc dici non potest. nouum, inusitatum, inauditum est. ergo impetrabis interdictum, vt nos quoque impetrauimus. VNDE *deiectus?*}mutat verba, vt maiorem ostendat iniuriã in deijciendo, quã in prohibendo: An, inquit, vnde deiectus sis, vt eo restituaris, nemo vmquam interdixit? Si dices, interdici solere: quid proficies? tibi enim respondebunt idem aduersarij tui, quod tu mihi nunc.

ORATIO.

DEIICIOR *ego, inquis, si quis meorum deijcitur. Omnino iã bene agis: à verbis enim recedis, & æquitate vteris. nã, verba ipsa si sequi volumus, quo modo tu deijceris, cũ seruus tuus deijcitur? verũ ita est, vti dicis te deiectũ, debeo intelligere, etiã si tactus non fueris: non ne? Age nunc, si ne quidẽ tuorũ quisquã loco motus erit, atq; omnes in ædibus adseruati, ac retenti, tu solus prohibitus, & à tuis ædibus vi atq; armis perterritus: vtrũ hanc actionẽ habebis, qua nos vsi sumus, an aliã quampiã, an omnino nullã? nullam esse actionẽ dicere in re tam insigni, tamq; atroci, neq; prudentiæ, neque auctoritatis tuæ est. alia si quã forte est, quæ nos fugerit, dic quæ sit: cupio discere. hæc si est, qua nos vsi sumus: te indice vincamus, necesse est. nõ enim vereor, ne hoc dicas, in eadem caussa eodem interdicto te oportere restitui, Cæcinã non oportere. etenim cui perspicuum non sit, ad incertum reuocare bona, fortunas, possessiones omnium, si vlla ex parte sententia huius interdicti deminuta, aut infirmata sit? si auctoritate virorũ taliũ, vis armatorũ hominum iudicio approbata videatur, in quo iudicio non de armis dubitatum, sed de verbis quæsitũ esse dicatur? Is ne apud vos obtinebit caussam suã, qui se ita defenderit: Eieci ego te armatis hominib⁹, nõ deieci: vt tãtũ facinus nõ in æquitate defẽsionis, sed in vna littera latuisse videatur? huiusce rei vos statuetis nullã esse actionem, nulli experiundi ius cõstitutũ, quod obstiterit armatis hominib⁹, qui, multitudine coacta, nõ introitu, sed omnino aditu quẽpiam prohibuerit? quid ergo? hoc quã habet vim vt illa res aliquid aliqua ex parte differre videatur: vtrum, pedem*

pedem cum intulero, atque in poſſeßionem vestigium fecero, tum expellar, atque deijciar, an in eadem vi, atque ijsdem armis mihi ante occurratur, ne non modo intrare, verùm etiam adſpicere, aut adſpirare poßim: qui hoc ab illo differt? vt ille cogatur restituere, qui ingreſſum expulerit, ille, qui ingredientem repulerit, non cogatur? videte, per deos immortales, quod ius nobis, quam conditionem vobiſmetipſis, quam denique ciuitati legem constituere velitis, huiuſce generis vna eſt actio, per hoc interdictum, quo nos vſi ſumus, constituta, ea ſi nihil valet, aut ſi ad hanc rem non pertinet, quid negligentius, aut quid ſtultius maioribus noſtris dici poteſt, qui aut tantæ rei prætermiſerint actionem, aut eam cōſtituerint, quæ nequaquam ſatis verbis cauſſam & rationem iuris amplecteretur? periculoſum eſt, diſſolui hoc interdictum: captioſum eſt omnibus, rem vllam constitui eiuſmodi, quæ cum armis geſta ſit, reſcindi iure non poſſit: verumtamen eſt turpißimū illud, tantæ ſtultitiæ prudentißimos homines condemnari, vt vos iudicetis, huius rei interdictum, atque actionem in mentem maioribus noſtris non veniſſe. Queramur, inquit, licet: tamē hoc interdicto Aebutius non tenetur. Quid ita? quod vis Cæcinæ facta non eſt. dici in hac cauſſa poteſt, vbi arma fuerint, vbi coacta hominū multitudo, vbi inſtructi, & certis locis cū ferro homines collocati, vbi minæ, pericula, terroresq; mortis, ibi vim non fuiſſe? Nemo, inquit, occiſus eſt, neque ſaucius. Quid ais? cum de poſſeßionis cōtrouerſia, & de priuatorum hominū contentione iuris loquamur, tu vim negabis eſſe factam, ſi cædes, & occiſio facta nō erit? ego exercitus maximos ſæpe pulſos & fugatos eſſe dico, terrore ipſo, impetuq; hoſtium, ſine cuiuſquam non modo morte, verum etiam vulnere. etenim, Recuperatores, non ea ſola vis eſt, quæ ad corpus noſtrum, vitamq; peruenit, ſed etiam multo maior ea, quæ, periculo mortis iniecto, formidine animum perterritū loco ſæpe, & certo de ſtatu dimouet: itaque ſaucij ſæpe homines, cum corpore debilitantur, animo tamen nō cedunt, neq; eum relinquunt locū, quē ſtatuerint defendere: at alij pelluntur integri: vt non dubium ſit, quin maior adhibita vis ei ſit, cuius animus ſit perterritus, quā illi, cuius corpus vulneratum ſit. quod ſi vi pulſos dicimus exercitus eſſe eos, qui metu, ac tenui ſæpe ſuſpicione periculi fugerunt; & ſi non ſolum impulſu ſcutorum, neque conflictu corporum, neq; ictu comminus, neque coniectione telorum, ſed ſæpe clamore ipſo militum,

tum, aut instructione, adspectuq; signorum magnas copias pulsas esse & vidimus, & audiuimus: quae vis in bello appellatur, ea in otio non appellabitur? & quod vehemens in re militari putatur, id leue in iure ciuili iudicabitur? & quod exercitus armatos mouet, id aduocationem togatorũ non videbitur mouisse? & vulnus corporis magis istam vim, quam terror animi declarabit? & sauciatio quaeretur, cum fugam factam esse cõstabit? tuus enim testis hoc dixit, metu perterritis nostris aduocatis, locũ, quo effugerent, demonstrasse. qui non modo vt fugerent, sed etiam ipsius fugae tutam viam quaesierunt, his vis adhibita non videbitur? quid igitur fugiebant? propter metum. quid metuebãt? vim videlicet. potestis igitur principia negare, cũ extrema conceditis? fugisse perterritos confitemini: caussam fugae dicitis eandem, quam omnes intelligimus, arma, multitudinem hominum, incursionem, atq; impetum armorum. haec vbi conceduntur esse facta, vbi vis facta negabitur? At vero hoc quidẽ iam vetus est, & maiorum exemplo multis in rebus vsitatum; cum ad vim faciendam veniretur, si quos armatos quamuis procul conspexissent, vt statim testificati discederẽt; optime sponsionem facere possent: ni aduersus edictũ praetoris vis facta esset. Ita ne vero? scire esse armatos, satis est vt vim factam probes: in manus eorũ incidere, non est satis? adspectus armatorũ ad vim probandã valebit, incursus & impetus nõ valebit? qui abierit, facilius sibi vim factã probabit, quã qui effugerit? at ego dico hoc: si, vt primo in castello Caecinae dixit Aebutius se homines coegisse, & armasse, neq; illũ, si eo accessisset, abiturũ, statim Caecina discessisset; dubitare vos non debuisse, quin Caecinae facta vis esset. si vero, simul ac procul conspexit armatos, recessisset: eo minus dubitaretis: omnis enim vis est, quae periculo aut decedere nos alicunde cogit, aut prohibet accedere. quod si aliter statuetis, videte, ne hoc vos statuatis, qui viuus discesserit, ei vim nõ esse factam, ne hoc omnibus in possessionum cõtrouersiis praescribatis, vt confligendum sibi, & armis decertandum putent, ne, quemadmodũ in bello poena ignauis ab imperatoribus constituitur, sic in iudiciis deterior caussa sit eorũ, qui fugerint, quã qui ad extremũ vsque contenderint. Cum de iure, & legitimis hominum controuersiis loquimur, & in rebus vim nominamus, pertenuis vis intelligi debet. vidi armatos, quamuis paucos: magna vis est. decessi; vnius hominis telo perterritus: deiectus, detrususq; sum. hoc si

ita statuetis, non modo non erit cur depugnare quisquam posthac possessionis caussa velit, sed ne illud quidem, cur repugnare. Sin autem vim, sine cæde, sine vulneratione, sine sanguine nullā intelligētis, statuetis, homines possessionis cupidiores, quā vitæ, esse oportere.

EXPLANATIO.

NEQVIDEM} rarū, & fortasse mendosum. nam aliquid interponi solet. AVCTORITATIS *tuæ*} viri cōsularis. hūc enim esse arbitror, qui cōsul fuit cum Glabrione, anno antequam Cicero præturā gessit. & hanc Cicero caussam prætorius, vt opinor, egit. HVIVS *rei*} quā cōmisit Aebutius. siquidē vna est actio per hoc interdictū, quo nos vtimur, cōstituta. *Aduocationem*} aduocatos Cæcinæ, qui cū in rem præsentem venissent, metu armorum fugerunt. AD VIM *faciundam*} moribus, non vi, & armis. VENIRETVR,} in rem pręsentem, communi sententia: ad quā vim faciundam cū Cæcina & Aebutius ex conuentu venissent, non seruauit pactionem Aebutius, & armis vsus est. PERTENVIS *vis*} ea, quæ moribus fit: at quæ armis, magna. DEPVGNARE} pro recuperāda possessione. REPVGNARE. pro tuēda *Statuetis, homines possessionis cupidiores, quam vitæ, esse oportere.*} Cæcina. & eius aduocati vitæ cupidiores quā possessionis, aufugerunt. vos, si vim esse nullā intelligitis, quæ sine cæde, vulnere, sanguine fit: statuitis, non debere homines effugere, nisi prius armis decernatur, nec vitæ cupidiores esse oportere, quā possessionis, sed possessionis, quā vitæ.

ORATIO.

AGE vero, de vi te ipsum habebo iudicem, Aebuti: respōde, si tibi videtur: in fundum Cæcina vtrum noluit tandē, an nō potuit accedere? cū te obstitisse & repudiasse dicis, certe hunc voluisse concedis. potes igitur dicere, non ei vim fuisse impedimento, cui, cū cuperet, eoque consilio venisset, per homines coactos non sit licitū accedere? si enim id, quod maxime voluit, nullo modo potuit: vis profecto quædam obstiterit, necesse est: aut tu dic. quamobrē, cū vellet accedere, non accesserit. Iam vim factam negare non potes: deiectus quemadmodū sit, qui non accesserit, id quæritur: demoueri enim, & depelli de loco necesse est eū, qui deijciatur. id autē accidere ei qui potest, qui omnino in eo loco, vnde

vnde se deiectum esse dicit,numquã fuit?qui si fuisset,& ex eo loco,metu permotus fugisset,cũ armatos vidisset;diceres ne esse deiectũ?opinor.at tu,qui tã diligenter, & tã callide verbis controuersias,nõ æquitate dijudicas, et iura nõ vtilitate cõmuni sed literis exprimis,poteris ne dicere deiectum esse eum , qui tactus nõ erit?quid detrusum dices?nã eo verbo antea prætores hoc interdicto vti solebant.quid ais?potest ne detrudi quisquã, qui nõ attingitur?non ne,si verbum sequi volumus, hoc intelligamus necesse est,eũ detrudi,cui manus afferantur?necesse est,inquã, si ad verbum rẽ volumus adstringere,neminem statuere detrusum,qui nõ adhibita vi,manu demotus,& actus præceps,intelligatur.deiectus vero qui potest esse quisquam,nisi in inferiorem locũ de superiore motus?potest pulsus,fugatus,eiectus denique;illud vero nullo modo potest,deiectus esse quisquam,non modo qui tactus non sit, sed ne æquo quidem,& plano loco.quid ergo?hoc interdictũ putamus eorum esse caussa cõpositum,qui se præcipitatos ex locis superioribus dicerent?eos enim vere possumus dicere esse deiectos.an non, cum voluntas,& consilium,& sententia interdicti intelligatur, impudentiam summam,aut stultitiam singularem putabimus, in verborũ errore versari,rem,& caussam,& vtilitatem cõmunẽ nõ relinquere solum,sed etiam prodere?an dubium est, quin neq; verborum tanta copia sit,non modo in nostra lingua, quæ dicitur esse inops, sed ne in alia quidem vlla, res vt omnes suis certis, ac proprijs vocabulis nominẽtur,neque vero quidquam opus sit verbis,cum ea res,cuius caussa verba quæsita sint, intelligatur? quæ lex,quod senatusconsultum,quod magistratus edictum, quod fœdus,aut pactio,quod (vt ad priuatas res redeam)testamentũ,quæ iudicia, aut stipulationes , aut pacti, & conuenti formula non infirmari , aut conuelli potest ,si ad verba rem deflectere velimus, consilium autem eorum,qui scripserunt,& rationem, & auctoritatem relinquamus?sermo,hercule,& familiaris,& quotidianus nõ cohærebit,si verba inter nos aucupabimur.deniq; imperiũ domesticũ nullum erit.si seruulis hoc nostris concesserimus, vt ad verba nobis obediant,non ad id,quod ex verbis intelligi poßit,obtemperent.exemplis nũc vti videlicet mihi necesse est harum rerũ omniũ nõ occurrit vnicuique vestrũ aliud alij in omni genere exẽplum,quod testimonio sit,nõ ex vestris totũ pendere ius,sed verba seruire hominum consilijs, & auctoritatibus ornate, & copiose.

 L.Craß-

L. Crassus, homo longe eloquentißimus . paullo ante quam nos in forum venimus, iudicio centumuirali hanc sententiam defendit; & facile, cum contra eum prudentißimus homo Q. Mucius diceret, probauit omnibus, M. Curium, qui heres institutus esset ita, mortuo postumo filio, cum filius non modo non mortuus, sed ne natus quidem esset, heredem esse oportere. quid: verbis satis hoc cautum erat: minime quae res igitur valuit? voluntas. quae si, tacitis nobis, intelligi posset, verbis omnino non vteremur: quia non potest, verba reperta sunt, non quae impedirent, sed quae indicarent voluntatem. Lex vsum fundi iubet esse biennium. at vtimur eodē iure in aedibus, quae in lege nō appellantur. si via sit immunita, iubet, qua velit, agere iumentum . potest hoc ex verbis intelligi, licere, si via sit in Bruttijs immunita, agere, si velit, iumentum per M. Scauri Tusculanum. actio est in auctorem praesentem his verbis: Quandoquidē te in iure conspicio. hac actione Appius ille Caecus vti non posset, si tam vere homines verba consectarentur, quā rem, cuius caussa verba sunt, non considerarent. Testamento si recitatus heres esset pupillus Cornelius; isque iā annos XX haberet; vobis interpretibus amitteret hereditatem? Veniunt in mentē mihi permulta, vobis plura certo scio. verum, ne nimium multa complectamur, atque ab eo, quod propositum est, longius aberret oratio, hoc ipsum interdictum, de quo agitur, consideremus. intelligetis enim in eo ipso, si in verbis ius cōstituamus, omnem vtilitatem nos huius interdicti, dum versuti & callidi volumus esse, amissuros. VNDE TV. AVT. FAMILIA. AVT. PROCVRATOR. TVVS. Si me villicus tuus solum deiecisset; non familia deiecisset, vt, opinor, sed aliquis de familia; recte igitur diceres te restituisse? quippe: quid enim facilius est, quam probari ijs, qui Latine sciant, iñ vno seruulo familiae nomē non valere? si vero ne habeas quidem seruum praeter eum , qui me deiecerit; clames videlicet, Si habeo familiam, à familia mea fateor te esse deiectum. neque dubium est, quin, si ad rem iudicandam verbo ducimur, non re, familiam intelligamus, quae constet ex seruis pluribus, quin vnus homo familia non fit. verbum certe hoc non modo postulat, sed etiā cogit. At vero ratio iuris, interdictiq; vis, & praetorum voluntas, & hominum prudentium consilium, et auctoritas respuat hāc defensionem, & pro nihilo putet. Quid ergo? isti homines Latine nō loquuntur? immo vero tantum loquuntur, quantum est satis ad intelli-

telligendam voluntatem: cum sibi hoc proposuerint, vt, siue me tu deieceris, siue tuorum quispiam, siue seruorum, siue amicorum, vt seruos non numero distinguant, sed appellent vno familiæ nomine: de liberis autē, quisquis est, procuratoris nomine appelletur: nō quo omnes sint, aut appellentur procuratores, qui negotij nostri aliquid gerant: sed in hac re, cognita sententia interdicti, verba exquiri omnia noluerunt. non enim alia caussa est æquitatis in vno seruo, & in pluribus: nō alia ratio iuris in hoc genere dumtaxat, vtrum, me tuus procurator deiecerit is, qui legitime procurator dicitur omnium rerum eius, qui in Italia non sit, absit ve reip. caussa, quasi quidā pæne dominus, hoc est alieni iuris vicarius. an tuus colonus, aut vicin⁹ aut cliens, aut libertus, aut quiuis, qui illā vim, deiectionēq; tuo rogatu, aut tuo nomine fecerit. quare, si ad eū restituendum, qui vi deiectus est, eandem vim habet æquitatis ratio: ea intellecta, certe nihil ad rem pertinet, quæ verborū vis sit, ac nominum. tam restitues, si tuus me libertus deiecerit, nulli tuo præpositus negotio, quam si procurator deiecerit: non quo omnes sint procuratores, qui aliquid nostri negotij gerunt: sed quod in hac re quæri nihil attinet. tam restitues, si vnus seruulus, quam si familia deiecerit vniuersa: non quo idem sit seruulus, quod familia: verum quia, non quibus verbis quidque dicatur, quæritur sed quæ res agatur. Etiam vt iam longius à verbo decedamus, ab æquitate ne tantulum quidem: si tuus seruus null⁹ fuerit, & omnes alieni ac mercenarij, tamen & ipsi tuæ familiæ & genere, & nomine continebuntur.

EXPLANATIO.

DIMOVERI *enim,*} Aebutij ratio QVOD *si fuisset,*} Ciceronis confutatio. SI AD *verbum rem volumus attingeret,*} malim, Attinere: pro, si volumus à verbo, rem pendere. vel, Attingere, explicare, ostendere. NEMINEM *statuere detrusum*} sciat lector, Statuere, coniecturam esse nostram: cum in antiquis libris legatur, Statu. AN *dubium est, quin neq;*} certū est, inquit, neque verborū vllam esse copiam tantam, non modo in nostra, quæ dicitur esse inops, sed in vlla omnino lingua, res vt omnes suis certis ac proprijs vocabulis exprimantur; neq;, si res pateat, verba esse quærenda. QVAE *dicitur esse inops*} vulgi opinionem significat: quam non refellit, caussæ ser-

uiens.at lib.I.de Finibus,Ita ſentio,inquit,vt ſæpe diſſerui, Latinam linguam nō modo non inopem,vt vulgo putarēt, ſed locupletiorem etiam eſſe, quam Græcam. NON *cohærebit,*} diſiunctus erit,interruptus,hians,ſi, cū vna loquimur,attente quæramus, & aucupemur verba alia magis alijs,quæ rem attingere videantur. HANC *ſententiam*} pro iure contra verba. Q. MVCIVS} pont. max.qui eius collega fuerat in conſulatu.Eodē tempore fuit alter Q Mucius augur, Lælij ſapientis gener,L.Craſſi,qui nominatur hic,ſocer:vt infra. M' CVRIVM,} de hac controuerſia lib.I.& II.de orat.in Bruto,in Topicis: LEX *vſum, & auctoritatem fundi iubet eſſe biennium.* } iubet lex,vſum fundi eſſe biennium,vt vſucapionis ius acquiratur. *Auctoritatem,* id eſt ius vſucapionis biennium eſſe. EODEM *iure in ædibus,*} vt vſucapionis ius biennio acquiratur. TVSCVLANVM.} longe à Bruttijs. VTI *nō poſſet,*} cæcus enim non cōſpicit. NON *conſiderarent.*} tolle, Nō: apertior ſententia erit. TE *reſtituiſſe.*} id eſt, me nō eſſe deiectū?eūdem ſenſum ex verbo, Reſtituere, ſupra quoque licet colligere,in eo loco: Prætor interdixit,vt,vnde deieciſſet,reſtitueret.reſtituiſſe ſe dixit. ſpōſio facta eſt. Nā illud, Reſtituiſſe ſe dixit, nihil aliud ſignificat, quā, deiectū à ſe nō eſſe.ſic & infra: Si glebis,aut ſaxis,aut fuſtibus aliquē de fundo p̄cipitē egeris, iuſſuſq; ſis,quē hominibus armatis deieceris,reſtituere; reſtituiſſe te dices? QVIPPE} nihil minus,minime vero. NON *valere?*} non accipi de vno ſeruulo. SI HABEO *familiam,*} quam quia non habeo,(neque enim ſeruus vnus Familia dici poteſt)ideo deiectum te nego à familia mea,itaque verba interdicti ad me non pertinent, qui familiam non habeo. HANC *defenſionem,*} Aebutij ISTI *homines*} quos dixit hanc defenſionem reſpuere. Obiectio Aebutij, valere verba debere contendentis apud eos, qui Latine loquuntur. NON *enim alia cauſſa eſt æquitatis in vno ſeruo, & in pluribus :*} quæ uis fit ab vno ſeruo,eadem eſt,ac ſi fieret in plūribus. TAM *reſtitues,*} tam reſtituere debebis. PROCVRATOR} qui cum maxime differat à colono, à vicino, à cliente, à liberto tuo, cum illi nullo tuo

nego.

negotio, hic præpositus omnibus sit: non tamen alia ratio iuris est, in hoc genere dumtaxat, vtrum ipse me procurator, an, exempli gratia, libertus tuus deiecerit. TAMEN *& ipsi* } si me tuo iussu deiecerint.

ORATIO.

PERGE *porro hoc idem interdictum sequi.* HOMINIBVS. COACTIS. *Neminem coegeris, ipsi conuenerint sua sponte: certe cogit is, qui cõgregat homines, & conuocat. coacti sunt ij, qui ab aliquo sunt vnũ in locũ congregati. si non modo conuocati non sunt, sed ne conuenerunt quidẽ, sed ij modo fuerunt, qui etiam antea, non vis vt fieret, verum colendi, aut pascendi caussa, esse in agro consueuerant: defendes, homines coactos nõ fuisse, & verbo quidẽ superabis, me ipso iudice, re autẽ ne cõsistes quidem vllo iudice. vim enim multitudinis restitui voluerunt, non solum conuocatæ multitudinis: sed, quia plerumque, vbi multitudine opus est, homines cogi solent, ideo de coactis cõpositum interdictũ est: quod etiã si verbo differre videbitur, re tamen erit vnũ, & omnibus in caussis idẽ valebit, in quib⁹ perspicitur vna atq; eadẽ caussæ æquitatis.* ARMATIS. VE. *Quid dicemus armatos, si Latine loqui volumus, quos appellare vere possumus? opinor eos, qui scutis, telisq; parati, ornatiq; sunt: quid igitur? si glebis, aut saxis, aut fustibus aliquem de fundo præcipitẽ egeris, iussusq; sis, quẽ hominibus armatis deieceris, restituere: restituisse te dices? verba si valent, si caussæ non ratione, sed vocibus ponderãtur: me auctore dicito. vinces profecto nõ fuisse armatos eos, qui saxa iacerent, quæ de terra ipsi tollerent; nõ esse arma, cespites, neq; glebas, non fuisse armatos eos, qui prætereuntes ramũ defringerent arboris; arma esse suis nominibus, alia ad tegendũ, alia ad nocendũ; q̃ qui nõ habuerint, eos inermes fuisse vinces: verũ, siquidẽ erit armorũ iudiciũ, tũ ista dicito: iuris iudiciũ cũ erit, & æquitatis, caue in ista tã frigida, tã ieiuna calumnia delitescas. nõ enim reperies quemquã iudicem, aut Recuperatorem, qui, tamquã si arma militis inspiciũ dasint, ita probet armatũ: sed perinde valebit, quasi armatißimi fuerint, si reperiẽtur ita parati fuisse, vt vim vitæ, aut corpori potuerint afferre. Atq; vt magis intelligas, quã verba nihil valeãt: si tu solus, aut quiuis vnus cũ scuto, cũ gladio impetũ in me fecisset, atq; ego ita deiectus essẽ; auderes ne dicere, interdictũ esse de armatis hominibus, hic autẽ hominem armatum vnũ fuisse? non, opinor,*

opinor, tam impudens esses. atqui vide, ne multo nunc sis impudẽtior: nam tum quidem omnes mortales implorare posses, quod homines in tuo negotio Latine loqui obliuiscerentur; quod inermes armati iudicarẽtur; quod cum interdictum esset de pluribus, commissa res esset ab vno, vnus homo plures esse homines iudicarentur. verum in his caussis non verba veniunt in iudicium, sed ea res, cuius caussa verba hæc in interdictũ coniecta sunt. vim, quæ ad caput, & ad vitã pertinet, restitui sine vlla exceptione voluerunt. ea fit plerumq; per homines coactos, armatosq;. quæ si alio cõsilio, eodem periculo facta sit, eodem iure esse voluerunt. nõ enim maior est iniuria, si tua familia, quam si tuus villicus; non si tui serui, quam si alieni, ac mercenarij; non si tuus procurator, quam si vicinis, aut libertus tuus; non si coactis hominibus, quam si voluntarijs, aut etiam assiduis, ac domesticis; non si armatis, quam si inermibus, qui vim haberent armatorum ad nocendum; non si pluribus, quam si vno armato: quibus enim rebus plerumque vis fit, eiusmodi hæ res appellantur interdicto. si per alias res eadem facta vis est, ea, tametsi verbis interdicti non concluditur, tamen sentẽtia iuris, atque auctoritate retinetur.

EXPLANATIO.

VIM *enim multitudinis restitui voluerunt,* } qui interdictũ scripsere, nõ eos modo, qui à cõuocata multitudine deiecti essent, sed eos etiam, qui à multitudine restitui voluerunt. Sic infra: Vim, q̃ ad caput, & ad vitam pertinet, restitui sine vlla exceptione voluerunt. ARMATISVE } siue, Armatisue, siue, Armatisque legas, recte vtrumq;. est enim infra: Vis fit per homines coactos, armatosq; Est etiã: Si sine armatis, coactisve hominibus. Et ibidem: Sine coactis, armatisve hominibus. ORNATIQ. } instructiq; RESTITVISSE *te dices?* } negabis à te esse deiectũ? Quo modo accepimus illud supra, Restituisse se dixit: & illud, Recte igitur diceres te restituisse? ALIO *consilio,* } non per homines coactos, armatosq; sed alio modo, id est nec à multitudine, nec armis. EODEM *iure esse* } pariter teneri interdicto de vi.

ORATIO.

VENIO *nunc ad illud tuum: Non deieci, si non sivi accedere puto te ipsum, Piso, perspicere, quanto ista sit angustior*

*stior iniquiorq; defensio, quã si illa vterere: Non fuerunt armati, cũ fustibus & saxis fuerũt. Si mehercule mihi, non copioso homini ad dicendũ, optio detur, vtrum malim defendere, non esse deiectũ eum, cui vi & armis ingrediẽdi sit occursum, an armatos nõ fuisse eos, qui sine scutis, ac sine ferro fuerint: omnino ad probandum vtramq; rem videam infirmam, nugatoriamq́ esse: ad dicendum autem, in altera videar mihi aliquid reperire posse, non fuisse armatos eos, qui neque ferri quidquã, neque scutum vllum habuerint: hic vero hæream, si mihi defendendũ sit, eum, qui pulsus, fugatusq́; sit, non esse deiectum. At que illud in tota defensione tua mihi maxime mirum videbatur, te dicere, iurisconsultorũ auctoritati obtemperari non oportere. quod ego, tametsi non nunc primum, neque in hac caussa solum audio, tamen admodum mirabar abs te quamobrem diceretur. nam ceteri tũ ad istam orationẽ decurrunt, cum se in caussa putãt habere æquũ & bonum, quod defendant, si contra verbis & litteris, &, vt dici solet, summó iure contenditur, solent eiusmodi iniquitati boni & æqui nomen, dignitatemq́; opponere. tum illud, quod dicitur, si veni be, irridẽt: * tum aucupia verborũ, et litterarũ tendiculas in inuidiam vocãt: tum vociferantur, ex æquo et bono, non ex callido versutoq́ iure, rem iudicari oportere: scriptũ sequi calumniatoris esse; boni iudicis, voluntatem scriptoris auctoritatẽq. defendere. ista vero caussa, cũ tu sis is, qui te verbo, litteraq́ defendas, cũ tuæ sint eæ partes, vnde deiectus es? an inde, quo prohibitus es accedere? eiectus es, nõ deiect⁹: cũ tua sit hæc oratio, fateor me homines coegisse, fateor armasse, fateor tibi mortẽ esse minitatũ, fateor hoc interdicto prætoris vindicari, si volũtas et æquitas valeat. sed ego inuenio in interdicto verbũ vnũ, vbi delitescã, Nõ deieci te ex eo loco, quẽ in locũ prohibui ne venires. In ista defensione accusas eos, qui cõsulũtur, quod æquitatis cẽseãt rationẽ, nõ verbi haberi oportere. & hoc loco Scæuolã dixisti caussam apud centumuiros non tenuisse: quem ego antea cõmemoraui, cũ idem faceret, quod tu nunc, tametsi ille in aliqua caussa faciebat, tu in nulla facis, tamẽ probasse nemini, quod defendit, quia verbis oppugnare æquitatem videbatur. cum id miror, te hoc in hac re alieno tempore, & cõtra quã ista caussa postulasset, defendisse: tum illud vulgo in iudicijs, et non nũquam ab ingeniosis hominibus defendi mihi mirũ videri solet, nec iurisconsultis concedi, nec ius ciuile in caussis semper valere opor-*

Ccc 5 tere.

tere.nã,qui hoc disputant, si id dicunt, non recte aliquid statuere eos,qui consulantur,non hoc debent dicere,iuri ciuili sed hominibus stultis obtēperari nō oportere:sin illos recte respondere cōcedūt & aliter iudicari dicunt oportere, male iudicari oportere dicūt. neq; .n fieri potest, vt aliud iudicari de iure,aliud respōderi oporteat;nec vt quisquã iuris numeretur peritus,qui id statuat esse ius quod nō oporteat iudicari. At est aliquando contra iudicatū. Primū vtrū recte,an perperã?si recte;id fuit ius, quod iudicatum est: sin aliter,non dubiū est, vtrū iudices, an iurisconsulti vituperãdi sint. Deinde:si de iure vario quippiã iudicatū est, nō potius contra iurisconsultos statuunt, si aliter pronunciatū est ac Mucio placuit, quã ex eorū auctoritate,si,vt Manilius statuebat, sic est iudicatū. etenim ipse Crassus nō ita caussã apud Centūuiros egit,vt contra iurisconsultos diceret,sed vt hoc doceret, illud,quod Scæuola defendebat,nō esse iuris;& in eã rē nō solū rationes afferret,sed etiã Q. Mucio,socero suo,multisq; peritissimis hominibus auctoribus vteretur.nã,qui ius ciuile cōtemnēdū putat, is vincula reuellit nō modo iudiciorū,sed etiã vtilitatis,vitæq; cōmunis.qui autē interpretes iuris vituperat,si imperitos iuris esse dicit,de hominibus,nō de iure ciuili detrahit:sin peritis nō putat esse obtēperandū, nō homines lædit,sed leges, ac iura labefactat.quod vobis venire in mētē profecto necesse est.nihil enim in ciuitate tã diligenter,quã ius ciuile,retinēdū.etenim,hoc sublato,nihil est,quare exploratū cuiquã possit esse,quid suū.aut quid alienū sit;nihil est,quod æquabile inter oēs, atq; vnū omnibus esse possit. itaq; in ceteris cōtrouersiis,atq iudiciis,cū quritur,aliquid factū,nec ne sit,verū,an falsū proferatur,& fictus testis subornari solet,& imponi falsæ tabulæ non nūquã honesto ac probabili nomine bono viro iudici error obiici,improbo facultas dari,vt,cū sciens perperã iudicarit, testimoniū,aut tabulas secut9 esse videatur.in iure nihil est eiusmodi, Recuperatores,non tabulæ falsæ,non testis improbus.deniq; nimia ista,quæ dominatur in ciuitate,potentia in hoc solo genere quiescit;quid agat,quo modo aggrediatur iudicē,qua deniq; digitū proferat,non habet.illud enim potest dici iudici ab aliquo nō tã verecundo homine,quam gratioso:Iudica hoc factū esse,aut numquam esse factum,vel cogitatū: crede huic testi:has comproba tabulas: hoc non potest:Cui filius agnatus sit, eius testamentum nō esse ruptum, iudica; quod mulier sine tutore auctore promiserit, deberi-

non

non est aditus ad huiuscemodi res neque potentiæ cuiusquã, neq; gratiæ. Deniq;, quo maius hoc, sanctiusq; videatur, ne pretio quidem corrũpi iudex in eiusmodi caussa potest. iste vester testis, qui ausus est dicere, fecisse videri eum, de quo ne cuius rei argueretur quidem scire potuisset, ipse numquam auderet iudicare, deberi viro dotem, quam mulier nullo auctore dixisset.

EXPLANATIO.

SVMMO *iure*} quod interdum ab æquitate discedit. ILLVD, *quod dicitur, summo iure, irridet:*} vestigia secutus antiquitatis, vel sententiã potius ipsam, reposui, Summo iure: cum in veteribus libris, si veni be, scriptũ viderem. AVCVPIA *verborum*,} iurisconsultorũ propria, vt homines more auium capiantur. LITTERARVM *tendiculas*}& hoc eiusdem generis est. QVOD *idem faceret*,} quod verborum rationem tantũ haberet: quod tu nunc facis. TV IN *nulla facis:*} non soles verba defendere, æquitatem oppugnare. DEFENDISSE} æquitatem: cũ tua caussa tota sit in verbis, litterisq; posita. MIHI *mirũ videri solet.* } incipit laudare ius ciuile: cũ satis copiose ambigua distinxerit. & hoc est, quod ait in Oratore: Ambigua distinximus: ius ciuile laudauimus. NEC *iurisconsultis concedi*,} semper oportere. DE IVRE *vario*} cum duo, pluresue iurisperiti varie respondissent. IN CETERIS *cõtrouersijs*,} in quibus non de iure quæritur, sed de facto. IMPONI} inferri, induci. IMPROBO} iudici. TESTAMENTVM,} legendum puto, Testimonium: vel, Testẽ. tamen. hic enim testamenti nulla mentio: testis autem supra, infraq; nominatur. NIMIA *ista potentia*} in corrũpendis iudicibus. QVIESCIT;} iacet, nihil proficit. CVI *filius agnatus sit*,} cui postumus filius natus sit: quo nato rũpitur testamẽtũ. lib. I. de Orat. SINE *tutore auctore*} sine quo promittere nihil potest: itaq; quod promiserit nõ debetur. pro Murena: Mulieres oẽs propter infirmitatẽ cõsilij maiores in tutorũ potestate esse voluerũt. ISTE *vester testis*,} Fidiculanius Falcula, qui, cum non audisset Oppianici caussam, tamen eum condemnauit. supra: In eum quid dicam, nisi id, quod negari non possit?

venisse

venisse in consilium publicæ quæstionis, cum eius consilij iudex non esset, & in eo consilio, cum caussam non audisset, & potestas esset ampliandi, dixisse, sibi non liquere. FECISSE *videri eum,*} Fecisse, pro, peccasse: quo de genere loquendi supra diximus.

ORATIO.

O REM *præclarã, vobisq; ob hoc retinendã, Recuperatores. quod enim est ius ciuile? quod neq; inflecti gratia, neque perfringi potentia, neq; adulterari pecunia possit. quod si non modo oppressum, sed etiam desertum, aut negligentius adseruatum erit, nihil est, quod quisquam sese habere certum, aut à patre accepturũ, aut relicturum liberis arbitretur. quid enim refert, ædes, aut fundũ relictum à patre, aut aliqua ratione habere bene partum, si incertum sit, quæ lumina tua iure mancipij sint, ea possis ne retinere? si parietum cõmunium ius? si ciuili ac publica lege cõtra alicuius gratiam teneri non potest? quid, inquam, prodest fundum habere, si, quæ decentissime descripta à maioribus iura finiũ, possessionum, aquarum, itinerumque sunt, hæc perturbari aliqua ratione, commutariq; possunt? mihi credite, maior hereditas venit vnicuiq; nostrum in ijsdem bonis à iure, & à legibus, quã ab ijs, à quibus illa ipsa bona relicta sunt. nã, vt perueniat ad me fundus, testamento alicuius fieri potest: vt retineam quod meũ factũ sit, sine iure ciuili non potest. fundus à patre relinqui potest: at vsucapio fundi, hoc est finis solicitudinis, ac periculi litium, non à patre relinquitur, sed à legibus. aquæductus, haustus, iter, actus, à patre, sed rata auctoritas harum rerum omnium à iure ciuili sumitur. Quapropter non minus diligenter ea, quæ à maioribus accepistis, publica patrimonia iuris, quã priuatæ rei vestræ retinere debetis, non solum, quod hæc iure ciuili septa sunt; sed etiam, quod patrimonium vnius incommodo dimittitur, ius amitti non potest sine magno incommodo ciuitatis. In hac ipsa caussa, Recuperatores, si hoc nos nõ obtinebimus, vi armatis hominibus deiectũ esse eum quem vi armatis hominibus pulsum, fugatumq; esse constet: Cæcina rem non amittet, quã ipsa animo forti, si tempus ita ferret, amitteret: in possessionem in præsentia non restituetur, nihil amplius: populi R. caussa, ciuitatis ius, bona, fortunæ, possessionesq; in dubium, incertumq; reuocabuntur: vestra auctoritate hoc cõstituetur, hoc præscribetur; quicum tu posthac de possessione contendes, eum si in-*

si ingressum modo deieceris, in prædium restituas oportebit, sin autem ingredienti, cum armata multitudine obuius fueris, & ita venientem repuleris, fugaris, auerteris, nō restitues. tū statueritis vim in cæde solum, nō in animo libidinis: nisi cruor appareat, vim non esse factam, iniuriarum delictum esse: qui prohibitus sit, nisi ex eo loco, vbi vestigium impresserit, deijci neminem posse, iuris retinere sententiam, & æquitatem plurimum valere oportere, an verbo ac littera ius omne torqueri. Vos statuite, Recuperatores, vtrum vtilius esse videatur. Hoc loco percommode accidit, quod non adest is, qui paullo ante affuit, & adesse nobis frequenter in hac caussa solet, vir ornatissimus, C. Aquillius. nā, ipso præsente, de virtute eius, & prudentia timidius dicerem, quod, & ipse pudore quodam afficeretur ex sua laude, & me similis ratio pudoris à præsentis laude tardaret. cuius auctoritati, dictum est, ab illa caussa concedi nimium non oportere. non vereor, de tali viro ne plus dicam, quam vos aut sentiatis, apud vos commemorari velitis: quapropter hoc dicam, numquam eius auctoritatem nimium valere, cuius prudentiam populus R. in cauēdo, non in decipiendo perspexerit: qui iuris ciuilis rationem numquam ab æquitate seiunxerit: qui tot annos ingenium, laborem, fidem suam populo Romano promptam, expositamq; præbuerit: qui ita iustus, & bonus vir est, vt natura, non disciplina, consultus esse videatur, ita peritus, ac prudens, vt ex iure ciuili non scientia solum quædam, verū etiam bonitas nata videatur: cuius tantum est ingenium, ita prompta fides, vt, quidquid inde haurias, purum, liquidumq; te haurire sentias. Quare permagnam initis à nobis gratiam, cum eum auctorem nostræ defensionis esse dicitis. illud autem miror; cur vos aliquid contra me sentire dicatis, cum eum auctorem vos pro me appelletis, nostrū nominetis. verùmtamen quid ait iste noster auctor? Omnibus quidquid verbis actum pronunciatumq; sit. Conueni ego ex isto genere consultorū non neminē, vt opinor, istum ipsum, quo nos auctore rem istam agere, & defensionē caussæ constituere dicitis: qui cum istam disputationem mecum ingressus esset, non posse probari, quemquam esse deiectum, nisi ex eo loco, in quo fuit, rem, & sententiam interdicti mecum facere fatebatur, verbo me excludi dicebat, à verbo autem posse recedi non arbitrabatur. cum exemplis vterer multis, etiam illa materia æquitatis, ab verbo, et ab scripto plurimis sæpe in rebus æqui boniqúe rationem esse seiunctam;

etiam semperq; id voluisse plurimũ, quod in se auctoritatis habuisset æquitatisque plurimũ: consolatus est me, & ostendit, in hac ipsa caussa nihil esse quod laborarem: nam verba ipsa sponsionis facere mecũ, si vellem diligenter attendere. quo nã, inquam, modo? quia certe, inquit, deiectus est Cæcina vi hominibus armatis aliquo ex loco: si non ex eo loco, quẽ in locũ venire voluit, at ex eo certe, unde fugit. quid tum? prætor, inquit, interdixit, vt, vnde deiectus esset, eo restitueretur: hoc est, quicumque is locus esset, vnde deiectus est. Aebutius autem, qui fatetur aliquo ex loco deiectũ esse Cæcinam, is, quo modo se restituisse dixit, necesse est male fecerit sponsionem. Quid est, Piso? placet tibi pugnare verbis? placet caussam iuris, & æquitatis, & non nostræ possessionis, sed omnino possessionum omnium constituere in verbo? ego, quod mihi videretur quod à maioribus factitatum, quod horum auctoritate, quibus iudicandũ est, dignum esset, ostendi, id verum, id æquum, id vtile omnibus esse: spectari, quo cõsilio, & qua sentẽtia, non quibus quidque verbis esset actũ. Tu me ad verbũ vocas? Nõ ante venio, quã recusaro. nego oportere, nego obtineri posse nego vllã rẽ esse, quæ aut cõprehendi satis, aut caueri, aut excipi posßit, si aut præterito aliquo verbo, aut ambigue posito: sententia & re cognita, non id, quod intelligitur, sed id, quod dicitur, valebit. Quoniam satis recusaui, venio iam quo vocas. Quæro abs te, sim'ne deiectus, non de Fulciniano fundo: neq; enim prætor, si ex eo fundo essẽ deiectus, ita me restitui iußit, sed eo, vnde deiectus essem. sum ex proximo vicini fundo deiectus, qua adibam ad istũ fundum: sum de via, sum certe alicumde, siue de priuato, siue de publico: eo restitui sum iussus. restituisse te dixisti: nego me ex decreto prætoris restitutum esse. quid ad hæc dicimus? aut tuo, quemadmodũ dicitur, gladio, aut nostro defensio tua cõficiatur, necesse est. si ad interdicti sententiã confugis, &, de quo fundo actum sit tũ, cũ Aebutius restituere iubebatur, id quærendum esse dicis, neq; æquitatẽ rei verbi laqueo capi putas oportere: in meis castris, præsidijsq; versaris: mea, mea est ista defensio: ego hoc vociferor, ego omnes homines deosq; testor, cũ maiores vim armatam nulla iuris defensione texerint, non vestigiũ eius, qui deiectus sit, sed factũ illius, qui deiecerit, in iudiciũ venire; deiectum esse, qui fugatus sit; vim esse factã, cui periculũ mortis sit iniectum. Istum locum fugis, & reformidas: & me ex hoc, vt ita dicã, campo æquitatis ad istas verborũ angustias, & ad omnes

omnes litterarũ angulos reuocas. in ijs ipsis intercludere insidijs, quas mihi conaris opponere. Non deieci, sed eieci. Peracutum hoc tibi videtur: hic est mucro defensionis tuæ: in eũ ipsũ caussa tua incurrat, necesse est. ego enim tibi refero. Si non sum ex eo loco deiectus, quo prohibitus sum accedere, at ex eo sum deiectus, quo accessi, vnde fugi. si prætor non distinxit locum, quo me restitui iuberet, & restitui iussit, non sum ex edicto restitutus.

EXPLANATIO.

QVAE *lumina* } in ædibus: vnde Obstruere luminibus. IVRE *mancipij sint.* } eo iure, quo perpetua possessio datur: quod ius dominij dicitur. Lucretius: Vitaq; mancipio nulli datur, omnibus vsu. SI PARIETVM *communium ius, ciuilia publica lege* } nam, si lex vincitur gratia, parietum cõmunium ius teneri non potest. RATA *auctoritas* } firma possessio, certum possidendi ius. TVM *statueritis* } totus hic verborum ambitus varie mendis inquinatus est, nec opem afferunt antiqui libri. C. AQVILLIVS } Gallus, clar⁹ iurisperitus, de quo diximus in oratiõe ꝓ Quinctio. nã in ea caussa iudex fuit. DICTVM *est ab illa caussa,* } ab ijs, qui caussam illã defendunt. CONCEDI *nimium non oportere.* } supra: Illud in tota defensione tua mihi maxime mirum videbatur, te dicere, iurisconsultorũ auctoritati obtemperare non oportere. IN CAVENDO } cauere iurisconsulti proprie dicuntur, ad Trebatiũ: Tu, qui alijs cauere soles, ab essedarijs ne decipiaris, caueto. QVI ITA *iustus, & bonus vir est, vt natura, non disciplina, consultus esse videatur; ita peritus, ac prudens, vt ex iure ciuili non scientia solum quædam, sed bonitas nata esse videatur* : } profecto nihil hac figura iucundius: nec est, vt eum, nisi excellenti præditus ingenio, excogitare quisquam possit. Exemplum vnum & alterum obseruauimus, primum in Quinctiana, alterum lib. III. in Verrem. Primum est de Roscio Comœdo: Cum artifex eiusmodi sit, vt solus dignus videatur esse, qui in scena spectetur: tum vir eiusmodi est, vt solus dignus videatur, q eo numquam accedat. In Verrẽ: Vtar teste: quo? L. Vettio Chilone, homine equestris ordinis honestissimo, atq; ornatissimo: q isti ita amicus, & necessari⁹ est, vt,

vt etiam si vir bonus non esset, tamen, quod contra istũ diceret, graue videreretur, ita vir bonus est, vt, etiam si inimicissimus isti esset, tamen eius testimonio credi oporteret. PRVDENS,} iurisciuilis. NOSTRAE *defensionis*} sic legendum videtur; non, Vestræ: cum supra dictũ sit, Quia adesse nobis frequẽter in hac caussa solet. OMNIBVS *quidquid verbis*} defendũtur hic verba contra æquitatem. QVO *vos auctore*} non, Aquillium, sed alium iurisconsultum, de quo proxime dixit: Conueni ego ex isto genere consultorum non neminem. ETIAM *illa materia æquitatis*} legebat acerrimi vir ingenij, Octauius Pantagathus: Ex omni memoria antiquitatis. quod sententiã sane percõmodam habet: neque tamẽ sic ea delector, vt consulendos nõ censeam veteres libros. QVO MODO *se restituisse dixit,*} dixi supra, cum Aebutius, restituisse se, dixit, id significare, deiectũ à se Cæcinã non esse. NEGO *oportere,*} spectari verba. OBTINERI} defendi. RESTITVISSE *te dixisti:*} ex decreto prætoris. ita respondit Aebutius, quasi paruisset decreto prętoris: cum, à se deiectum non esse Cæcinam, significaret. DE QVO *fundo*} negas enim deiectum esse Cęcinam de fundo, quo voluit accedere: deiectũ ais de propinquo fundo. VERBI *laqueo*} quia scriptũ est in interdicto, vt, vnde deiectus est Cæcina, eo restituatur, quem tu laqueum capiendæ æquitatis appellas: quod eo verbo Cæcinã restitui velit in eum fundum, quẽ suum esse dicit. TIBI *refero*: sic tibi respondeo: contra te hoc affero. Eodẽ modo locutus est pro Quinctio: Quid à nobis autem, C. Aquilli, refertur? NON SVM *ex edicto restitutus.*} non paruit decreto Aebutius: non me restituit.

ORATIO.

VELIM, *Recuperatores, hoc totum si vobis versutius, quã mea cõsuetudo defendendi fert, videbitur, sic existimetis, primũ, alium non me excogitasse; deinde, huius rationis nõ modo non inuentorẽ, sed ne probatorem quidem esse me; idq; me nõ ad meam defensionẽ attulisse, sed illorũ defensioni retulisse: me pro meo posse iure dicere? neque in hac re, quã ego protuli, quęri oportere, quibus verbis prætor interdixit, sed de quo loco sit actũ*

cum

cum interdixit, neq; in vi armatorum spectari oportere, in quo loco sit facta vis, verum sit ne facta: te vero nullo modo posse defendere, in qua re tu velis, verba spectari oportere: in qua re nolis, non oportere. Verũtamen ecquid mihi respondetur ad illud, quod antea dixi, non solum re, & sententia, sed verbis quoq; hoc interdictum ita esse compositum, vt nihil commutandum videretur? Attendite diligenter, quæso, Recuperatores: est enim vestri ingenij, non meã, sed maiorum prudentiam cognoscere. non enim sum id dicturus, quod ego inuenerim, sed quod illos non fugerit. cum de vi interdicitur, duo genera caussarum esse intelligebant, ad quæ interdictum pertineret; vnum, si qui ex eo loco, in quo esset; alterum, si ab eo loco, quo veniret, vi deiectus esset. & horum vtrumque, neq; præterea quidquam, potest accidere, Recuperatores. id adeo, si placet considerate. Si qui meam familiam de meo fundo deiecerit, ex eo me loco deiecerit. si qui mihi præsto fuerit cum armatis hominibus extra meum fundum, & introire prohibuerit, non ex eo, sed ab eo loco me deiecerit. ad hæc duo genera rerum, vnum verbum, quod satis declararet vtrasq; res. inuenerũt, vt, siue ex fundo, siue à fundo deiectus essem, vno atq; eodẽ interdicto restitueretur: VNDE. VI. *hoc verbum, Vnde, vtrumq; declarat, et ex quo loco, & à quo loco. vnde deiectus est Cinna? ex vrbe. vnde deiectus Carbo? ab vrbe. vnde deiecti Gallii? à Capitolio. vnde qui cũ Graccho fuerũt? ex Capitolio. videtis igitur hoc vno verbo significari res duas, & ex quo, et à quo loco. Cum aũt eo restitui iubet, ita iubet, vt, si Galli à maioribus nostris postularent, vt eo restituerentur, vnde deiecti essent, & aliqua vi hoc assequi possent; non, opinor, eos in cuniculũ, qua aggressi erant, sed in Capitolium restitui oporteret. hoc enim intelligitur: vnde deiecisti, siue ex quo loco, siue à quo loco, eo restituas. hoc iam simplex est, in eum locũ restituas: siue ex hoc loco deiecisti, restitue in hunc locũ: siue ab hoc loco, restitue in eum locum; nõ ex quo, sed à quo deiectus. vt, si qui ex alto, cum ad patriam accessisset, tempestate subito reiectus, optaret, vt, vnde esset deiectus, eo restitueretur; hoc, opinor, optaret, vt, à quo loco depulsus esset, in eum se fortuna restitueret, non in solum, sed in ipsam vrbem, quam petebat: sic (quoniam vim verborum necessario similitudine rerum aucupantur) qui postulat, vt à quo loco deiectus est, eo restituatur, hoc postulat, vt, vnde deiectus est, eo restituatur. cum verba nos eo ducunt, tum res ipsa hoc sentire, atq; intelligere cogit. Etenim, Piso,*

(redeo nunc ad illa principia defensionis meæ) si quis te ex ædibus tuis vi hominibus armatis deiecerit, quid ages? opinor, hoc interdicto, quo nos vsi sumus, persequere. quid? si qui iam de foro redeuntem armatis hominibus domum tuam te introire prohibuerit, quid ages? vtere eodem interdicto. cum igitur prætor interdixerit, vnde deiectus es, vt eo restituaris, tu hoc idem, quod ego dico, et quod perspicuũ est, interpretabere, cum illud verbum, Vnde, in vtramq; rem valeat, eoq; tu restitui sis iussus, tam te in ædes tuas restitui oportere, si è vestibulo, quã si ex interiore ædium parte deiectus sis. Vt vero iam, Recuperatores, nulla dubitatio sit, siue rem, siuẽ verba spectare vultis, quin secundũ nos iudicetis, exoritur hic, iam obrutis rebus omnibus & perditis, illa defensio, eum deijci posse, qui tum possideat, qui nõ possideat, nullo modo posse: itaque, si ego sim à tuis ædibus deiectus, restitui nõ oportere: si ipse sis, oportere. Numera, quã multa in ista defensione falsa sint, Piso. Ac primum illud attende, te iam ex illa ratione esse depulsum, quod negabas quemquã deijci posse, nisi qui in eo loco esset: nunc iam posse cocedis: eum, qui non possideat, negas deijci posse. cur ergo aut in illud quotidianum interdictũ, Vnde ille me vi deiecit, additur: Cum ego possiderem, si deijci nemo potest, qui nõ possidet: aut in hoc interdictum, de hominibus armatis, nõ additur, Si oportet quæri, possederit, nec ne? Negas deijci, nisi qui possideat. ostendo. si sine armatis, coactis ue hominibus deiectus quisquam sit, eum, qui fateatur se deiecisse, vincere sponsionẽ, si ostendat eum non possedisse. Negas deijci, nisi qui possideat. ostendo, ex hoc interdicto, De armatis hominibus, qui possit ostendere nõ possedisse eum, qui deiectus sit, condẽnari tamen sponsionis necesse esse, si fateatur esse deiectũ. Dupliciter homines deijciuntur, aut sine coactis, armatis ue hominibus, aut per eiusmodi rationẽ, ac vim. ad duas dissimiles res duo deuincta interdicta sunt. in illa vi quotidiana nõ satis est, posse docere, se deiectum, nisi ostendere possit, cum possideret, tum deiectum. ne id quidẽ satis est, nisi docet ita se possedisse, vt nec vi, nec clam, nec precario possederit. itaq; is, qui se restituisse dicit, magna voce sæpe confiteri solet, se vi deiecisse: verũ illud addit, non possidebat: vel etiã, cum hoc ipsum concessit, vincit tamen sponsionẽ, si planũ facit, ab se illum aut vi, aut clam, aut precario possedisse. Videtis ne, quot defensionibus eũ, qui sine armis ac multitudine vim fecerit, vti posse maiores noluerũt? hunc vero, qui ab iure, officio, bonis moribus ad ferrũ, ad arma, ad cæ-

ad cædem confugerit, nudũ in caussa destitutumq́; videtis: vt, qui armatus de possessione contendisset, inermis plane de sponsione certaret. Ecquid igitur interest, Piso, inter hæc interdicta? ecquid interest, verum hoc additũ, cum A. Cæcina possideret, nec ne? ecquid te ratio iuris, ecquid interdictorum dissimilitudo, ecquid auctoritas maiorum cõmouet? si esset additum, de eo quæri oporteret: additum non est, tamen oportebit? Atq; ego in hoc Cæcinã non defendo. possedit enim Cæcina, Recuperatores, & id, tametsi extra caussam est, per curam tamen breui, vt non minus hominẽ ipsum, quam ius commune defensum velitis. Cæsenniã possedisse propter vsumfructum nõ negas. qui colonus habuit conductum de Cæsennia fundum, cum idem ex eadem conductione fuerit in fundo, dubium est, quin, si Cæsennia tum possidebat, cum erat colonus in fundo, post eius mortem heres eodẽ iure possederit? Deinde, ipse Cæcina, cum circuiret prædia, venit in istum fundum, rationes à colono accepit. sunt in eam rẽ testimonia. Postea, cur Aebuti de isto potius fundo, quam de alio, si quem habes, Cæcinæ denũciabas, si Cæcina non possidebat? Ipse porro Cæcina cur se moribus deduci volebat, idq́; tibi de amicorum, etiam de ipsius C. Aquillij sententia responderat? At enim Sulla legem tulit. Vt nihil de illo tempore, nihil de calamitate reip. querar; hoc tibi respondeo, adscripsisse eundẽ Sullam in eandem legem, si quid ius non esset rogari, eius ea lege nihilum rogatum. quid est, quod ius non sit, quod populus iubere, aut vetare non possit? vt ne lõgius abeã, declarat ista adscriptio esse aliquid: nam, nisi esset, hoc in omnibus legibus non adscriberetur. sed quæro abs te, putes ne, si populus iusserit me tuum, aut item te meum seruum esse, id iussum ratum atq; firmum futurũ? perspicis hoc nihil esse, vt in ceteris, quæ rogaui. primum illud concedis, nõ, quidquid populus iusserit, ratũ esse oportere: deinde nihil rationis affers, quamobrẽ, si libertas adimi nullo modo possit, ciuitas possit. nam et eodẽ modo de vtraque re traditum nobis est: &, si semel ciuitas adimi potest, retineri libertas non potest. qui enim potest iure Quiritũ liber esse is, qui in numero Quiritum non est? atque ego hanc adolescentulus caussam cum agerem contra hominem disertissimum nostræ ciuitatis Cottam, probaui. Cum Arretinæ mulieris libertatem defenderem, & Cotta decemuiris religionẽ iniecisset, non posse sacramentum nostrum iustum iudicari, quod Aretinis adempta ciuitas esset; & ego vehementius contendissem, ciuitatẽ adimi non potuisse: de-

cemuiri prima actione nō iudicauerunt, postea, re quæsita, & deliberata, sacramentū nostrum iustum iudicauerunt. atq; hoc & contradicente Cotta, et Sulla viuo iudicatum est. Iam vero in ceteris, vt omnes, qui in eadē caussa sunt, et lege agant; & suum ius persequantur, et omnes iure ciuili sine cuiusquā aut magistratus, au iudicis, aut periti hominis, aut imperiti dubitatione vtātur; quid ego cōmemorem? dubium nemini vestrum est. certe, quæri hoc scelere, me nō præterit, (vt ex me eā, quæ tibi in mentem non veniunt, audias) quemadmodum, si ciuitas adimi nō posit, in colonias Latinas sæpe nostri ciues profecti sint. aut sua volūtate, aut legis multa profecti sunt: quam multam si sufferre voluissent, tamen manere in ciuitate potuissent. Quid? quē pater patratus dedidit, aut suus pater, populus ne vendidit? quo is iure amittit ciuitatē? vt religione ciuitas soluatur, ciuis R. traditur: qui cum est acceptus, est eorum, quibus est deditus. si non accipiunt, vt Mancinum Numantini, retinet integram caussam, & ius ciuitatis. Si pater vendidit, eum, quē in suam potestatē susceperat, ex potestate dimittit. Iam populus cum eum vendit, qui miles factus non est, non adimit ei libertatem, sed iudicat nō esse eum liberum, qui, vt liber sit, adire periculū noluit. cum autem incensum vendit, hoc iudicat, cum ij, qui in seruitute iusta fuerint, censu liberentur, eum, qui, cum liber esset, censeri noluerit, ipsum sibi libertatē abiudicasse. quod si maxime iisce rebus adimi libertas, aut ciuitas potest; nō intelligunt, qui hæc commemorant, si per has rationes adimi maiores posse voluerunt, alio modo noluisse. nam, vt hæc ex iure ciuili protulerunt, sic afferant velim, quibus lege aut Romana ciuitas, aut libertas erepta sit. nam, quod ad exsilium attinet, perspicue intelligi potest quale sit. exsiliū enim non supplicium est, sed profugium, portusq; supplicij. nam, qui volunt pœnā aliquā subterfugere, aut calamitatē, eo solum vertunt, hoc est, sedē, ac locum mutant. itaq; nulla in lege nostra reperietur, vt apud ceteras ciuitates, maleficium vllū exsilio esse multatū, sed, cum homines vincula, neces, ignominiasq; vitāt, quæ sunt legibus institutæ confugiunt, quasi ad aram, in exsilium: qui si in ciuitate legis vim subire vellent, non prius ciuitatem, quam vitam amitterent, quia nolunt, non adimitur is ciuitas, sed ab his relinquitur, atque deponitur. nam, cum ex nostro iure duarum ciuitatum nemo esse posit, tum amittitur hæc ciuitas denique, cum is, qui profugit, receptus est in exsilium, hoc est in aliam ciuitatem.

EXPLA-

EXPLANATIO.

ALIVM,} eum, de quo supra dixit: Conueni ego ex isto genere iurisconsultorũ non neminẽ. C. CINNA?} quẽ Octauius collega vrbe expulit. EX VRBE.} in qua erat. VNDE *deiecisti?*} mendosus locus. legebat Octauius meus, apte, quod ad sententiam attinet, sed coniectura longius ab antiquis libris discedente, Vnde deiecti Samnites? AB VRBE.} quo volebant accedere. IVBET,} interdictum. SIVE *ex quo loco, siue à quo loco,*} siue ex eo loco, vbi esset; siue ab eo loco, quo vellet accedere. AVCVPAMVR} quærimus. similibus enim rebus verborum vis intelligitur. EXORTVR *hic*} pro Aebutio. IN ILLA *vi quotidiana*} vsitata, legitima, quę moribus fit. CVM *possideret,*} quod nisi ostenderet, interdictum illud ei quotidianum non daretur, in quo additur, Cum ego possiderem. QVI SE *restituisse dixit,*} hoc loquendi genere quid significetur, supra ostendi. dicebat enim is, contra quem esset interdictũ, restituit: non quia restituisset, sed vt interdicto prætoris, quo restituere videbatur, paruisse videretur. SE VI *deiecisse,*} vi quotidiana, moribus facta, siue armis. AB SE} nõ iure, sed opera, malitiaq́; sua. INERMIS} nullo defensionis ꝑsidio munitus. SI ESSET *additum,*} hoc, Cum A. Cæcina possideret. NON *defendo:*} cum dico, queri nõ oportere de eo, quod additum in interdicto non est. possum, enim, hac omissa ratione, Cæcinam defendere, & dicere, eum possedisse. EXTRA *caussam est,*} non enim hoc quæritur in hoc genere interdicti, vtrum possederit, nec ne? neque hanc exceptionem in interdicto prætor addidit. Cum A. Cæcina possideret: sed, interdixit sine vlla exceptionẽ supra: P. Dolabella prætor interdixit, vt est consuetudo, de vi hominibus armatis, sine vlla exceptione, tantum, vt vnde deiecisset, restitueret. Et: Vim, quæ ad caput & ad vitam pertinet, restitui sine vlla exceptione voluerũt. HOMINEM *ipsum,*} quem possedisse ostendam. IVS *commune,*} quod satis iam defendisse mihi videor in hoc interdicto, in quo de possessione non quæritur. DVBIVM *est, quin, si Cæsennia tum possidebat,*} infirma ratio. possidebat enim ex vsufructu, qui

morte finitur. itaque non sequitur, vt, quæ possessio Cæsenniæ fuit, eadem esse potuerit heredis. POSTEA} pro, postremo. DE ISTO *potius fundo, quam de alio,*} quia sciebas, istum à Cæcina fundum possideri, ideo ei, nisi eo tibi cederet, denunciabas, id est, possessionem tueri velle ostendebas. supra: Homini Romæ in foro denũciat, fundum istum suum esse, seque sibi emisse. AT ENIM *Sulla legem tulit.*} ne Volaterrani ciues Romani esset. qua lege priuatus Cæcina iure ciuitatis, heres esse Cæsenniæ non potest. nam peregrinis ciuium Romanorum hereditates adire legibus non licet. EIVS *ea lege nihilum rogatum.*} legum clausula, cuius exstat exemplum in ep. ad Att. libr. III. & Phil. I. VT IN *ceteris, quæ rogaui.*} nihil obscurius, aut etiam nihil mendosius. veteres libri, Et ea terrisque primum. COTTAM} C. Cottam, consularem, qui loquitur adolescens in libris de Orat. DECEMVIRIS} qui de libertate iudicabant: pro domo. QVOD *Arretinis adempta ciuitas esset,*} & quibus adempta semel ciuitas esset, ij libertatem retinere non possent. CIVITATEM *adimi non potuisse:*} à Sulla. nam is legẽ tulit, vt multis municipibus, in quibus Arretini, & Volaterrani fuerunt, ius Romanæ ciuitatis adimeretur. quod irritum tamen fuit. & ad hunc locum pertinent illa pro domo: Populus Romanus, L. Sulla dictatore ferente comitijs centuriatis, municipijs ciuitatem ademit, ademit ijsdem agros. de agris ratum est: fuit enim populi potestas: de ciuitate ne tam diu quidem valuit, quam diu illa Sullani temporis arma voluerunt. Scripsit etiam ad Att. lib. I. Volaterranos, & Arretinos, quorum agrum Sulla publicarat, neq; diuiserat; in sua possessione retinebam. SACRAMENTVM *nostrum*} pecunia deposita, ab eo, qui petebat, & ab eo, qui inficiatur, sacramentum dicebatur: vt ex Varrone intelligitur. Iustum Sacramentum, aut iniustum iudicare, est, secundum aliquem, aut contra aliquem litem dare. pro domo: Quin etiam, si decemuiri sacramentum in libertatem iniustum iudicassent, tamen, quotiescumque vellet quis, hoc in genere solo rem iudicatam referre posse voluerunt. NON *iudicane-*

dicauerunt,} vt in dubia re pronunciarunt, non liquere. deesse arbitror, L. vt legatur. Non L. iudicauerunt: id est, non liquere. ATQVE *& hoc contradicente Cotta*,} homine disertissimo. SVLLA *viuo*} cuius lege adempta municipijs ciuitas cum agris erat: quam, quod ad ciuitatem attinuit, ne ipso quidem Sulla viuo seruatam esse, non hic modo locus, verum etiam oratio pro domo perspicue demonstrat. QVI IN *eadem caussa sunt*,} qui sunt ex municipijs, quibus Sulla ciuitatem ademit. LEGE *agant*,} hoc explanatur sequentibus verbis, Ius suum persequantur. est enim, Lege agere, iudicio experiri. IVRE *ciuili vtantur*.} eodem iure, quo qui ciues Romani sunt. DVBITATIONE,} nemo dubitat, quin iure ciuili recte vtantur. VT EX ME *ea, quæ tibi in mentem non veniunt, audias*,} festiue suscipit magistri personam ad irridendum aduersarium. facit idem in Diuin. his verbis: Cognosce ex me, quoniam hoc primum discendi tempus nactus es, quam multa esse oporteat in eo, qui alterum accuset. SI CIVITAS *adimi non posset*,} poterat hoc Aebutius dicere: Si ciuitas adimi non potest, cur in colonias Latinas multi ciues Romani profecti sint? nam ius ciuitatis Romanæ cum iure Latij permutare, dementia videtur. ideo autem profecti, quia ciuitatem Romanā amiserant. AVT *sua voluntate*,} confutatio Ciceronis. LEGIS *multa*:} aliquo iudicio damnari: cuius infamiam cum non ferrēt, maluerunt in Latio iure Latij viuere, quam Romæ cōmuni iure ciuium Romanorum. infra: Qui in ciuitate legis vim subire vellent., &c. PATERPATRATVS} vnius ex fetialium collegio, qui hostibus ciuem Romanum in potestatem iussu populi tradebat, quod pacem cum ijs fecisset, quam populus ratam habere nollet. exemplum apud Liuium exstat Mancini Numantini. QVI *miles factus non est*,} qui militiam detrectauit, qui citatus non respondit. Valerius Maximus, libr. VI. INCENSVM} qui censum vitauit. LIBERENTVR,} libertatem adipiscantur. IISCE *rebus*} quas proxime commemoraui. EX IVRE *ciuili*} ex iuris ciuilis materia, non ex legibus.

AFFERANT *velim*, } quod afferent numquam: quia factum numquam est.

ORATIO.

NON *me præterit, Recuperatores, tametsi de hoc iure multa prætereo, tamen me longius prolapsum esse, quam ratio vestri iudicij postularit. verum id feci, non quod vos in hac caussa hanc defensionẽ desiderare arbitrarer, sed vt omnes intelligerent, nec ademptam cuiquam ciuitatem esse, nec adimi posse. hoc cum eos scire volui, quibus Sulla voluit iniuriam facere, tum omnes ceteros nouos, veteresque ciues. neq; enim ratio afferri potest, cur, si cuiquam nouo ciui potuerit adimi ciuitas, non omnibus antiquissimis ciuibus possit. nam ad hãc quidem caussam nihil hoc pertinuisse, primum ex eo intelligi potest, quod vos ea de re iudicare non debetis; deinde, quod, vt Sulla ipse ita tulit de ciuitate, vt non sustulerit horum nexa, atque hereditates: iubet enim eodem iure esse, quo fuerint Ariminẽses: quos quis ignorat duodecim coloniarum fuisse, & à populo R. hereditates capere potuisse? quod si adimi ciuitas A. Cæcinæ lege potuisset, magis illam rationem tamen omnes boni quæreremus, quemadmodum spectatissimum, prudentissimumque hominem, summo consilio, summa virtute, summa auctoritate domestica præditum, leuatum iniuria, ciuem retinere possemus, quam vti nunc cum de iure ciuitatis nihil potuerit deperdere, quisquam exsistat, nisi tui, Sexte, similis & stultitia, & impudẽtia, qui huic ciuitatem ademptam esse dicat. qui quoniam, Recuperatores, suum ius non deseruit, neque quidquam illius audaciæ, petulautiæq; concessit, derelinquo communẽ caussam: populiq; R. ius in vestra fide ac religione depono. is homo ita se probatum vobis vestriq; similibus semper voluit, vt id nõ minus in hac caussa laborarit, nec contenderit aliud, quam ne ius suum dissolute relinquere videretur, nec minus vereretur, ne contemnere Aebutium, quam ne ab eo contemptus esse existimaretur. Quapropter, si quid extra iudicium est, quod homini tribuendum sit, habetis hominem singulari pudore, virtute cognita, & spectata fide, amplissimum Etruriæ totius, in vtraque fortuna cognitum multis signis et virtutis, & humanitatis. si quid in cõtraria parte in homine offendendum sit, habet eum, vt nihil dicam amplius, qui se homines coegisse fateatur. sin hominibus remotis de caussa quæritis, cum iudicium*

cium de vi fit, is, qui arguitur, vim se hominibus armatis fecisse fateatur; verbo se, nō æquitate, defendere conetur, id quoque ei verbum ipsum ereptum esse videatis: auctoritatem sapientißimorum hominum facere nobiscum, in iudicium non venire, vtrum Cæcina possederit, nec ne, tamen doceri possedisse, multo etiam minus, quæri, A. Cæcinæ fundus sit, nec ne, me tamen id ipsum docuisse, fundum esse Cæcinæ: cum hæc ita sint, statuite, quid vos tempora reip. de armatis hominibus, quid illius confeßio de vi, quid nostra decisio de æquitate, quid ratio interdicti de iure admoneant, vt iudicetis.

EXPLANATIO.

NIHIL *hoc pertinuisse,*} quod ab aduersarijs obiectū est. EA DE RE} non enim de ciuitate, sed de interdicto, eiusq; verbis vestrum iudicium est. HORVM} de quibus legem tulit. NEXA,} vt abalienare possent, quidquid vellent, per nexum, id est, per æs & libram, vt ait Varro. DVODECIM *coloniarum*} quæ in Italia deductæ sunt lege M. Liuij tribuni pl. collegæ C. Gracchi. Plutarchus, Appianus. FVISSE} non, inter duodecim colonias fuisse, (nam illæ deductæ sunt in Italia. Ariminum autem in Gallia: & Ariminum annis multis ante duodecim) sed eodem iure fuisse, quo fuere duodecim coloniæ. PRVDENTISSIMO,} ne his idem dicatur, cū sequatur, Summo consilio, malim legere, Prudentissimū. infra: Habetis hōem singulari pudore, virtute cognita, & spectata fide amplissimū. AVCTORITATE *domestica*} inter suos, in patria eundē in parte Italiæ minime contēnenda nobilissimum vocat, scribens ad eum lib. VI. fam. si modo hic A. Cæcina ille est. COMMVNEM *caussam,*} de ciuitate: in qua caussa non vnius Cæcinæ, sed omnium ciuium Romanorum ius agitur. VT ID} vt vobis probatus esset. NE *contemnere Aebutium,*} quo pudor eius, probitasque cognoscitur. noluit committere, vt vel ab Aebutio contemptus esse, vel vt ipse eum contempsisse videretur: itaque diligenter suum ius persecutus est. ETRVRIAE *nomine totius*}. Nomine, mendosum est, & quamquam sententia patere satis videtur, diuinatione tamen veritatem aucupari non ausim. VIRTVTIS} in

aduerſa fortuna, ciuilibus bellis. HVMANITATIS} in proſpera. interpretatur enim illud, In vtraque fortuna. VERBO} cum dicat, Eieci, non deieci: EREPTVM} à me cum docuerim, eandem rem vtrique verbo ſubeſſe. SAPIENTISSIMORVM *hominum*} iuriſconſultorum. POSSEDERIT, *necne*,} hæc enim exceptio non eſt in interdicto. TEMPORA *reipub.*} recenti bellorum ciuilium memoria. QVID *illius confeſſio de vi*,} non, Confeſsio de vi, ſed, Confeſsio de vi admoneat. ad eum enim verbum, Admoneant, hæc omnia referuntur, De hominibus armatis, De vi, De æquitate, De iure. DECISIO} explicatio verborum. DE AEQVITATE,} admoneat.

FINIS.

INDEX.
RERVM ET
VERBORVM LOCVPLETISSIMVS. QVAE IN PRIMO CICERONIS ORATIONVM VOLVMINE CONTINENTVR.

A.

commune

certa-

clami-

cogni-

confeßio.

expergefa-

femi-

grauida,

imago

O.

perti-

picta

por-

præbe-

sic

spes

T.

tabe-

FINIS.

INDEX RERVM ET VERBORVM POSTERIOR. QVAE IN PRIMO VOLVMINE COMMENTARIORVM P. MANVTII IN CICERONIS ORATIONES COMPREHENSA EXHIBENTVR.

A.

argen-

exer-

 grex.

indignantis

L.

lex

pareti

sena-

te-

FINIS.

Apud inclytam Coloniam excudebat Godefridus Kempensis: Anno, cIↄ.Iↄ.LXXIX mense Aprili.